This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

RERVM HVNGARICARVM SCRIPTORES VARII.

HISTORICI, GEOGRAPHICI.

Ex veteribus plerique, sed iam fugientibus editionibus reuocati:

Quidam nunc primùm editi.

Auctores exhibet pagina à præfatione proxima.

Indices additi auctorum quos illi citant, vocum minus frequentium, & rerum memorabilium.

FRANCOFVRTI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.
M. DC.

REGIÆ BIBLIOTH. ACAD. PRAGEN.

Ad Collegium Sti Benedicti in Hradschino Micro-Pragae
Cler: Reg: S: Paula

Digitized by Google

Digitized by Google

Amplissimo Viro
GVILELMO ANCELIO,
REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIO
&
AD CÆSAREM LEGATO
PRVDENTISSIMO, FIDELISSIMO.

S.

RERVM Hungaricarum corpus, ANCELI amplissime, publicare hoc maximè tempore visum est: quòd gentis eius res explicat, in quam gentes omnes oculos ferre, hoc maximè tempore condecet. Et visum, publicare sub amico nomine tuo: monumentum obseruantiæ in te meæ, sane leue; nec tuis respondens meritis, nec animo meo: cui ego, quicquid fecero, satisfaciam certè numquam. Sed cùm hæc veluti lex dicta sit, libros etiam alienos vulgantibus, vt magnū aliquod operi nomen inscribant, illicium lectori: veterem te amicum appellare placuit, vetere in illa historia, & veluti emortua versatum egregiè; & harum rerum, quas ætas nostra vidit admirandas, vsu & viua cognitione illustrem; & huius etiam Hungariæ, ex diuturna ad Cæsarem Legatione, quam magna cum laude, difficillimis temporibus obiisti, rerum locorumque peritum.

Ægyptios, Laruale simulachrum aiunt medio conuiuio inferre, & ostentare olim epulantibus solitos: non quidem vt gulam *Herodot. Plutarch.* accenderent discumbentium, quasi nullum ex hac vita fructum ferrent, nisi quem in profundū condidissent: sed vt mutuo se amore complexi, in illud intuentes, manum iniicerent fugienti vitæ: ne breuem & euanidam, transfigerent veluti pecora, proni & ventri obedientes: sed vt exsurgentes & accincti, angustissimum hunc gyrum bene factis extenderent.

Ita HVNGARIAM ego, magni sceletum Imperii, ostento seculo nostro: in quam intueamur, qui vitam hanc, circumstrepentibus vndiq; externis internisq; hostibus, agimus bacchabūdi: ἄχαρις

Plutar. conuiuio VII. sapient. forte, vt ille; sed certè non ἄωρος ἐπίκωμος. Nam, per DEVM immortalem! quid his moribus Sol ille corruptius, quid ad DEI vocem & præsentes minas negligentius atque oscitantius, vidit vmquam?

Horat. *Eheu, cicatricum & sceleris pudet:*
—— Quid nos dura refugimus
Ætas? Quid intactum nefasti
Liquimus? Vnde manus iuuentus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ——

Memorare singula nec dolor siuerit, nec pudor meus.

His verò quid aliud quàm magnum DEI flagellũ Attilam, magnis clamoribꝰ reuocamus? Quicquid liberis reducẽdis potest parens benignus, id ILLE in nos exhausit omne. Officii nos nostri, tot iam annos admonet; pœnas admouet paternas; & illustria exempla ingerit iustitiæ suæ. Bello, egestate, morbo paulatim aggressus: vt peruicacẽ animum sensit, grauius incubuit. Misceri, & subuerti tandem omnia vidimus: scelere subditorũ peremptos Reges vidimus,

Et capitis summi præclarum insigne, cruentum
Sub pedibus vulgi: ——

Vidimus & ruptis naturæ legibus, in sua viscera sæuientes manus: Vidimus, quæ referre horret animus; quæ μήτ' ἐγένοντο πάροιθεν, Μήτ' ἔςαι μετόπισθεν. —— Quis ad hæc oculos intendit? Quis vocem reuocantis audiit? Quis ad istos è cœlo ictus, assurrexit? Nempe & Matth. 13. Is. in nobis adimpletur prophetia Isaiæ, dicentis. *Auditu audietis, & non intelligetis, videntes videbitis, & non videbitis: Incrassatum est cor populi huius; & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant: & conuertantur, & sanem eos.* Quod de legatione illa M. Cato, idem de Epit. Liuii. seculo hoc dicas: *Nec caput, nec pedes, nec cor habere*: adeo nihil est in nobis, quod officium faciat suum. Hos veternus tenet: illos inquieta turbat inertia, occupatos inanibus: libido alios, visco tenaci, implicat: alios habendi dominandique cupido insatiabilis, in perniciem innocentum, furentes agit. in aliena longè lateque rapaces manus inferunt: altera manu Orientem, Occidentem attentant altera: quæ non capiunt, cupiunt & prensant: DEVM nemo; nemo se cogitat.

Sed & Tu, qui in immensum spes improbas cupiditatesque extendis; & Illa ipsa quæ, nullo tuo bono, multorum malo, quæsisti, finem accipient: quicquid longo tempore, multa DEI indulgentia struxisti, id vna dies sparget:

Lucretius. *—— multosque per annos*
Sustentata ruet moles.

Romanum Imperium, quale quantumq;! muscæ & vermiculi, incondita populorum turba, arrosum perdiderunt. Hunc nostrum Attilam intuêre: quem Hungari magnũ iure vocant: eodem, quo Magnus

Magnus Alexander, aliiq; generis eiusdem: magnum latronem, fœlicem prædonem orbis terrarum:

Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes *Lucan. 10.*
Percuteret pariter populos, & sydus iniquum
Gentibus.——

Eum vides, vt,

——*fatis vrgentibus actus,*
Humana cum strage ruit? gladiumq; per omnes
Exegit gentes? ignotos miscuit amnes?

Peruastato Occidente, animo versat Orientem: & Syriam, Ægyptumque cogitat, cùm illi

Occurrit suprema dies. Naturáque solum
Hunc potuit finem, vesano ponere Regi.

Proh dolor! vt huius quem edimus auctoris verba vsurpem, *gloria mundi, superis disponentibus, quo dirigitur calle? Rex qui multarum fudit sanguinem gentium, ipse proprio sanguine suffocatus est.* Hoc ipsum Hungariæ regnum vides? Orientis olim, Occidentisque spoliis opulens? tot victoriis tumidum? tot regna complexum? Heu, quò recidit! Periit alta, & verè regia, Matthiæ Regis sedes; & de tanto Imperio, vix tot reliqua sunt oppidula, quot olim regna, Rex ille vnus, non falsis titulis, præferebat. *Turocz.*

Ite per extremum Tanaim, pigrosque Triones, *Claudianus.*
Ite per ardentem Libyam, superate vapores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.

Nil agitis: *Ventum seminatis, turbinem metetis.* Manum ecce tibi DEVS iniicit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Si exaltatus fueris, vt aquila: & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te,* dicit DOMINVS. Tu verò, inquam, & illa quibus incedis superbus, finem accipient. Sed tibi, & ad diem veniendum, & reddenda erit actæ vitæ ratio: *sicut fecisti, fiet tibi.* *Osea. 8. 7.* *Luca 12. 16.* *Abdia. 1.* *Abdia. 1.*

Patere me, obsecro, ANCELI optime, de his ipsis Hungaris nostris paucis agere; & res tibi notissimas repetere. Non te morabor multis.

Genus hoc, natiuis à DEO sedibus excitũ, nouum orbi nostro & nomen & terrorem intulit, atq; Romanum ipsum Imperium, inter alia, grauiter impulit: genus, *pauenda nigredine,* *Iornandes.*

——*quo non deformius vllum* *Claudianus.*
Arctos alit: turpes habitus, obscænaque visu
Corpora.

bipedes existimares, vel quales in commarginandis pontibus, stipites dolantur incomptè in hominum figuras: ingenia verò, ad similitudinem corporum horrentia. *Amm. Marcell. lib. 31.*

Hæc, inquam, ignota nec antè audita gens, paludibus emersa subitò, exigentibus peccatis, ingentem vbique vastitatem dedit. Op-

Digitized by Google

pida, vrbes, prouincias, regna commouit, turbauit, euertit. Tādem, velut imposito defuncta sibi à DEO munere, fertilissimam atque omnibus ad vitæ vsum cultumque necessariis instructissimam Europæ partem, suam fecit: vt & præda suo tempore esset aliis, quæ prædas ab aliis tam diu egerat impunè. Florentissimo atque amplissimo regno constituto: quæ fidem atrocissimè & crudelissimè persecuta fuerat, ea *fidei nostræ clypeus, nostræ Religionis murus* appellari auorum memoria meruit; nostrâ, suo ipsa primùm luxu debilitata, cuius auctorem Beatricem Reginam laudant; & dissidiis intestinis perturbata, immanissimum hostem sinu suo excepit, orbi nostro immisit: in se interim conuersis ipsis Christianis Principibus, & sese mutuò lacerantibus, atque pulcherrimam illam corporis sui partem, publico hosti prodentibus.

Æneas Syluius.

Lubet adscribere Illustris & prudentis viri Sigismundi Herberstenii Baronis verba, recensentis, quas ipse Legatus Ferdinandi Regis viderat, notauerat causas excidii Hungarici. *Matthias Rex*, inquit, *neque Regio sanguine natus, neque vetusto Ducum aut Principum stemmate clarus, non tamen nomine solùm Rex fuit, sed ipsa re Regem præstitit: ac non modo Turcarum Principi fortiter restitit, eiusque grauissimas impressiones inuictus sustinuit: verùm & ipsi Romanorum Imperatori, atque adeò Bohemiæ & Poloniæ Regibus negotium fecit: denique omnibus vicinis suis, terrori fuit. Quemadmodum autem huius Regis virtute, ac rebus præclarè gestis Hungariæ regnum ad summam potentiam, ipso viuente, peruenerat: ita eo sublato, quasi mole sua laborans, inclinare cœpit. Nam qui ei successit, Vladislaus Bohemiæ Rex, Casimiri Poloniæ Regis filius primogenitus, princeps quidem pius, religiosus, & vitæ inculpatæ, sed ad moderandam tam bellicosam gentem, in tanti præsertim hostis vicinitate, minimè sufficiens fuit. Etenim tot rebus secundis ferociores & insolentiores facti Hungari, benignitate & clementia Regis abutebantur ad licentiam, luxuriam, desidiam, fastum: quæ vitia eò tandem euasêre, vt etiam Rex ipse contemptui haberetur. Porrò Vladislao defuncto, sub eius filio Ludouico, cùm hæc ipsa vitia magis ac magis inualuêre: tùm, si qua reliqua fuit belli disciplina, ea tota est amissa. Nec potuit Rex puer, his malis ob ætatem mederi: nec alioqui ad eam, quam decebat grauitatem educatus fuit. Primores regni, ac præcipuè Prælati, luxu penè incredibili diffluebant: & certabant, quasi æmulatione quadam, tum inter se, tum cum Baronibus, vt alios profusione & splendore vincerent. Iidem Nobilitatem, partim beneficiis ac præmiis, partim etiam potentia ac metu, sibi obnoxiam tenebant, vt plures assectatores haberent, ac eorum studiis, & acclamationibus in publicis conuentibus iuuarentur. Mirum dictu, quâ pompâ, quo apparatu, ac quibus equitum vtriusque armaturæ copiis, Budam sunt ingressi, præcinentibus tubicinibus, ad cuiusdam quasi Triumphi speciem. Porrò in Regiam cùm irent, aut indè redirent, tanto deductorum & stipatorum comitatu vndique septi incedebant, vt vici & plateæ vix cateruam caperent. Cum verò prandendum esset, tota vrbe, ad ædes*

cuius-

Digitized by Google

cuiusque, tubæ non aliter atque in castris resonabant; & ducebantur prandia in multas horas, quæ somnus & quies excipiebant: cùm contra, quasi solitudo quædam esset circa Regem; & fines regni interea destituti necessariis præsidiis, impunè ab hostibus vastarentur. Episcopatus, dignitates, & præcipua quæque officia promiscuè, non pro meritorum ratione conferebantur: & quo plus potētiæ quisque obtinebat, hoc plus iuris habere credebatur. Itaque laborabat iustitia, & premebātur infirmiores: ac omni bono ordine sublato, atque euerso, subindè inueniebatur aliquid, quod Reipublicæ labem aliquam cum vulgi detrimento afferret: &c. Denique ea erat in vniuersa Hungaria omnium rerum inclinatio, vel potius confusio, vt quiuis vel minimam experientiam habens, regnum hoc tot malis obnoxium, etiam si nullū vicinum haberet hostem, mox perire oportere prospiceret, &c. Quod mihi tum præsagiebat animus, quodque metuebam, nihil proficientibus bonis ac fidis monitoribus & consultoribus, ingenti nostro malo euenit: neque dum huius tragœdiæ finis est. Aula mansit, qualis erat: & nihil remissum est à pompâ, fastu, insolentiâ, ac luxu, donec consideret. Vt non ineptè quidam ex Aulicis tum dixerit, SE NVNQVAM VIDISSE VEL AVDISSE REGNVM VLLVM, QVOD MAIORE, ATQVE HVNGARIA, GAVDIO ET TRIPVDIO PERIRET. Hæc ille.

Iisdem nos morbis passim laboramus: nec est quod nobiscum melius actum iri, nobis fingamus ipsi. *Vrgent tempora periculis plena, & exitiabiles imminent pœnæ.* *Arnob.* Nimirum exspectat peruigil ille Iustitię oculus, dum concessum impietati nostræ, & pœnitentiæ tempus exeat: euocaturus in nos, indè ab vltimis terris, ignota nomina, & ipso aspectu terribiles formas: qui & duras ceruices, iustum pati Imperium nescias, frangant; altosque spiritus suppeditent: & luxū abundantiâ laborantem, per inopiam famemque, enecent: & serā periculosæ auaritiæ pœnitentiam, extorqueant: & Dei oblitas mētes, atq; terræ affixas, compellant in cælum ferre gemitus, & preces irritas. Sed DEVS meliora. Et dabit certè meliora, si nos, per eius misericordiam, reddimus ipsi meliores. Suauis Manuel Imperator, bellum his ipsis Hungaris illaturus, è duabus statuis, quæ in *Nicetas lib. 5.* foro Constantino, sub nominibus Hungarissæ & Romanæ erectæ olim erant, cùm stare Hungarissam, lapsam vetustate Romanā cōperisset, hanc restitui, deiici illam imperauit: ad illarum positū, scilicet, fatum disponens vtriusque gentis. Suauis, inquam ille, iacentem statuam, mutum marmor erigit; lapsos Reipublicæ mores, neglectā disciplinā negligit. Nos verò nautas illos imitemur, qui fluctib. agitati ventisq;, oculos, non in illas ipsas quibus impelluntur vndas intendunt; sed in cælum tollunt: petentes indè viam, quæ ad portum ducat. Vertamus, inquam, in cælum oculos, *& flectamus genua ad Patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, vt pro inexhausta misericordia sua, auertat imminentes nobis merito nostro grauissimas pœnas; nosque benignus ad se conuertat.

Digitized by Google

Ego, ad Hungariam nostram redeo: & influxũ in ea, refluxũq; variarum gentium spectare tecum, *Anceli* prudentissime, tanquam ludos; & vices in iis, rerum humanarum contemplari, atque admirari lubet.

Assiduus humani generis discursus est. Noua vrbium fundamenta iaciuntur: noua gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conuersis, oriuntur. Itaque vix inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant: permixta omnia & insititia sunt: alius alii successit. Sed quæ frequentiores quam terra Hungaria passa sit incolarũ mutationes, haud scio an vlla sit. Ita crebro & subito: *velut vnda, superuenit vndam*: gens gentem impulit. Eam primùm habuêre *Pannones*, quos Augustus *Romano* primus Imperio adiecit: sed varia ex eo & diuturna Romanorũ Principum in Pannonia & Dacia (quæ & ipsa Hungaria est) bella fuêre. Romanorum certè in ea reliquias passim vidimus, *Valachos*: vt repetere hîc liceat, quod ille dixit, *Vbicumque vicit Romanus, habitat.* Sub Constantino consederunt in ea *Vandali*: Vandalos expulerunt *Gothi*: & hi vnde illos expulerant, eiecti sunt ab *Hunis*: Hunos, *Ostrogothi*; Ostrogothos *Longobardi* pepulerunt. Italiam repetentes Longobardi, terram amicis *Hunis* concessêre. Sed Hunos *Franci* grauiter afflictos vindicarunt sibi, atque subiecerunt: donec terram totam occuparent tandem *Hungari*, & de nomine suo HVNGARIAM appellarent: quã & illis ipsis Hũgaris, & Germanis, & Ciculis (quos reliquias esse vetustissimorũ Hunorum aiunt) & Romanorum posteris Valachis, & tandẽ Turcis ætas nostra insessam videt.

Hungari verò, noua gens sit, an eadem illa vetus mixta Auaris Hunica, quod plerique volunt, non disputo. Id enim certò constituere neque nostra valdè refert, neque in promptu est. Apud Censorinum *M. Varro, tria discrimina temporum esse tradit: Primum, ab hominum principio, ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur* Adelon: *secundum, à Cataclysmo priore, ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur* Mythicum *dicitur: tertium, à prima Olympiade ad nos, quod dicitur* Historicum; *quia res in eo gestæ, veris historiis continentur.* Hoc adeò discrimen, in omni gente verum est. Hunorũ siuè Hungarorum res, vsq; ad transitũ Mæotidis, *illachrymabiles ignotæque vrguẽtur longa nocte*, vt ille inquit. Quę antè magnum Attilam, & sub ipso, fabulis veluti tenebris obscura sunt: & gentis ipsius, vt aliarum ferè omnium, initia verè sunt πεϱπτῶδη. In ipsis verò Attilæ rebus, quanta locorum perturbatio? quãta vbique temporum negligentia? quicquid in iis lucis, debetur id scriptoribus alienis, qui calamitates quisque gentis suæ literis commendarunt. Ab ipso etiam Attila, ad Geysam Ducem, narratio aut nulla aut dubia est. Vt verò radiis salutiferę doctrinę illustratę sunt Hungarorum mentes, simul cesserunt & illę tenebrę, & rebus lux reddita.

Sed

Digitized by Google

Sed Hungarorum Imperio constituto, easdem in Regum, quas in illarum Gentium successione, vices videas. Octo illæ, ni fallor, fuêre: & regnum tenuêre familiæ octo. *Domesticos* enim, *Bohemus* excepit: hunc *Bauarus*: & nostri è Neapolitano regno *Franci*, Reges Hungariæ tres dedêre, à quibus in gentem *Lucemburgicam* regnum per affinitatem transiit: ea tum & Germaniæ gaudebat Imperio. A Lucemburgicis ad *Austriacos* per Elisabetham Sigismūdi F. summa rerum translata est: quorum possessionē turbauit *Polonus*, & ab eo *Scaligerorum* illustre nomen. His enim tradunt ortum Huniadem, à quo maximus Matthias: sed

Ex illo, fluere & retrò sublapsa referri,

res Hungarica, quæ indè ad *Polonum* rediit: ei fuit vxor Anna Cādala, Fossensi familiâ, à qua maternum genus ducit Regum gloriosissimus HENRICVS. IV. Annā Anna peperit: ea Ferdinando nupta, optimo primùm Regi, deindè Cæsari, in Hungariam reduxit domum *Austriacam*, quæ & hodie fixum tenet in ea pedem, feliciter. Hæ vices spatio clauduntur annorum quingentorum, & quod excurrit.

Solum verò ipsum olim, si Dioni credimus, & ex eo Zonaræ, vt pleraque habita Barbaris, sterile malignumque, ita excultum est, vt alia orbis nostri facilè omnia fœcunditate exsuperet: & de eo dicere alio loco memini. Sed olim sterile visum crediderim, iam putrib. luxu Græcis Romanisq; non fatigantib. terrā incolis, quos victus pascebat facilis, simplexque. Attamen & illustres olim genti opes fuisse, testē habeo celebrē Decebali thesaurū: & ipsum illū tot tā variarū gentiū frequentē cōcursum, quas genuina inuitatas soli bonitate, ex eo cōstat, quòd oblata Arpado Capitaneo, & probata Pānonica gleba, herba, aqua, magno impetu Hungaros induxerūt.

Sed nimis ego te, melioribus occupatum, teneo. Finem facio, postquam dixero, Varios & ingenii varii auctores in hunc, veluti fascem coniectos: quosdam certè, nec luce hac dignos, si extarent alii potiores. Sed in historia maximè id verum est, quod Plinium dixisse, Plinius refert: *Nullum esse librum tam malum, vt non aliqua parte prodesset*: & si *grandis est*, non solum *prudentiæ*, vt D. Hieronymus ait, sed etiam operæ, & operæ sanè molestæ, *aurum in luto quærere*. In *Turocio* simplicitas placet & fides: quæ certa, ex fragmentis veterū Annalium quæ Lazius citat non semel, & Michaële Ritio, & Bonfinio ipso, quoties insistere veterum Hungaricarum Historiarum vestigiis lubet. *Ranzanus*, sanè negligens est. *Callimachus* accuratus, & elegans: nec inutilis *Galeoti Martii* opera. *Posteriores* aliquot, nisi qui loca ipsa describunt & explicant, aggregandos censeo compilatoribus rumusculorum, qui historiarum, scilicet, volumina in nundinas conficiunt, vt animos pascant hodiernæ plebeculæ: qua nullā fuisse vmquā fabularū nouarū cupidiorē existimo. Id adeo indè est, quod instantes maximas subuersiones cùm præsentiant omnes,

Digitized by Google

ſtatum rerum auent & ſermones omnes cognoſcere: peruerſo ſtudio, anquirentes in aliena, dum ſua quiſque neglegunt. Sed & me ipſum teneo, ne & in id incidã ipſe, quod culpo; & in nouas relabar querelas, quibus nec illorum mores, nec conditionem publicam mutauero.

Argent. ipſo Natali Domini: quo die ante, annos ſeptuaginta ſeptem, Rhodus, poſtquã Philippi Villerii Liladamii, hominis noſtratis, virtute admiranda, impetum potentiſſimi, & capto recens Bellegrado ferocis Solimani, menſes ſeptem ſuſtinúiſſet; exhauſtis vario & continuo labore viribus corporis, nec iam animo ſufficientibus; deſperatis Principum Chriſtianorum auxiliis, Turcicum iugum ſubiit, miſera.

Sed Te, conditor, conſeruator generis humani DEVS, *auctor ſtator Chriſtiani nominis, Te, inquam, publica voce obteſtor: Pacem iis redde, ſuper quos inuocatum eſt nomen tuum; pacem illam tuam veram, certamque: Refinge has fraterno ſanguine madentes dexteras; & fraterno eas amore adſtringe: &,*

—O vtinam, noua
Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas, Arabaſq; ferrum!

Eundem precor, OPT. MAX. *vti omnes cogitationes tuas,* ANGELI, *virorum amiciſsime, lætus approbet; & bene tibi, bene Reipub. euenire ſinat.*

HOC

Digitized by Google

HOC CORPORE CONTINENTVR AVCTORES ET OPVSCVLA quæ hîc suo ordine subiecta sunt.

MAGISTRI *Ioannis de Turocz Chronica Hungarorum* ab ipsius gentis incunabulis ad initia Matthiæ Regis. De eo Trithemius. *Ioannes Thuroth, Pannonius vir in secularibus literis studiosus, & exercitatus, ac diuinarum scripturarum non ignarus, ingenio præstans & clarus eloquio. Fertur nonnulla cudisse opuscula, quibus nomen suum notificauit. E quibus extat volumen non abiiciendum, quod multa industria comportauit, continens Chronicam Hungariæ, lib. III.* Iugi otio his annis no. *Et alia quædam. Viuere adhuc dicitur & varia componere, sub Maximiliano Rege. Anno Domini* M. CCCC. XCIIII. Nomen auctori à patria, Turocensi prouincia, seu, vt illi vocant, comitatu, aut conuentu.

Mag. *Ioannis de Kikullevv archidiaconi* in Ecclesia Transyluana, vicarii Strigoniensis in spiritualibus generalis, quondam Ludouici Regis secretorum notarii. *Chronica Ludouici Regis*, inserta operi Turocii. Pag. 92.

Epistola M. Rogerii, seu vt ipse vocat, miserabile carmen, super destructione Regni Hungariæ per Tartaros facta. Pag. 177.

Hos edimus ex manuscripto nostro, & veteri editione Augustana, quæ prodiit annô 1483. impensis Theodori Feger conciuis Budensis: eam habuimus à Ioh. Pistorio Niddano V. C L.

Epitome rerum Hungaricarum per Indices auctore *Petro Ranzano*, apud Matthiam Regem olim triennium Legato. Pag. 199.

Edita cum appendice à Ioanne Sambuco Viennæ Austriæ. anno 1558. & ad nostrum codicem emendata notatum manu Sambuci, in cuius bibliotheca Ranzani eiusdē epistolas haberi notat Bibliotheca Gesneriana. Sed hanc rerum Hungaricarum Epitomen, partem esse maioris operis quo omnium pœnè gentium res complexus sit, ipse auctor est passim. Nam & de *regno Francorum* in hoc opere egisse ipse notat pag. 206, 27. & de *Regibus Neapolitanis* pag. 241, 50. Et *librum* VII. citat quo descripserit *quæ ad Scythiam*. pag. 214, 39. & XX. *librum*, pag. 258, 14. & XLI. pag. 213, 51. & XLV. in quo ipso de *regno Francorum*. pag. 219, 26. Citat & librum de *regno Rom.* pag. 203, 34. & scripsisse *quæ contigerunt anno salutis* CCCLXXIII. testatur ipse, pag. 214, 50. Et librum hunc dicasse Matthiæ Regi, pag. 208, 52. & ipse interfuisse exsequiis Ioannis Coruini se dicit, pag. 250, 52.

Vita S. Stephani ab Episcopo Chartuitio conscripta & à Fr. Laur. Surio edita, stilo mutato, vt ipse de se prædicat: Itaq; fides sit penes ipsum. Pag. 268.

Edita autem est Coloniæ tomo.

Vita S. Emerici Beati Stephani F. Pag. 281.

Edita item à Surio tomo.

Philippi Callimachi, de rebus gestis à *Vladislao Polonorum* atq; *Hungarorum Rege* libri tres. Pag. 284.

De Callimacho autem Trithemius. *Philippus Callimachus natione Italus, patria Florentinus, Regis Poloniæ secretarius, vndecunq; doctissimus, philosophus clarus, orator facundus, & poëta insignis, ac diuinarum scripturarum non ignarus, ingenio præstans & disertus eloquio, fertur multa præclarè cudisse opuscula, quibus memoriam sui posteris reliquit. De quorum numero subiecta feruntur. Opus insigne de gestis Attilæ Regis impii, quod prænotauit* Attilam lib. I. Historia Polonica contra Turcam. lib. I. De moribus Tartarorum. lib. I. Amorum diuerso metro. lib. I. *& alia complura. Viuit vsque hodie apud Regem Poloniæ, maximo in pretio & varia conscribit, sub Maximiliano Rom. Rege: Anno DOMINI, quo hæc scripsimus* M. CCCC. XC. Indictione XII. Sed eius vitam conscripsit & his tribus libris præposuit M. Brutus.

Digitized by Google

Editi Cracouiæ opera Mich. Bruti, in officina Lazari, anno 1582.

Regis Hungariæ Matthiæ nuptiæ & coronatio Reginæ, à Palatini Comitis Legato diligenter descripta. Pag. 354.

Nunc primùm edita, ex bibliotheca Ioh. Pistorii. V. CL.

Galeoti Martii, de egregiè, sapienter, iocose dictis ac factis *Matthiæ Regis*, ad inclytum Ducem Iohannem filium eius. Pag. 362.

Huius exstant alia de quib. si lubet, vide Bibliothecam Gesneri auctam à Simlero & Frisio.

Hoc autem editum est Viennæ, typis Michaelis Zimmermanni. anno 1563. Nos ex bibliotheca habemus V. CL. D. Iusti Reuberi.

Belli Pannonici per Illustriss. Principem Fridericum Comitem Palatinũ, contra Solymannum Turcarum tyrannum gesti libr. II. auctore *Melchiore Soitero à* Vida I. C. Pag. 394.

Editi Augustæ anno 1538. & à S. Schardio inserti historico operi Basiliensi, anno 1574.

Io. Martini Stellæ de Turcarum in regno Hungariæ successibus anno 1543. & 1544. epistolæ quatuor. Pag. 423.

Editæ Antuerpiæ apud Guilielmum VVissenium. anno 1544. & à S. Schardio, in illo opere historico.

Rei contra Turcas gestæ anno. 1556. breuis descriptio *Wolf. Lazio* auctore. pag. 438.

Repetita à S. Schardio.

Rerum contra Turcas auspiciis Ferdinandi Austriaci Cęsaris anno 1556. in Interamnensi Pannonia gestarum historiola dialogo conscripta, auctore *Basilio Ioanne Herold*. pag. 444.

Repetita à S. Schardio.

Bellum Pannonicum sub Maximiliano II. Romanorum & Solymanno Turcarum Impp. gestum: descriptum per *P. Bizarrum* pag. 467.

Editum Basiliæ. anno 1573. apud Sebast. Henricpetri.

Historia Sigethi capti anno 1566. ex Croatico conuersa per *M. Sam. Budinam*. pag. 521.

Edita aut repetita à S. Schardio.

Breuis enarratio rerum à *Sigismundo Transiluaniæ* Principe, anno 1595. gestarũ. auctore *Io. Iacobino* notario vrbis Claudiopolitanæ. pag. 536.

Edita Claudiopoli, typis Heltanis, anno 1596.

Regum Hungariæ ex optimis auctoribus explicata *Genealogia* Ioh. Pistorii Niddani V. CL. pag. 549.

Nunc primùm edita.

Chorographia Transyluaniæ, auctore *Georgio à Reychersdorff*. pag. 565.

Edita primùm Viennæ, & indè Coloniæ. 1585.

Moldauiæ Chorographia, eodem auctore. Pag. 582.

Edita ibidem.

De admirandis Hungariæ aquis, Georgii *Wernheri*. pag. 590.

Edidit Oporinus Basileæ cum Moscouia Baronis Herberstenii, & ex eo alii alibi.

Descriptio & munitiones *Altenburgi*, arcis dotalis Serenissimæ Hungariæ Reginæ Mariæ &c. auctore *I. Martino Stella*. pag. 607.

Edita Antuerpiæ cum eiusdem Stellæ epistolis, anno 1544.

Felicis Petancii Cancellarii de itineribus aggrediendi Turcam. pag. 610.

Basileæ edidit Oporinus, & Reusnerus inseruit orationibus Turcicis.

Appendix ad res Hungaricas, in qua inscriptiones Transyluanicæ veteres nõnullæ & Annales exscripti de Tẽplis Leutschouiensi & Coronensi. pag. 617.

Nunc primum edita.

Multa illustrandæ rei Hungaricæ habet passim Æneas Syluius, PP. Pius II. habet & Volaterranus: quæ ab illis ipsis petes, Lector. Nam discerpere auctores bonos, nobis non videtur è re litterarum.

AVCTO-

Digitized by Google

AVCTORES ET LIBRI QVOS laudat Turocius.

ACtus Apostolorum. 3, 7.
Antoninus 12, 14. 24, 39. 19, 10, 43.
Florentinus Archiepiscopus. 1, 26. 4, 37. 7, 20.
Aristoteles in libro de secretis secretorum ad Alexandrum Regem. 92, 44.
Clitarchus. 3, 39.
Diodorus Siculus. 3, 39. 5, 10, 16, historici laboris lib. III. 5, 15.
Dionysius. 6, 53. 8, 48, 50. Alexandrinus philosophus. 12, 12.
Ethesius. 3, 39.
Euangelicæ lectiones. 5, 6.
Extrauagantes. 77, 47.
Genesis. 4, 4.
Gesta S. Ladislai. 67, 50.
Gnosius. 9, 53.
Herodotus. 3, 39. in sua chronica lib. IV. 5, 16.
Heticus Philosophus. 11, 52.
Hieronymus. 2, 55. 4, 9. de Hebraicis quæstionibus. 2, 41.
Historici. 19, 39.
Historiæ quædam. 21, 50.
Historiæ Romanæ. 12, 26.
Historiæ veteres. 24, 47.
Historiæ & Chronica Hungar. 1, 4. 2, 5, 19. 3, 41. 4, 16, 25. 6, 35. 53. 7, 18. 12, 22. 14, 48. 19, 8, 41. 28, 14.
Incertus quidam prudens. 93, 1.
Iordanus. 5, 1, 2.
Iosephus. 2, 41. 3, 21, 41.
Isidorus. 6, 39. 8, 33. 9, 7.
Iulius Solinus. 8, 54. de mirabilibus mundi. 9, 19.
Laurentius de Monach Venetus. 110. 26.
Legenda S. Stephani. 38, 33. 41, 45.
B. Emerici. 38, 42.
Liber Sapientiæ. 38, 39.
frater Martinus. 11, 34.
Nicolaus Secunduri. 12, 54. idem qui Nicol. Secũdini. 126, 35. Æneæ Syluio Segundinus & Sagundinus, historiæ Asiat. cap. 29. & Europ. cap. 4.
Otto Frisingensis. 11, 54.
Paulus Orosius. 1, 23. 7, 28, 34. 8, 48. 12, 12.
Pius Pontifex, qui ante Pontificatum Æneas Syluius. 10, 46. 12, 1, 27.
Plinius. 8, 52. 9, 55.
Pomponius Mela. 9, 19.
Priuilegia. 99, 24. 102, 3, 4.
Ptolemæus. 8, 52.
Registrum conscriptum diebus Cæsaris Sigismundi. 120, 19.
Sigibertus. 4, 19, 10, 43. Sigilbertum vocat. 4, 38.
Sigilbertus episcopus Antiochenus in Chronica Orientalium nationum. 4. 31.
Strabo. 8, 52. 9, 52.
Theophrastus. 10, 12.
Trogus Pompeius. 5, 47. 9, 10.
Vegetius de re militari. 92, 51.
Vincentius. 4, 38. 7, 38.

SEQVENTES CITAT P. RANZANVS.

ÆNeas Syluius. 260, 13.
Angelus Acciaiolus Florentinus. 219, 23.
Appianus Alexandr. 203, 31. 209, 30. 234, 29.
Aristoteles. 211, 21.
Augustinus.
Commendatio animæ. Orationes seu preces à Capistrano perfectæ, &c. 250, 41.
Io. Cassiani collationes patrum. 236. 43.
Elinius historicus natione Frãcus. 218. 52
Eusebius Cæsariensis
Gesta Rom. Princip.
Herodotus. 210, 11.
Hieronymus
Matthæus Euangelista.
Ouidius. 210, 7.
Plinius. 203, 7. 210, 19.
Pomponius Mela. 210, 33.
Ptolemæus. 202, 32. 203, 30. 205, 45. 210, &c.
Solinus. 210, 31.
Strabo. 202, 41, 203. 30. &c.
Suetonius. 203, 34.
Sulpitius Seuerus. 223, 15.
Vita Caroli Magni. 219, 24.
Leonis Papæ.
Beatæ Margaretæ.
B. Martini.
B. Stephani.
Vndecim millium Virginum.

Digitized by Google

GLOSSARIVM.

VOCES QVAS NOVAS AVT NOVO SENsu aut alienas vsurpant Turoxius & Rogerius.

ABinceps. 115,36.
Affidia. 171,48.
Alirunna. 4, 42. Iornandi siue is est Iordanus, sunt Alirumnæ: aliis Aliorunnæ, & Alirunæ & Alrunnæ. Sigebertus manuscript. CL.V. Petri Danielis, habet Alyrūnas. Sed Iornãdes notat & ab eo Sigebertus, Vincentius, Antoninus, alii, Getico siue Gothico sermone esse magas mulieres. In historia Hispanica Roderici Santii editum est *Alirimas* pro *Alirunas*: & *magnas mulieres*, pro *magas*. Trithemius, 1. breuiar. Annal. vbi de Marcomito: *Vaticinantem*, inquit, *à sagacitate vocarunt Alirunā.* Munsterus in eadem, historia an fabula? pro nomine ꝓprio videtur habuisse. Lipsius in Germania Taciti pro *Aurinia* putat fuisse *Alurinam*. Hodie *Alrun* Germ. est Mandragora.
Allocare pecunia maxima. ita enim legendū ex vet. lib. 70,43.
Allodium. 59,46.
allodium Regale. 53,37.
Altricari. ita est in veteri editione & ms. 38, 2. Corrector typographicus mutauit in *altercari.*
Ambages. 114. 37.
Ambasiata. 95,30.
Ambasiatores. 16, 26. 95,10. qui iidem & *nuncii* ibidem. 102, 22.
Angaria. 42, 33.
Angariare. 42,33. 110, 31.
Angariatus populus. 177, 49.
Anniuersarium. 95, 23.
Athenia. 90,53. Antilenam intelligit: Corrector supposuit *thenis.*
Antiqualia. 29,29.
Area, ad certandum. 38,13. Iornand. *Fit ergo area innumerabilium populorum, pars illa terrarum.*
Arma, pro armatis. 29,54. 30, 44.
Arma tormentalia. 90, 44.
Armiger. 103, 11.
Assecurare. 171, 50.
Attinentia. 91, 52.
Aues legisfalck. 8, 24.
Balestrarii Anglici. 106, 25.
Balistarius. 56, 12.
Ballinus. ita enim legendum videtur. 193,52, vbi *Balimus.*
Banderia. 96,21. Siue vexilla 134,12. 150,3. *Bandum* enim vexillum. Suidas.
Barbuta. 99,54. *Barbuta*; 101, 8,53.
Begina. 79, 21.
Bernabot. 110,15. Corrector ex se reposuit, *gubernator.* contra libros.
Bicellum. 86,14. 88,47. hastulam amentatam esse ait Sambucus. Bonfinio est pugio.
Brigancii. 106,25. pedites. 100, 48.
Brunus calor. 52, 41.
Burgenses. 188,17. 195,48.
Bursa aurea. 40,36. Bursa autem, quia primū è corio.
Byzantius. 51,55. 52,1.
Caligæ solutares. 90,23. in veteri sunt *sotulares.*
Campanile. 85, 30. 47, 3.
Canesius, id est maior. 185, 30. *Balimus*, vitiose pro *Balinus.* 193,52,54. 194, 24.
Carmen planctuosum. 1,23. miserabile. 2,28. 177,37. paruiloquum. 120, 20. Plin. Paneg. *meditatum carmen.* & Catonis *carmen de moribus* citat Gellius. & XII. Tab. Cicero *Carmen* vocat.
Celones. 55, 27. Corrector substituit *Celocib.*
Censualis. 38,7. 88, 49.
Cesura. 38,11. quo loco legendū fortè *scissura.*
Centuriones. 42, 30.
Ciuitatenses. 110, 9.
Comitiua. 88, 21. &c.
Commune. 44,1. pro Republica vtitur Cicero.
Communitas Hungarorū. 38, 22. pag. 139, 54. vitiose *comitatis* pro *communitatis.*
Compaternitas. 76,4.
Compotista. 88,11.
Conducti, id est mercenarii, soldati. 51, 22.
Conquestrare. 33,30. *conquestratio.* 29,3.
Cortina. 60, 27.
Contentare. 137, 3.
Conthoralis, pro coniuge. 27, 10.
Copia. 26, 39.
Curia, 17,31. 48,12. Bonfinio est domus. *sollemnis curia.* 17,30. 22,29. &c. *plena curia*, quodam loco. *Curia*, aula pōtificia. 82, 37.
Dea, pro maga. 46, 38.
Decanus. 30, 46. id est Decurio.
Demerita. 181, 18.
Dextrarius. 45,33. 47,8. &c. 76, 24. *dextrarii phalerati.* 34, 6. 35,36.
Dica. 28,54. Sābuco sunt exactiones publicę.
Dieta. 183,29. 185,12. 193, est iter diei. *dietim.* 129,47. 150, 55. i. in dies. *Dietenus.* 25, 52.
Diffidare. 105,22.
Displacentia. 105,21. displacentia. 103,48. 104, 30.
Disturbium. 137,48. 144,1.
Dolabrum. 38,9.
Domicella. 80,36. 136,39. 120.55. 191,50. nomine à Domina ducto.
Ducatus productū passim.
Eliberatio. 21, 17. ita enim restituendū ex libris.
felix *Embola.* 55,9.
Encaustum. 28, 53.
Exenia, pro xeniis & muneribus. 94,2. 193, 53. 194. 1. ita enim legitur in ms. & veteri edito, quomodo & apud alios scriptores æui posterioris.
Expeditio, ꝑ exercitu. 16,5. 86,43. alibi sępius.

Falco-

Falcatores. 59,26.
Fideles. 52,8.
Filtrea tentoria. 180,36.
Flasco. 83,7. Bonfinio lagena.
Frater vterinus. eodem patre eadem matre. 97. 37.
Furcantes & furcatores. 59, 27.
Galea. 70,42. passim.
Garleta. 88,42. 94,21.
Gentacula. 55,47.
Grisei monachi. 77. 39.
Grossi. 87,54. monetæ genus.
Guerra. 44, 23. 48,49. aliis *VVerra*: vnde & *Vuerrare*. A Guerra siue Gerra, dictos Germanos vult I. Lipsius.
Gurgustium. pisces in gurgustio. 87, 34.
Haeretici, pro paganis & gentilibus. 47, 44. 51.
Herbaperiarum. 31,20. *fœnilis*. 31,24.
Hereditare. 45,41.
Hermellina. 60,13. Mustelā vocat Bonfinius.
Homagiorum solutio. 143,42.
Hospitatus. 80,32.
Hospitalaris. pro hospitibus. 31,32.
Ignes sulphurei. 55,28. ignes in aquis incensi.
nullius *Importantia*. 134,52.
Improuisio. 127,11. 190, est imprudentia.
Inceps. 23,3. ita in veteribus, quomodo & in hac editione esset, si ita fuisset visum correctori, qui idem facinus cōmisit. 28,20. *abinceps*. 115,36.
Incomputabilis multitudo. 85,40.
Indagines. 183,13. 192,14,25. 193,4.
Ingenia. ad quæ & excogitanda & tractanda ingenio opus & genio. Galli dicūt *Engins*. machinæ videlicet & cætera tormenta ad frangendas ciuitatum & castrorum munitiones. 16,6. 23,49. 72,10. 97,3. vsurpat etiam pro arte & subtilitate aliqua. 63, 2. *per ingenia sufflabant ignes sulphureos in naues &c*. 55, 27. 72,17. *ingenia tormentorum*. 153.49.
Inparticipes. 91,40.
Intardus. 121.
Intendere. 62,38.
Interdum. 137,53. pro Dum.
Interstantia. 14,20.
Inualetudinarius. 50,46.
Iobagiones. 69, 39. & statim lin. 43. *Iogabiones*. Bonfinius Comites dicit. in annali Coronensi anno 1530. sunt *Iubagiones*.
Iudices, clarissimi, spectabiles, pedanei. 42,29.
Lanceare. 74,26. 79,32. *lanceati*. 84,9.
Bardorum duo millia. 50,6.
Latrunculi. 44, 22. 55, 21. sed 49, 27. vsurpat pro excursoribus aut præcursoribus exercitus.
Lays. 85, 15. 25. est Ludouicus, ex Gallico *Louys*. Loysium vocat Ritius: *Loym*, Ranzanus. 241,19.
Lazari. 33, 23. Bonfinius Lazaros dicit & mendicos.
Liberare, est tradere, Gallis & Germanis. apud nostrum 46, 45. in ms. est *liberauerunt*: in impresso, *libauerunt*.
Licentiare. 183,67,27.
Lorica cutullata. 59,9. *Loricati*. 65, 16. 72, 24.
Luppum preclamare. p. enim libri geminant. 139,20.
Magistri nostri. 76,22.
Mangana ferrea. 43,1. vide Lipsius Polior.
Marchia. 68,22.
Maristalla. 16, 16. vox Germanica, Equile significat.
Metallina porta. 38,9.
Milites Franci. 72, 10. *Lanceati*. 84,9. *miles aggregarius*. 143,38.
Naturalia, quæ vim & officium habet generandi. 5,9.
Naues victuales. 49,17.
Nequiciosa. 156,36.
Nobiles Castrenses. 182,
Seruientes Regis. 182.
Curiales. 110,46.
Meri. 110,48.
Nodum in stupa, pilum in ouo quærere. 181, 44.
* *Nouigale*. 103, 23.
Odire. 80,3.
Officio nauigii. 22,17.
Officiolatus. 166,14.
Orcistram dixit pro orchestra. 52, 23. mox suggestum vocat.
Ostilarium. 91,53.
Palliata insidia. 45,25. *palliata versutia*. 82.16.
Panceria. est lorica. 74,27. Teutonica vox.
Paralogizare. 34,25.
Parator. 33,48. imposuit hæc vox Ritio qui ex ea cœnobium fecit de Parato.
Parochia castri. 67,6.
Passagium generale, pro terra sancta expugnanda. 83,52.
Patria, pro regione, Gallis pays. 31,6. *Patriota*. 28,2.
Pecudes pascuales. 50,7. Festus. Pascale pecus dixit Lucill. apud Nonium.
Petitionibus loqui. est per libellos supplices Regem adire. 77,4.
Pixides. 153,49. 156,40. quo loco noster corrector substituit *bombardam*. Est autē Germ. *Biechs*.
Plebanus. 87,44.
Postena. 90,53. Postilenam notat.
Potestas. 80,48. Prætorem vocat Bonfinius.
Potestates. 42,30.
Poth. 34,39. Theutonicum est, nuntium significat. Mihi in mentem venit locus Iustini extremo libro 2. quo constanter libri mss. notæ optimæ *Pontios* legunt, vbi vulgò *nuntios*.
Praeconia vox. 13,7.
Pratiosa palatia. 35,37.
Pratosius fluuius. 31,15.
Probi & valentes. 34, 54.
Probitas. 75,3.
Processiue pergere. 90,35. *Processionaliter*: 94, 51.

XX 2

Digitized by Google

Proficuit. ita enim vett. libri. Corrector suo iure emendauit, *profuit*. 120, 47. 123, 8.
Protoparens. 4, 15.
Quapia. 18, 4. *Quepiam fuga*. 14, 33. *quipiam* substituit corrector.
Quodum. 23, 6.
Quodam. pro quoad. 123, 18. Corrector fecit, *quamdiu*.
Rasta. 14, 53. modus itineris, mansio, siue statio, σταθμός. D. Hieronymus in Ioelem. *Vnaquaq; gens certa viarum spatia suis appellat nominibus. Nam & Latini mille passus vocant, & Galli Leucas, Persæ Parasangas, & Rastas vniuersa Germania*. Germanis *Rasten* est quiescere.
Recordia. 140, 24.
Recreamen. 114, 30.
Registrati. 73, 43.
Rehabere. 79, 6.
Reintrare. 138, 30.
Remeliorare. 40, 30.
Repatriare. 80, 4.
Repansare. 65. 31.
Requisiti. 180, 6. Bonfinio *magistri precum*.
Resonantia. 19, 30.
Rudibula. 90, 51.
Rusticitas. 13, 13. 127, 72. opposita Nobilitati.
Sacristia. 85, 30.
Saletrum. pro sale nitro. 154, 55.
Salinarii. 59, 52. fortè *salmarii*, qui & aliis *Saumarii* & *summarii*. Gallis, *Sommiers*. Bonfinio sunt Clitellarii.
Scartanea. 91, 52.
Scaci. 88, 46.
Scarletina tunica. 90, 30.
Serrare ianuas. 47, 3.
Seruiens, 54, 23. (præfectum vocat Bonfinius.) 63, 17. 66, 19. 187, 4.
Seruitia facere. 49, 40.
Solidati. qui & stipendiarii. *Soldati*. 70, 46. 99, 54. 100, 37. *Solidare* milites. 62, 27. 70, 42.
Spatarius. 125, 18. est armiger. *famulus* Bonfinio. à *spata*, quæ vox vsurpata Spartiano in vita Hadriani.
Spectare pro *exspectare*, quod substituit Corrector. 114, 35.
Spectabilis Comes. 138, 39. *spectabiles* iudices. 42, 29.
Stramentum rubrum. 50, 50. Purpuram dixit Bonfinius.
Strata. 14, 2. *Strata* publica. 83. 8. Italicum est & Germanicum. vtitur Victor de persecut. Afric.
Strepa. 90, 50.
Suffragium. pro auxilio. 14, 21.
Tabula pro scacis. 88, 46.
Tata. 33, 51. Bonfinio vernacula Italorum, Ritio Hungarorum lingua *patrem* significat: sed & Romanorum, Martiali & aliis. Exstat & in veteri Inscriptione.
Tauernicalis domus. 177, 11. *Tauarnicorum magister*. 813, 37. Bonfinius *Tauernicorum*, quomodo & noster. 181, 22. quo loco ineptè vt alia pleraque & licenter, typographicus corrector substituit *Thauernicus*. ibi autem Thauernicorum magister idem qui & *Camerarius*.
Tauri ingrates. 50, 6.
Tenuta. 102, 41. 103, 21. 104, 6.
Terraneæ fossæ. 9, 43.
Tornatoria ars. 83, 7.
Totus vulgus. 127, 40.
Traditio. 97, 19.
Traditores. 72, 52. 74, 2.
Traha. 50, 27. Bonf. *hexaphorum* dixit.
Transnauare est naui traiicere. 18, 12. 150, 54.
Transpassare. 37, 37.
Treuga. 17, 15. 57, 44. &c.
Trummeta. 101, 35.
Tunnella vini. 88, 44.
Tunica Scarletina. 90, 30.
Turpitudo. 56, 22. locus turpis.
Valefacere. 95, 3.
Valor. 45, 37.
Venecensis Ciuitas, est Veneta. 80, 49.
Versaliter. 89, 21.
Villæ conditionales. 73, 44.
Villici. 42, 30.
Vltimatim. 5, 22. 26, 8.
Vrbura. 131, 37.
Vsones immensi: piscis familiaris Danubio. Germanis *Hausen*. 50, 4. pisces insanæ magnitudinis vocat Bonfinius: adi Gesnerum.

PRÆFA-

Digitized by Google

AD EGREGIVM DOMINVM THOMAM DE DRAG, PERSONALIS PRÆSENTIÆ SERENISSIMI DOMINI MATHIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ &c. Regis cancellarium, Præfatio magistri IOHANNIS de Thwrocz: in primum librum Chronicæ Hungarorum fœliciter incipit.

I*VGI otio his annis nobis æque simul torpentibus, varij rerum ordines cum occurrissent, suaues interdum lites media inter colloquia surrexere, & leuia disputationum iurgia sæpius emerserunt: Dum de primæuis Hungaricæ nationis rebus: deque parte mundi, quæ Hungaros aut germinauit, aut in hanc regionem, quæ antiquitus Pannonia, nunc vero Hungaris ab eisdem Hungaria dicta est, fudit: varijs vtamur sententijs experiendi tandem gratia placuit dudum super his rebus cõtextas reuoluere historias. Quas equidem dum diligenti lectione perlustrauimus, multa in eisdem de parte mundi Scythica, vnde & Hungari emersisse perhibentur, aut obmissa aut neglecta, seorsumq; ab aliorum auctorũ positionibus conscripta apparebant. Enimuero & magni regis Attilæ gestarum gloria rerum, styli paruitate comprehensa, digno laudum præconio non minus quasi subticere videbatur. Nec crimine de hoc Hungarorum vetustas arguenda est, quod suarum memoriam rerum altum obliuionis in pelagus defluere permisit. Hoc genus hominum, ipsarum ætate rerum, armorum potius strepitu quam literarum scientia sese exercitabat. Nam & hoc nostro æuo pars nationis eiusdem quædam, Transsiluanis regni posita in oris, charácteres quosdam ligno sculpit, & talis sculpturæ vsu literarum ad instar viuit. Externarum nationum inuidiam, exactis per ipsum Attilam regem victorijs, condignum præconij subtraxisse stylum, & eidem regi Attilæ gloriam Imperialis nominis dempsisse puto: neque per ipsum gestarum rerum in decus, quippiam præterquam illatas per ipsum eis miserias, planctuosi carminis ad instar, scripsisse inueniuntur. Vnde Paulus Orosius suarum vltimo libro historiarum: Hunorum de eruptione mentionem faciens:* tredecimo *inquit* anno imperij Valentis, radix illa miseriarum nostrarum copiosissimos simul frutices germinauit. *Et Anthoninus Florentinus archiepiscopus, in secunda parte sui chronici operis ipsa ait,* Gentis barbaries me silere faceret, nisi illud famosum Galliarum & Italiarum excidium me loqui cogeret. NEMO mundanam, miseria absque aliena, adeptus est gloriam. *Ninus Assyriorum rex regna quod in aliena violentas iniecit manus, vniuersarum originem historiarum peperit. Et nisi quondam Agamemnon Græcorum imperator Troianum Ilion euertisset; Magnus quoq; Alexander tristibus armis orbem vastasset, illorum nomina pariter cum corporibus cecidissent. Scythicas igitur partes, regis quoque Attilæ æuum, ingentium facinorum præ magnitudine, immortalitate dignum, ampliori stylo vt describerem: similiterq; & subsequentium Hungariæ regum historias, olim editas, percursitarem, & in illis si quid negligentia scriptorum viciasset, castigarem, tuis animatus persuasionibus, rem meis viribus haud parem, aggredi præsumpsi. Dulci enim tuum & admodum delectabile eloquium, me vicit: quamuis tantarũ magnitudo rerũ maiori sit digna vate, tua tamen persuasio cum erga me vim habeat mandati, tibiq; nondum persuadenti præuenerim; persuadenti eo magis omnem vim meam dedicaui. Enimuero in præsumente, vt arbitror, hæc præsumptio, inuidia auctrice, ludibrium pariet: & lingua, quæ parcere scit nemini, in detractionem illius dissoluetur. Nosci-*

mus, inquient, hunc hominem. Verum quidem, iuxta Euãgelicam lectionem, nullum suã acceptat patria: cùm tamen rebus in his ex me fecerim nihil, veteres in omnibus secutus sum historias; & sententias auctorum transgressus sum in nullo. Partes quidem Scythiæ, & illarum situm; Attilæ quoq; regis gesta, pluribus Chronicis operibus ea propter indagatis, stylo paulo ampliori quàm priores Hungaricarum historiarum effecerant auctores, illorum vndiq; positiones intermiscendo, cõscribere: ac cæterorum diuorum Hungariæ regum historias, debilis mei operis infra limites, puta quondam Karoli regis nequiter interfecti, miserabile vsque ad carmen, quantum mei est ingenii, diligenter castigare curaui: altiusque istud alta me iuuent ordinare numina cæli. Tu quoque suscipe nautam altas pelagi voragines, absq; temone, temperieq; ratis, ac remigis officio, tua ad desideria sulcantem. Suscipe, inquam, tua tantum voluntati satisfacere volentem: & suscipe me non ex me, sed ex veterum has res describentium voluminibus auctorum, gratum velut florem viridibus lectum de cespitibus, tua offerentem dominationi. Vale.

SOLILOQVIVM.

OLIM antiqua auctorum vetustas, Hunorum siue Hungarorum diuersimòde originem descripsisse inuenitur: quibus tam modernorum quàm præteritorum temporum homines, diuersos sensus accõmodantes, non parua in hac re discrepatione dissentiunt. Duo enim volumina Chronici operis, propaginem similiterq; & gesta illorum elucidantia, à cæteris auctoribus, ac etiam in seipsis maxime in declaratione illorum germinis dissidentia, temporibus quondam diuorum Karoli & Lodouici Hungariæ regum, vt dici præsumitur, edita reperiuntur: quorum alterum super libro Genesis, decimo, alterum super vndecimo capitulis, suas fundauerunt origines. Cum autem huic, quod post diluuii vindictam vniuersa caro à Noe & eius filiis, puta Sem, Cham, & Iaphet, nouam receperit generationem, vniuersalis Christianæ religionis natio cedat: alienarum propter Hungaricam, quod voluminibus in eisdem declarauerunt generationem, superfluitati potius quàm necessitati asscribi debere dinoscitur. Vnde ne ipse ex se huic operi quippiam addidisse reprehendar, illorum sequens voluminum auctores, meis propositis idem principium pono.

EXORDIVM NARRATIONIS IN PRImam partem Chronicæ Hungarorum.

CAPVT I.

HÆ sunt generationes Noæ & filiorum illius Sem, Cham & Iaphet: de quibus post diluuii cladẽ, LXX. duæ generationes, puta de Sem, XXVII. de Cham, XXX. & de Iaphet, XV. processisse perhibentur. Hæ generationes disseminatæ sunt in orbe terrarum: & secundum quosdam Sem, Asiam; Cham, Africam; & Iaphet, Europam, sortiti sunt. Secundum vero Hieronymum de Hebraicis quæstionibus, necnon & Iosephum, filii Iaphet possedisse dicuntur Septentrionalem regionem à Tauro & Imao, montibus Scythiæ, vsque ad fluuium Tanaim, qui eandem mediã scindit. Vnde primus filius Iaphet Gomer, à quo nominati sunt Galatę, postea Galli, quos nostra ætas à quodam Francone, filio olim Paridis filii Priami, vltimi regis Troianorum, duce videlicet eorum, denominatos Francos vocat. Hic Franco post Troianæ vrbis excidium in Pannoniam, quæ olim magni Alexandri æuo superior Gręcia vocabatur, magno cum populo venisse, & sub mõte Sycan, secus fluuium Istrũ, qui & Danubius dicitur, ciuitatem amplissimam ædificasse, & illi nomen à monte Sycan prædicto, Sycambriam imposuisse: & tandem Orientalium metu nationum, abinde ad partes Occidentales declinasse, & regionem circa fluuium Sycana occupasse: illamque à præfato Francone duce eorũ, Franciam appellasse: & regione in eadem ciuitatem cõdidisse: & illam in memoriam paterni nominis Paris denominasse traditur. Secũdus filius Iaphet Magog, à quo descenderunt Scythæ, secundũ sanctum Hieronymũ: & Ma-

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

& Madai, à quo dicti sunt Medi: Iauan, à quo Græci: & Tubal, à quo descenderunt Hispani: & Mosoch, à quo deriuati sunt Cappadoces; vnde & nüc habent ciuitatẽ nomine Masechab: & Thyras, à quo nominati sunt Thraces. Gomer autem genuit Assenes, à quo Troiani. Iauan genuit Elisa, à quo Elisæi, & postea Æolides: & Tharsis à quo Cilices descendisse perhibentur: vnde & nunc ciuitas illorum metropolis hoc vocabulo Tharsis denominatur. In hac ciuitate natus fuit beatus Paulus Apostolus, prout habetur in Actibus Apostolorum capitulo. x x I. Et subdẽs beatus Hieronymus, *ab his* inquit *diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis vnusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis.* Quod dictum ipse beatus Hieronymus anticipasse inuenitur. nam hoc postea tempore confusionis linguarum actum est. Filii autem Cham, Chus, à quo & Æthiopes. vnde in Hebræo Æthiopes, Chus nominantur: & Mesraim, à quo Ægyptii: in Hebræo enim Ægyptus Mesraim dicitur. Phuth, à quo Phuthei: est enim in illorũ regione fluuius quidam, qui etiam modo Phuth vocitatur: & Chanaan, à quo dicti sunt Chananęi, quorum terra postea filiis Israel data fuit. Filii autem Chus, Saba, à quo Sabæi: Euila, à quo Gentiles: & Sabatha, à quo Sabatheni processisse perhibẽtur. Ex his postea, propter longi æui irreminiscibilem vetustatem, mutata sunt plurima, paucaque in se vel in sibi simili aut propinquo permanserunt. Et iterum subiungit beatus Hieronymus: *Porro Chus genuit Nemroth.* Iste Nemroth fuit qui induxit posteritatem Noæ ad ædificandum turrim & ciuitatem contra Dominum. Vnde Iosephus in libro de antiquitatibus rerum: *dum* inquit *præscriptæ tribus Sem, Cham & Iaphet vna & eadem Hebraica vterentur lingua, ducentesimo primo post diluuium anno Nemroth Gigas cepit turrim construere cum omni cognatione sua periculum diluuii attendendo:* vt si contingeret diluuium iterari, turris in refugio, vltionis euadere possent iudicium. Diuini tamen iudicii sententia, cui humanus non valet resistere intellectus, sic illorum mutauit & confudit loquelam, vt proximus à proximo non intelligeretur: tandemque opere non consummato in diuersas dispersi sunt regiones. Hanc grandem & cunctis seculis admirandam turris ædificationem alii inter Nubiam & Ægyptum fuisse, ac illius antiqualia per hos qui ab Inphis in Alexandriam irent vsque hodie cerni. Alii vero in Chaldæa ad flumen Eufraten, illo videlicet in loco vbi postea multas post ætates Semiramis, cunctarũ famosissima reginarum, vrbem illam celeberrimam Babylonem, primi imperii genitricem condidit, extitisse: & à Babel, turri quondam propter confusionem linguarum denominata, non tantum solam ciuitatem, sed & Chaldæam ipsam totamque Assyriam & Mesopotamiam magnam propter imperatorum illam inhabitantium facinorum gloriam, Babylonis nomen accepisse tradunt. Multa & admiratione digna huius vrbis de conditione & ædificio Ethesius & Clitharcus, item Herodotus, necnon Diodorus Siculus scripsere: quæ postmodum per quosdam turri prænotatæ appropriata inuenientur. In vno enim dictorum duorum voluminum Iosephum referre posuerunt, quod Nemroth in turri ipsa ex auro purissimo Deorum fecisset templa; palatia ex lapidibus preciosis ædificasset; & columnas aureas in illis erexisset; plateasque illius diuersi coloris lapidibus pauimentasset: cui haud adhibenda est fides. Nam post non diu tunc præteritum vniuersale diluuium, nondum tantum auri in vsu fuisse credi potest, quod de illo & templa ædificare & columnæ erigi potuissent: & nec tunc Deorum erat cultus, quibus ipsa templa ædificari debuissent: cum multa post secula rex Assyriorum Ninus defuncto Belo rege patre suo, in illius memoriam & pro sui consolatione, ex auro patri simile fecisse simulacrum: illudque tam ipse coluisse quam etiam cunctum sui regni per populum coli mãdasse: & non post multum temporis in illud simulacrum immundum spiritum intrasse & petentibus responsa exhibuisse: exindeq; cunctam idolatriæ perniciem originem cepisse, multę doceant scripturæ. Tandẽ sequitur: *Et turris ipsa in quadrũ subleuabatur ab vno angulo in alium*; habens longitudinis passuum mille x v. latitudinis totidem. quantitas vero altitudinis nondum finita erat: sed

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

illorum proposito lunarem vsque ad circulum subleuari debebat. Grossitudo autem fundamenti trecentorum erat passuum: paulatim quidem subleuando arctabatur: vt pręeminens pondus grossitudo fundamenti leuius sustineret. Et rursus in Genesi, capitulo vbi supra, dicitur: *Ipse* videlicet Nemroth *cepit esse potens in terra.* Nam per potentiam alios sibi subiugabat; & ad turris opus nolentes compellebat. & ideo subiungitur, *& erat robustus venator*, id est, oppressor hominum coram domino. & exinde prouerbium illud exiuit: *quasi Nemroth.* Dum enim postea aliquis oppressor hominũ videbatur, dicebatur alter Nemroth vel similis Nemroth. Fuit autem secundum sanctum Hieronymum, initium regni eius Babylon & in terra Sennaar.

DE GENERATIONE HVNORVM siue Hungarorum origine.

CAPVT II.

HVnc Nemroth, quidam voluerũt Hunorum siue Hungarorum fuisse protoparentem. Nam in vno dictorum voluminum positum est, quod Nemroth gigas, post linguarum confusionem, in terra Euilath, quæ nũc Persida vocatur, intrasset: & ibi ex cõiuge sua, Enech vocitata, duos generasset filios, quorum alter Hunor, alter vero Magor denominati extitissent: ex quibus tandem vniuersi Huni siue Hungari, ipsorum generationis recepissent propaginẽ. Dicitur etiam, quod idem Nemroth plures, præter Enech, vxores habuisset, ex quibus præter Hunor & Magor plures filios procreasset: hi & eorundem posteritates Persidem regionem prædictam inhabitarent: statura & colore similes Hunis: tantummodo in loquela, velut Saxones & Turingi, modicum differentes. In altero autem voluminum prædictorũ subditur, quod Hunor & Magor, patres Hunorum siue Hungarorum, non fuissent filii Nemroth, qui fuit filius Chus, qui fuit Cham, qui fuit à Noe genitore suo maledictus. tũ ex eo, quia ipse Nemroth nunquam iuxta fluuium Tanaim habitasset: tum vero, quia, vt supra dictũ est, à Magog filio Iaphet descendissent Scythæ &c. Nam subditur ibidem: *Ergo, vt sacra scriptura & sancti doctores dicunt, Hungari descenderunt à Magog filio Iaphet. qui post diluuiũ anno* 58. *prout S. Sigilbertus episcopus Antiochenus in chronica Orientalium nationũ refert, intrauit terram Euilath, & ex coniuge sua Enech genuit Hunor & Magor supradictos, à quibus Huni & Magari generati & denominati fuissent.*

DE EODEM TRACTATV

CAPVT III.

ANthoninus autem Florentinus archiepiscopus, de quo superius mentionẽ me fecisse recolo, Sigilbertum & Vincẽtium sequens, in secunda sui chronici operis parte, Hunorum originem in antiquorũ historiis se sic legisse ponit. *Silimer* inquit *rex Gothorum alias Getharum filius magni Gaderici, post egressum Sycantia insula (Scythia) iam quinto loco tenens principatum, cum terras Scythiæ cum sua gente intrasset, quasdam magas mulieres in populo reperisset, quas sermone Getico alirũnas vocassent: easq; habens suspectas, de medio sui proturbasset, longeq; ab exercitu suo fugatas in solitudine cœgisset errare. Quas tandem siluestres homines (quos nonnulli Faunos sicarios vocant: quod genus quondam sancto Anthonio, cum eremi peruagabatur solitudinẽ, obuiasse legitur) cum deserti per deuia errare vidissent, in illarum amplexus pariterque & coitum se cõmiscuissent. Exhincque, hoc ferocissimum ac pauendum & terribile hominum genus edidissent: quod primum inter Meotidas paludes fuisset. Cumq; in gentem creuissent, mox in vicinorum agros se ingerentes, vastitates edidissent: obstantesque, quos forsitan ferro non superassent sui vultus terribilitate fugassent: Qui & in pignora sua prima die nata, desæuissent: Nam maribus ferro genas secassent, vt antequam suauia lactis nutrimenta perciperent, vulneris cogerentur subire tolerantiam. Talis ergo* inquit *stirpe procreati Huni, exigui quidem forma sed arguti, moribus expediti, ad equitandum promptissimi, scapulis lati, ac arcus sagittasq; tractare parati, ceruicibus firmi, & superbia supererecti: cunctis vicinis gentibus horrori pariter & formidini erãt.* Hæc

Antho-

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

Anthoninus. Iordanus autem & quidam alii Hunos ab incubis dæmonibus & quibusdam mulieribus originem sumpsisse dixere. Inuidia auctrice Iordanus hac ducitur sententia. Nam cum Gothorum de genere, quos Hungari propriis expulere de sedibus, suam ducat originem: progenitorũ iniuriam præ corde ferens, hoc opprobrio Hunorum affecisse generationem credi potest. Sacra etiã hanc sententiam reprobat scriptura. Cum Euangelicæ lectiones nostrum canãt protulisse saluatorem: *quod enim* inquit *est de carne, caro est: quod autem de spiritu est, spiritus est.* Et rursus: *Spiritus carnem & ossa non habet.* Contrarium igitur veritati & erroneum est, credere quod spiritus, quibus naturalia, quæ vim & officium habent generandi, concessa non sunt, generare possent. Diodorus vero Siculus, Scytharum gentem apud Araxim flumen originem habuisse paruamq; ab initio ac modicæ terræ cultricem fuisse: deinde regem nactam potentem & bellicosum, ac militari virtute præcipuum, patriam ampliasse, montanam, vsq; ad Caucasum; campestrem vero vsque ad oceanum Scythicum & paludẽ Meotidem flumenq; Tanaim, sui historici laboris tertio in libro posuit. Et tam ipse Diodorus ibidem quam Herodotus in sua chronica libro quarto, fabulã inducunt quandam, dicentes: Quod cum olim Hercules, prior illo qui postmodum res Troianas turbauit, Geryonis vaccas custodiuisset, & in terram, quam nunc Scythiam vocant, tunc omnino desertam, deuenisset: deprehensus tandẽ vehementi pluuia & gelu, substrata sibi pelle leonina obdormiuisset: interim autem equæ illius à curru per pascua errantes disparuissent. Qui expergefactus, omnẽ illam regionem perlustrans, easdem non inuenisset: vltimatim cum in terram quandam, quæ Hylea dicitur, deuenissent: ibidem quandam virginem de tellure natam ancipitis naturæ, humanæ videlicet ac serpẽtinæ: supra femora quidem feminam; inferius autem viperam, reperisset: eamq; conspicatus atq; admiratus, si alicubi suas vidisset equas interrogasset: illa, se easdem scire, sed interim donec cum ipsa concumberet ipsas sibi reddere nolle, respondisset. Hercules igitur sub ea mercede cum illa concubuisset. Illa vero, cum Hercule ampliori cupiens vti concubitu, eidem equas non restituisset, donec ab illo se grauidam comperisset. Tandem restitutis Herculi equis, mulier illi dixisset: *Has ego tibi equas, quæ huc venerant, seruaui: tu quidem mihi serua ius, cum illarum præmium persoluisti. Concepi enim ex te filios tres: qui, vbi nati fuerint & adoleuerint, de illis quid sim factura mihi dicito: An hic debeant habere domicilium? ipsa enim huius regionis teneo imperium: An illos ad te mittere debeam: qui pater illorum es.* Cui Hercules arcum vnum, duos enim deferebat, ac baltheum, ad cuius commissuram aurea dependebat phiala dedisset. & antequam illi hęc dona assignasset, arcum tetendisset & baltheo se præcinxisset, dixissetque illi: *Quem illorum hunc arcum ita tendentem & hoc baltheo sicut me præcinctum videris: eum tu regionis istius incolam effice: qui autem his operibus, quæ ipse præcipio, impar erit, illum ablegabis.* His igitur dictis Hercules abisset. Post hoc, enixa mulier illa, filiis vni Agathirso; alteri Gelono; nouissimo autem Scytha, nomina imposuisset. Qui cum in virilem adoleuissent ætatem, mulier ipsa mandatorum memor, ea quæ sibi iniuncta erant peregisset: & filiis tentatis, vltimum puta Scythanim, paternis præceptis equitem fore comperisset: quare duobus, Agathirso videlicet & Gelono ablegatis, Scytham sui regni heredem constituisset. à quo tandem tum populi tumque reges Scytharum processissent, ipsaque regio nomen accepisset. Item Trogus Pompeius Scythas cum Ægyptiis, tanquam homines gentiles, qui semper mundum sine initio stetisse putarunt, de generis vetustate contendisse fatur. Dixere enim Ægyptii: terrarũ quidem, alia solis premitur ardore; alia vero frigoris algore riget in tantum, vt ne quidem homines vel animantia generare posset, verum & aduenas necat: Ægyptus vero, adeo aeris beneficio foret temperata, quod nec æstiui solis ardores, neq; hiemalia frigora illius offenderent incolas. Præterea Ægypti tam fœcundus esset ager, q̃ in procreatione alimentorũ, illa terra feracior esset nulla: vnde de iure homines prius natos ibi videri debere, vbi facilius educari possunt. Econtra Scythæ respõdissent, q̃ cæli temperamentum

propositæ quæstioni nullo argumento foret: quippe cum primum natura caloris & frigoris incrementa regionibus diuisit: statim ad locorum auræ tolerantiam quæq; animalia generauit. Vnde & salamãdram ignis, & certos vermes anima vitali vegetantes, antiquæ niues gignere pariter & nutrire perhibentur: eodem modo arborum atq; frugum varietates pro regionum conditione natura produxit. Quanto enim Scythis aura est asperior quam Ægyptiis, tanto & corpora & ingenia Scytharũ sunt duriora. Cęterum, si mundi primordia, vel aquarum illuuies tenuit; vel ignis (qui & mundum genuisse credebatur) possedit: vtrumq; Scythis potius priorem præstare originem potuerunt. Nam si ignis primas res possedit, nonne paulatim extinctus, septẽtrionali agro, qui supra omnes terras hiberno frigore alget, aeris temperiem dedit: Ægyptus vero, & totus oriens, qui & nunc torrenti solis calore æstuant, post extinctum primæui ignis ardorem, tardissime temperamentum aeris recepere. Si vero aquarum inundatio omnes terras submersit, profecto decurrẽtibus aquis, altior terrarum pars prius detecta fuit; humilibus autem terræ in partibus aquam diutissime morata est. & quanto prior quęq; pars terrarum aut ab igne liberata, aut ab aquis siccata sit, tanto prius animalia generare cepit. Porro Scythia adeo altior omnibus terris est, vt cuncta flumina ibi nata, in mare Meoticum, deinde in Ponticum, & deinde in Ægyptium decurrant. Ægyptus vero, si ab aquarum in eam per vim decurrentium incursibus, multis molibus aggerum munita non fuisset, coli aliter nisi exclusis Nili fluctibus non valuisset. His igitur argumentis superati Ægyptii: Scythæ antiquiores visi fuere.

CONTINVATIO NARRATIONIS.
CAPVT IV.

QValicunq; à cardine ortus Huni siue Hungari processerint: præclarum tamen illorum laudis præconium lata mundi per climata præ gestarum magnitudine rerum longe diffusum: illos & Catholicam fidem non minus amplecti: probitatis titulo fulgere: grataq; vigere morum honestate: tum vero militari præstantia & armorum virtute cæteras nationes longe euadere vbique clamat. Ex hac generatione nedum reges, verum etiam & plebeię conditionis homines catalogo sanctorum asscripti se super æthera conscendisse lætantur. Nec ille magnus Attila suam quomodocunq; deprædhendi potest neglexisse nationem. Nonne nepotẽ magni Nemroth suo in titulo se scripsisse inuenitur? Et in secundo libro chronici operis Hungaricarum rerum, dum de illorum secundo tractatur ingressu: ipsi Hungari suæ originis propaginem per generationis lineam ad magnum Nemroth deduxisse reperiuntur. A Magog vero filio Iaphet Scythas, qui prius Getæ, postea Gothi sunt vocati: quos Huni propriis expulere sedibus, vt infra dicetur: tum Isidori documẽto, tum vero certis ad id accedentibus scripturis: processisse negari non potest. Vnde ipsarum Hungaricarum chronicarũ in primordiis sequitur: Dum enim Hunor & Magor Nemroth essent primogeniti: à patre eorum separatim in tabernaculis habitabant. Accidit tandem vna dierum cum venandi causa ad campum processissent: & illis in deserto vna cerua occurrisset: quam cum fugientem insequentes in paludes Meotidas deuenissent: & cerua eadem in crebris siluarum saltibus euanuisset: ipsi eandem diutius perquisitam potuerunt inuenire minime. Peragratis tandem paludibus eisdem: cum illas armentorum pro pascuis optimas fore conspexissent: redeuntes ad patrem ab ipso licentia impetrata cum omnibus ipsorum rebus in ipsas paludes Meotides intrauerunt ibidem moraturi. Hanc paludem regionem esse, & Persidæ prouinciæ vicinam fore: pontoque illam in gyro vallari: vnum tantum vadum habere: aditumque illic & exitum difficilem præbere: herbis, siluis, piscibus, volucribus & bestiis abundare: in chronica posuere Hungarica. Dionysius autem paludem hanc matrem ponti appellauit. Multas enim famosissimorum amnium aquas in illam deuehi: ac tandem easdem ipsam paludem in mare Ponticum emittere dicit. Paludes ergo Meo-

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

go Meotidas Hunor & Magor adeuntes quinque annis ibidem immobiliter permanserunt. Anno vero sexto exeuntes dum per desertum vagarentur, sonitum symphoniæ audierunt: & scrutinii gratia vlterius procedentes vxores ac filias Bereka sine maribus in tabernaculis manentes ac festum tubæ colentes, & choreas ducentes casu repererunt: quas celeri rapina comprehensas simul cum earum rebus in paludes Meotidas deduxerunt. Contingit autem eosdem in hac rapina inter cæteras Dulæ principis Alanorum duas filias virgines forma præclaras comprehendere: quarum vnam Hunor, alterã Magor in vxores receperunt: ex quibus mulieribus tandem omnes Huni siue Hungari originem sumpsisse perhibentur. & hanc quidem rapinam cunctarum prędarum primã nonnulli fuisse dixere. Factum est autem cum diutius paludibus in eisdem permansissent in gentem creuerunt validissimam: ita quod palus ipsa eosdem capere ac eisdem nutrimentorum alimenta præstare nequiret. Subtilissima igitur quadam astutiæ calliditate excogitata, in Scythiam ipsis vicinam exploratores destinauerunt. Qui redeuntes cum terram Scythiæ amplam pro armentisque pascendis valentem esse dixissent: mox cum omni generatione ac rebus & armentis ipsorum illam intrauerunt: ibidemque quosdam Alprosuros, quos in prioribus chronicis Hungarorum nunc Ruthenos vocari scripserunt, inuenisse perhibentur. Deletis igitur eisdem & expulsis ac sub iugum redactis, regnum illud inuitis vicinis possidere dicuntur vsque in hunc diem. Anthoninus vero Florentinus archiepiscopus Hunos ad limites Meotidis paludis habitasse affirmat. Dicit enim, quod cum venatores Hunorum sequentes vestigia cerui per paludem Meotidam, quam prius inuiam esse putabant, transiuissent: & Scythicam regionem diligenter explorassent: ac quicquid ibidem vidissent Hunis omnia nunciassent: & ad transeundum ipsas paludes eos animassent: tunc Huni horum venatorum ductu paludibus ipsis pertransitis velut quidã turbo Gothis in ipsa Scythia manentibus incubuissent, ac eos qui cæteris imperabant & præeminebant bello victos de propriis sedibus expulissent. Paulus Orosius etiam vt in præsentis opusculi procemio dictum est in suarum historiarum libro vltimo de Gothorum expulsione mentionem faciens: *gens* inquit *Hunorum diu inaccessis seclusa montibus erumpens repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosq́ sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit.* Multa & varia de his Gothis in Romanorum scribuntur historiis. Magna hæc & antiqua generatio fuit: & multas concussit sui terrore orbis partes. Vnde idem Paulus Orosius primo suarum historiarum libro Alexandrum magnum Gothos euitandos fore pronunciasse, Pyrrum Epiri Thessaliæ Macedoniæque regem exhorruisse: Cæsarem vero qui cuncta armis strauit declinasse ait. Hi igitur Gothi, qui multas gentes vt Vincentius in historiis capitulo centesimo duodecimo scribit suo subdiderant seruitio: Hunorum subditi sunt imperio. Nam qui Gothis seruiebant: expulsis Gothis Hunorum parebant principatui. & sic Huni omni pæne Scythia potiti: cæteras Scytharum nationes fortitudine & principatu premebant.

DESCRIPTIO SCYTHIAE SECVNDVM PRIORES HISTORIAS HVNGARORVM.

CAPVT V.

HANC Scythicam Hungaricarum primæui auctores historiarum in Europa posuere: illamque versus orientem extendi, & ab vno latere Ponto aquilonari, ab alio Riphæis montibus, ab oriente vero Asia, & ab occidente fluuio Ethevvl: quem & Don vocari dixerunt: includi scripsere: gentesque in illa procreatas vanitatibus deditas, ocia amplecti: actibus Venereis intendere: rapinas amare, & generaliter coloris plus nigri quam albi esse dixerunt. Præterea Scythicam regionem vna cingi comprehensione: sed in tria regna, Bostardiam scilicet, ac Dentiam & Magariam diuidi: centumq; & octo prouincias: in quas olim per filios Hunor & Magor ob centum & octo progenies eorundẽque de illorum egressæ fuissent femoribus cum de paludibus Meotidis in ean-

Origines Hungarorum.

dem introissent diuisa extitisset habere: ab orienteq; Scythico regno Iurianorum regnum & post hæc Tarsiam tandem Mangaliam iungi: ibiq; & Europam terminari: & rursus ex plaga æstiuali sub solari gentem Corosminam & Æthiopiam, quæ minor India vocaretur, vicinari: inter meridiemq; & cursum Don fluuii desertum immeabile esse: ibiq; propter intemperie aeris illius zonæ serpentes diuersi generis & ranas velut porcos fore: basiliscosq; ac plura toxicata animalia, nec non vnicornem ibidem generari. Præterea in Scythia grandem fluuium Don vocatum oriri: & illum ab Hungaris Ethewl nuncupari: & hunc fluuium montes niueos, qui Scythiam cingerent transcurrere: & amisso nomine Ethevvl Don vocari: iuxta ipsumque versus meridiem gentem Cytanorũ, & gentem Alanorum iacere: & fluuium eundem tribus ramusculis in mare rotundum cadere. Alterum quoque fluuium Togatha dictum valde magnum in regno nasci Scytharum: illumque per siluas desertas paludesque & montes niueos, vbi sol nunquam luceret, discurrere: tandem in Hircaniam intrare: & ibidem in mare aquilonis vergere: longitudinemq; Scythiæ patriæ trecentis & sexaginta: latitudinem vero centum nonaginta stadiis extendi: situm etiam eiusdem tam munitum, vt in vno tantum loco paruissimo introitus illac reperiatur existere: & rursus ab oriente Scythiæ Bessos & Comanos albos vicinari: ac circa mare aquilonis ab occidente vsque Susoaliam desertum esse syluestre humano generi immeabile: & illud ad magnum spacium extendi: ibique per nouem menses continuam nubium iacere densitatem: & menses per eosdem ibidem solem nisi tantum in mensibus Iulio, Iunio & Augusto à sexta solum hora vsque ad nonam cernere minimè posse: ibidemq; in montibus huius deserti griphones nidificare, & aues legisfalck, quæ vulgo kerecheth vocantur, pullos generare posuerunt.

ALIA DESCRIPTIO SCYTHIAE SEcundum auctores.

CAPVT VI.

VNIVERSIS auctoribus, quorum cura fuit partes describere orbis, hæc Scythiæ descriptio contraria esse videtur. Cum Scythia illorum iuxta positiones non vnum tantum sit regnum: sed magnam mundi partem suis ambiat limitibus. nec enim negari potest Scythiam in Europa esse. nam Isidorus illam maximam fore regionem, partemq; eius superiorem in Asia, inferiorem verò in Europa ponit. Sed quod in illa sit fluuius Ethevvl siue Don: ac ab oriente Iurianorum regno: post hoc Tharsiæ: tandem Mangaliæ Corosminęq; genti & Ethiopiæ vicinetur: quodque Scythia alium fluuium Togatha nomine habeat: si cæteris auctoribus, qui de his rebus scripsere locus est dandus, multum ab illorum positionibus hæc descriptio dissidet. Cum ipsi in eorum voluminibus, de quopiam regno, quod Iurianorũ esset: aut de fluminibus Ethevvl siue Don & Togatha in Scythiæ vel totius orbis descriptione nullibi mentionem fecisse reperiantur. Aut si Scythia tantummodo in Europa est: quomodo Ethiopia, quæ meridionalis est: ac Tharsia & gens Corosmina, quæ regna sunt Asiatica, illi vicinari possunt? Enimuero Scythia, vt auctoribus placuit, partim in Asia, partim in Europa est, eamq; Tanais fluuius Riphæis in montibus ortus: nobilissimus amnium: qui & Asiam ab Europa diuidit, vastas per solitudines decurrens mediam intersecat: tandem in paludem Meotidem lapsus illius vndas auget. Dionysius & Paulus Orosius Scythiam tantummodo in Asia intra & extra Imauum montem, hoc est, imum Caucasum collocant: & inter cæteras nationes Hunos in illa sedē natalis soli habere dicunt. & ipse Dionysius Hunos eosdem cum Caspiis & Albanis vicinari, populosque feroces & bello aptos esse ponit. Ptolemæus verò ac Strabo & Plinius Asiaticam Scythiam ab oriente flumine Rab: ab occidente autem Tanai amne claudi fatentur. & illi ab oriente Seres populos locant: quos Iulius Solinus arborum frondes aquarum aspergine humidare: ex hocque frondibus in eisdē teneras nasci lanugines: & ipsos

Seres

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

Seres easdem depectere: ac exinde sericum illud, quod iam in vsum communem damnosæ vanitatis admissum est: facere dicit, ex quo serico nunc humana ostenduntur potius corpora quam vestiuntur. Deinde vero Scythiæ Asiaticæ meridietenus Candesia: Mardia: Hircania: Apia: Decerbia: & Bactria regiones: dictis sicut placuit auctoribus contermine sunt. Quicquid autem Germania ad Oceanum septemtrionalem & flumen Tanaim Meotidemque paludem seiungit: Isidorus omnino partem Scythiæ inferiorem dicit: & illam, vt supradictum est, in Europa collocat: ac illi circa mare Ponticum Thraciam vicinam esse, in eademq; parte Scythiæ Alaniam, Gotiam, Daciam, Rhetiam, regna hominibus notiora ponit. Hanc partem Scythiæ Trogus Pompeius pro tota Scythia posuit: & illam ab vno latere Ponto: ab altero Riphæis montibus: à tergo Asia & Phasi flumine clausam esse arbitratus est.

DE GENTIBVS SCYTHIAE INTERIORA INCOLENTIBUS: & de ritibus earundem: deq; auro & lapidibus preciosis in illa abundantibus, & de fluminibus illam irrigantibus.

CAPVT VII.

VARIAS gentes auctores ima Scythiæ incolere posuerunt: quas inter cæteras tum Iulius Solinus de mirabilibus mundi scribens: tum vero Pomponius Mela clarius exprimunt. Ponunt enim in parte Scythiæ Asiaticæ Neuros: eosdemque æstatis temporibus in lupos transformari: & reliquo anni cursu rursus in pristinam faciem reuerti. Martemq; pro deo, & enses pro simulacris colere: diisque pro victimis homines immolare. His propinquos Gelonios: ipsosq; de inimicorum cutibus & sibiipsis indumenta & equis tegmina facere. Iuxta hos Agatirsos homines ceruleo pictos colore: & qui cæteris digniores sunt, hos magis hoc colore vti. Tandem antropophagos, inter quos & esedones connumerant. quibus execrandi cibi humana dicuntur esse viscera: propterea illis nullam gentem contiguari: sed ob nepharium illorum ritum cunctas finitimas nationes ab illorum finibus profugisse: & ob hoc totam terræ partem vsque ad mare quod Thybin vocant, per longitudinem illius oræ, quę æstiuo orienti subiacet, vsque ad Seres in vastam solitudinem redactam absq; homine esse. Eosdem etiam esedones parentum funera solennibus prosequi cantibus & victimis: congregatisque proximis eadem dentibus laniare, ac ouinis cum carnibus miscendo sibiipsis escas facere: capita quoque cute & carnibus nudata auro circumdare, & illa gloriosis pro poculis deferre. Chalybes vero & Dacos à cæteris Scythis crudelitatis immanitate modicum aut nihil discrepare. Scito TAVROS, sicut & Neuros pro hostiis aduenas cædere. Saccos quoque & Nomadas vicinis infestari: pabulaque pecorum sequi. In parte vero Scythiæ Europęa Georgianos agros colere. Asiaticos vero nec sua diligere, nec aliena furari. & ideo nec sua custodire nec aliena attingere. Satharcos autem vsum auri & argenti aspernari, & auaritia quid sit, ignorare: & eosdem cum proximi sint Riphæis montibus prę assidua hyemis austeritate in speluncis & sub fossis terraneis habitare: totumque corpus ac etiam ora præter solum visum vestire ponunt. Fatentur etiam præter has nonnullas alias in Scythia esse nationes, vltimas autem ad iuga Riphæorum montium Arimaspos gentem vnoculam. & post hos ac iuga montium eorundem partem mundi dānatam, & in illa continuarum casum niuium esse asserunt: ita quod hæc pars orbis æternæ nubis caligine obsessa sola sit terrarum, quæ nouit vices temporum: nec aliud de cælo accipiat, nisi tantum hyemis rigorem sempiternum: neque est homo, qui hos niueos post montes & hanc perpetuam post caliginem, si quippiam terræ aut humi sit, dicere queat: cum illa pars mundi mortalibus ignota cunctis esse perhibeatur. Nonnulli auctores & maxime Strabo: Gnesius: Oceanum Borealem vel Scythicum propter frigoris contiguam intemperiem concretum ac in perpetuam glaciem versum: & præterea innauigabile fore putauerunt. Plinius tamen Veronensis dicit, q̧ Indicę naues cō-

Crudelia

Digitized by Google

mercii causa nauigantes tempestatibus ventorum arreptæ in Germanicis litoribus inuentę ac per regem Sueuorum Metello Galliæ proconsuli donatæ fuissent. & super his Cornelii Nepotis vtitur testimonio: quod accidere minimè potuisset, si septemtrionale pelagus congelatum, & innauigabile fuisset. Ferunt etiã in Asiatica Scythia terras auro & argento esse locupletes, sed inhabitabiles. Nam, cum auro & argento, ac gemmis affluant griphes, pertinax sæuumq; genus animalium, & alites ferocissimæ illas custodiunt: nec quempiam illac adire patiuntur. Quippe illac attingere satagentes cum vident: mox vltra omnem rabiem sæuientes illos discerpunt. quamobrem aduenis difficilis & rarus aut nullus accessus illac datur. Lapides etiam preciosos: crystallum videlicet ac ceraunеum cæruleo coruscantem colore. Item, smaragdum peroptimum, cui Theophrastus inter lapides preciosos tertiam dedit dignitatem, easdẽ partes Scythiæ gignere perhibent. Non tamen ad hos sine discrimine peruenitur: cum & eosdem ipsi griphes custodiant: propter quod dictos Arimaspos homines monoculos cum illis decertare dicunt. Scythæ quanto magis interiores, tanto asperiori magis ritui dediti, incultioresque esse: bella præterea & cædes amare: ac consuetudinem bellantibus cruorem illius, quem primum interemerint recenti de vulnere ebibere: pluresq; se interemisse enarrare maximam illis gloriam afferre: inter epulas quoque quis eorum quot interfecerit mentionem sæpius lætissimã facere: & his qui plures interfecerunt sessiones superiores & bina pocula dare: expertes vero necis suos inter socios inferiores esse: idque illis inter iurgia maximo pro opprobrio ab aliis obiicere: pacis autẽ condimenta & fœdera mutui & permixti sanguinis degustatione stabilire traduntur. Immensis montium culminibus ima Scythiæ ad septemtrionem vergentia amplectitur. & varios fluminũ fundunt decursus. Inter quos, vt dictum est, Tanais Riphæorum montium in latere natus multas saxosas Caucasi montis per valles immurmurans brumali parte ingentes glacierum moles secum trahens mediã per Scythiam decurrit: ac Asiam ab Europa diuidit: tandem plurimorum fluminum recipiens aquas ingens & mitior paludes ingreditur Meotidas. Præterea in Scythia Asiatica flumen, quod Borysthenes vocitatur, satis grande apud Neuros oriri: & hoc pisces egregii saporis quibus nulla teneras præter cartilagines essent ossa nutrire: Hyppanem quoq; amnem omniũ Scythicorum amnium nobilissimum, & cæteris limpidiorem potuiq; saluberrimũ à quibusdam Scythicorum amnium principem denominatum: ac etiam Pantecapen: Gerrum: Phasim: & Iaxartem flumina Scythiæ satis celeberrima illius intra terminos decurrere: illamq; inter cunctas terræ partes aqua piscibusque ac virentium herbarum campis nec non arborum frondosis siluis & nemoribus fœcundissimam esse perhibent supradicti auctores.

DE LAVDE SCYTHARVM, ET DE GENtibus de Scythia ortis.

CAPVT VIII.

MAGNA auctores de Scythia scripsere: sed multo maiora scripsissent, si illa aut hostilis manus peruagari potuisset: vel barbaricæ gentis illam incolẽtis plusquam humana ferocitas mundi partes lustrantibus illac tutum iter præbuisset. Summus enim pontifex pius in suarum libro historiarum inquit: *Ignota esset nobilis terrarum maxima pars: nisi Romanorum principatus & magni Alexandri potentia orbem aperuisset.* Strenua enim fuit semper Scytharum manus: nec illam Romanorum damnatio aut Alexandri magni vel cuiusuis imperii potestas concussisse legitur. Et si limites Scythiæ quispiam hostium adisse inueniatur: non tamen illius ad interiora aliquis extraneorum principum sua extendere valuit arma. Darius rex Persarum Scythis bellum intulit: ad intimaq; illorũ peruenire satagens, auem, murem, ranam & sagittas quinque pro munere recepit: & tandem turpi fuga è medio submotus est. Thomyris Scytharum regina Cyrum Persarum regem cum omni pæne exercitu deleuit: & amputato illius

Origines Hungarorum.

lius capite in vtrem humano sanguine plenum proiecit inquiens, *humanum qui semper sitiuisti sanguinem, ad vltimum de illo sufficienter bibe.* Sophirianum magni Alexandri ducem Scythiæ cunctis illius cum copiis sæua morte trucidarunt, Vesosimque Ægyptiorum regem omni bellico apparatu spolia tum Scythæ suis de limitibus repulerunt: & magno cum dedecore fugam capescere coegerunt. Arma quoque Romanorum magis audierunt quam senserunt. Scythica quidem arma virumque maior pars orbis experta est: quocunque gladius extensus: sagitta quoque Scytharum porrecta est: non sine vulnere rediit. Scythę primi omnem Asiam armis domitauerunt: ac per mille quingentos annos vsq; ad Nini regis Assyriorum tempora principatu eius potiti illius tulerunt census: & nisi huic genti inuidia stylum subtraxisset: propterea primi imperii nomen sortiri digna fuisset. Multas gentes claro dignas nomine hæc regio enixa est. Parthi enim & Bactriani, vt antiquitas voluit auctorum, Scytharum sunt soboles. Amazones quoque fœminas brachio fortes, quarum vltimam Troianum bellum expertum est virtutem Scythia peperit. Quid autem de Gothis per Hunos, vt dictum est, de Scythia expulsis dicendum est? qui & Alanos vna secum trahentes omni occidenti infestissimi fuere. Hi sunt, vt historiæ tradunt, qui Romana fortia transcenderunt mœnia: tantæque vrbis solis sacris reseruatis omnem gazam conuerterunt in prædam. Romano insuper imperio terrori extitere, illorumque pars alia Italicis in oris: alia occidentem versus ferocibus armis sibi regnum effecit. Vnde hi occiduas qui occupauerunt terras rite Gothi Alani, tanquam ex Gothis & Alanis simul militantibus nominati, vocari debuissent: nunc qui Cathalani vocitantur. Hi quamuis homines tunc bello apti fuerint; nostra tamen ætate puto, quod vicino & imbelli permixti sanguine, olim patriæ moribus oblitis, labioq; mutato, ab armis dissidere noscuntur: cum nulla de illis celebris per orbem pro præsenti resonet fama: piraticam solum præter vitam: quæ potius famæ offensio quam nutrix est. Hunorum siue Hungarorum genitricem esse Scythiam nullus dubitat. quorum & in principio exitus de Scythia virtus militiæ præclara efferbuit: & nunc hoc nostro ęuo gladius illorum contrariæ gentis supra capita nitet. Wandali etiam Scytharũ sunt genus: qui post Hunos siue Hungaros paternis de habitationibus egressi partem mundi Africanam & ecclesiam persecuti sunt. tandem multos belli sæuiciæq; post strepitus orbis parte in eadem regnum sortiti sunt. Voluere nonnulli, maxime frater Martinus, qui Romanæ historiæ compendiũ generauit, quod hæ tres nationes, puta Huni, Gothi & Wandali, vna eademque essent generatio: & eiusdem fuissent labii siue linguæ, tantummodoq; nominibus differrẽt. Nulla hæc ratio admittit: nec illi quibus hæc placuere, euidenti suam intentionem documento probant. Nam Huni Gothos propriis de sedibus expulissent minime, si Huni & Gothi eadem generatio fuissent. Præterea Gothi priores Hunis, dum nec Hunorum audiebatur strepitus Romano imperio infesti fuere. Wandali autem longe post Hunorum egressum Scythicis de partib. erumpentes, vt iam dictum est, Africano in agro sedem sibi fecere. Multas pręter has Scythia gentes suo in gremio enutritas fudit: quarũ nouissimi Turci esse perhibentur: quamuis nonnulli illos Troiano de genere propaginem ducere, & nomen à Teucro rege, qui Troiani belli in feruore ruituræ vrbi auxiliaturus venerat, nomen non Thurci, sed Teucri recepisse putent. Cum tamen Troianos ab Italis deriuatos ætatem mundi circa tertiam Phrygias adisse oras, regnumq; sibi ibidem pariter & Troianam vrbem, quæ mundo multas peperit fabulas, condidisse, & rursus post illius excidium, tum magnum illũ Æneam patrem & auctorẽ Romanarũ rerum: tum vero Antenorem Paduanę vrbis & Aquilegię conditorẽ rursus in Italiã tanquã vnde exissent redisse multæ historię tradant. Turci, vt Heticus Philosophus tradidit in Asiatica Scythia vltra Periccos montes & Tracontas insulas contra aquilonis vbera sedes genitrices habuere. Otto autem historicus Frisingensis episcopus tradit, quod imperantibus Græcis, & regnante apud Francos Pipino rege: Turci Caspias, prout autem summo

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

pontifici Pio multarum historiarum lectori placuit, Caucasias egressi portas, quid fecerint vicinarum fatetur miseria regionum. Hi antiquum tum in amictu, tum vero in armis Scythica quem eduxerunt de patria tenent modũ. Multa de hac gente: deq; eius familia ac lucriferis illius successibus Nicolaus Secũduri stylo perbreui vsus ad Æneam Senonum episcopum scribens denotauit. Cum autem ad præsens non de eorum agatur rebus: id quod illorum framea his nostris seculis satis nota sit in orbe, me de illis dixisse sufficiat.

ARGVMENTVM QVOD SCYTHIA, DE qua egressi sunt Huni siue Hungari, sit in Asia.

CAPVT IX.

PAVLVM Orosium & Dionysium Alexandrinum Philosophum supradictos sequi: idque quod Huni siue Hungari primam in Asiatica Scythia natalis soli sedem habuerint, me referre non pudet. Anthoninus etiam, qui tum Sigebertum, tum Vincentium in his rebus imitatus est, omnemque, qui mundanarum rerum in quantum suus comprehendere potuit stylus, seriem conscripsit: Hunos ducentibus venatoribus Asiatica de Scythia in Europam migrasse, & Gothos Scythiæ partibus de Europæis deq; propriis illorum sedibus expulisse: denique aucta tum audaciæ tum armorum virtute in Pannoniã venisse: ad alias quoq; nationes terroris manum vt infra scribetur extendisse: inane posuisse creditur minime. Nec priores Hungarorum historiæ huic sententiæ contradicunt: cum Hunos siue Hungaros primum in Perside, tandem in palude Meotide commoratos esse, ac duce cerua terras in alienas, vt supra dictum est, transmeasse tradant. Zeliobrem olim Hunorum in Asiatica Scythia manentium regem: Chosroæ Persarum regi contra Iustinianum Romanorũ imperatorem cum viginti millibus Hunorum in auxilium venisse Romanæ commemorant historiæ. Pius etiam Romanus Pontifex in suis historiis, Hunos Meotide palude transmissa in Europam migrasse: omnemque barbariem inter Tanaim & Danubium occupasse tradit. Et rursus idem dicit se hominem Verona ortum, qui hoc nostro æuo Scythicas lustrasset partes, allocutum fuisse: illumque sibi affirmasse: quod in Asiatica Scythia ad ortum Tanais amnis homines eiusdem linguæ cum Hungaris Pannoniam incolentibus inuenisset. tandemq; rediens cum plerisque sacræ paginæ professoribus, viris religiosis de ordine sancti Francisci, qui linguam illorum nouissent, illac proficisci & sanctum Christi Euangelium (cum idolatriæ essent dediti) prædicare voluisset: sed dominus de Momqua, qui Grecæ perfidiæ subditus est, Asiaticos Hungaros Romanæ coniungi ecclesiæ, ac sacris imbui ritibus ægrè ferens, ipsos illac transire prohibuisset.

DE EGRESSV HVNORVM DE Scythia.

CAPVT X.

A. C. CCC. LXX.III.

ANNO igitur incarnationis domini trecentesimo septuagesimo tertio, diebus Valentis imperatoris, vt dictum est, & Damasi primi Romanæ ecclesiæ Papæ in sexta ætate seculi Huni siue Hungari in Scythia habitando magnũ creuerunt in populum: suadentibusque eis venatoribus supradictis in vnum congregati: occidentales inuadere regiones decreuerunt. ac capitaneos, puta Bela filio Chelæ de genere Zemen orto: Keme & Kadicha fratribus eiusdem: Attila Kevve & Buda filiis Bendeguck, de genere Kadar eligentes sibi præfecerunt. omni quoque cœtu suæ nationis computato, de centum & octo tribubus decies centena & octoginta millia de vnaquaq; tribu decem millia armatorum virorum connumerauerunt. hosq; manu vti, & hostem si occurreret opprimere: fœminas quoque illorum ac familia popularemque gentem cunctam, quã secũ ducebant pariter & armenta extraneo ab insultu tueri deputauerunt. Vnũ pretærea rectorem nomine Kadar, virum sapientem, & ad id idoneum, quod lites

Digitized by Google

Origines Hungarorum.

tes sopiret dissidentium: furesque ac latrones castigaret, inter se constituerunt: edicentes nihilominus decreto generali: vt si rector ipse immoderatam diffiniret sententiam: communitas illam in irritum reuocare, errantemque rectorem tum corripere: ac pariter & capitaneos dum vellet, deponere posset. Edictum etiam fuit, vt cum res communitatem æqua sorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio exercitus incumberet, mucro sanguinis aspergine tinctus media Hunorum per habitacula castraque deferretur: vxorque subsequeretur præconica dicens: *Vox dei & præceptum communitatis vniuersæ: vt vnusquisq; in tali loco*: eundem designando locum: *armatus vel qualiter potest, compareat: communitatis consilium simul & præceptum auditurus.* Hæc consuetudo inter Hunos siue Hungaros vsque ad tempora Geisæ ducis filii ducis Toxon filii Arpad inuiolabiliter extitit obseruata: & multos generatione de hac perpetuam redegit in rusticitatem. Nam sancitum erat, vt transgressores huiuscemodi mandati, nisi rationabilem assignarent excusationem, cultro media per viscera diuiderẽtur: aut in desperatas causas, vel communem immisericorditer redigerentur in seruitutem. Hæc sanctio alios ex Hunis plebeiæ perhibetur effecisse conditionis. Nam cum vna & eadem fuerint generatio, & à quodam Hunor & Magor vnanimiter processerint, aliter fieri nequisset, vt alter dominus, alter seruus vel rusticus effici potuisset. His tandem compositis, capitanei supradicti communi voto cum omni ad hæc deputato populo ingentia mouentes agmina (non ergo sedibus soli natalis vacuis relictis: sed illis extraneo ab incursu idonea firmatis custodia) quam primum, vt supradictum est, in venatorum ductu transitis paludibus Meotidis, ac Gothis gente robusta & famosissima propriis de sedibus expulsis: deinde aucta potentia animoq; elati nihil sibi obstare posse arbitrantes: tanquam turbo vehementissimus omnia euertentes: Bessos ac Cumanos albos, tandem Susdalos: dehinc Ruthenos crudeli sub dominatione pertranseuntes: in nigram Cumaniam, quæ nunc Moldauia forte creditur, deuenerũt. perdomitis nihilominus in transitu ipsorum à Tanai flumine vniuersis barbaricis regionibus: tandem venerunt in Pannoniam: & ad ripas aluei Titiæ statiua fixerunt castra.

DE INGRESSV HVNORVM IN PANNONIAM: & de bello eorundem in campo Tarnokvvelgh commisso.

CAPVT XI.

HÆc regio olim, panis ab vbertate, Pannonia denominata esse traditur: quæ nunc ab Hungaris ipsam incolentibus mutato nomine Hungaria vocitatur: regionum nobilissima: famosissimorum amnium decursu irrigua: cãpis pariter & montibus mixtim decora, auri & argenti nec non cæterorum metallorum ac salis peroptimi genitrix fœcundissima: terrarum fertilissima: vino abundantissima: siluarumque & pascuorum frequentissima: pro maiori sui parte vndique aut ingentium molibus Alpium, aut potenti fluminum decursu clausa. Hanc regionem plurimæ nationes incoluisse feruntur: & semper potentior superueniens generatio agri fertilitate allecta infirmiorem aut expellebat nationem aut subdebat. Nam & Dacorum populus certam eiusdem regionis partem olim inhabitasse: tandem non sine turbatione secessisse: ac relicto pingui Pannoniæ tellure maritima loca Noruegiæ proxima occupasse: & sibi ibidem perpetuam fecisse sedem, perhibetur. Conspecta igitur hac regione: omni Hunorum cœtui vlterius non incedere: sed cum vxoribus, & familia, ac armentis, bigisque & tabernaculis, cum quibus de natali solo descenderant, terra in eadem permanere placuit. Incolebant eisdem temporibus Pannoniã Longobardi gens aduena: ac Almani & Italici cum illis: & tetrarcha quidam Matrinus, vel, vt quibusdam placuit, Martinus nomine natione Longobardus: de Sabaria oriundus: tum eidem regioni, tum verò Mœsię, Achaiæ, vtrique Thraciæ, Dalmaciæ & Macedoniæ: de Romanorum gratia præerat: homo armis

Digitized by Google

Origines Hungarorum

bellicis informatus. Hic cum immensam multitudinem ignotæ gentis intra sui dominii limites penetrasse, & ad ripam Titiæ castra posuisse: manumq; in direptionem rerum sui populi extendisse audiuit: totus contremuit: nec illos sui regiminis cum gente aggredi ausus fuit. Romanorum igitur petiuit auxilium. Eadem tempestate Detricus de Verona natione Almanus, Romanorum principum de voluntate omni Germaniæ præsidebat. Iste Detricus per Romanos in Matrini auxilium delectus est. Quamobrem Detricus congregato ingenti Germanico Italicoque ac aliarum permixtarum gentium exercitu, descendit in Pannoniam: & in Zazalom castrametatus est. dehinc ad ciuitatem Potentianam, vbi Matrinus congregata Longobardorum multitudine residebat, venit. Erat enim hæc ciuitas, vt quidam aiunt, Latinorum ad litus fluminis Danubii inter Thetem & Zazalom situata. Ad quam cum venit Detricus cum Matrino consiliabantur: si transito Danubio Hunos in illorum descensu & tabernaculis inuadere deberent: vel ad committendum bellum alium competentẽ locum eligerent: quisque modus cum tam ignota gente in conflictu esset seruandus. Hac igitur consilii disceptatione inter Detricum & Matrinum diutius protracta: Hunis eosdem contrarias ipsis res disponere ignotum erat minimè. quare magna parte suæ gentis ad prœlium disposita, cæteris in primæuo descẽsu pro custodia rerum remanentibus venerunt secus Danubium. Quos licet Detricus & Matrinus sibi propinquos esse scirent: non tamen illos propter interstantiam Danubii timebant, cum eos omnino nauium carere scirent suffragio. Ducebant igitur quietas noctes. nec quippiam hostem tanto flumine à se disiunctũ metuebant. Huni verò plurima qui iã flumina post discessum ipsorũ à Scythia in vtrium officio transnatare assueuerant: noctis tenebroso sub silentio vtribus eisdẽ inflatis se illorum nauigio commiserunt. Trasnatato itaque infra Sicambriam Danubio in ea parte vbi nunc villa Kelenfewld locata est (propter quod & eadem hoc vocabulo denominata dicitur) irruerunt tandem hostilem super exercitum in campo secus ciuitatem Potentianam: quem illa sua intra mœnia capere non poterat: in tentoriis quiescentem. Ingens exuberat vociferatio: cædesq; maxima committitur. Nam Matrini & Detrici exercitus ex subita inuasione attonitus, nedum in sui defensionem armis vti valeret, verum ad quam partem fugere deberet ignorabat. Perimebantur ergo per Hunos velut errabunda pecora: nec illis quæpiam fuga vitam redimebat. Quare omni ea parte Lombardici pariter & Almanici, cæterarumque gentium exercitus, quæ extra muros ciuitatis erat fugæ intenta: & per Hunos crudeliter trucidata & deleta: Huni, postquam dies illuxit, in campo Tarnokvvlg descenderunt. Detricus autem per hanc inuasionem admodum turbatus, vna cum Matrino & residua parte exercitus, quæ tum in ciuitate Potentiana, tum vero in castris ad Zazalom constituta erat, irruit super Hunos. Bellum igitur committitur acerrimum, hinc inde cadunt cadauera mortuorum, magna strages fit parte in vtraque. Solis tandem circa occasum, Hunis tum præcedentis noctis insomnio, tum continuis belli laboribus fatigatis, Romanorum exercitus fit superior. Sed cum non minorem quam Huni accepisset stragem, illos fugientes persecutus est minimè. Illi quidem fugientes transnatato rursus Danubio peruenere ad suos. In hoc prœlio Kevve capitaneum interisse: de Hunis quoque centum & vigintiquinque millia: ex Detrici vero & Matrini exercitu demptis illis, quos nocturna in tentoriis pugna peremit, ducenta & decẽ millia corruisse: antiquę Hungarorum tradunt historiæ.

Altera vero die Detricus & Matrinus cæde gentis eorum connumerata, timentes ne altera vice similes fierent victores: vt tantum propriis reseruatis personis soli, si possent, in castra redirent: cum cuncta ipsorum exercitus residuitate versus Tulnam ciuitatem processerunt. Hæc ciuitas nostro æuo ducatui Austriæ subiecta est: & tres rastas distat à Vienna. Illa autem ciuitas ea tempestate erat Latinorum: interque ciuitates PANNONIÆ computabatur. Cum autem Huni hostem retrocessisse cognouerunt, ad campum certaminis

sunt

Origines Hungarorum.

ſunt reuerſi,cadaueraque ſuorum & Kewe capitanei recolligentes more Scythico iuxta ſtratam communem decenti cum honore condignæ tradiderint ſepulturæ.& nihilominus tantæ rei perpetua pro memoria ibidem ſtatuam ſiue columnam lapideam ſolennem erexerunt: locumq; illum Kevveoza vel Kevvehaza vocauerunt. Noſtra quoq; ætate locum eundem corrupto vel mutato vocabulo: prout id apud Hungaros fieri ſolet: Keazo appellari haud abſurdum eſt arbitrari.

DE BELLO AD LOCVM QVI KESmavvr dicitur commiſſo.

CAPVT XII.

POST hæc Huni ſiue Hungari, animoſitate armorumq; directione Romani exercitus experta: renouato exercitu partes Pannoniæ Transdanubiales inuaſerunt: & illis obtentis ac ſub iugum redactis: totaq; familia in eoſdem transducta: verſus Tulnam ciuitatem, vbi ipſorum hoſtes congregati manebant, proceſſerunt. Detricus vero & Matrinus cum omni apparatu Romani exercitus,quem habere poterant in campo Keſmavvr illis occurrerunt. Acri ergo cõcurſu mutuo ambo hoſtes contrarias irruerunt in turmas. Huni vero magis mori quam pugnæ cedere præoptantes,Scythica conſuetudine clamores edentes horribiles: & tympana pulſantes,omni armorum genere maxime innumerabilium emiſſione ſagittarum in hoſtem vtebantur. Turbatis ea propter vndique Romanis agminibus,Huni maximam in illis cædem efficiebant. Poſt bellum tandem mane inchoatum: & horam vſque nonam acri certamine continuatum,Romanus exercitus deuictus,poſt immenſam ſui ſtragem terga vertit. Quos Huni inſequentes in ſortem & vindictam ſuorum per illos in cãpo Tarnokvvlgiæ occiſorum acriter perimebant. Cecidit prœlio in hoc Matrinus Hunorum enſe interfectus: & Detrico ſagitta in fronte vulnerato tanti ſanguinis euaſit diluuium. Cuius tandem ſagittæ truncum ipſe Detricus vrbẽ ad Romanam dignitatis imperatoriæ in curiam pro documento certaminis per ipſum cum Hunis commiſſi in fronte detuliſſe: & propter hoc immortalitatis nomen vſurpaſſe narratur. Hungarorumq; in idiomate *Halathalon de treh* dici meruit præſentem vſq; in diem. Hunc Detricum galeam quandam habuiſſe: & illam quanto magis deferebat,tanto maiori claritate refulſiſſe fabulantur. In hoc quidem prœlio ex Hunis quadraginta millia: nec non illorum capitanei: Bela,Keme,& Kadicha cecidiſſe dicuntur.quorum tandem capitaneorum cadauera ipſi Huni ad ſtatuam memoratam detulerint: & ibidem condignæ tradiderint ſepulturæ. Quanti autem Romano de exercitu corruerint, pro comperto valet dicere nemo. Sufficit tamen certamine in hoc tantam ipſos cladem accepiſſe: quod peramplius illos contra Hunos congregari nullus omnino hominum perſuadere potuit.

DE ELECTIONE ATTILAE IN REGEM: deq; illius moribus & armorum geſtaminibus,quibus in hoſtem vtebatur.

CAPVT XIII.

A.C. CCCC.I.

CVM poſt hæc pacifica poſſeſſione Pannonicæ regionis potiti: dominicæ incarnationis quadringenteſimo primo,ab ingreſſu verò eorum in Panno-niam anno vigeſimmo octauo: cæteris capitaneis,vt ſupra dictum eſt, vita functis: Attila duntaxat, qui Hungarico idiomate *Ethele* dictus eſt, & Buda fratre eiuſdem ſuperuiuentibus: eundem Attilam ſuper ſe vnanimi voto pariter & conſilio regia dignitate extulerunt. Cõpetebat huic homini hæc dignitas: cum omnium Hunorum peracri fuerit ingenio: robore quidem animi, & laborum tolerantia,diſciplinaq; rei militaris ac induſtria & ambitione omnibus ſuperior. in hoſte fallendo inſidiiſq; opprimendo ac dolis ſtruendis, verſutus & percallidus,corpore ſtrenuus, animo fortis pariter & audax, in voluntate quidem

Attila Rex.

magnanimus, & in prœliis astutissimus, persona egregius, pectore & humeris latus, colore teter siue fuscus, intuitu austerus, barbam quidem longam deferebat. venereus quoq; admodum fuisse traditur. Attila principatu adepto, tanquã regio de germine natus omnia sui regiminis negocia serie peroptima & gloriosa composuit. Nam se expeditionemque suã armis politis præmuniuit. multa quoq; ingenia, machinas videlicet & cetera tormenta ad frangendas ciuitatum & castrorum munitiones præparare pariter & adaptare fecit. Decem præterea falcatorum curruum millia habuisse fertur, & cum his suus vbiq; exercitus muniebatur. Tabernacula quidem ac papiliones & tentoria illius iuxta diuersarũ regionum ritum & consuetudinem variis modis contexta habebat. Ex quibus vnum pro personali eiusdem residentia sericeis contextum de pannis, auroque splendenti ac lapidibus preciosis intermixtim adornatum, & tam mirifice coniunctum & solidatum fuisse traditur: vt extendentibus illud & recolligentibus faciles præberet labores. Columnæ verò eiusdem tentorii auro ductili fabrefactæ; in illarum iuncturis lapidibus adornatę preciosis fuisse dicuntur. Sua etiam maristalla, quam suis exercitualibus in expeditionibus deferebat, pro maiori parte de purpura cæterisq; sericeis pannis erat præparata. Hæc licet diuersarum regionum equorum genere sæpius fuerit repleta: nõ tamen largus princeps illorum gaudebat de pluralitate: sed illos tum principibus exercitus sui; tum vero suis militibus abundanter distribuebat in tantum, quod aliquando duos vel tres proprio equitandi pro vsu vix habebat. Sellæ quidem & cæteri equitandi apparatus multo resplendebant auro & gemmis. Mensa quoq;, tum verò coquinaria vasa aurea fuisse dicuntur. Thalamus quidẽ & stratum regale, quibus suis in expeditionibus propria vtebatur pro quiete: non sine auro gemmisq; ac cęterorum preciosorum metallorũ genere erant: in tantũ quod ambasiatores extranei illius cãpestria dum veniebant ad hospitia, eadem conspicientes, his, à quibus venerant, redeuntes mirabundi referre non valebant. Iste rex nõ tantum in his: sed & in cunctis seculi pompis abundans & gloriosus erat. Quamuis etiã seuerus fuerit peregrinis: tamen à nationibus suam propter liberalitatẽ multum diligebatur. Confluebant enim ad illum mundi de cardinibus bellum quibus curæ erat extraneæ nationes. quibus ille in magna rerum distributione liberaliter respondebat. In expeditione vero sua decies centena millia Hunorum extraneas præter nationes, qui innumerabiles erant, habere perhibetur. Et cum vnus de ipsis decies centenis millibus bello vel morte deficiebat, alter in illius locum mox dirigebatur. Nolebat enim tãtus princeps, vt suus exercitus quandocunq; eclipsin pateretur. Arma quidem tutricia Hunorum de Scythia secum apportata ex corio ferroq; desuper polito fuisse feruntur. Arcusque & sagittas ac lanceas peracutissimas ad offendendum hostem gestabant. ac clypeo vel scuto tecti: cultroq; ad femur accincti: vultu horridi: barba crinibusque indispositi, pellibus vestiti, cuncto populo terrori pariter & formidini erant. Ipse quoque Attila rex quamuis ad subiectas sibi gentes liberalis fuerit: propter innatam tamen sibi seueritatem suique intuitus austeritatem à suis nimium timebatur. Suis quoque bellicis pro insigniis tum in scuto tum in vexillo auis imaginem ad modum asturis depictam coronam in capite habentem gestari faciebat. Hæc quidem insignia per Hunos siue Hungaros vsque ad tempora ducis Geysæ filii ducis Toxon gestata fuere. Titulus autem suus hanc formam continebat: *Attila filius Bendekucz: nepos magni Nemroth: nutritus in Engadi; dei gratia rex Hunorum, Medorum, Gothorum, Danorum, metus orbis & flagellum dei.*

QVOMODO REX ATTILA BVDAM FRAtrem suum sui regni effecit participem.

CAPVT XIV.

POSTQVAM autem Attila in regiæ dignitatis gloriã sublimatus extitit; Romanaque destitit se protegere manus: ipse ATTILA sedem sibi in ciuitate Sicam-

Sicambria superius nominata elegit. Tandem ex innata sibi ambitione vicina constituit inuadere regna. Quamobrem ne ipso absente hostilis quippiam suo in dominio efficeret manus: Belam fratrem suum sibi regiminis effecit participem. & illum à flumine Titiæ vsque ad amnem Tanain super vniuersas barbaras sibi subiectas nationes principem & rectorem constituit. Post hæc suæ potentiæ fama vndique diffusa, & validis nationibus ad illum concurrentibus, prouincias circumstantes, Mesiam scilicet ac Achaiam, Macedoniam & vtramq; Thraciam inuasit. Tulerant enim hæ regiones Matrino contra Hunos auxilium, & regi Attilæ, propterea easdem quam primum inuadere curæ erat. Quibus tandem regionibus rex Attila perdomitis, & sub iugum sui principatus redactis: victor rediit Sicambriam. Hæc regis Attilæ victoria multas orbis per partes diffusa: Marcianum Romanorum & totius orientis imperatorem territauit. Nam statim postquam tantarum terrarum Attila triumpho est potitus: timuit ne eo magis sui imperii penetraret ad interiora: cum Persis, qui tunc illius fines acriter perurgebant treugas fecit. Hac etiam regis Attilæ sorte maximę partes mundi pulsatæ: multæ nationes, potissime illæ, quarum direptio rerum animi erat, sponte illi se subdiderunt. Inter quas Walmer orientalium rex Gothorum nobilissimus, Ardaricusque Gepidarum rex famosissimus: præterea Marcomani, Sueui, Sgnadi, Eruli, & Turingi populi ex innata militiæ virtute perstrenui, regi Attilæ in seruitutem pariterque & societatem sponte se dederunt.

DE MEMORABILI ET MAGNO Attilæ regis bello in campis Cathalanicis commisso.

CAPVT XV.

Rex igitur Attila tantarum superbus imperio nationum, tantarumq; viribus fretus gentium, omnia quæ cogitabat, se facile perficere posse arbitratus est. Quare, vt dictum est, in Sicambriam rediens, cunctis sui dominii principibus solennem curiam celebraturum promulgare pręcepit. Edicto igitur regio magnas circumstantium regionum per partes diuulgato: & ipsa curia multorum aduenarum nobilium aduentu tumescente: tandem Detricus de Verona, qui prius hostis erat: regis beneuolentia pariter & liberalitate auditis: cum multis Germaniæ principibus tanti regis venit in curiam: & non minus cæteris se illi exhibuit gratum & familiarem. Rex vero Attila multa liberalitate illi cæterisque principibus cum illo existentibus respondit. Cum igitur Detricus principem erga se beniuolum esse sensit: persuasit illi, vt regiones occidentales Romano imperio subditas inuaderet. Aiebat enim, quod omnium armorum essent destitutæ præsidio. & si rex illas aggrederetur, non sine magni honoris nomine exinde rediret. Quapropter rex Attila consilio Detrici ductus, ingentem mouit tum suæ tum extraneæ gentis expeditionem. Egressus tandem de Sicambria primo Illyricos dicitur inuasisse. Deinde omni pæne Germania peruagata, ac cunctis ciuitatibus & castris, quæ occurrebant, subuersis: intrauit tādem in regnum Constantiæ. vbi rex Sigismundus eiusdem terræ princeps circa Basileam magno cum exercitu illi dicitur occurrisse. Quo per regem Attilam cum omni expeditione sua contrito & fugato: post hæc dum idem rex Sigismundus ad arcendum hostem se viribus imparem vidit: Attilæ dominio cū omni sua se subdidit gente. Deinde rex Attila secus Rhenum transeundo Argentinam ciuitatem munitissimam, quam Romanorum Cęsar nullus expugnare potuisse traditur, obsedit expugnauitque. & cuncta, quæ in illa erant, diripuit, ac muros illius in multis locis diruere fecit. vt cunctis intrantibus in illam liber & sine difficultate præberetur introitus. edicens nihilominus firmissime, ne illius murus rege ipso viuente quandocunque repararetur. vt non Argentina, sed propter viarum pluralitatē quas in muro illius fecerat aperire STRASBVRG vocari deberet. Deinde amoto exercitu, Luxonium, Byzantium,

Chalom, Masticon, Ligonem, Burgundiam & Lugdunum, ciuitates munitas ac fortes, opibusq; & viro diuites expugnando diripere ac humotenus destruere fecit. Tandem per omnes Gallias discurrendo omnia euertebat. nec aliquā ciuitatem vel castellum aut oppidum à manu illius quæpiam tutari potuit munitio: sed velut sæua quædam tempestas in igne & gladio omnia consumpsit. Inter hæc ignorabat rex Attila Ethium Romanum Patricium cum innumerabilibus occidentalium nationum copiis ad Galliarum subsidium aduenisse. Tertiam ergo partem sui exercitus contra Soldanum Mirmammon denominatum, principem potentissimum, qui tunc Galliciæ dominabatur, destinauit. Quos dum Soldanus contra se venire persensit, cum esset ad committendum conflictum imparatus, de vrbe Sibilæ fugiens ante illos brachio maris, quod strictum Sibilæ dicitur, transnauato in Marochiam se recepit. Attila vero Rodano flumine tenus progrediens, & omnia demoliens: tandem vrbem Aurelianam obsedit. In cuius obsidione Patricium prædictum contra se armari gentesque conducere audiuit. Ne igitur Wissegothi, id est, Gothi occidentales in Galliis manentes, ipsi Patricio iungerentur: sibique ex hoc hostilis manus grauior fieret, timuit. Quamobrem astutia quadam amicum Gothis se simulans: ad Theodoricum illorum regem nuncios destinauit: & se cum illo amicitiam seruare velle: tantummodo cum Romanis sibi agere debere intimauit. Ethius vero Patricius in hac re Attila solertior, prius regem Theodoricū adortus est, illique antiquis Hunorum inimicitias, quas in suam gentem, in eiusdem de propriis sedibus expulsione, intulerant, reducens in memoriam: eundem ab Attilæ amicitia discindens suam contraxit in societatem. Attila autem cogitans quanto magis differret bellum tanto magis inimica manus augmentaretur: qua propter Aurelianæ ciuitatis ab obsidione suis copiis remotis, vt hostem minus promptum adoriretur: illuc vbi hostis manebat, accelerare festinabat.

In transitu autem cum quidam eremita vitæ idoneæ in montium abruptis repertus & ad ATTILAM regem adductus: quodque futura prædicere sciret accusatus fuisset: rex ATTILA illum humane suscipiens suarum rerum euentum ab illo sciscitatus est. Ille multam post taciturnitatem infesto regi dixit: *Maxime princeps, hominem ignarum diuinam cogis exprimere voluntatem. Quid putas in me esse de cælestibus, qui vermiculus sum terræ? Sed vt à potentia dei mei, quem tu ignoras, quemque persequeris, te nihil tenere aut me tibi de futuris dicere aliquid non posse arbitreris, magis vt deberem, in lingua ministerio dissolutus ad te hac verba facio.* Tandem inquit: *Deus omnipotens, qui tantarum gentium regit imperium, hac vice suæ austeritatis gladium tuas dedit in manus. Tu enim es flagellum dei. & tua seueritate à sua declinantium iusticia impietatem ipse deus corrigere voluit. accipiet tamen hunc gladium à te dum voluerit, & illum alteri tradet. Vt autem scias bello cuncta vincere non humanitatis sed diuinitatis esse potentiam, hac vice Romanis prælio inferior eris. non tamen infra tempus tibi præfixum tuis de manibus persecutionis gladius cadet; nec tuum hac vice omnino extinguetur imperium.* Stupefactus admodum rex ATTILA in eremitæ relatione; illum amouens, ac sub custodia teneri præcipiens: vniuersos aruspices & diuinatores, quos ad instar paganorum magna futurarum rerum dicendi pro spe secum deferebat, ad se vocari iussit: & illos, si eremitæ sequerentur iudicia, tentauit. Illi quidem extis pecorum vt barbarorum erat consuetudinis perspectis: aliarum etiam rerum ad id idonearum scrutiniis diligenter examinatis: dicta eremitæ approbarunt. nihilominus tamen contrariæ partis summum ducem in prœlio casurum prædixerunt.

Rex Attila cum omnium principum esset superbissimus: omnia quæ prædicta erant in se contingere, quam fugæ præsidio se & suum populum saluum efficere præoptauit. Eremita tum contubernia Attilæ, tum munera refugiente per Attilam in pace dimisso: ipse Attila cum cuncta sua expeditione Cathalanicos agros, vbi Romanus congregatus erat exercitus, deuenit, munitusque

castris

Attila Rex.

castris curruum falcatorum hostem expectabat. Sed cum Ethium Patricium multo extranearum nationum præsidio gaudere audiuit: mox illum tertiam partem sui exercitus contra Soldanum misisse pœnituit. Astutissimus princeps adinuenta occasione à Patricio sub pace fienda inducias pugnandi petebat, non vt terga verteret, sed vt dimissa sui exercitus pars interim ad illum remearet. Cognouit Patricius regis Attilæ astutiam, & inducias se daturum negauit. Ingenti enim tum Romani exercitus, tum vero extranearum nationum armata expeditione gaudebat. Antiquę enim Hungarorum historiæ cum illo decem reges occidentales cum cuncta illorum potentia fuisse tradunt. Anthoninus verò & Sigibertus præfatum Gothorum regem Theodoricum, Burgundiones quoque ac Alanos, Francos cum rege ipsorum Meraneo, Saxones, Ripariolos, Lambriones, Sarmatas, Britones, Luterianos, ac pœne omnem populum solis ad occasum manentem Ethio Patricio auxilio fuisse: Attilam vero regem cum quingentis millibus de Pannonia egressum extitisse, suis posuere in chronicis. Et quamuis ipse Attila diuinationibus prædictis admodum turbatus fuerit: tamen quia supremum ducem hostilis exercitus in prælio moriturum prædixerant: de interitu Ethii Patricii, cum ille totius Romani exercitus esset dux, cogitabat. Nam illius necem cum sibi supra omnes molestus foret permaxime optabat. Hac ergo intentione Attila etiam cum interitu sui populi bellum committere non formidabat. Conuenerunt igitur vterque hostis in campis Cathalanicis, qui in longitudine ducenta, & in latitudine septuaginta ad milliaria extendi perhibentur. Et dum sibi distarent, leuibus vsi sunt certaminibus. Tandem ventum est ad locum, vbi certamen amplius differri nequibat. Attila vero rex tum eremitæ tum diuinatorum responsa præ mente ferens: de exitu belli dubius occasionem dedit, vt hostem maturo die conueniret, vt si viri armorumque inferior esset præsidio, saltem superueniens nox illi adiutorio fieret. Quapropter aduesperascente iam die omnis multitudo vtriusque partis commota est. Concurrunt hinc inde fortissimæ nationes: bellum inchoatur asperrimum, quale vix vlla narrat historia. clamoribus tubarumque ac tympanorum resonantiis & ensium tinnitibus altus resonat aer. multa millia hominum hincinde prosternuntur. Omnisque illa campi planicies cadaueribus adeo repletur, vt necesse esset pugnantibus super occisorum corpora decertare. Tanta ibi hominum equorumque multitudo corruisse, tantusque sanguis effusus extitisse traditur, vt riuulus exigui momenti medium certaminis decurrens per campum, ex hominum equorumque occisorum cruore tantum inundationis cepisset incrementum, quod cadauera secum traheret peremptorum. Cecidit in hoc prœlio rex ille Gothorum præstantissimus Theodoricus inter fortissimos hostium cuneos interfectus. Præterea ex vtraque parte centum octoginta millia hominum per historicos, qui bello de hoc scripsere, quasi vna vocis consonantia in hoc turbine belli perisse traduntur. Et quamuis in chronicis Hungaricis Attilam victorem fuisse, cæterosque reges, qui Ethio Patricio in subsidium venerant, audita morte regis Theodorici fugisse posuerint, Sigibertus tamen ac Anthoninus, & quasi vniuersa Romanorum opera historiarum, Attilam bello inferiorem fuisse narrant. Dicunt enim Sigibertus & Anthoninus, quod cum diu æquo Marte hostem inter vtrumque pugnatum fuisset: tandem exercitus Attilæ cessisset, & se plaustrorum inter munimenta continuisset: sequenti vero die Torismundus Theodorici regis Gothorum filius, qui cum patre contra Hunos pugnaturus in subsidium Patricii venerat, patris mortem Hunorum sanguine vindicare, Attilæque castra cum suis Gothis expugnare disposuisset. Quod postquam Attilæ intonuisset, idem dum omnino de victoria iam desperaret, de equitum sellis struem componi iussisset, inquiens: *Si hostem præualere videbitis, hanc ipse struem ascendam: vosq; ignem supponite. Elegi enim potius à vobis, qui mei estis, cremari, quam hostium gladiis interire: aut captus, qui rex tantarum sum nationum, in manus Romanorum vel Gothorum deuenire, & illis ludibrio fieri.* Ethius autem

Rex.

Patricius Thorismund' voluntatis conscius, timebat, ne deleto Attilæ exercitu ipse Thorismundus victoria superbus illi, cui nunc auxilio est, hostis fieret: armaque in Romanos vertens, illos de facili opprimeret. Quapropter Thorismundo quasi de rebus sibi necessariis consulens ait: *Thorismunde, & patrem vindicare, & hostem opprimere cùm ad hæc vnanimi voto congregati simus, esset optimum. Sed cùm paterna tuaq; obsequia animum meum in bona voluntate tibi annexuerint: vellem tibi de tuis rebus admodum placentibus aliquid persuadere. Scis enim genitorem tuum iam vita esse functum, & te germanum domi habere hominem regnandi Peridoneum. Timeo igitur ne audita morte patris regnum sibi vsurpet. Tu quoque si Hunos aggrederis, qui heri vicisti (cum belli dubius sit exitus) hodie vinci poteris: & post hæc fractis viribus domesticum gerere bellum tuo germano impar eris: acerbiusque tibi cum tuis, quã cum alienis erit dimicandum. Age igitur & festina: vt potius præuenias, quam præueniaris.* Thorismundus quasi salubre & sibi necessarium Ethii amplectens consilium, ita putauit faciendum. Quo abeunte residuus Romanus exercitus simul cum auxiliariis dispersus est. Tertia quoque pars exercitus Attilæ, quę huic bello interesse non poterat, ipso viuente Pannoniam redire ausa fuit nunquam. Sed ibidem Cathalanicis in oris permansisse, & eiusdem terræ incolatum recepisse; ipsos autem Hunos, quos rex Attila contra Soldanum destinauerat, præter extraneas nationes sexaginta quinque millia fuisse: & horum quidem capitaneos ipsorum lingua Hispanos vocatos extitisse: & exinde Hispaniam nomen accepisse tradunt.

QVOMODO ATTILA REX FLAGELLVM *Dei se vocari iusserit: & de destructione Remensis ciuitatis.*

CAPVT XVI.

POst hæc rex Attila cum vidit Romanorum exercitum dilabi, maiori seueritate intumuit: arbitratusq; amplius Romanos cum illo congredi non audere dixisse fertur: *Stella cadit: tellus tremit: en ego malleus orbis.* Seque iuxta eremitæ dictum *flagellum Dei* iussit appellari. Tandem tantas belli post fatigationes in campo prœlii supradicto aliquos per dies commoratus est. deinde mouens agmina (populus enim adhuc restabat infinitus) iterũ maiori cum rabie Galliæ ciuitates aggressus est. Demum igitur ad Trecas venit, vbi sanctus Lupus erat episcopus. Hic cum Attilam appropinquare audiuit, pontificali mox indutus habitu, cum omni sui cleri cœtu illi obuiam processit. Cumque coram illo venisset & ad illum admissus fuisset, ait episcopus: *tu quis es, qui terram dissipas & cõculcas?* Cui Attila: *ego sum*, inquit, *Attila rex Hunorum, flagellum Dei.* Ad quam vocem sanctus Lupus episcopus portas ciuitatis iussit aperire. & ad regem ait: *Bene venerit flagellum domini mei.* Introduxitque illos in ciuitatem. Illi vero aut humanitate ipsius episcopi exigente: vel, vt quidam volunt, diuino obumbrante numine absque cuiuslibet offensione mediam transierũt per ciuitatem. Deinde in Tholosanam venit ciuitatem. in quam per ciues eiusdem honorifice & summa cum laude susceptus est. propter quod ciues ipsi tum in personis tumq; in rebus gratiam illius meruerunt. Post hæc Remensem ciuitatem vrbem Gallorum capitalem obsedit. Ingentem enim rex Attila hanc cõtra ciuitatem conceperat iram: propterea quod ciues eiusdem illi in Cathalanicos campos eunti vehementer restiterant. Depopulata igitur vniuersa illi circumstante regione, acri illam obsidione circumueniens: adhibitis cunctis tormentorum generibus: quæ sua ducebat expeditio, muros illius diruere faciebat. sagittariorum præterea multitudo mœnia illius densissimis sagittarum casibus inundabat: ita quod ne dum homo ibidem sui ad protectionem assistere: verum & minutissima sine vulnere auicula illac euolare non valuisset. Erat ciuitate in hac episcopus sanctæ vitæ Nicasius nomine, vir maximis insignis virtutibus: & sororem Europiam denominatam, virginem specie & forma præclaram habebat: quæ suam deo dedicauerat pudicitiam. Iste episcopus simul cũ sorore assiduis tempore

Digitized by Google

pore obsidionis vacabant orationibus. Acrius igitur Hunis ciuitatis expugnationi insistentibus: cum miseri ciues nullam salutis opem, sed tanti discriminis solam mortem esse redemptricem conspiciunt: lacrimantes cum mugitibus & suspiriis ad sanctum Dei cucurrerunt: illumque in oratione repertum his verbis pulsauere: *Subueni, pater sancte, subueni: aut consule nobis: si gentium seruituti te subiiciamus: aut pro fide proque ciuitatis salute vsque ad interemptionem decertemus.* Vir autem Dei ante hæc ex diuina reuelatione vrbem penitus subuertendam fore cognouerat. De oratione igitur eleuatus, quasi de graui somno euigilasset, ciuibus cum magna constantia ita respondit: *Indignationem hanc iusto Dei iudicio vestris sceleribus exigentibus vestra super capita prænotatam non ignoraui. quapropter flagella Dei, quæ ipsimet prouocauimus, patienter & non inuiti sub bona spe & deuotissime etiam cum mortis periculo suscipiamus: vt ipsa mors tantum corporis sit supplicium; æternæ autem vitæ fiat remedium. Attendite me pastorem vestrum. si ipse pro illo, quæ suarum me constituit pastorem ouium ad mortem paratus sum, & vos, si oues meo estis de ouili, quas cognoscit pastor, vestrum imitari pastorem non negligatis: sed parati sitis omnia quæ occurrerint pro amore Christi tolerare. sic enim fratres carissimi itur ad astra. Instantius igitur non tantum pro corporum liberatione, quantum pro animarum quas illecebrosa vita polluimus, salute, pro inimicis quoque nostris: illorum tanquam amicorum salutem optantes, oremus.* His verbis vir Dei ciues vsque ad mortem turbatos consolabatur. Nec minus sancta virgo Eutropia expansis in cælum manibus ciues ipsos ad suscipiendam instantem martyrii coronam animabat. Inter hæc Huni dissolutis ciuitatis munitionibus per ipsam ciuitatem discurrentes furibundi, omne viuens, quod illis occurrebat, gladio vastabant.

Nicasius vero episcopus simul cũ Eutropia sorore sua ad valuas basilicæ gloriosissimæ virginis Mariæ, quam idem vir Dei in arcem sedis episcopalis eiusdem ciuitatis fundauerat: hymnis & canticis spiritualibus vacantes cucurrerunt. moxque vt ferratas acies sanctus præsul vidit: manu silentium indicens ait ad illos: *O diuinæ voluntatis ministra fortitudo: quare contra naturam humanæ conditionis victoriam vestræ dignitatis seuissimam in rabiem conuertitis? Verus namque quondam nobilium bellatorum iuris titulus subscriptus erat: humilibus parcere, & debellare superbos. Ecce plebs Christiana Deo suo humilis & deuota, vestris in conspectibus prostrata, vsque ad mortem obediens veniam petit. Si enim oues meas perseuerante impietate quæritis, me primum pro ipsis victimam diuinæ maiestati libate.* His dictis: cum pater sanctus rursus ad orationem prostratus hunc versiculum diceret: *adhæsit pauimento anima mea,* continuo gladiatoris sequitur ictus, & vir Dei capite truncatur.

Non ergo ab ore decollati verbum sanctitatis destitit: sed immortalitatem, quam semper optabat, impetrauit dicens: *Viuifica me domine secundum verbum tuum.* Sancta autem virgo Eutropia videns circa se omnem impietatis illorum seueritatem mitigatam, & suam pulcritudinem quasi paganorum litibus cognoscens reseruari: malens mori potius quam illis assentire, & in illorum contubernio viuere, ad interfectorem episcopi ait: *Heu tyranne infidelis, magnum Dei virum indignis manibus iugulasti, & me tibi abutendam reseruas: propter quod diuina iam te sententia damnat.*

Et mox his dictis non feminea virtute, sed diuina vltione, saltu repentino in illum insiliens: raptis illius palpebris, oculos eius vindex euulsit: & continuo gladios persequentium in se prouocauit: ac cum fratre cæterisque sibi adhærentibus ilico palmam martyrii promeruit. Traditur etiam in quibusdam historiis, quod post completam martyrii cædem, Hunos ipsam ciuitatem depopulantes terror subitus inuasisset. vidissent enim quasi acies cęlestes dimicantes, ipsa quoque basilica horribili sonitu reboasset, propter quod ipsi Huni relictis ciuitatis spoliis aufugissent. Post hæc ipsa ciuitas diu absque homine solitaria, angelica sub custodia, simul cum martyrum corporibus permansisset,

Digitized by Google

ardentiaque luminaria in noctiũ obscuritate à remotis visa, cælestis etiam cantus harmonia audita fuisset, & tandem eiusdem vrbis ciues: qui per fugæ præsidium ipsorum seruauerant animas, remoto hoste vrbem in eandem redissent: ipsorumque martyrum corpora condignè sepeliuissent.

DE PASSIONE SANCTARVM VNDECIM millium virginum; & de Buda per Attilam fratrem suum interfecto.

CAPVT XVII.

INter hæc rex Attila quendam sui exercitus præfectum nomine Iuliũ vel Gywlam cum magna parte suæ expeditionis ad obsidionem ciuitatis Coloniensis: quæ prius Agrippina vocabatur: destinauit. Qui dum eiusdem ciuitatis vacaret in obsidione: & cœtus ille vndecim millium virginum præclarissimus, nullum sibi à sæculorum primordio habens similem, duce sancta Vrsula Britannorum regis filia, simul cum illustri duce Ethero Anglorum regis nato sponso suo, ac Cyriaco Papa, multisque aliis spiritualium & sęcularium dignitatum personis: nauigii officio, Rheni fluminis alta sulcantes, illac aduenisset: mox dictus præfectus quorundam Romanorum ductu in gentilitatis errore infectorum consilio, simul cum Hunis obsidioni dictæ ciuitatis insistentibus, ingenti cum clamore & feritatis austeritate in tam sacrum virginum collegium truculentus velut hostis irruit, omnesque vsq; ad internicionem deleuit. Harum sanctarum virginum passionem plures describunt historiæ. Et quamuis de cladis illarum tempore discordent, tamen, quia nulla Hunorum potentia præter Attilanam aliquãdo Coloniam obsedisse traditur: ob hoc hanc sanctarum virginum passionem eiusdem Attilæ regis temporibus factam fuisse admitti condignum est. Rex autem Attila post expugnationem ciuitatis Remẽsis omnem Galliam & Flandriam demoliens: deinde venit in Turingiam: ibique apud Isnacum ciuitatem pro extollentia sui nominis, ac si Romano ab exercitu suus nullum passus fuisset populus detrimentum: solennem curiam celebrauit. Ad quam nonnulli vicini principes ex assecuratione Attilæ regis confluxisse feruntur. Desiderabant enim illius vultum, qui tanto sui terrore orbem concuteret, intueri. Quos rex Attila magna cum liberalitate suscipiens: multiformibus donorum muneribus honoratos quieta sub tranquillitate remisit. Tandem super Dacos, Normannos, Frisones, Lituanos, & Prutenos: delectos capitaneos & exercitum copiosum destinauit, & eosdem suę subdi fecit ditioni. Audiuit post hæc rex Attila Romanos & Gothos rursus contra ipsum copias adunare, & armatam congregare manum. Quapropter timuit, ne post tantorũ bellorum laborem milite fesso per illos circumueniretur: relictis Galliis festinanter venit in Pannoniam. Et cum Sicambriæ demoraretur, Buda frater suus terminos sui rectoratus sibi per Attilam deputatos transgressum fuisse, & illius in absentia regnum sibi vsurpare voluisse, erga illum accusatus est. Et his rebus, id quod rex Attila suo in recessu Sicambriam, vrbem Attilæ præceperat vocari, Buda vero illã vocabulo sui nominis Budawara denominauerat: apud Attilam magna comprobatione erat. Quare ipse rex Attila eundem fratrem suum dolo circumuentum captiuauit, & propriis suis manibus occidit, cadauerque illius in Danubium demergi fecit. Quo interfecto licet ipse rex Attila instíterit, & rursus nouo sub edicto statuerit, quod ipsa Sicambriæ ciuitas non aliter; sed vrbs Attilę debeat appellari: Huni tamen siue Hungari interdictũ minus obseruantes illam Budawara vocauerunt, vocantque Obuda vsq; in hunc diem. Theutoni vero edictum regis transgredi magis formidantes, ciuitatem ipsam sicut tũc ob metum illius *Eczelburg* id est vrbs Attilæ vocauere: sic & modo illam eodem nomine vocant. Tandem rex Attila fratre interfecto Sicambriæ quinque annis quieuit. Voluit tamen, vt quicquid mundus ageret: ipse conscius fieret. Quare speculatores ad cunctas sibi necessarias partes prout suis expediebat rebus ordinasse dicitur. Quorum vna statio Coloniæ in Germania;

Vndecim millia virgines ab Attila trucidantur.

altera

Attila Rex.

altera in Lithwania: tertia iuxta fluuium Tanain: & quarta in Iadria Dalmatiæ ciuitate constitutæ erant. Et harum stationum cuilibet homines relatu digni à locis supradictis deinceps vsque ad Sicambriam continuè in tanti distantia spacii locati & constituti erant: vt dum alter eorum de nouis rebus regi referendis clamaret: propinquior illi id competenter audiret, & rursus ad alterum sibi viciniorem reclamaret: quo dum noui rumores, si qui forent, ad regem peruenirent, & rursus voluntas regia, prout illi placebat, partibus in prædictis declararetur. Præterea rege quieti dato, non ergo quiescebat cursitandi assueta Hunorum feritas, quin & contiguarum prouinciarum depopulationi dediti, maximè prouincias Mesiam, Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, & etiam vtrasque Thracias armis infestis & continuis incursibus grauabant. Quapropter non solum earūdem regionum, sed etiam Pannoniæ ciuitates per ipsos Hunos crebris insultibus fatigatæ, cum tantam nequirent continuam tolerare vexationem: iugumque dominii regis barbari exosum haberent: natali solo derelicto, ab ipsoque rege Attila licentia impetrata, dimissis armentis, solis Walachis ipsorum, qui erant pastores, sponte in Pannonia remanentibus, per mare Adriaticum in Apuliam se transtulerunt.

DE EXPVGNATIONE AQVIlegiæ ciuitatis.

CAPVT XVIII.

CVnque rex Attila onerosa post bella in Germania, Galliaque & cæteris supradictis regionibus maxime in campis Catalanicis peracta, quinquennem peregisset quietem: interea semper Romanum per exercitum insidiose sibi illata de iniuria reminiscebatur: totoque vindictam appetebat corde. Quapropter omni sui exercitus defectu tum armis hostilibus deleto, tum in partibus Catalanicis ex causa, superius memorata, remanente, in armis & nouo milite reparato, curia tandem solenni celebrata, egressus est de Pannonia per Stiriam ac Carinthiam & Dalmatiam. & has quidem regiones crudeli furore magna cum depopulatione peruadens, apud Salonam & Spaletum ciuitates mari Adriatico se coniunxit. & has quidem ciuitates contriuit diripuitque pariter & succendit. Dehinc iuxta mare progrediens Traguriam, Sardoniam, Sibinicum, Iadriam, Nonam, Sceniam, Potentiam, Polam, Chapisteriam, Terrestruiam, similiter ciuitates rebus pariter & populo non minus decoras, murisque & armis firmatas, multa præterea oppida in montibus situata demolitus est, suamque ac suorum in direptionem conuertit. & velut leo turbatus insaniens suam iniuriam à Romano susceptam exercitu, Romani populi in sanguine vindicabat. propter quod omnia quæ illi occurrebant, quasi ingentium inundatio aquarum, sui exercitus in profundum submergi faciens, tandem peruenit ad Aquilegiam.

Hæc enim ciuitas in introitu Italiæ situata, & à quodam Antenore Troianorum duce, vt PADVA, originem accepisse dicitur. Vrbs erat magna, & ob metum ATTILÆ tum vallibus tum verò muris militeque & armis admodum communita. ATTILA rex conspecta illius magnitudine: cunctisque munitionibus quasi ad resistendum sibi præparatis: totus incaluit. & suæ confusioni asscribi posse iudicans, si post tantarum ciuitatum expugnationem illam solam quasi territus intactam relinqueret. Obsedit igitur illam, & multis machinarum cæterorumque ingeniorum ad frangendum murum aptis generibus illius munitionibus adhibitis (quia ciues eiusdem illam in multo suarum tumque hostis discrimine personarum protegebant) trienni obsidione in illius vacauit expugnatione.

Et cum tantus populus tanti temporis per spaciū vniuersas circumstantes terras, maxime in rebus ad cibū necessariis spoliasset, ac omnia, quæ vicina erāt, ex longa obsidione ad instar locustarum cōsumpsisset in tantum, q; obsidentes nō

minori quam obsessi penuria laborarent: id regis Attilæ animum: vt ab illius obsidione recederet, sæpius monebat. Elatum tamen principē innata superbia à proposito desistere non sinebat. Quapropter cum vna dierum ipse rex sui exercitus cum principibus conscēsis equis ciuitatem eandem circumambularet, & muros illius, vnde sibi oportunior ciuitatem ipsam inuadendi daretur facultas, conspiceret ciconiam: quæ alto vnius turris eiusdem ciuitatis in culmine nidificauerat: pullosque procreauerat, vnum ex pullis suis rostri ministerio capere: ac ad arundinetum ipsi ciuitati propinquum deferre: & rursus post alium redire, ac in cæteris pullis suis idęm, quod in primo fecerat, facere vidit. Quo viso, rex illis qui eum comitabantur ait: *Aspicite auem futurorum præsciam. Sentit enim ciuitatem nostras per manus ruituram, & ne cum ciuibus interiret, se & pullos saluare satagens, locum mutat habitationis. Simus igitur fortes in bello, ne hæc sola ciuitas dicere valeat: quæ nulla per nos obsessa dicere valuit.* His igitur verbis rex Attila omnem sui exercitus animum ad ipsius ciuitatis expugnationem fortius irritauit. Quapropter die crastina ingens fit concursus agminum: omnique cum impetu infelix ciuitas vexatur. Ciues vero illius dum etiam post captam ciuitatē nihil aliud quam morte se redimere posse viderent: in ipsius ciuitatis & sui protectione mori malentes, mœnibus ciuitatis insistentes acriter dimicabant: & Hunos ab ingressu ciuitatis eo magis arcebant. Cunque rex Attila eo die se nihil proficere potuisse conspexit, die altera aliud genus periculi in ipsam ciuitatem excogitauit. Præcepit enim, vt omnis suæ expeditionis innumera multitudo sellas, de quatuor dumtaxat equitibus vnam afferrent, & illas iuxta muros obsessæ ciuitatis proiicerent. Fit igitur ingens sellarum congeries. cui tandem ipse rex ignem supponi mandauit. Quibus ardentibus, ciuitatis eiusdem murus ex ignis vehementia in ea parte debilitatus, & præcipiti ruinæ datus fuisse dicitur: Quibus visis, rex ipse rursus coaptato ad bellum innumerabili populo: miseram & pauitantem ciuitatem aggreditur. Perdurante quoque pugna, in ipsius ciuitatis expugnatione fessis agminibus recentia ingerebat: ex quo obsessis vniuersaliter in sui defensionem laborantibus nulla dabatur requies. Tandem fera Hunorum multitudo præualuit, intrauitque in ciuitatem, ac omne viuens, quod humanum erat, senes & iuuenes absque sexus discretione crudeliter trucidauit. Omnes insuper tantæ ciuitatis diuitias direptioni mancipando, solas feminas, quas illarum à morte redimebat pulcritudo reseruauit. Erat tunc ciuitate in eadem femina quædam, tum parentum ab ortu, tum vero fidei religione pudicitiaque nobilis: pulcritudinis vero forma non minus cunctas eiusdem ciuitatis feminas excellens, nomine Digna. Huius feminæ domus supra ripam fluuii ciuitate in eadem defluentis erat. Hæc cum audiuit, hostem solas feminas forma dignas à morte præseruare, ingemuit; & potius mori, quam carnalis ludibrii facinore tam à sæua natione contaminari præoptans, statim postquam illorum strepitum suæ domui appropinquare persensit, altiorem suæ domus in arcem conscendens, inuoluta capite & oculis, dicti fluuii in alueum pręceps se deiecit, mortuaq; ibidem expirauit.

DE ORIGINE VENETORVM.

CAPVT XIX.

HÆC regis Attilæ seueritas Venetiarum ciuitatem nostro æuo multi populi dominatricem, auri & agri possessione opulentam (vt veteres canunt historiæ) fundauit. Nam cum rex ipse Italiam aggressus toti occidenti terrori esset, Venetorum populus tempore in eodem, vt Anthoninus refert, in diœcesi, quæ Castellum dicitur, ciuitatem ædificabat. Tandem postquam regem Attilam Aquilegiam obsidione grauasse audierunt, simul cum quam pluribus Aquilegiæ ciuibus, qui sibi ante ciuitatis obsidionem de salute prouiderant, cum preciosa supellectili omnique familia ob metum Attilæ: propriis sedibus derelictis, in quandam insulam Aquilegiæ vicinam, quæ nunc vetus Venetia vocari dicitur, intrauerunt. Et cum nec ibi tutam sibi mansionem esse arbitrarentur,

rursus

Attila Rex.

rursus nauibus oneratis se ad insulam quæ *riuus altus* dicebatur, transtulerunt; seque ibi ab impetu Hunorum, quibus non erat copia nauium, illæsos permanere posse cogitantes, sibi mansiones munierunt, & ex communi prioris agri vocabulo Venetias appellauerunt. Licet quorundam fuerit opinio, Venetos de Sabaria duxisse originem: tamen quia Sabariam Latinos Longobardos inhabitasse: in illaque tam ipsis Longobardis quam cæteris nationibus scholam generalem multis philosophorum, poetarum, ac cæterarum artium dogmatibus luculenter illustratam fuisse: & illam per Alaricum quondam Gothorum regem diurna obsidione fatigatam minime tamen captam, tandem vero per regem Attilam expugnatam extitisse: & post eiusdem expugnationem per regem Attilam factam ciues illius in Italiam se transtulisse, & in ciuitate Papia iuxta flumen Ticinum fundata incolatum recepisse tradunt historiæ: ob hoc Veneti, in quantum Aquilegiæ illos comitati sunt ciues, potius Troiani, quam de Sabaria oriundi dici merentur.

DE OBTENTV ET DE DITIONE ciuitatis Rauennæ.

CAPVT XX.

Capta igitur, & incinerata, ac humotenus destructa Aquilegia ciuitate, rex Attila nondum vindictæ satur, circumstantes vrbes aggressus omnia, velut fulgur quoddam, quæque illi occurrere demolitus est. Quamprimum enim Concordiam in districtu fori Iulii situatam, dehinc in ducatu Longobardiæ Pictauiam, quæ nostra ætate Padua vocitatur: post hæc Veronam, Vincentiam, Brixiam, Cremonam, Mantuam, Pergamam & Ferrariam ciuitates magnarum abundantia rerum affluentes cœpit, & suæ subdidit ditioni. Dehinc venenoso gladio in agrum Æmilianum se ingessit; & illius ciuitates ad instar aliarum, post multarum direptionem rerum, in deditionem recepit. Tandem Rauennam ad ciuitatem appropinquauit, ipsam eadem austeritate domiturus. Erat ciuitate in hac eisdem in diebus archipræsul quidam Iohannes vocitatus, Arriana perfidia pollutus. Hic in sedis Apostolicæ pariterque fidei Christianæ contrarium, duodecim cardinales suæ sectæ imitatores constituisse; thesaurumque ingentis copiæ habuisse narratur. Archipræsul iste aduentanti regi Attilæ suo simul cum clero albis amictus stolis obuiam venit. ac illum, vt ciuitati pariter & ciuibus parceret, supplex deprecatus est: promittens nihilominus illi, si suæ adhæreret fidei, Christianosque persequeretur, quod ipse efficeret: vt rex Attila omnem Italiam ac vrbem Romanam, pariterque & Africam sine difficultate, gentisque suæ sine interitu sibi subiugaret. Rex vero Attila magis dominandi cupidine, quam vt sectam illius sequeretur permotus ad archipræsulem ita dixit: *Parcere quidem humilibus bonum est: sed ne ciues tui de consilio aut viribus, quibus nostræ pararunt obstare potentiæ glorientur; volumus, vt repagula portarum ciuitatis deponantur, nobisque in ipsam ciuitatẽ introitus pateat: & simul nostri exercitus equorum vngulæ nobis intrantibus illa conculcent.* Placuit Rauennanis ciuibus regis voluntas. Quapropter dissolutis vndique eiusdem ciuitatis portis, regem ipsum cunctumque illius exercitum ciuitatem in eandem intromiserunt. Transiuit igitur omnis Hunorum exercitus cuiusuis hominum absque offensione per ciuitatem: & ipse rex in illa suum ad beneplacitum commoratus est. Abinde moto exercitu in Liguriam transiens, Mediolanum ac Ticinum vrbes nominatissimas aggrediens contriuit: ac post in illis habitantium ciuium captiuitatem vel occisionem direptioni dedit. Nouissimè tandem tanquam humani sanguinis effusione rerumque præda satiatus: eo in loco quo Minutius fluuius Padum amnem influit statiua firmauit castra: reuoluens dietenus in mente, an Romanam deberet aggredi vrbem. Sed Alarici Gothorum regis exemplum semper præ corde præque oculis ferens, qui capta pariter & expoliata vrbe Romana, amplius non superuixit, illac ire differebat.

Parcit civitati sed humiliat cives.

Digitized by Google

DE ADVENTV LEONIS PAPAE ad Attilam regem.

CAPVT XXI.

OMnes itaque Italiæ per fines, maximè in Romana vrbe regis Attilæ perstrepuit voluntas. Quare ingens timor vniuersos inuasit. Romani ergo consultantes quid facerent, vltimatim considerata regis erga Rauennensem episcopum habita beniuolentia, Leonem papam ipsis apud eundem gratiam obtinere posse arbitrantes, illum adierunt, apud eumque hæc verba fecerunt: *Sanctissime pater diuinæ vltio iræ nostris exigentibus demeritis propinqua est: nec aliter illam præterquam per te euadere posse cogitamus. Subueni igitur ouibus tuis: pro quibus Christus sanguinem fudit, & mœstam trepidantemque præ metu vrbem ciuium illius cum occisione ne deseras incinerari. Tu solus es, qui nobis gratiam inuenire poteris: si Attilam regem pro nobis adire non recusas. Ito igitur alme pater, &, si non aliter, etiam cum nostrorum exhibitione censuum illum nobis placatum redde.* Inter hæc rex Attila magna parte sui exercitus coaptata, præficiendo illi capitaneum Zovvard de genere Zovvard oriundum: illum in Apuliam destinauit. qui omnem Apuliam, nec non Terram laboris pariter & Calabriam, vsque ad regionem & ciuitatem Catonam: olim à Catone philosopho, vt dicitur, fundatam: percursitantes demoliti sunt: magna quoque cum præda ad regem redierunt. Tandem Leo papa cum cleri multitudine multoque apparatu ecclesiastico, diuinis illum præcedentibus vexillis ad Attilam venit. Cui rex Attila obuium se præbuit. Et dum conuenerunt, dignos rex illi exhibuit honores. Equis igitur insidentes colloquio vsi sunt. Et licet petitiones apostolicæ Attilæ regi displicuerint, per omnia tamen Leo papa suam erga illum assecutus est voluntatem. & non tantum vrbi Romanæ, quin & omni Italiæ salutem reportauit. Et cum rex Attila papæ licentia data illum dimisisset, suis cunctis, qui cum ipso erant, de honore per ipsum pontifici exhibito, petitionibusque tam facile admissis stupentibus: & ipsum, cur extra solitum in papam benignitatis officio vsus fuisset, interrogantibus; Attila ita respondit: *Non ego*, inquit, *illius, qui ad me venerat, personam honoraui: alter ibi astabat vir, sacerdotali habitu amictus: forma & intuitu seuerus, venerandaque canicie perfusus: qui gladium euaginatum sua tenebat in manu, fremensque & dentibus stridens in me, nisi petita admitterem, mortem instantissimam & triste personæ meæ exitium minabatur.* Post hæc rex Attila dissolutis castris Rauennam est regressus. vbi archipræsulem Arrianorum supradictum, papæ sequens consilium, simul cum cunctis suæ sectæ sequacibus captiuare, exactisque tandem ab illis sexaginta marcarum auri millibus ipsum archipræsulem iugulare fecit. & cum cuncta post hæc sui exercitus copia ingenti mole Italicarum opum onerata, reuersus est in Pannoniam. Nondum autem Pannoniæ fines attigerat: cum eunuchus Honoriæ sororis Valentiniani imperatoris, quam dem imperator ob dotem pudicitiæ districtius seruabat, ad ipsum venit: idque vt ipsam rex Attila à fratre sibi coniugem expeteret, detulit. Rex vero Attila cum iam Italiæ fines excessisset, nec nisi fatigato exercitu rursus ad Italiam redire poterat, nuncii verbis motus ad Valentinianum imperatorem legationem misit: vtque sororem suam in coniugium simul cum imperii dimidietate sibi traderet, aut occidentale imperium rursus deuastaturus rediret, illi intimauit. quod & fecisset, si ei longior vita superfuisset.

S. Visio facta Attilæ.

DE NOVIS REGIS ATTILAE nuptiis, & de morte eiusdem.

CAPVT XXII.

REX ATTILA in Pannoniam rediens post tantorum tædium laborum Sicambria intrata: illic, licet membra multis bellorũ strepitibus affecta quietem

Attila Rex.

tem optauerint, ipseque sui regalis sceptri nomen & gloriam in altum sustulerit, & illius fama cunctas orbis per partes diffusa remotas etiam terras & regiones rigoris sui terrore concusserit: ambitiosus tamen princeps cupiditate gloriæ feruens, magnis maiora appetens se ad maxima ingeri non formidabat. Et qui iam sui imperii manum in magnas mundi partes longè lateque quasi vniuersas Europæ per regiones extenderat, vt gladius suus in Asiatico pariter & Africano agro notus esset; mare transire, ac Ægyptios, Assyrios, cæterasque illis adiacentes regiones inuadere, & suo principatui subiugare suo in animo disponebat. Aliter tamen iudicia disponunt diuina. Nam cum rex ipse plurimarum conthoralium suarum, quarum numerus non erat, contubernio contentus minimè, virginem quandam supra omnem humanam formam & pulcritudinem speciosam, vt fertur, Bactrianorum regis gnatam, cui nomen Mykolth fuit, sua ad connubia adduci fecisset: tandem gloriosis nuptiis celebratis, dum rex ipse in conuiuio vsui vini, inque thoro Veneri, suarum supra virium potentiam se exhibuisset, vtroque hoste senex fatigatus, resupinus obdormiuit. Cuius tandem de naribus sanguis egressus, in os & guttur illius ingrediens, coagulatus illum suffocauit. Mulier autem illa ad latus ipsius iacens, de somno euigilans, dum in dominum suum amplexibus vti voluisset, corpus exanime, rigidum pariter, & infrigidatum tangendo persensit: & cum pluries tactum motum non reddidisset, iuuenis puella perterrita, ingenti cum clamore magnos dissoluta in vlulatus, regis acclamabat cubicularios. Illi clamore mulieris excitati, lucernis accensis, regem ipsum exanimem repererunt. Proh dolor, gloria mundi superis disponentibus quo dirigitur calle! Rex, qui multarum fudit sanguinem gentium, ipse proprio sanguine suffocatus est. Ingens rumor omnem per Pannoniam excitatur: & ipsa Sicambria multo planctu vsque ad æthera resonabat. Sepelierunt tandem illum regiæ dignitatis cum honore: circa statuam memoratam cum Kewe, Kadycha & Bela cæterisque capitaneis supradictis. Eadem etiam nocte, qua ATTILA mortuus est, imperator Martianus tunc in vrbe Constantinopolitana commorans, sopori deditus, in somno Attilæ regis arcum fractum vidisse, ex hocque mortem illius agnouisse perhibetur. Postquam autem Huni Ticiæ applicuerunt vsque ad prœlium Keesmawr, fluxerunt anni quinque. à prœlio autem Keesmavvr vsque ad regnum Attilæ euolutus est annus vnus. Attila vero regnauit annis quadraginta quatuor. ducatum tenuit annis quinque. vixit autem centum & viginti quatuor. Post ingressum vero Hungarorum in Pannoniam septuagesimo secundo: ab incarnatione autem domini quadringentesimo quadragesimo quinto anno diem clausit extremum.

Attilas Rex moritur, aetatis 124.

DE BELLO POST MORTEM ATTILAE REgis inter filios eiusdem gesto, & de reditu Chabæ filii regis Attilæ in Scythiam.

CAPVT XXIII.

DIVVLGATO regis ATTILÆ obitu, cunctæ nationes, quarum intererat, non modico pauore perstrepuerunt. & si illius de morte dolere vel gaudere deberent, ignorabant. cum illi filiorum esset multitudo, ex quibus aliquem patre seueriorem genitoris regno potiri cogitabant. Erant tunc Sicambriæ principes Germaniæ multi regi Attilæ ob metum illius coacta seruitute alligati. inter quos Detricus de Verona excellentiam habebat non vltimam. Et cum inter filios Attilæ duo essent in locum patris: tum animi virtute, tum vero ætatis maturitate: succedere cæteris præstantiores: alter Chaba denominatus ex Honorii Græcorum imperatoris filia progenitus: alter vero Aladarius de illustri prosapia Germaniæ ducum orta domina Kremheylch vocitata susceptus: hos tum Huni, tum nationes extraneæ vnusquisque suum iuxta libitum sequebantur: quilibet illorum suam partem præponere satagens. De-

tricus vero & cęteri Germaniæ principes erga Hunos recto non erant corde. Hi Aladario tanquam ipsorum patriotæ, cum paucis Hunis adhæserant. vtque Hunos vnius animi homines scindere, ac intestinam in discordiam deducere possent, omni intentione laborabant. Nec illos ipsorum fefellit opinio. Nam vtrisque filiis regis in discordia regnantibus, Detrico suggerente ambos inter fratres ingens exorta est dissensio. Quapropter horrendum instauratur prœlium. magna tantarum agmina gentium Sicambriæ ciuitatis stricta inter mœnia necnon adiacenti illi in agro prœliantur. ingens cædes committitur. Huni quoque, qui extranearum nationum de ruina gaudebant, ad instar armatorum, qui olim draconis ex dentibus per Iasonem, dum aurei velleris pro obtentu laborasset, seminatis exorti, fraterna cæde consumpti fuisse dicuntur: perempta prius omni Germanica cæteraque extranea natione mutuo se bello deleuere.

Scribitur enim in antiquis Hungarorum chronicis, quod hoc fraternum certamen, hæc intestina tanti populi clades, vix dies per quindecim consummata fuisset, tantusque ibidem maximè extranearum nationum sanguis effusus extitisset, quod si id Theutum Hungarorum ob odium non celarent, dicere possent, vt Danubius secus Sicambriam defluens ex Germanica cęterarumque nationum cæde in ipsum decurrenti sanguine in tantum permixtus fuisset, quod neque homines, neque animalia à Sicambria deinceps vsque ad Potentianam aquam illius puram sine sanguine potare valuissent. In hoc etiam prœlio, semper Chabæ partem superiorem fuisse tradunt. Tandem ad vltimum Chaba cum suis per artem Detrici deuictus fuisse dicitur. Quapropter Chaba cum fratribus suis ætate illo iunioribus sibi adhærentibus, qui sexaginta fuisse feruntur; nec non quindecim millibus Hunorum, de ipsa cæde residuis, ad Honorium imperatorem auunculum suum in Græciam fugisse perhibetur. Quem ipse honorifice susceptum licet sui regni participem & Græciæ incolam facere voluerit; ille tamen natalis patriæ dulcedine ductus, post tredecim annos, quos in Græcia dicitur peregisse, Scythiam moraturus repetiuit. In quam, tum propter magnam illius distantiam, tum vero longæui itineris grauitate detentus, vix vnius integri anni infra reuolútionem deuenit. Adita igitur Scythia Chaba Bendegwz auum suum viuum & incolumem, multo tamen senio confectum inuenisse, & de illius consilio consortem sibi non de Scythica natione, sed de Corosmanorum Scythiæ vicina generatione duxisse fertur. Ex hac tandem vxore sua Chaba genuit filium nomine Edemen: & fratrem illus Ed. & donec superuixit, semper Pannoniæ pingui de tellure reminiscens, suæ generationi, vt rursus Pannoniam repeterent, persuadébat.

DE SICVLIS.

CAPVT XXIV.

HOS etiam præter Hunos, qui Chabam comitati sunt, tria millia virorum eadem de natione prœlio de prædicto per fugæ præsidium erepti, in Pannonia remansisse; & quam primum in campo Czyglamezew vocato sibi sedem fecisse; tandem occidentales nationes, quibus viuente Attila infesti erant, metuentes, ad Erdevvelwe confinia, videlicet Pannonicę regionis, se transtulisse, & non Hunos siue Hungaros; sed, ne illorum agnoscerentur esse residui, Siculos: ipsorum autem vocabulo *Zekel* se denominasse perhibentur. Hi Siculi, Hunorum prima fronte in Pannoniam intrantium, etiam hac nostra tempestate residui esse dubitãtur per neminem. cum in ipsorũ generatione extraneo nondum permixta sanguine, & in moribus seueriores, & in diuisione agri cæteris Hungaris multum differre videantur. Hi nondum Scythicis literis obliti, eisdem non encausti & papyri ministerio; sed in baculorum excisionis artificio dicarum ad instar, vtuntur. Hi etiam postea in gentem non modicam excrescentes, Hungaris rursus de Scythia in Pannoniam venientibus, cum de illo-

 Attila Rex.

illorum aduentu rumor ad Cosoem delatus fuisset, magno cum gaudio in Ruthenia occurrerunt. Post hæc autem Hungaris de nouo regno Pannoniæ potitis in conquestratione eiusdem, iidem Siculi eandem ipsius regni, quam antea propriis pro sedibus elegerant, Hungaris volentibus partem sortiti fuere. Isti Siculi Chaban in Græcia periisse putarunt. Nam & nunc vulgus illorum ad suū alterum viam capescentem derisorie dicere solet: *Tunc redeas dum Chaba de Græcia reuertetur.* Chaba vero legitimus Attilæ fuit filius, vt dictum est: ex filia Honorii Græcorum imperatoris generatus. Et cum rediens in Scythiam nobilitate genitricis suæ se in communi extolleret, Hunorum nobilitas illum spernendo contemptui habebat. & illi id, quod non esset verus Scythiæ alumnus, sed quasi permixto de sanguine natus obiiciebat: & nec minus Scythis Chabam generatione de aliena consortem sibi duxisse opprobrio erat. Cum autem Hungari rursus Pannoniæ solum repetierunt filium Chabæ in Scythia remansisse: Edemen vero fratrem eiusdem magna cum familia Hungaros vsque ad Pannoniam comitatum fuisse, & ex illo Abæ generationem processisse tradunt. Sed haud dignam huic traditioni decet adhibere fidem: potissimè, quia Hungari post Attilæ mortem tantis annorum curriculis euolutis rursus in Pannoniam venisse perhibentur. quod æuum nepotis illius tantá ad tempora durare potuisset minime. Fidelium tamen lectorum arbitrium detinet nemo. si id quispiam fieri posse iudicat: propria, vt vult, vtatur voluntate. Postquam autem tanti populi multitudinem mutuus in discordiam deductus gladius aut deleuit aut dispersit, Pannonicus ager tantæ humanæ cædis post cruentationem habitus exosus: longa per tempora sine rege stetisse dicitur. Cum autem Hungari rursus in Pannoniam redierunt: quendam principem nomine Swathepolug filium Marothy natione Polonum, Bulgaris, Messianis, tumque in Pannonia ab Attila tanquam optimo leone domitis, regionibus imperitantem repererunt. Hunc variorum exhibitione munerum (vt series infra scriptæ historiæ plenius exprimet) allectum pariter & exploratum Hungari subita irruptione in quodam oppido circa pontem Boni, cuius antiqualia hunc vsque in diem durant, circumuentum, omni suæ militiæ cum virtute deleuisse perhibentur. Voluere tamen nonnulli, quod Hungari in secundo ipsorum introitu, non Zwathepalug, sed Marotum patrem illius in Pannonia inuenissent dominantem. Hos eorum opinio haud fallit. Nam cum filius sene patre militari virtute præstantior esset; ipse Marothus vltima suæ ætatis parte laborans, omne sui principatus pondus filio velut viro bellicum ad onus habiliori concesserat. Iste Marothus eadem tempestate in castro Wezprein denominato morabatur. Qui cum filium viribus Hungarorum pariter & morti simul cum cuncto suo populo succubuisse audiuit; vehementi præ dolore vita excessit.

Finit prima pars chronicæ Hungarorum.

INCIPIT PROLOGVS IN SECVNDAM PARTEM CHRONICÆ HVNGARORVM.

Digestis in prima parte operis huius Hunorum siue Hungarorum generationis exordiis; felicibusque & sinistris eorundem præliis: quotiensque loca mutauerint; quique finis primi eorundem regni obtigit: nunc videndum est, quo tempore rursus in Pannoniam redierint; & qui redeuntium fuerint capitanei: ac quantus numerus armorum in exercitu illorum fuerit: & qualiter de nouo Pannonico potiti agro in illo regnent hunc vsque in diem.

Digitized by Google

VII. Capitanei.

NARRATIO SECVNDAE PARTIS CHRONICAE HVNGARORVM RVRSVS IN PANNONIAM REDEuntium: deq; capitaneorum ducum & regum illorum sese subsequentium vita & gestis.

CAPVT I.

Porro Eleud filius Vgek ex filia Enodbilii in Scythia genuit filium; quem ex euentu Almum denominauit. Nam mater illius, dum esset grauida, vidit in somnis auem quandam in forma asturis ad se venire: suoque in gremio caput reclinare: quodque ex vtero illius torrens persplendidissimus ortus fuisset: decurrensque in terra aliena extitisset multiplicatus: quod & factum est. Nam postea de lumbis eius gloriosi reges propagati sunt. Qui postmodum in terra aliena, hac in Pannonia, ingentem populorum super multitudinem summa cum gloria regnauere. Quia autem somnium Hungarico idiomate *aloin* dicitur; & illius natiuitas per somnium fuit praenosticata; ideo ipse vocatus fuit Almus. Qui fuit Vgek; qui fuit Ed; qui fuit Ethele siue Attila; qui fuit Bendekum; qui fuit Turda; qui fuit Scemen; qui fuit Ethei: qui fuit Opos; qui fuit Chadicha; qui fuit Berend; qui fuit Sulthan; qui fuit Bulchu; qui fuit Bolug; qui fuit Zambur; qui fuit Zamur; qui fuit Leel: qui fuit Leuente; qui fuit Kulche; qui fuit Ompud; qui fuit Miske; qui fuit Mike; qui fuit Bezter; qui fuit Rudli; qui fuit Chanad; qui fuit Bukem; qui fuit Bondofard; qui fuit Tarkans; qui fuit Othmar; qui fuit Radar; qui fuit Beler; qui fuit Kear; qui fuit Keue; qui fuit Keled; qui fuit Dama; qui fuit Bor; qui fuit Hunor; qui fuit Nemroth; qui fuit Chus; qui fuit Cham; qui fuit Abae. Almus tandem genuit Arpad; Arpad genuit Zoltan; Zoltan genuit Toxun. Anno igitur ab incarnatione domini IESV Christi septingentesimo quadragesimo quarto, à morte vero Attilae regis anno trecentesimo primo, vulgariter *Magyari* siue Huni; latine vero Hungari tempore Constantini quinti imperatoris, & Zachariae papae denuò ingressi sunt Pannoniam. Transeuntes igitur per regnum Bessorum alborum, Cumanorum, Susdalium & ciuitatem Rio nominatam; deinde transierunt Alpes in quandam prouinciam: vbi viderunt aquilas innumerabiles: & ibi propter aquilas easdem manere nõ potuerunt: quia de arboribus tanquam muscae descendebant aquilae: & consumebant deuorando pecora eorum & equos. Volebat enim Deus, vt citius descenderent in Pannoniam. Exinde montes transcenderunt per tres menses. tandem deuenerunt iu confinium regni Pannoniae: ad terram, quae nunc Erdel vocitatur: inuitis gentibus memoratis.

DE SEPTEM CAPITANEIS HVNGArorum: & de septem castris eorundem.

CAPVT II.

Cvnque terram in eandem descendissent; irruptionem circumadiacentium gentium formidantes; vniuersum coetum armorum, quem ducebant, in septem exercitus diuiserunt. & vnicuique exercitui capitaneum specialem praeficientes, centurionesque ac decanos more solito constituerunt. & vnusquisque exercitus triginta millia virorum armatorum, nec non octingentos quinquaginta septem continebat. Nam in secundo eorundem de Scythia egressu de centum & octo tribubus ducenta & sedecim millia, de vnaquaque scilicet tribu duo millia armatorum; excepto familiae numero, eduxisse perhibentur. Et his quidem septem capitaneis ac singulis exercitibus eorundem ductui deputatis; pro conseruandis vxoribus & rebus ipsorum septem castra terrea praepararunt. in quibus tandem castris aliquandiu permanserunt. & exhinc secutum est, quod pars terrae eadem à Theutonis *Sibenburg*, id est, septem castra, vocatur vsque in hunc diem.

DE PRI-

DE PRIMO CAPITANEO, AC DE Albo equo, nec non sella, & freno deauratis.

CAPVT III.

FVERAT autē ex istis capitaneis ditior & potentior Arpad; filius Almi; filii Eleud; filii Vgeg. Huius autem pater Almus in patria Erdeleu occisus est. nō enim potuit in Pannoniam introire. In Erdeleu igitur quieuerunt, & pecora sua recreauerunt. Audientes autem terræ vtilitatem de habitatoribus, quod optimus fluuius esset Danubius, & melior terra in mundo non esset partibus illis, accepto communi consilio, miserunt nuncium nomine Kusid, filium Kund, vt iret, & totam terram prospiceret; habitatoresq; terræ agnosceret. Cum ergo Kusid venisset in medium Hungariæ; & circa partes Danubii descendisset; vidit locum amœnum; & circumquaq; terram bonam ac fertilem; fluuium bonum & pratosum: placuit ei. Deinde venit ad ducem prouinciæ, qui regnabat post Attilam vocatum Zvvatapolug: salutauitque eum de suis, & causam, pro qua venerat, manifestauit. Hæc audiens Zvvatapolug gauisus est gaudio magno. Putabat enim illos esse rusticos, & venire vt terram eius colerent. propter hoc nuncium delicatum remisit. Kusid autem de aqua Danubii lagenam implens, & herbam periarum ponens in vtrem, & de terra nigri sabuli accipiens, ad suos reuersus est. Cumq; narrasset omnia, quæ audierat & viderat, valde placuit eis. & lagenam aquæ, terram, & herbam eis præsentauit. De quibus ipsi sapiendo bene cognouerunt terram optimam esse, & aquam habere dulcem, & pratum cum herbis fœnilibus: quæ nuncius eis recitauit. Arpad verò cum suis de aqua Danubii cornu implens, ante omnes Hungaros super illo cornu omnipotentis dei clementiam rogauit, vt dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis his verbis, omnes Hungari clamauerunt, *deus, deus, deus*, tribus vicibus. & ibi inuentus est vsus iste, & seruatur apud Hungaros vsq; modo. Deinde communi consilio ad prædictum ducem eundem nuncium miserunt: & ei equum album magnum cum sella deaurata auro Arabiæ, & freno deaurato miserunt pro terra sua. Quo viso dux ipse magis gauisus putabat, quod ei pro terra quadam hospitalarii misissent. Nuncius ergo impetrauit ibi à duce terrā, herbam, & aquam.

Dux verò subridens ait: habeant quantumcunque volunt pro hoc munere. & sic nuncius ad suos reuersus est. Arpad autem interim cum septem ducibus Pannoniam intrauit: non sicut hospites sed sicut terram iure hæreditario possidentes. Tunc nuncium alium ad ducem miserunt, & ei hanc legationem mandauerunt. *Arpad cum suis tibi dicit, quod super istam terram, quam à te emerunt diutius nullo modo stes: quia terram tuam cum equo emerunt, herbam cum freno, aquam cum sella. & tu propter emphyteusim, id est, inopiam & cupiditatem, terram, herbam & aquam concessisti.* Cumque duci dicta esset legatio subridens dixit: *equum illum malleo ligneo interficiam, frenum autem in pratum proiiciam, sellam vero deauratam in aquam Danubii abiiciam.* Cui nuncius: *& inde domine quid damni habebunt? si equum interficis, canibus suis victualia dabis: si frenum in herbam proiicies: homines sui, qui fœnum falcant, aurum freni inuenient. si vero sellam in Danubium abiicis, piscatores illius aurum sellæ super litus exponent atque domum reportabunt. Si ergo terram, herbam & aquam habent, totum habent.* Dux ergo ille his auditis exercitum cito congregauit, timens Hungaros, & auxilium ab amicis impetrauit, & omnibus coadunatis eis obuiam venit.

Illi autem interea prope Danubium peruenerunt: & in campo pulcherrimo summo diluculo pugnam inierunt. Fuit autem auxiliū domini cum Hungaris: à quorum facie dux sæpe dictus se in fugam conuertit: persecuti suntque eum Hungari vsque ad Danubium, & ibi præ timore in Danubium se iactauit: in quo præ aquarum vehementia suffocatur. Retradit autem dominus HVNGARIS Pannoniam: sicut tradiderat filiis Israhel tempo-

VII. Capitanei.

re Moysi terram Seon regis Amorrhæorũ, & omnia regna Chanaan in hæreditatem. Dum ergo capitaneus iste Arpad vteretur speciali quadam dignitate in Scythia, & hanc haberet ipsa generatio consuetudinem Scythicam legitimam & probatam: vt vnus in expeditione gradientibus debeat anteire, in redeundo vero retrocedere: ipse pro eo alios capitaneos Pannoniam adeuntes fertur præcessisse. eoque Zvvatapolug, vt superius dictum est, debellato & occiso Arpad cum cæteris Hungaris castra fixit in monte Noæ prope Albam: & ille locus est primus, quem Arpad sibi elegit in Pannonia: vnde & ciuitas Alba per sanctum regem Stephanum, qui de ipso processit, fundata est ibi prope.

DE SECVNDO CAPITANEO.

CAPVT IV.

ZOBOLCH vero alius capitaneus, vnde Chaack oritur generatio, descendisse dicitur in ipso campo & loco, vbi Chaknara nunc iacet dissoluta. Illud enim castrum Zobolch fundauit capitaneus: quod postmodum Chak ipso mortuo suo nomine à suis cognatis & familia iussit appellari. Primo quidẽ Zobolch dicebatur. Illud etiam castrum temporibus Andreę, Belæ, & Leuentæ filiorum Zaar Ladislai per commune consilium Hungarorum est confractum.

DE TERTIO CAPITANEO.

CAPVT V.

TERTIVS vero capitaneus Gyula fuit: vnde Gyula filius Ladislai deriuatur. Eratq; iste Gyula dux magnus & potens, qui ciuitatem magnam in Erdeleu in venatione sua inuenerat: quæ iam pridem à Romanis constructa fuerat. Habebatq; filiam nomine Sarolt pulcerrimam. de cuius pulcritudine ꝓuinciales duces diutius loquebantur: quam Geysa dux consilio & auxilio Beliud, qui terram Kulam possederat, duxit in vxorem legitimam. Isti Beliud Kulã dedit filiam suam, vt contra fratrem suum Keam bellaret: & post obitum suum terram suam idem Beliud hereditauit. Tandem cum Gyula Hungaris in Pannonia habitantibus infestus esset, & multipliciter molestus, per sanctum Stephanum regem in Pannoniam est deductus: non tamen iste Gyula capitaneus: sed ab illo tertius.

DE QVARTO CAPITANEO.

CAPVT VI.

QVARTI siquidem capitanei vocabulum fuerat Cund: cuius filius Kusid & Cupan: qui prope Nyr fixere sua castra, ibique post baptismum monasterium fundauere.

DE QVINTO CAPITANEO.

CAPVT VII.

SED quintus Leel est nominatus. qui Messianos scilicet Bohemicos de partibus Golgatæ expulit: ibiq; diutius castrametatus fuisse perhibetur. Ex isto quidem Zuard oritur generatio siue prosapia & origo.

DE SEXTO CAPITANEO.

CAPVT VIII.

SEXTVS capitaneus Verbulchu nomen habuit: qui circa Palatinum sua tabernacula fixisse probatur.

DE SEPTIMO CAPITANEO.

CAPVT IX.

SEPTIMVS capitaneus Vrs dicitur. Istius siquidem generatio circa Seyo locum habebat. Aliæ verò generationes, quæ genere sunt istis pares & consimiles, acceperunt sibi locum & descensum ad eorum beneplacitum. Cum igitur

VII. Capitanei.

tiir codices quidam contineant, quod isti capitanei septem Pannoniam introierint, & Hungaria ex ipsis solis edita sit ac plantata: vnde ergo venit generatio Akus, Bor, Abæ, aliorumq; nobilium Hungarorum: cum omnes isti non hospites, sed de Scythia descenderunt? Assignant enim hanc rationem solam, quam vulgus dicit, VII. Hungaros. Si ergo septem soli sunt Hungari cum familia & non plures familiæ, vxores, filii, filiæ, accipi possunt serui & ancillæ. Nunquid enim cum tali familia regna possunt expugnari? absit. Accidit autem temporibus ducis Toxun Hungarorum exercitum versus Galliam pro accipiendis spoliis ascendisse. Qui cum in reditu Rheno transmeato, diuisi essent in tres partes, duæ sine honore, vna cum honore in Hungariam descendebant. quam dux Saxoniæ apud Isnacam Turingiæ ciuitatem demptis VII. Hungaris interfecit. Septem autem ex ipsis reseruatis, amputatis auribus misit in Pannoniam: *Ite*, inquit, *ad vestros Hungaros taliter enarrantes*: *vt amplius non veniant in hunc locū tormentorum.* Duæ vero partes, quæ iam Sueuiam introierant, audito, quod acciderat eorum sociis & cognatis, dimiserunt spolia accipere in Sueuia: & quidquid eis occurrit à flumine Illyrici vsq; flumen Saat siue Leytah occiderunt ab homine vsq; ad pecus. Hungaris autem VII. siue auribus, pro eo quod viui redierunt, & se occidi cum sociis non elegerunt, communitas pœnalem sententiam dedisse perhibetur. Nam omnia quæ habebant, amiserunt tam in re stabili quam mobili. & ab vxoribus & pueris illos separantes, pedites sine calceis proprium nil habere permiserunt. sēper etiam in simul de tabernaculo in tabernaculum mendicando vsq; dum viuerent ire compulerunt. Qui quidem septem ob offensam huiusmodi *Margyorkak* & *Gyoz* siue *Lazari* sunt vocati. Ex istis itaque sic damnatis vulgus dicit, non de septem capitaneis istis primis. Præterea cum sit quodammodo proprium mundanorum, arrogantiæ plausum plus de se assumere quam ex alienis componere: ideo isti capitanei septem: de seipsis cātilenas fecerunt inter se decantari ob plausum secularem & diuulgationem sui nominis: vt quasi eorum posteritas his auditis, inter vicinos & amicos iactare arrogantia se valerent. Constat itaque non tantum septem capitaneos Pannoniam conquestrasse: sed etiam alios nobiles, qui de Scythia descenderunt. Vnū in ipsis venerari potest nomen dignitatis plus aliis & potentiæ: nobilitatis vero ęqualiter. Cum ergo quidam sint hospites ipso tempore nobilitate pares Hungaris: inquirendum est, quare istud esse habuit: cum Hungari numero ad implendam Pannoniam sufficissent. Geycha namque dux inter alios diuino prę-monitus oraculo conuertere cepit Hungarorum gentem ad fidem Christianā. & dum monitu illos conuertere non posset, paganorū ritibus deditos & intentos, oportebat quosdam armis edomare. ad quod faciendum quia plures fuere fidei repugnantes quam adhærentes; necessarium habuit desiderium suum diuulgare regibus & principibus Christianis. Quo audito, huiusmodi desiderio non solum iuuamen transmiserunt? sed etiam personaliter adierunt: quibus fuerat Hungarorum crudelitas nociua ac exosa.

DE PLVRIBVS GENERATIONIbus postmodum regnum Hungariæ intrantibus. & primo de generatione Tata.

CAPVT X.

INTRAVIT ergo primo Deodatus de comitibus sancti Seuerini de Apulia: qui fundator extitit monasterii de Tata & parator. Iste etiam cum sancto Adalberto Pragensi episcopo sanctum regem Stephanum baptizauit. Cuius quidem monasterii nomen pro eo Tata appellatur: quia cum beatus rex Stephanus ipsius nomen ob reuerentiam non exprimeret, sed eum TATA appellaret: abolitum est nomen Deodati, & TATA extitit vocatus: vnde etiam ipsius monasterium taliter est vocatum. Huius quidem generatio in Pannonia non habetur. quia quamuis vxorem habuisset, tamen sine hæredibus finiuit vitam suam.

Digitized by Google

Generationes quorundam.

DE GENERATIONE FILIORVM Hederich.

CAPVT XI.

POST hæc de Almania Volphgerus cum fratre suo Hedrico de comitibus Hemburg ortus, cum trecentis dextrariis phaleratis introiuit. Cui dux Geycha montē Kiscen & insulam Danubii circa Iaurinum dedit pro descensu ęterno: vbi castrum ligneum faciens, fecit quoq; in eodem monte cœnobium: vbi & est tumulatus. De istis Hedrici generatio deriuatur.

DE GENERATIONE VVENCZELLINI de Almania.

CAPVT XII.

ASCENDIT quoq; de Bauaria Wencellinus, videlicet de Vazunburg. qui cū sancto Stephano in Symigio Cupan ducem interfecit. capitaneus enim exercitus extitit illo die. Ex istis Iako nascitur principium & origo.

DE GENERATIONE HVNT ET PAZNAN.

CAPVT XIII.

ADIERVNT etiam istis diebus Hunt & Paznan. qui sanctum Stephanum regem in flumine Garam gladio Theutonico more accinxerunt. Istorum quoque generatio ab istis nominibus distare non videtur. Istorum itaque comitum dux Geycha cum sancto rege Stephano filio suo fretus auxilio, & diuino potius: quosdam rebelles armorum terroribus, nonnullos voluntariè conuerterunt ad baptismum. Quos quidem comites tam dux Geycha quam filius suus latis & amplis hæreditatibus pro ipsorum seruitiis ditauere, prout apparet nunc manifeste. Qui quidem temporis in processu Hungaris per contractus matrimoniorum sunt immixti. Istorum etiam consilio & auxilio super Hungaros rex est constitutus, pluresque nobiles Hungari duci Cupan adhærentes baptismum fidemque respuentes ad turpia seruitia sunt detrusi. In illis namq; rebus gerendis iudicatus erat nobilior, qui fidei Christi citius adhæsisset.

DE GENERATIONE POTH.

CAPVT XIV.

POTH vero generatio à Conrardo de Aldenburg deriuatur. Qui temporib. regis Salomonis filii Andreæ regis venit in Pannoniā. Hic Hernistus est vocatus. sed propterea Poth fuit appellatus, quia internuncius erat inter imperatorem Conrardum & Andream ac Salomonem reges. *Poth* enim Theutonicè Latinè nuncius sonat.

DE GENERATIONE MERSAE ET GREGORII.

CAPVT XV.

MERSÆ autem & Gregorii generatio de Francia est ex consanguinitate Guillermi dicti Comes. Kyquini quidem & Renoldi origo est de Hispania: cum regina Margaritha coniuge Belæ regis filii Zaar Ladislai Pannoniam adeuntium. Hic enim Bela primo vxorem de Polonia habuit.

DE GENERATIONE GVTHKELED.

CAPVT XVI.

DE generatione autem Guthkeled plura enarrantur: sed pro certo per Petrum regem dum idem fugit ad Heinricum Cæsarem in adiutorium sunt ei adducti de castro Sthoph. sunt exorti de Sueuia, vnde imperator Federicus ortum habet. Ista enim generatio de primatibus Sueuiæ extitit. Pauperes enim sunt hæreditatibus, sed probi & valentes sunt in patria memorata. Istius siquidem Guthkeled generatio temporibus Salomonis regis, Ladislai & Geychæ ducum

Digitized by Google

ducum extitit exaltata. Nam tunc ipsa generatio in duas partes diuisa fuit. Quidam ducibus adhærebant, quidam vero Salomoni: & specialiter Wyd: quem Salomon exaltasse perhibetur super alios de generatione supradicta. *Generationes quorundam.*

DE GENERATIONE OLIVERII & Ratoldi.

CAPVT XVII.

POST hæc intrant Oliuerius & Ratoldus tempore regis Colomani, qui de regno Apulorum de Caserta ortum habent. Illi vero de Sambuck de comitibus Campaniæ ex Francia oriuntur.

DE GENERATIONE HERMANNI de Almania.

CAPVT XVIII.

HERMANNI etiam generatio cum regina Keisla introiuit: liberi homines sunt de Nuremburg, hæreditatibus pauperes.

DE GENERATIONE BVZAD.

CAPVT XIX.

DE generatione quidem Buzad est dicendum. Huius enim generatio per regem Stephanum filium secundi Belæ in Hungariam adducitur in adiutorium regis memorati. Ex comitibus enim Orlamundi fuit. Primitus enim qui venit, Hadolch est vocatus, cuiusq; filius similiter Hadolch & Arnoldus. Ex istis origo procedit Buzadbani. Hic enim Hadolch exprimi non potuit. sed paralogizando Hoholt dicitur. Generatio quidem Chaak cum aliis quibusdam generationibus conspirauerunt contra istum regem. quas per Hoholdum & suam militiam, quam cum ipso adduxerat, dicitur contriuisse.

DE GENERATIONE KELED.

CAPVT XX.

STEPHANI, Ladislai & Gregorii filiorũ Keled prosapia de prouincia Meisnensi ortũ habet. Stephanus enim filius fuit sororis Meisnensis Marchionis filii comitis de Herfold: qui occiso Turingiæ Lãthgrauio in Frãgkfurt in solẽni curia, vbi imperator eligi debuit per eum ac per alios, dũ reoccidendi sententia per Almaniæ principes contra ipsum lata esset: diebꝰ Geychæ regis filii secundi Belæ descendit in Pannoniã, cum dextrariis phaleratis sexaginta, & à rege prædicto receptus solenniter optimis & latis possessionibus inuestitur. prout patet ipso in Meisnensem regionem proscriptionis pœnam intrante. Eorum vero, qui dicuntur de Bobocha, de Samberg descendit in Pannoniam generatio.

DE GENERATIONE SIMONIS & Michaelis.

CAPVT XXI.

SIMONIS autem & fratris eius Michaelis generatio quidem Mottundorff nominatur, & temporibus Andreæ regis filii Belæ tertii descendit de Hispania. Castra quidem multa habet in Hispania illa generatio. ex quibus vnum, quod melius est, Boioth dicitur. Huius quidem Simonis auus dum cum rege Aragonum annis pluribus contendisset: tandem per eundem regem captiuatus in carcerẽ detruditur. Quod Simon comes & Bertramꝰ formidantes cũ secunda vxore prefati regis Andreę, quę fuerat de Cãpania in Hungariã intrauerunt. In Hispania quidem nulla generatio in scuto suo aquilam ferre audet, nisi Simon & Michael: ea propter, quod exercitum Soldani de Tunisio, qui Maioricam & Minoricam in siluas per naues intrando & classes occupauerant: cæteris militibus regis Aragoniæ deficientibus eorum generatio fertur ex-

Digitized by Google

Generationes quorundam.

expuliſſe. Vnde regis & communitatis militiæ decreto eſt ſtatutum, vt priori ſigno, quod fuerat totum rubeum, ſine aliqua expreſſa figura in aquilam mutaretur.

DE INTROITV DIVERSARVM nationum in Hungariam.

CAPVT XXII.

PRÆTEREA intrauerunt Hungariã tam tẽpore regis Geychę & ſancti regis Stephani, quam diebus regum aliorum Bohemi, Poloni, Græci, Hiſpani, Hiſmahelitæ ſeu Saraceni, Beſſi, Armeni, Saxones, Turingi, Miſnenſes, & Rhenenſes, Cumani & Latini; qui diutius in regno commorando, quamuis illorum generatio neſciatur, per matrimoniorum diuerſorum contractus Hungaris immixti nobilitatem pariter & deſcenſum ſunt adepti.

DE CONTINVATIONE narrationis.

CAPVT XXIII.

POSTQVAM autem Zvvatapolug per Hungaros, vt ſuperius dicitur, eſt necatus, & Hungari deſcenderunt in Pannoniam: per ſex annos eorum arma & equos meliorare curauerunt. Anno igitur ſeptimo Morauiam & Bohemiã, in quibus eo tempore dux Vratiſlaus regnare videbatur, crudeliter ſpoliauerunt. Exinde cum victoria redeuntes, treugis ordinatis cum præfato duce vno anno quieuerunt. Poſt hęc Carinthiam hoſtiliter adeuntes vltra caſtrum Leopach dux Morauiæ Gothfridus nominatus, & dux Carinthiæ Eberhardus, nec non Gregorius Aquilegiæ patriarcha ipſis occurrentes in ſimul atrociter pugnauerunt. Et quamuis ex Hungaris plures ibi cecidiſſent; tamen ambos duces Hungari occiderunt; patriarcha tantum per fugam euadente. Abinde ſpoliata Carinthia, Corniola & Stiria, cum maxima præda ſunt reuerſi. Cæſar igitur Conradus audiens, quod Hungari imperii ſui confinia intraſſent; duceſq; memoratos occidiſſent; decreuit venire in Hungariam. Et cum exiſſet de Italia, veniſſetq; Auguſtam Sueuiæ ciuitatem, vt deinde in Pannoniam, inuaſurus Hungaros, deſcenderet, inter Romanos bellum generatum eſt interea inteſtinum. propter quod ipſum retrocedere oportebat. Inter hæc Hungari immobiliter annis tribus ad nullas partes perrexerunt.

DE HVNGARIS BVLGARIAM vaſtantibus.

CAPVT XXIV.

ANNO autem quarto Hungari Bulgariam inuaſerunt, & ex ea theſaurum & armenta innumerabilia abduxere: caſtra ipſorum occupantes & ciuitates eorum deſtruentes, quæ domino concedente & nunc habent & poſſidet. Poſtquam autem memorata regna deuicerunt, per forum Iulii vſq; in Marchiam Longobardiæ intrauerunt. vbi ciuitatem Paduam igne ac gladio conſumpſerunt. Ex hinc intrantes Lombardiam Linthar Vercellinæ ciuitatis epiſcopũ imperatoris Caroli conſiliarium fideliſſimum occidẽtes, ex ipſius eccleſia theſaurum maximum rapuerunt; totamque pæne Lombardiam ſpoliantes, cum maximo ſpolio in Pannoniam cum victoria redierunt. Poſt hæc decem annis repauſantes, anno vndecimo Saxoniam, Turingiam, Sueuiam Francoſq; orientales & Burgundos demoliti, in confiniis Bauariæ vltra caſtrum Abah citra Danubium Alemannorũ exercitus ipſos in reditu oneratos inuaſerunt ex abrupto. quos Hungari in fugam turpiter conuerterunt, cæſis multis millibus ex eiſdem.

In quo quidem conflictu ex Hungaris tria millia virorum perierunt: qui vero euaſerunt, ad propria redeuntes, annis ſedecim immobiliter in Hungaria permanſerunt.

Digitized by Google

DE MORTE LEEL ET BVLchu capitaneorum.

CAPVT XXV.

REGNANTE vero per Alemanniam Conrado primo, decimooctauo anno Hungari egressi quibusdam partibus Theutoniæ deuastatis, cum ad vrbem Augustam peruenissent, Vlrico episcopo cum ciuibus & Sueuiæ primatibus resistentibus, tandem cum Hungari eandem obsiderent ciuitatem obstinati nolentes de vrbe recedere; missis nunciis ad Conradum memoratum vt celeriter vrbanis succurreret, idē non omisit venire. Hungaris igitur se incaute circa obsidionem ciuitatis gerentibus, Alemannicus & Italicus exercitus illos inuasit ex abrupto: vt si fugere voluissent, non potuissent; ex vna parte fluuio, qui illis diebus per canales mirabiliter inundauerat, impedimentum faciente; ab altera vero exercitibus prædictis circumuallantibus, sicut muris, illosq; constringentibus. Sic itaq; arctati ab hostibus quidam captiuati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco Leel & Bulchu illustres capitanei captiuati sunt, & ducti ad Cæsarem. Quos cum Cæsar requireret, quare Christianis essent sic crudeles, dicunt: *Nos sumus vltio summi Dei, ab ipso vobis in flagellum destinati. Tunc enim per vos captiuamur & occidimur; cum persequi vos cessamus.* Quibus imperator: *Eligite vobis mortem qualem vultis.* Cui Leel ait: *Afferatur mihi tuba mea: cum qua primum buccinans postea tibi respondebo.* Allataq; est ei tuba. & appropians Cæsari, cum se ingereret ad buccinandum, ipsum Cæsarem sic fortiter in fronte cum tuba fertur percussisse; vt illo solo ictu imperator moreretur. Dixitque ei: *tu præibis ante me: mihiq; in alio seculo eris seruiturus.* Est namque fides Scythicorū; vt quoscunque viuentes occiderent, in alio seculo ipsis seruire teneantur. Detentique sunt sine mora, & Ratisponæ patibulo suffocati. Alius autem exercitus Hungarorum, in quo erant bene virorum armatorum quadraginta millia, castrametatus est longe ab Augusta ciuitate, qui sentientes socios suos tam crudeliter arctari, captiuari & occidi; seorsum in quandam siluam se receperunt, expectantes, vt se ab inuicem imperatoris exercitus separaret. Et dum maior pars Cæsaris exercitus iret versus Rhenum, Hungari in campo quodam illos inuadentes sagittis primitus illorum equos occiderunt: tota die ipsos nec descendere, nec quoquam fugere permittendo. Tandem vero dum se mouere non possent, captiuari se dederunt. cum quibus socios suos Ratisponæ detentos redemerunt.

Ipsi vero exinde reuersi tali fortuna eis occurrente monasterium de Vlta combusserunt. vbi multum de auro haurientes, abinde Rheno transpassato Lotharingensem ducatum igne & gladio vastauerunt. Vbi circa Strasburg, quæ in Latino dicitur Argentina, in quodam prœlio Erhardum ducem Lotharingiæ, & Bertoldum ducem Brabantiæ, qui ei venerat in auxilium, captiuantes decollauerunt. Inde vero Galliam atrociter affligentes, crudeliter in ecclesiam dei sæuientes, Metenseq;, Treuirense & Aquisgranense territorium igne deuastantes: deinde per abrupta montium Senonensium populos exterminātes, viam sibi gladio aperientes parauerunt: ibi siquidem Segusam Taurinamq; ciuitates destruxerunt. Montesq; præfatos perforantes, planum Lombardiæ cum vidissent, totam pæne prouinciam concitis cursibus vastauere. & ita ad proprium regnum cum victoria reuersi, annis viginti immobiles in regno permanserunt.

DE OBSIDIONE CONSTANTInopolitanæ vrbis.

CAPVT XXVI.

VICESIMO autem primo anno egressi Bulgariam intrauerunt: & inde Hydropolim venientes, ipsa expugnata Constantinopolim tandē obsederunt. In obsidione igitur vrbis memoratæ Hungaris constitutis quidam Græ-

Constãtinopolis obsessa.

tus ſicut gigas emiſſus de vrbe ad luctandum cum eo, duos Hungaros impetẽbat altercari, dicens: quod ſi ambos non deuinceret Græcorum imperator cẽſu Hungaris teneretur. Qui cum Hungaris infeſtus eſſet vltra modum, vnum contrarium ei inuenerunt. qui oppoſitus Græco ita ait: *Ego ſum Bothond rectus Hungarus, minimus Hungarorum. adiungas tibi duos Græcos, quorum vnus conſeruare debeat animam tuam exituram; alter vero cadauer tuum ſubterrandum. quia certiſſimè cenſualem faciam Græcorum imperatorem genti meæ.* Vnde capitaneus Hungarorum nomine Opour, qui illi exercitui de communi voluntate fuerat conſtitutus: iuſſit Bothond cum dolabro ſuo pergere contra portam vrbis, quę erat metallina: & in porta declarare vires ſuas cum dolabro. Veniens autem vſque ad portam, talem ictum & cenſuram in ipſa porta feciſſe perhibetur, quod puer annorum quinque per ipſum foramen exire & intrare ſatis large potuiſſet. Facto itaque ſpectaculo Hungarorum & Græcorum, parata area ad certandum ante portam vrbis, parua hora nimium ſimul dimicantes Græcus in terram per Hungarum eſt detruſus: & ſtatim ſine mora ſpiritum exhalauit. Quod factum Græcorum imperator, qui ſtabat in vrbis propugnaculo, cum coniuge ſua pro ingenti verecundia reputantes, auerterunt facies ſuas, pergentes in palatium. Veruntamen cum Hungari cenſum repetiſſent, pro quo certamen commiſſum fuerat & pugnatum, dum riſum faceret Græcorum imperator de cenſu poſtulato, recedentes Hungari de obſidione ciuitatis, depopulati ſunt totam Græciam haurientes ex ea aurum, gemmas & armenta infinita. ſicque ad propria ſunt reuerſi. Communitas itaque Hungarorum cum ſuis capitaneis ſiue ducibus hæc & alia huiuſmodi vſque ad tempora Toxum ducis geſſiſſe perhibetur.

DE GENERATIONE ET REGNO *ſancti regis Stephani primi regis Hungarorum.*

CAPVT XXVII.

PORRO Toxum genuit Geycham & Michaelem. Michael vero genuit Caluum, Ladiſlaum & Vazul. Geycha vero diuino præmonitus oraculo, anno dominicæ incarnationis nongenteſimo ſexageſimo nono, quemadmodum in legenda ſancti Stephani regis ſcriptum eſt, genuit ſanctum Stephanum regẽ ex Sarolth filia Gyulę. At rex Stephanus plures quidem genuit filios, ſed inter alios habuit vnum filium nomine Emericum deo amabilem & hominibus honorabilem: cuius memoria in benedictione eſt. Hic enim per inſcrutabile diuini conſilii iudicium raptus eſt de medio, ne malitia mutaret intellectum eius: & ne fictio deciperet animum eius quemadmodum de immatura morte ſcribitur in libro ſapientiæ. Vt ergo acta ne agamus, & expoſita ne exponamus; quot & quantis virtutibus floruerit, & quam feruens in dei ſeruitio ſanctus cõfeſſor Chriſti Emericus dux fuerit, ſcribere ſuperſedimus.

Quiſquis enim hoc ſcire voluerit, ex legenda eiuſdem beatiſſimi confeſſoris plenam ſanctiſſimæ conſeruationis eius notitiam habere poterit. Nos ea potius, quæ ab aliis ſcriptoribus prætermiſſa ſunt, breuiter ac ſummatim ſcribere intendimus.

DE BELLO SANCTI REGIS *Stephani contra Cupan ducem Simigenſem.*

CAPVT XXVIII.

SANCTVS autem rex STEPHANVS iam pridem in adoleſcentia ſua contra Cupan ducem fortem & potentem geſſit bellum glorioſum. Erat autem Cupan filius Calui Zirind: qui etiam viuente GEYCHA duce patre ſancti STEPHANI regis ducatum tenebat. mortuo autem Geycha duce,

Cupan

Cupan voluit matrem sancti regis sibi per incestuosum copulare connubium; *Stephanus rex.* & sanctum Stephanum occidere: ducatumque eius suæ subdere potestati. Hic fuerat dux Simigens. Stephanus autem sanctus conuocatis proceribus suis per interuentum beatissimi Martini confessoris diuinæ misericordiæ implorauit auxilium. Postmodum vero congregato exercitu porrexit obuiam hosti suo: & ad amnem Coton primitus accinctus est gladio. Ibique ad custodiam corporalis salutis suæ duos principes Hunt & Paznan constituit. Totius autem exercitus sui principem & ductorem Vencellinum hospitem Alamannum genere præfecit. Commisso itaque prœlio inter vtrumq; diu & fortiter est dimicatum: sed diuinæ miserationis auxilio beatus Stephanus dux gloriosam obtinuit victoriam. In eodem autem prœlio Vencellinus comes interfecit Cupan ducẽ, & largissimis beneficiis à beato Stephano tunc duce remuneratus est. Ipsum vero Cupan beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari: primam partem misit in portam Strigoniensem, secundam in Wesprimiensem, tertiam in Iauriensem, quartam autem in Erdel. Beatus enim Stephanus dux, votum, quod tunc vouerat deo, fideliter reddidit. Nam vniuersum populum in prouincia Cupan ducis degentem, decimas liberorum frugum, ac pecorum suorum cœnobio sancti Martini dare perpetuo iure decreuit. Prædictus autẽ Vencellinus genuit Radi; Radi vero genuit Miscã, Miscã vero genuit Cupan & Martinum.

DE PVGNA SANCTI REGIS STEphani cum Gyula duce Transsiluano.

CAPVT XXIX.

PORRO beatus Stephanus, postquam regiæ celsitudinis coronam diuinitus est adeptus, famosum & lucrosum bellum gessit contra auunculum suum nomine Gyulam, qui tunc temporis totius vltra syluam regni gubernacula possidebat Anno itaq; Domini millesimo secũdo beatus rex Stephanus cepit Gyulam ducem cum vxore & duobus filiis eius, & in Hungariam transmisit. Hoc *A.C. M.II.* autem ideo fecit, quia sæpissime ammonitus à beato rege Stephano, nec ad fidẽ Christi conuersus, nec ab inferenda Hungariæ iniuria conquieuit. vniuersum vero regnũ eius latissimum & opulentissimum monarchiæ Hungariç adiunxit. Dicitur autẽ regnum illud Hungaricæ *Erdeeln*, quod irrigatur plurimis fluuiis: in quorum arenis aurum colligitur: & aurum terræ illius optimum est.

DE EXERCITV SANCTI REGIS Stephani contra Bulgaros & Sclauos.

CAPVT XXX.

POST hæc autem mouit exercitum super Kean ducem Bulgarorum & Sclauorum, quæ gentes loca naturali situ munitissima inhabitant: vnde etiam multis laboribus & bellicis sudoribus prædictum ducem vix tandem deuicit & occidit, & inæstimabilem copiam thesaurorum, & prçcipue in auro & gemmis ac preciosis lapidib. accepit. & locauit ibi vnum proauum suum nomine Zoltan; qui postea hereditauit illas partes transsiluanas: & ideo vulgariter dici solet Erdelii Zoltan. Erat enim ille antiquissimus, qui vixerat vsq; tempora sancti regis: & ideo voluit ipsum esse super gentes opulentas. Ex hac itaq; gaza multiplici secundus rex Stephanus plurimum locupletatus; Albensem basilicam, quam ipse fundauerat, aureis altaribus, crucibus quoq; & calicibus, indumentis etiam pontificalibus contextis auro purissimo & lapidibus preciosissimis ditauit: vasa quoq; ministratoria, & cçtera vtensilia eidem basilicç necessaria, nec non & aliis ecclesiis dei regali donauit largitate. Inter cætera vero dedit eidem Albensi ecclesiæ quædam donaria sempiternæ memoriæ digna, duo scilicet rationalia, quorum vtrumq; habebat oram contextam septuaginta quatuor marcis auri purissimi, & lapidibus preciosis, quæ beatus Benedictus sanctç Romanç ecclesiæ pontifex ad preces sancti Stephani regis tantæ auctoritatis priuilegio insigniuit; vt quicunq; in celebrando missam eis vteretur legitime, posset regem

Digitized by Google

ha-nus rex.

inungere, coronare, & gladio accingere. Et quia pecunia illius Gyulæ fuit male acquisita, ideo ipsa ecclesia frequenter est passa incendium. In eadem autem ecclesia ipsum auunculum suum cum tota familia sua absq; velle cōpulit baptizari, sed postea honorifice tenuit sicut patrem. Regina vero Keisla vxor sancti regis dictam ecclesiam aureis crucibus, fusoriis, tabulis, calicibus, gemmis & ornamentis vltra modum ditauit.

DE AEDIFICATIONE ECCLEsiæ veteris Budensis.

CAPVT XXXI.

DEINDE sanctus rex venit in ciuitatem, quæ vetus Buda vocatur vna cum filio suo sancto Emerico & regina. Et cum ibi non inuenisset aliquod pium opus in Christo, in quo posset laudari creator omnium, statim sanctissimus rex de thesauro prædicti Kean ducis Bulgarorum & Sclauorum, quem occiderat, cepit in medio ciuitatis ædificare grande cœnobium in honorem apostolorū Petri & Pauli: ditando illud multis prædiis & simili libertate Romanæ ecclesiæ: fulciendo in memoriam & honorem curiæ Romanæ, quam corporaliter visitarat. Dum igitur ædificaretur, magistri lapicidæ de Græcia ducti erant: & sanctissimus rex cum regina ratione deuotionis ibidem degebant. Regina autem cruces, tabulas & ornamenta procurabat. Quia vero illud grande opus inceptum multos annos cōduxerat, ideo viuente sancto Stephano rege illud cœnobium non potuit consummari: sed volente deo post multum temporis sanctissimus rex Ladislaus nepos eiusdem beati Stephani, illud opus consummauit: vt scilicet posset adimplere votum proaui sui, sicut inferius plenius declarabitur. Consuetudo autem sancti regis Stephani maior ista fuit, quod omnes ecclesias, quas ipse fundauerat, in quolibet anno ad minus tribus vicibus visitaret. & dum ad ipsas ecclesias deuenisset, primo ad omnia altaria pergebat, & singulis singulas preces effundebat. Tandem exeundo totam ecclesiam illam circuibat, & fracturas siue scissuras parietum ac tectorum perspicacibus oculis & morose inspiciebat; & statim remeliorari procurabat: nec à loco illius ciuitatis aut villę recedebat, nisi prius vidisset renouari. Quo experto regina Keisla, dum ad aliquas ecclesias in Hungaria deuenisset, omnes apparatus in domo domini existentes sibi præsentari faciebat; & renouanda tam in sindone quam in bysso omni anno renouabat. Filius autem ipsorum beatus Emericus proprias vestes purpureas ante altare deponebat, pro altaribus induendis: sicut pater in ecclesiis regalibus vsque modo. Pater vero sanctissimus bursam auream in lumbis gestabat, refertam denariis puri argenti, & dum pauperes vidisset, mox ibi accedebat: & propriis manibus eis prouidebat. Illius ideo dextera misericors est in corpore exterius coram oculis Hungariæ vsque in hodiernum diem.

DE INCENDIIS.

CAPVT XXXII.

A.C. M.XXII.

ANNO domini M.XXII. in multis locis incendia multa & magna facta sunt. Ingens etiam terræ motus contigit quarto idus Maii. decima hora diei, sexta feria post ascensionem domini quasi duo soles visi sunt decimo Kalend. Iulii.

DE MORTE SANCTISSIMI Emerici ducis, & de orbatione oculorum Vazul.

CAPVT XXXIII.

POSTQVAM autem magnificauit dominus misericordiam suam cum beato rege STEPHANO, vertendo dorsa regum in fugam à facie gladii eius, & dominio eius principatus atque potestates subiiciendo omnium exterarum natio-

Emericus rex.

nationum circumadiacentium; deliberauit ſanctus rex Stephanus, & firmiter ſtatuit, vt omnibus pompis mundanæ gloriæ calcatis; & temporalis regni diademate depoſito, ſolius dei ſeruitio ſemetipſum manciparet; & ab exterioribus curis expeditus contemplatiuam vitam & tranquillam pacem perageret. Coronam vero regiæ celſitudinis filio ſuo duci Emerico ſanctiſſimis moribus diuinitus inſtructo ſe daturum diſpoſuit. Erat enim beatus Emericus in primæuo adoleſcentiæ flore ſupra communem naturam hominum diuino munere ſublimatus; iuſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, ſapientia, ſcientia, mãſuetudine, miſericordia, benignitate, largitate, humilitate, & patientia armatus: cæteriſq; catholicis atq; politicis virtutibus adornatus; ſimiliter vt ſanctus Stephanus pater eius. Cum itaq; ſanctiſſimus pater ſanctiſſimo filio curam adminiſtrationis & gubernandi regni ſolicitudinem intenderet committere; beatus dux Emericus propria morte prȩuentus eſt. Fleuit autem eum ſanctus rex Stephanus & vniuerſa Hungaria inconſolabiliter planctu magno valde. Tanta vero doloris acerbitate ſanctus rex Stephanus exacerbatus in grauiſſimam incidit infirmitatem. Et poſt multos dies vix qualemcunque vitæ reparationem recepit; ſed priſtinæ ſanitati nunquam plene potuit reſtitui. Nam & pedum doloribus vrgebatur, & triſticia ac gemitibus afficiebatur; præſertim propterea, quia nullus videbatur de conſanguineis eius idoneus ad hoc, vt eo mortuo regnum in fide Chriſti conſeruaret. Pronior enim erat gens Hungarica ritui paganico inclinari quam fidei Chriſtianæ. Interim vero viribus corporis cepit deſtitui, & languore grauiſſimo ſe grauatum ſentiens, miſit feſtinanter nuncium, ſcilicet Budam filium Egruth: qui Vazul patruelis ſui filium, quem recluſerat rex propter iuuenilem laſciuiã & ſtultitiam, vt corrigeretur; de carcere Nitriæ educeret & ad ſe duceret, & eum antequam moreretur, regem conſtitueret. Audiens autem hoc Keiſla regina, iniit conſilium cum Budæ viro nephando. Et feſtinantiſſime miſit nuncium nomine Sebum, filium ipſius Buda, ad carcerem, in quo Vazul detinebatur. Sebus itaq; prȩueniens nuncium regis, effodit oculos Vazul, & concauitates aurium eius plumbo obturauit, & receſſit in Bohemiam. Poſt hunc autem veniens nuncius regis vidit Vazul oculis orbatum, in eiſdemque oculis vulneratis duxit ad regem: quem ſanctus Stephanus rex videns tam miſerabiliter deſtructum, in nimias erupit lachrymas: ſed impediente ægritudinis moleſtia debitam pœnam malefactoribus inferre non potuit. cõuocatis itaq; filiis Calui Ladiſlai patrui ſui, ſcilicet Andrea, Bela & Leuẹnta, cõſuluit eis, vt quanto citius poſſent, fugerent, vt ſic ſibi ſalutem & corporum ſuorum ſeruarent integritatem. Illi igitur ſalubri conſilio ſancti regis acquieſcentes, à facie malorum & dolorum in Bohemiam fugerunt.

DE MORTE SANCTISSIMI regis Stephani, & de electione Petri regis.

CAPVT XXXIV.

BEATVS autem rex Stephanus, ſanctitate & gratia plenus, ſecundum quoſdam, quadrageſimo ſexto, ſecundum autem hiſtoriæ in eiuſdem laudem ab eccleſia editæ veritatem, triceſimoſeptimo ſui regni, dominicæ autem incarnationis, milleſimo triceſimooctauo anno, in feſto aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ ſemper virginis à præſenti ſeculo nequã eripitur, & ſanctorum angelorum conſortio adiungitur. Sepultus eſt autem in baſilica Albenſi, quam ipſe in honorem ſanctiſſimæ genitricis dei ſemper virginis Mariæ conſtruxerat; vbi multa ſigna & miracula fiunt, interuenientibus meritis eiuſdẽ ſanctiſſimi regis Stephani ad laudem & gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti; qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

A.C. M. XXXVIII.

Confeſtim quoque totius cithara Hungariæ verſa eſt in luctum; & omnis populus regni tam nobilis quam ignobilis, ſimul in vnum diues & pauper planxerunt ſuper morte ſanctiſſimi regis, piiſſimi patris pupillorum, lachrymis

Petrus rex.

vberrimis & vlulatibus plurimis: iuuenes & virgines præ tristicia & mœrore squalidis induti per triennium choream non duxerunt; & omnia genera musicorum dulcisona siluerunt; planxeruntque eum planctu cordis fidissimi; eratque planctus magnus & inconsolabilis. At regina Keisla cum Buda satellite scelerum, PETRVM Alamannum vel potius Venetum, fratrem reginæ præficere statuerunt. Hoc intendentes, vt regina Keisla motus suæ voluntatis pro libitu suo posset complere: vt regnum Hungariæ amissa libertate Theutonicis subderetur sine impedimento.

Wilhelmus autem pater Petri regis fuit frater Sigismundi regis Burgūdionum, sed post interemptionem sancti Sigismundi venerat ad imperatorem; quem imperator collocauit Venetiis, & dederat ei sororem suam nomine Gertrud in vxorē. de qua genuit Keislā reginam. Mortua autem Gertrud, WILHELMVS duxit in vxorem sororem sancti regis Stephani, de qua genuit Petrum regem.

DE SAEVITIA PETRI REGIS.

CAPVT XXXV.

POSTQVAM autem Petrus factus est rex, omnem regiæ serenitatis benignitatem abiecit, & Theutonico furore sæuiens, nobiles Hungariæ aspernabatur, bona terræ superbo oculo & insatiabili corde cum Theutonicis beluina feritate rugientibus, & cum Latinis, hirundinum garrulitate murmurantibus deuorabat; munitiones, præsidia & castella Theutonicis & Latinis custodienda tradebat. Erat enim ipse Petrus nimium lasciuus, nullusque eo tempore tutus esse poterat de pudicitia vxoris suæ: vel filiæ seu sororis virginitate pręinsultu satellitum regis, qui eas impune violabant. Videntes igitur principes Hungariæ mala gentis suæ, quæ contra deum eis inferebantur, cōmunicato consilio rogauerunt regem, vt præciperet suis à tam detestabili opere desistere. Rex autem fastu superbiæ inflatus pestiferum præconcepti veneni fœtorem in propatulum effudit, dicens: *Si aliquandiu sanus fuero, omnes iudices tam clarissimos & spectabiles quam pedaneos, centuriones ac villicos, omnesq; principes & potestates in regno Hungariæ Theutonicos constituam, & terram eius hospitibus implebo, & eam vniuersaliter in potestatem Theutonicorum redigam.* Et dicebat, hoc nomen Hungaria deriuatum est ab angaria, & ipsi debent angariari. Hæc itaq; fuerunt fomenta discordiæ inter Petrum regem & Hungaros.

DE EXPVLSIONE PETRI regis, & electione Abæ in regem.

CAPVT XXXVI.

ANNO igitur regni Petri tertio principes Hungarorum, & milites consilio episcoporum conuenerunt aduersus Petrum regem; & solicite quærebant, si aliquem de regali progenie in regno tunc inuenire possent, qui ad gubernandum regnum esset idoneus, & eos à tyrannide Petri liberaret. Cunque neminem talem in regno inuenire potuissent; elegerunt in semetipsis quendā comitem nomine Abam, sororium sancti regis Stephani, & eum super se regem constituerunt.

ABA igitur congregato Hungarorum exercitu contra Petrum regem, processit prœliaturus. PETRVS autem rex videns se Hungarorum auxilio destitutum, vehementer expauescens transfugit in Bauariam Henrici regis Theutonicorum adiutorium imploraturus. PETRO itaque per fugam de manibus Hungarorum elapso, Hungari sceleratissimum Budam barbatum, omnium malorum incentorem, cuius consilio PETRVS Hungariam afflixerat, in frusta concidentes interfecerunt: & duorum filiorum eius oculos effoderunt. Sebum autem, qui oculos Vazul eruerat, confractis manibus & pedi-

Aba Rex.

pedibus peremerunt. Quosdam vero lapidibus obruentes, alios autem in manganis ferreis vastantes occiderunt. Aba vero regali potestate sublimatus consecratus est in regem. Omnes autem constitutiones & creationes, quas Petrus rex secundum consuetudinem suam constituerat, Aba rex in irritum reuocauit. In his autem rebus gerendis tres de principibus regni præcipui fuerunt. Vnus vocabatur Visce, secundus Toyslan, tertius vero Pezli: qui libertatē gentis suæ quærebant, & regnum regali semini restituere fideliter nitebantur. In tertio vero anno regis Abæ Petrus cum Henrico rege Theutonicorum descendit, cum exercitu magno contra Abam regem. Rex igitur Aba audiens Petrum ab Hungaris derelictum, & ab Henrico rege Theutonicorum benigne susceptum; anno Domini M. XLII. misit nuncios ad Cæsarem, vt perquireret, an inimicaretur ei pro eo, quod Petrū de regno expulerat, an etiam pacem stabilem cum eo posset habere. Cui Cæsar in respondendo se inimicum esse ostendit, dicens: *Quia meos iniuriis lacessunt; quid vel quantum possim ipse sentiet.* Rex Aba his auditis, intellexit, ꝙ Cæsar intenderet Petro regnum restituere: inflammatusque in iram, congregato exercitu magno inuasit Austriam & Bauariam: & ex vtraq; parte Danubii fluminis bipartitis alis pugnatorū fortium, percussit eos in ore gladii. Tulit itaq; spolia eorum, & plurimos captiuos ex eis secum trahens à flumine, quod vocatur Traysama pertransiuit captiuando vsq; ad ciuitatem Tulnam, in qua pernoctauit. Factum est autem hoc secūda feria à crepusculo vsq; ad noctem. Mane autem facto, cum innumerabili multitudine captiuorum in Hungariam reuersi sunt gaudentes. Post hæc misit bellatores fortes in Carinthiam, qui plurimos captiuos receperunt, & Hungariam redierunt. Gotfridus autem Austriæ Marchio circa Petomam insultum faciens super eos, eorum spolia fertur abstulisse. Tunc enim Austria non duces, sed habebat marchiones. Eo autem tempore Cæsar pascha domini Coloniæ celebrauit: & cum principibus suis consiliatus est, qualiter regno suo iniuste illatam ab Hungaris iniuriam deberet vindicare. Qui concorditer consuluerunt ei, vt Hungaros, qui sine causa regnum eius hostiliter irruperant, armis inuaderet, & captiuos suos ab eorum seruitute liberaret. Mouit itaq; expeditionem ingentem, & cōsilio Vraczlai ducis Bohemorum ex Aquilonari parte Danubii venit ad confinium Hungariæ. Legati vero Hungarorum promiserant Cæsari, quod Hungari in omnibus starent ad mandatum eius: nisi quia Petrum in regem non susciperent. quod tamen Cæsar supremo opere perficere affectabat. Obligatus enim erat Petro promissione, quod ei regnum restitueret. Hungari vero nullatenus consenserunt, & missis muneribus, dederunt quoq; fidem, quod captiuos Theutonicorum abire permitterent. Cæsar rediit festinanter contra insultus Gotfridi ducis Lotharingorum filii ducis Gozzilonis.

DE ADVENTV CAESARIS IN SVBSIDIVM Petri regis in Hungariam.

CAPVT XXXVII.

SEquenti anno Aba rex missis legatis ad Cæsarem, quæ pacis sunt, quærebat, promittens captiuorum dimissionem, quos habebat: eorum autem quos reddere non poterat, condignam compensationem. Cæsar vero noluit componere, donec in Bauariam veniret: vt qui per Hungaros iniustè læsi fuerant, compositioni pacis interessent. Venit ergo Cæsar ad terminos Hungariæ, & in crastinum expugnare disposuit obstacula: qui Hungari fluuium Rabeha concluserant. Interim vero à legatis Abæ regis rogatus est Cæsar, vt competentem terminum figeret, in quo omnes captiuos ei remitteret, & donaria insuper ei donaret. Cæsar itaque allectus muneribus, & aliis grauioribus negociis præpeditus rediit Byzantium, quod est opidum Burgundiæ. Ex hinc itaq; rex Aba securitate accepta, factus est insolens; & cepit crudeliter sæuire in Hungaros. Arbitrabatur enim quod omnia communia essent dominis cum seruis: sed & iusiurandum violasse pro nihilo reputabat. Nobiles enim regni contemnens,

habuit semper cum rusticis & ignobilibus commune. Hungari vero nobiles nolentes id sustinere; & exacerbationem eius moleste ferentes, conspirauerũt, & coniurauerunt, vt ipsum occiderent. Quidam autem ex ipsis notificauit regi in necem eius coniuratos; ex quibus eos, quos potuit, captos fecit interfici sine iudicii examine: quod in magnum detrimentum regis versum est. Cum enim rex quadragesimam Chanadini celebraret; in eadem quadragesima circiter quinquaginta viros nobiles sub prætextu consiliandi in quadam domo cõclusit: & ab armatis militibus fecit eos obtruncari, nec cõtritos nec confessos. Vnde beatus Gerardus Chanadiẽsis episcopus, canonica seueritate regem corripuit & ei periculum imminere prædixit. Quidam itaque ex coniuratis propter hoc magis incitati fugientes: venerunt ad Cæsarem & oblocuti sunt contra Abam dicentes: *Quod pro nihilo iuramentum reputaret: nobilesque qui eum regẽ super se constituerant contemneret, & cum rusticis ignobilibus ederet, equitaret, & continue loqueretur.* Quibus dixit imperator. *Ista enim consuetudo non est nobilis hominis; sed eius oppositi.* Ipsum ergo Cæsarem efficaciter instigauerunt, vt super Abam regem iniuriam vindicaret; quia nec captiuos suos remiserat, sicut Cæsari iurauerat; nec illata damna resarciebat. Cæsar itaque animatus instigationibus Hungarorum cum exercitu Norico & Bohemico & phalangibus aulicorum suorum venit in marchiam Austriæ; dissimulans se intraturum Hungariam; simulans autem se pactum ab Aba rege exacturum & reuersurum. Tunc legati Abæ regis venientes ad Cæsarem repetebant Hungaros, qui ad Cæsarem fugerant; conquerentes & dicentes; quod ipsi essent prædones & latrunculi regni Hungariæ & præcipui incentores guerrarum & discordiæ inter Cæsarem & Hungaros; qui Cæsari fideliter obsequerentur: ideoque huiusmodi seminatores discordiæ tradi oportere in manus Abæ regis Hungarorũ. quod Cæsar nullo modo se facturum respondit. Concitato itaque cursu inuasit fines Hungariæ intrans per Supronium. Et cum vellet per Bobuth Rabtha pertransire, fluuium Rabtha stagnantibus aquis & densissimis nemoribus & scaturientibus paludibus impermeabilem transire non potuit. Hungari ergo, qui erant cum Cæsare & Petro rege duxerunt exercitum tota nocte equitantes sursum iuxta fluuios Raba & Rabtha, quos illucescente sole facili modo transierunt. Occurrit autem ei Aba rex in Mensew iuxta Iaurinum cum magna multitudine armatorum, nimium præsumens de victoria: quia Bauari quidam intimauerant ei, quod Cæsar cum paucis super eum veniret; Et vt dicitur, Aba rex victoriam habuisset: nisi Hungari quidam amicitiam Petro regi reseruantes, super terram sua vexilla proiecissent & fugissent. Tradiderunt autem Theutonici, quod cum ad prœlium appropinquassent, cum cælesti signo nebula tenuis apparuit, turboque vehemens diuinitus incitatus terribilem puluerem obtutibus ingessit Hungarorum: quos iam pridem, vt dicitur, quia Petrum suum regem dehonestauerant, dominus apostolicus anathemate damnauerat feriendo. Commisso itaque prœlio, inter vtrunque diu & acriter pugnatum est: sed tandem Cæsar diuino fretus auxilio felicem obtinuit victoriam. ABA vero rex deuictus fugit versus Ticiam: & villa quadam in scrobe veteri ab Hungaris, quibus regnans nocuerat, crudeliter iugulatur. Cuius quidem corpus est sepultum in ecclesia, quæ fuerat prope ipsam villam. Post aliquot autem annos cum esset effossum de sepulchro, sudarium & ipsius vestimenta inuenerunt incorrupta, & loca vulnerum resanata: tandem sepelierunt corpus in proprio monasterio in Saar. Cæsar autem reuersus ad castra ante sacrosanctum lignum salutiferæ crucis se humiliter ac deuotè prostrauit discalceatus pedes: cilicio ad carnem indutus: vna cum omni populo suo misericordiam Dei glorificauit, quod ipsum illo die liberauit de manibus Hungarorum. Ex Theutonicis illo die in loco ipso infinita corruit multitudo. Itaque idem locus vsque hodie *ferlorumpayer* in lingua eorum; in lingua autem nostra *Vestnempti* nominatur: ob fœtorem nanque mortuorum per duos menses homo non poterat bono modo per partes illas transire. Sagittarii enim occiderant eos. Interea Hungari

gari congregati supplices venerunt ad Cæsarem veniam & misericordiam implorantes. Quos Cęsar placido vultu & benigne suscipiens; quod rogabant cōcessit. Indeq; cum omni multitudine sua Albam venit, quæ Theutonice *VVeizinburg* dicitur: quæ est principalis sedes regni Hungariæ. Ibi ergo Cæsar imperiali honore & latissimo præparatu ab Hungaris honoratus, Petrus regem regali coronæ plenarie restitutum, & sacris insigniis sancti regis Stephani more regio decoratum in regalē thronum manu sua deducens, in basilica gloriosæ genitricis Dei semper virginis Mariæ regaliter sedere fecit: & ibidem regem Hungaris & Hungaros regi reconciliauit. Concessitque petentibus Hungaris, Hungarica scita seruari & consuetudinibus iudicari. His itaque taliter ordinatis, Cæsar Petro rege cum præsidio suorum in Hungariam relicto, cum optata prosperitate Ratisponam rediit.

DE REDITV CAESARIS IN HVNGARIAM, & de duello ducis Belæ in Polonia.

CAPVT XXXVIII.

SEquenti vero anno reuersus est Cæsar in Hungariam: cui Petrus rex in ipsa sancta paschali solennitate regnum Hungariæ cum deaurata lancea tradidit coram Hungaris; simul & Theutonicis multis: etiam insuper & magnificis muneribus Cæsar honorificatus à rege, ad propria rediit cum gloria. Interea Endre, Bela & Leuente, qui fugerant in Bohemiam, inde propter inopiam transierunt in Poloniam, & à Misca duce Poloniæ benigne sunt suscepti & honorati. Tunc vero Pomerani annuas pensiones duci Polonorum, cui tenebantur, reddere recusarunt. Dux vero censum sibi debitum à Pomeranis armata manu cepit exigere. Pomeranis itaque paganis & Polonis Christianis communiter placuit, vt duces eorum duello confligerent: & si caderet deuictus Pomeranus, consuetam persolueret pensionem: si vero Polonus, tantummodo damna fleret. Cum igitur Misca dux & filii eius horrerent duellum assumere impositum, Bela seipsum per verbum interpretis in medium introducens sic dicebat: *Si vobis Polonis & domino duci placet, quamuis sim nobilior quam paganus ille; tamen pugnabo pro regni vestri commodo & honore ducis.* Placuit itaq; tam Pomerano quam Polonis. Cumque armati cum lancea se iunxissent, tam viriliter Pomeranum fertur Bela de suo dextrario detrusisse, vt de loco suo se mouere non potuerit, & gladio perfossum prostrarit. Confessusque est ipse dux Pomeranus se culpabilem. Quo viso, Pomerani duci Poloniæ humiliter subditi, solitum tributum sine contradictione persoluerunt. Dux vero inde reuertens cum victoria per Belam acquisita, audaciam & potētiam valoris in Bela duce collaudans cum toto censu Pomeranico ei tradidit filiam suam in vxorem: & vniuersa, quæ ei necessaria fuerant, sufficienter & copiose ministrari præcepit, & eum in omnibus honoratum in ducatu suo tenuit: ac bona quantitate de terra eundem hereditare non omisit.

Duellum inter Pomeranum et Polonum.

DE BELA DVCE BENIN DICTO; ET DE REductione Andreæ & Leuentæ in Hungariam; & quomodo Hungari in fide apostatauerint.

CAPVT XXXIX.

BEla vero dux ipse in Polonia duos genuit filios: quorum vnus Geysa; alter autem Ladislaus, nomine aui sui est vocatus. Displicuit autem Endræ & Leuentæ, quod per Belam apud ducem Poloniæ quasi appendices degerent: dedignatiq; sunt occasione sui nominis in ducis curia permanere. & accepta à duce licentia Bela fratre suo ibidē relicto; euntes iuerunt ad regem Lodomeriæ, qui ipsos non recepit. Cumq; non haberent vbi caput suum reclinarent; abinde ad Cumanos perrexerunt. Videntes aūt ipsos Cumani optime personatos; arbitrati sunt, q; eorū terrā aduenissent explorare. Et nisi captiuus Hūgarus illos cognouisset, reuera occidissent: & sic postmodū aliquo tēpore ipsos tenuerunt.

Digitized by Google

Petrus Rex.

Abhinc postea in Rusciã sunt profecti. Eo tempore quidã magnates Hungariæ desolationem regni gementes, & liberationem Hungarię à tyrannide Petri: cupientes Endræ, Belæ & Leuentæ, qui de genere S. Stephani regis progeniti erãt, intemeratã fidelitatem seruabant: & eis per nuncios bona quæ habere poterant mittendo fideliter seruiebant. Erant autem isti magnates Visca, Bua, & Buhna, & alii eorundem cognati; qui semper cum suspiriis & gemitib. expectabant opportunum tempus, quando Andream, Belam & Leuentam possent reducere in Hungariam, & regnum generi sancti Stephani regis, qui eos dilexerat & exaltauerat, omnibus viribus suis restituere laborabant. Petrus vero rex per potestatem regis Theutonicorum elatus, non iam regnabat, sed potius tyrannidis suæ crudelitate Hungariam deprimendo flagellabat. Quibusdã autem perfidis Buda scilicet & Denecher suggerentibus audiuit Petrus, quod prædicti nobiles Hungariæ, scilicet Visca, Bua & Buhna, & eorũ cognati cogitabant qualiter regnum regio semini possent restituere; & Andream, Belam atq; Leuentam cõtra Petrum regem in regnum reducere. Petrus vero rex vehementi furore succensus fecit eos comprehendi, & in eculeo suspensos interfici: quosdam autem effossis oculis tormentari, & totam Hungariã tam magnis afflixit angustiis, vt magis eligerent mori, q̃ ita miserabiliter viuere. Tunc nobiles Hungariæ videntes mala gẽtis suæ in Chanad in vnũ conuenerunt, consilioq; habito totius Hungariæ nuncios miserũt solennes in Rusciã ad Andream & Leuentam dicẽtes eis, ꝙ tota Hungaria eos fideliter expectaret, & vniuersum regnum eis, sicut regali semini, libenter obsequeretur: tantũmodo ipsi in Hungariã descenderent, & eos à furore Theutonicorũ defenderẽt: hoc etiam eis iuramẽto firmauerunt, quod statim ut ipsi in Hungariam introirent, omnes Hungari vnanimiter ad ipsos cõfluerent, & eorum dominio se subderẽt. Endre vero & Leuente timentes palliatas insidias, clanculũ miserunt nuncios in Hungariam. Cum autẽ venissent ad nouum castrum, quod rex Aba construxerat; ecce, vniuersa multitudo Hungarorum cateruatim confluxerunt ad ipsos; & instinctu diabolico inflammati peruicaciter petierũt ab Endre & Leuẽte, ꝙ permitterẽt vniuersum populum ritu paganorũ viuere: episcopos & clericos occidere; ecclesias destruere; Christianam fide abiicere, & idola colere. Permiseruntq; eos secundũ desideria cordis eorũ, vt irent & perirent in adinuẽtionibus antiquorũ patrum suorũ. Aliter enim non pugnabant cõtra Petrum regẽ pro Endre & Leuente. Primus autem inter Hungaros nomine Vatha de castro Belus dedicauit se dæmoniis: radens caput suũ, & cincinnos dimittẽs sibi per tres partes ritu paganorum: cuius filius nomine Ianus, multũ postmodũ tempore ritum patris sequẽdo, congregauit ad se multos magos & pithonissas, & aruspices, per quorũ incãtationes valde gratiosus erat apud dominos. De multis autẽ deabus suis vna nomine Rasdi capta fuit à Christianissimo rege Bela: & tã diu in carcere fuit reclusa, donec recomederet pedes proprios, ibi deniq; moreretur. Est aũt scriptum in antiquis libris de gestis Hungarorum, quod omnino prohibitum erat Christianis vxorẽ ducere de cõsanguineis. Vatha & Ianus, quia sicut Dathan & Abiron in veteri lege seditionẽ mouerant contra Dominum: sic & isti tempore isto Hungaricũ populum à fide Christi auerterũt. Tunc itaq; detestabili & execrabili ammonitione illius Vathæ omnes populi libauerunt se dæmoniis, & ceperũt comedere equinas pulpas, & omnino pessimas facere culpas: tam quippe clericos quam laicos catholicæ fidei seruatores interfecerunt: quã plures ecclesias dei destruxerunt. Deinde contra Petrum regem rebellantes vniuersos Theutonicos & Latinos, qui in officiis diuersis pręfecti per Hungariam sparsi fuerant, turpi neci tradiderunt: mittentesq; in Petri castra in equis velocissimis nocte tres præcones, qui deberent proclamare edictum & verbum Dei Endre & Leuente: *vt episcopi cũ clero sint necati: decimator trucidetur: paganismus abolitus resumatur: sic collecta cũ suis Theutonicis & Latinis: Petri pereat memoria in æternum & vltra.* Mane igitur facto, sciscitatus est rex rei factũ, & certissime experiẽs, ꝙ isti fratres redissent, eorũq; intuitu sui præfecti per Hungaros fuissent trucidati, nõ se ostendit perterritũ de rumo-

Digitized by Google

rumoribus: sed lætum se demonstrans, & suo castro de loco remutato transiuit Danubium in ciuitatē Albam cupiens introire. Hungari autem præscientes eius velle, præuenerunt, occupantes campanilia & turres ciuitatis, & seratis ianuis illum excluserunt. Inter hæc autem Endre & Leuente cum eadem multitudine procedentes per medium Hungariæ, appropinquauerunt ad portum qui vulgo dicitur Pesth. Quo audito, Gerardus Beztritus, Buldi, & Benetha episcopi; & Zonuk comes de ciuitate Alba egressi sunt obuiam Endre & Leuente ducibus; vt eos honorifice susciperent. Cumque festinanter prædicti episcopi ad locum venissent, qui dicitur Gyod, ibi in ecclesia sanctæ Sabinæ, priusquam ad dominos irent, missam audire voluerunt.

DE MARTYRIO SANCTI GERardi episcopi.

CAPVT XL.

Beatus itaq; Gerardus episcopus sacerdotalibus vestibus ad celebrandū missam indutus, exhortationis genera locutus est eis dicens: *Fratres & coepiscopi mei, & omnes alii fideles qui adestis; scitote nos hodie ad dominū nostrum Iesum Christum cum corona martyrii in æterna gaudia peruenturos. Ego enim notum facio vobis arcanum Dei, quod mihi in hac nocte reuelatū est. Vidi enim dominū nostrum Iesum Christū in pluteo sanctissimæ matris suæ semper virginis Mariæ sedentem: nobisq; ad se vocatis de manu sua corporis & sanguinis sui eucharistiam cōmunicantem. Beneta vero episcopus cū ad eum accessisset, retraxit ei Christus eucharistiā: vnde ipse hodie martyrii nostri consortio priuabitur.* Post hæc aūt beatus Gerardus admonuit eos, vt cōfiterentur inter se peccata sua, & audita missa orationi incumbentes; & certa spe æternæ beatitudinis per martyriū adipiscēdum lætificati omnes cōmunicauerunt. Deinde perrexerūt pariter versus portū Danubii in Pesth. Beatus aūt Gerardus episcopus cū esset breuis statura, omnesq; vires suas in seruitio Dei funditus cōsumpsisset; currus subuectione vtebatur. Cumq; ad prædictū portū venissent; ecce viri impii, scil. Vatha & cōplices eius dæmonibus pleni, quibus seipsos dedicauerāt, irruerūt in episcopos & in omnes socios eorū, & lapidibus eos obruerūt. Beatus vero Gerardus episcopus eos, qui se lapidabant indesinēter crucis signo insigniebat. At illi hoc viso, multo magis sæuientes impetū fecerūt in eum: & euerterūt currū eius in ripā Danubii. ibiq; abstracto eo de curru eius, in biga positū, de mōte Kelenfeld submiserūt: & dū adhuc palpitaret in pectore lancea percussus; super vnū lapidē contriuerunt cerebrū eius. Sicq; gloriosus martyr Christi ab ærūnis mūdi huius ad æternā beatitudinē transiit. Danubius sæpe redundās super molē lapidis, in quo cōtritū est caput S. Gerardi, nō potuit sanguinē diluere per septē annos; donec recollectus est à sacerdotibus; & lapis ille nunc est Chanadini in superficie sui altaris. Nūc in eodē loco vbi cōtritū est caput eius in honore beati Gerardi martyris ecclesia sub mōte apparet fabricata. Hic siquidē Gerard' monachus de Rosatio natione Venecens. qui in Pannoniā veniens primus in Beel vitam ducēs eremiticā; tandem in Chanadiensem cathedram in episcopum est translatus. Buldi quoq; episcopus lapidibus obrutus transiit ad gloriā. Beztritus autē & Beneta cū transissent Danubiū nauigio ad Endre & Leuente; hæretici, qui in vlteriori littore erāt, Beztritū episcopum vulnerarūt: qui tertia die postmodū mortuus est. Endre autē dux interim superueniēs Benetā episcopū à manibus eorū liberauit. Et sic prophetia S. Gerardi impleta est. Omnes enim præter Benetā martyrisati sunt. Zonuk quoq; comes super dextrariū suum Danubio insiliens natabat: quē in naui veniens quidam nomine Murthmur leuauit in nauim, vt eū à morte liberaret. Erat enim iste Murthmur baptizatus à comite Zonuk. Qui cum prædictū comitē saluare vellet; ceperunt ei hæretici mortem cōminari, nisi ipse Zonuk comitem interficeret: quorū minas Murthmur metuens, ipsum comitem in naui gladio interemit. Tanta ergo multitudo clericorum & laicorum pro Christi fide eodem die martyrium pertulit, vt eorum numerus Deo tantum & angelis sit cognitus.

Digitized by Google

DE MORTE PETRI REGIS.

CAPVT XLI.

PEtrus autem rex videns Hungaros vnanimiter adhæsisse ducibus Endre & Leuente, ipse cum suis Theutonicis fugam iniit versus Musim; vt abinde in Austriam pertransiret, sed euadere non potuit. Interim enim Hungari portas & exitus regni primo occupauerunt: sed & legatus ducis Endre reuocauit Petrum regem sub prætextu pacis & honoris sibi congrui: qui credens ei vertebatur, vt dicitur; sed maxime coacte: quia exercitum sibi iam absconditum cognouerat: & volebat reuerti festinanter in Albam. Qui cum diuertisset in villam Zamur, prædictus legatus insidiis voluit eum capere & vinctum ad Andre ducem ducere. Petrus autem prænoscens hæc, collegit se in quandam curiam, & per triduum viriliter dimicando semetipsum defendebat. Tandem milites eius omnes à sagittariis sunt interempti: ipse vero viuus captus est & obcœcatus. Albamque ductus præ nimio dolore vitam in breui finiuit: sepultusque est Quinqueecclesiis, quam ipse fundauerat in honorem beati Petri apostoli, anno regni sui secunda vice tertio.

DE CORONATIONE ANDREAE REgis primi Endre dicti.

CAPVT XLII.

POrro dux Andreas à perturbationibus hostium securus effectus, in regia ciuitate Alba regalem coronam est adeptus à tribus tantum episcopis, qui in illa magna strage Christianorum euaserant. Coronatus est anno domini M.XLVII. Præcepit itaque vniuersæ genti suæ sub pœna capitalis sententiæ, vt deposito paganismo prius eis concesso ad veram Christi fidem reuerterentur: & in omnibus secundum legem illam viuerent, quā sanctus rex Stephanus eos docuerat. Leuente vero in eisdem diebus mortuus est; qui si diutius vixisset & regni potestatem obtinuisset; sine dubio totam Hungariam paganismo & idolatria corrupisset. Et quia ipse Leuente catholice non vixit; ideo circa villam Toxum vltra Danubium est sepultus, vbi iacere dicitur Toxū auus eius more pagano. Tradunt quidam, istos tres fratres filios fuisse Vazul ducis, ex quadam puella de genere Tatun, & non de vero thoro ortos esse: & ob hanc coniunctionem illos de Tatun nobilitatem accepisse. quod falsum pro certo est, & pessime enarratum. absque hoc namq; sunt nobiles; quia isti filii sunt Calui Ladislai, qui vxorem de Ruthenia dicitur accepisse: ex qua tres isti fratres generati. Iste quidem rex Albus Andreas & catholicus est vocatus. Tribus enim annis Polonos, Bohemos & Australes Hungaris suis armis fecit censuales. Rex autem hic Andreas fratre orbatus; misit in Poloniam ad alterum fratrem suum Belam cum magna dilectione vocans eum & dicens: *Nos, qui quondam penuriæ participes fuimus & laborum; rogamus te dilectissime frater, vt ad nos non tardes venire: quatenus consortes simus gaudiorum; & bonis regni corporali præsentia gaudentes communicemus. Neque heredem enim habeo, nec germanum præter te: tu sis mihi heres: tu in regnum succedas* His itaque verbis Bela admonitus, cum omni familia sua venit ad regem. Quem rex videns, gauisus est gaudio magno; quia fraterno fulcitus est robore. Post hæc autē rex & frater eius Bela habito consilio diuiserūt regnum in tres personas, quarū duæ in proprietatem regiæ maiestatis suæ manserunt; tertia vero pars in proprietatem ducis est collata. Hæc igitur prima regni huius diuisio seminariū fuit discordiæ & guerrarum inter duces & reges Hungariæ. Eo tempore rex Andreas iuxta lacum Palatini construxit monasterium in honorē sancti Aniani, in loco qui dicitur Tyhon. Duxit autem sibi vxorē filiam ducis Ruthenorum, de qua genuit Salomonem & Dauid. de concubina autem, quā habuit de villa Moroth, genuit Georgium. Porro dux Bela in Polonia genuit liberos Geysam & Ladislaum; in Hungaria autem genuit Lampertum & filias: viuebantq; rex & dux in magna pacis tranquillitate.

DE

Digitized by Google

DE ADVENTV CAESARIS SIVE REGIS Theutonicorum in Hungariam.

CAPVT XLIII.

EO tempore Theutonicorum rex cum magno exercitu obsedit castrum Poson: volens iniuriam Petri vindicare, & Hungariā suo dominio subiugare. Extruxit autē multas machinas bellicas ad expugnandum castrum: & per octo hebdomadas obsidendo nihil profecit. Venerat enim prædictus rex nauigio ad obsidendum castrum Poson. Tunc Hungari, qui in castro erant, natatoriæ scientissimum inuenerunt hominem nomine Zothmund: quem noctis in silētio ad naues imperatoris miserūt. qui sub aqua veniēs, omnes naues perforauit: quæ subito aqua plenæ factæ sunt, & potētia Theutonicorum cōtrita est; & sic effeminati eneruatiq; viribus reuersi sunt ad propria. Multi enim milites erant in Poson: sed præcipui erant Moiotech, Endre, Vilungard, Vrosa & Martinus: qui quotidie cum Theutonicis dimicabant acriter. Sequenti vero anno Cæsar cum magna multitudine bellatorum ob easdem causas venit in Hungariā iuxta fontes riuorum Zalæ & Zelicæ: sed & naues victuales oneratas per Danubium misit in Hūgariam; præfecitq; eis episcopum Gebarth fratrem. His auditis Andreas rex & dux Bela omnes aceruos segetum & thyrsos herbarū igne combusserūt: habitatoresq; cum vniuersis animalibus eorum de partibus, illis per quas Cæsar erat transiturus, procul abduxerunt. Cumq; Cæsar intrasset ad Hungariam, & venisset in regiones combustas; neq; militibus suis inuenire poterat victualia nec equis; & nesciebat vbi naues eius essent: nullumq; subsidium ex eis poterat habere. Transiēs autē siluas appropinquauit mōtibus Bodohath omnium victualium penuria laborās. Interea autē Gebarth episcopus venit in Iaurinum, & mittens epistolā ad Henricum Cæsarē, sciscitabatur ab eo, vbi deberet ipsum expectare. Is aūt, qui ferebat litteras, Deo sic volente, captus est à latrunculis Andreæ regis & ad eū ductus. Cumq; Nicolao episcopo interpretante tenorem litterarū percepissent, rescripserunt episcopo Gebarth litteras, quas per quendā hospitem eidem miserūt. Ille aūt simulās se à Cęsare missum, obtulit litteras Gebarth episcopo talia continētes: *Noueris optime frater Gebarth episcope, quod magna & ardua negocia nostri imperii nos ab Hungaria in Theutoniam ire cōpellunt: nā inimici nostri imperiū nostrū hostiliter occuparūt. Ergo age festina, & destructis nauibus quam citius poteris, nobis Ratispona occurras: nec enim tibi tutū est amplius in Hungaria cōmorari.* His itaq; cognitis Gebarth episcopus festinanter fugit in Theutoniam. Cæsar igitur spe sustētationis, quam à nauibus expectabat, frustratus, ad mortē cepit agere. Similiter & vniuersus exercitus eius cum equis & subuectorib⁹ miserabiliter fame periclitabantur. Insuper etiam Hungari & Bisseni singulis noctibus acriter eos infestabant, toxicatis sagittis eos interficiēdo, & funes extendentes inter papiliones eorum, quam plures aliqua seruitia facientes rapiebant. Præ timore autem imbrium sagittarum, quibus Theutonici compluebantur & consumebantur, fodiebant sibi terram, & desuper insertis clypeis etiam viui cū mortuis iacebant in sepulchris. Nam sepulchrum quod mortuo fodiebatur, viuus iacebat in eo de nocte: & quod viuo fodiebatur pro nocte, mortuus sibi vēdicabat de die. Cæsar ergo videns tot & tantis periculis se esse perplexum; misit ad Andream regem & Belam ducem, rogans perpetuæ pacis firmitatem. Dicebat enim, quod si rex Andreas securum ei iter præberet ad reuertendum, & exercitui suo fame oppresso subsidia vitæ largiretur; ipse nūquam Andreæ regi & successoribus eius inimicaretur: & nunquam à modo regē Hūgarorum vel dictis vel factis vel cōsilio lędere attentaret. Sed etiam si quis de successoribus suis ad debellandum Hungariam arma moueret, indignationem omnipotentis Dei incurreret, & perpetuo eius anathemati subiaceret: filiam quoq; suam, Sophiam nomine, Salomoni filio regis Andreæ daret in vxorem: quam primitus filio regis Franciæ cum maximo dederat sacramento: propter perpetuæ pacis fœdera firmius roboranda. Hæc autem omnia fideliter seruaturum iurisiurandi

religione interposita confirmabat. Rex itaq; Andreas & dux Bela magis amatores pacis, quam discordiæ seminatores esse volentes, pacem cum Cæsare composuerunt. Cæsar autē in propria persona sua iureiurando confirmauit omnia, quæ dixerat fideliter facturum. Tunc rex Andreas solita regum Hungariæ largitate vtendo, misit Cęsari quinquaginta corpora immensorū husonum, & duo millia lardorum, mille tauros in grates. de panibus autem plus quam secum ferre poterant. Oues quoq; & boues seu pecudes pascuales, & vini copiam superfluentem. Plurimi etiam Theutonicorum de immoderata ciborū ingestione, & potus ingurgitatione crapulati & infusi, mortui sunt. residui vero à faucibus mortis miseratione Hungarorum liberati; relictis tentoriis, & clypeis, & vniuersis supellectilibus suis abiectis adeo concitato cursu in Theutoniam redire properarunt, vt nec retro prospicerent. Ex hoc autem euentu locus ille, vnde Theutonici tam turpiter dedecorati abiectis clypeis fugerunt, vsq; hodie *VVerteßhegie* nuncupatur: Theutonici vero locum eundem *Schylperg* vocant.

DE CORONATIONE REGIS SALOMONIS, & de nuptiis eiusdem.

CAPVT XLIV.

POstquam autem Cæsar Henricus cum tanto dedecore fugit in terram suam de Hungaria, rex Andreas mittens ad eum legatos, petiuit ab eo vt Sophiam filiam suam Salomoni filio suo matrimonio copulandam, vt promiserat, concederet. Cæsar autem, quemadmodum iureiurando promiserat, fideliter compleuit. Regalibus itaq; nuptiis iuxta fluuium Moruā celebratis, & fœderibus pacis firmiter roboratis, Cæsar & rex cum gaudio sunt reuersi. At rex Andreas post hæc cito incidit in paralysin, & tam hyemali quam æstiuali tempore super traha ferebatur. Post mortem itaq; sancti regis Stephani transacti sunt anni vndecim, menses quatuor vsque ad annum primum imperii Andreæ regis. Interea vero Petrus Theutonicus, vel verius Venetus, primo & secundo, regnauit annis quinque cum dimidio. Aba vero regnauit annis tribus. Quia vero carnalis amor, & consanguinitatis affectio solet impedire veritatem; vicit amor filialis in Andrea rege iusticiam; & rupto fœdere suæ promissionis, quod in regibus esse nō deberet, filium suum Salomonem infantulum adhuc quinq; annorum super totam Hungariam anno imperii sui duodecimo confectus senio in regē fecit inungi & coronari. Simulabat enim, quod pro perditione regni hoc faceret; quia imperator filiam suam filio suo Salomoni non dedisset, si eum non coronaret. Cum autem in coronatione Salomonis caneretur, *Esto dominus fratrū tuorum*; & hoc per interpretem Belæ duci innotuisset, quod Salomon infantulus ipsi dominus constitueretur; grauiter est indignatus. Dicunt alii quod Bela duce & filiis eius, Geycha scilicet & Ladislao, cunctisque regni optimatibus consentientibus Salomon vnctus esset in regem: postmodum seminarium discordię quorundam instigationibus ortum est inter eos. Susurrones enim, quales nostris temporibus complacent præcipue, suggerebant regi, nō posse regnare Salomonem, nisi fratre eius Bela extincto. Ab alia vero parte duci persuadebant Belæ, quod tempus oportunum esset, regnū acquirere, dum Salomon puerulus esset, & pater eius senio confectus ac inualitudinarius. Venerunt itaque rex & dux in Varkun. Rex autē cognoscens, quod filius suus absque voluntate ducis post obitum suum regnare non posset; vocauit ad consilium duos fideles suos; cū quibus cōsilium iniit dicēs: *Volo attentare ducem & in duobus interrogare: si vult habere coronā vel ducatū.* Fecitq; rex ei coronam iacere ante se super rubeū stramentum; & gladiū iuxta, qui ducatum designat. *Si ducatū dux cum bona pace habere voluerit: habeat: si vero coronam; statim vos duo principes surgite; & eodem gladio ducē Belam decollate:* & illi promiserunt se facturos. Cum autē hoc consiliū inirēt; comes præconū Nicolaus tenēs ostium palatii deforis hæc omnia audiuit. Cumq; ducē ad regem vocassent, & in ostio intraret, dixit citissimè duci comes

præ-

Digitized by Google

præconum. *Si vitam optas, accipe gladiū.* & plus dicere nō potuit. Cū autē dux intraret; vidit coronam iacentem cum gladio ante regem, & mirabatur. statimq; cum sedisset, rex iacens se leuauit & in lecto sedens dixit: *Dux, ego coronaui filium meum, non tamen causa cupiditatis, sed cauens perditionē regni, quæ nudiustertius ab imperatore acta fuit. Sed tu voluntatē tuam liberā habens: si vis regnum, accipe coronā; si ducatum, accipe gladium. Ex his aliud concedas filio meo; sed corona cū iusticia tua est.* Statim dux cognouit de verbis Nicolai comitis, & dixit: *habeat filius tuus coronam, qui vnctus est: & da mihi ducatū*; statimq; gladium accepit. Rex itaq; inclinauit se ad pedes eius. ꝙ tamē nunquā vel raro solebat facere. Putabat enim eadē simplicitate dedisse coronā filio suo; sicut sibi Leuente dederat: sed dux præ timore hoc fecerat. Tandem sinistris suggestionibus malorum hominum rex & dux discordauerunt. Dux autē sicut erat sagacissimus, præcauens sibi ab insidiis regis, cum omni familia sua secessit in Poloniam ad socerum suum. Quod audiēs rex Andreas, timens illius machinamenta, filium suū Salomonem transmisit ad imperatorem socerū eius. Secuti sunt autem eum plurimi primates Hungariæ. Interea dux Bela omnē iniuriā, quam ei frater eius rex Andreas intulerat, notificauit socero suo duci Poloniæ: dux autem Polonię auxiliatus est ei fideliter & efficaciter. Dux itaq; Bela tribus agminibus soceri sui munitus reuersus est in Hungariam. Rex aūt Andreas prænoscens eum cum exercitu intrasse in Hungariam, ab imperatore Theutonicorum duos duces, videl. Wilhelmum & Poth in auxilium suum fecit adduci. Ducem quoq; Bohemorū, qui consanguinitate eidem attinebat, mercede cōduxit, & confidebat in multitudine cōductorum: Hungaros autē non multos habebat. Quāplurimi enim Salomonem filium eius secuti fuerant: & ex his, qui in regno manserāt, plurimi ad ducem Belam cōfluxerant. Nunciatum est autem Belę duci, ꝙ rex Andreas maximā haberet multitudinem cōductorū; elegitq; magis mori in bello, q̄ sine pugna ab exercitu regis declinare. Tūc intrepidus cōcitatum duxit exercitum super Andreā regem versus Tysciam. Wilhelmus vero & Poth duces Theutonicorum furore cōcitati cū agminibus suis festināter Tysciam transierūt. & cōmisso prælio ab vtraq; parte fortiter est pugnatum; sed adiuuante Deo dux Bela victoriā obtinuit: fere omnib. Theutonicis ibidē interfectis, & ducibus eorū comprehēsis. Porro Hūgari, qui erāt apud regē Andream, videntes victoriā fecisse ducē Belam, dimisso rege Andrea versi sunt ad ducē Belam. Rex autē Andreas fugit versus Theutoniam, sed euadere nō potuit. Captus est enim ad portas Musim: & negligenter detentus in silua Bokon ad crucem suam, quæ dicitur Stirem, mortuus est. Sepultus est autē in monasterio sancti Aniani confessoris; quod idem rex construxit in Thihon iuxta lacum Balaton. Sed & dux Bohemorum captus est, & sine scitu ducis Belæ exoculatus. Wilhelmus vero & Poth duces adducti sunt ad Belam ducem; qui eos liberos abire permisit.

DE CORONATIONE ET VITA REGIS Belæ primi, & exercitiis eiusdem.

CAPVT XLV.

DVx igitur Bela, vocatus Benim, victor cum triumpho venit in ciuitatē Albam; ibique regali diademate, inungētibus eum episcopis, feliciter est coronatus. Tenuit autem regnum pacifice sine molestatione hostium, & quæsiuit bona genti suæ. Inter cætera siquidem peritiæ suæ argumenta fecit fabricari nummos magnæ monetæ ex purissimo argento; & precium rerū venalium secundum certam quantitatem: iusto moderamine discretæ rationis constituit. Non enim permittebat mercatores & nummularios per detestabilem auariciæ voraginem simplicibus & rusticis superfluum lucrum cōgregare. Hęc est enim causa, quæ maxime solet populos paupertatis & inopię periculis obuoluere; sed secundum statutum precium vnusquisq; vēdebat & emebat sine iniuria & circumuentione. Iste enim omnia fora die sabbati constituit pro vendendo & emendo. Byzantiosq; misit currere per districtum regni sui. Argēteos etiam de-

Digitized by Google

narios, vt supra scriptum est, cudi fecit: quorum quadraginta Byzantius censsus erat: vnde & nũc denarii numero quadraginta aureus appellãtur: non quod sint aurei, sed q̄ tot denarii Byzantium valere illo tempore videbantur. Omnibus enim diebus vitæ suæ in tota Hungaria non est mutata moneta. Multa etiam alia fecit sempiterna digna memoria. Omnium enim qui secuti fuerant Salomonem regem, vxores & filias, & omnia quæ habebant integra & illæsa fecit custodiri, vt ad eum sponte reuerterentur: & cum bonis suis in pace degerent: vnde plurimi de illis facti fideles redierunt. Alleuiauit hic etiam affectu pietatis onus Hungarorum à debito seruitio; relaxans eis consuetas & antiquas exactiones. Quapropter Hungaria quam plurimum locupletata super omnes circũadiacentes regiones caput extulit, eas diuitiis vincens & gloria: tunc in ea pauperes locupletabantur & diuites gloriabantur.

DE HVNGARIS RVRSVS IN FIDE apostatare conatis.

CAPVT XLVI.

MIsit etiam rex clemẽtissimus per totam Hungariã præcones, vt de singulis villis vocarentur duo seniores, facundiam habentes, ad regis consilium. Quo audito non tantum hi, qui vocati fuerant; sed etiam omnes rustici & serui cum vniuersa plebe Hungariæ venerunt ad regem in Albam. Rex aũt & episcopi, cunctiq; proceres videntes immensam multitudinẽ, timuerũt, ne forte irruerent in eos: & intrantes ciuitatem obserauerunt eam. Plebs autẽ constituit sibi præpositos, quibus præparauerũt orcistrã de lignis, vnde ab hominibus possent videri & audiri: præpositi vero miserunt ad regẽ & ad proceres nuncios dicentes: *Concede nobis ritu patrũ nostrorum in paganismo viuere; Episcopos lapidare; presbyteros exterminare; clericos strangulare; decimatores suspẽdere; ecclesias destruere; campanas confringere.* His auditis contristatus est rex, & petiuit inducias dierũ trium ad deliberandũ super negocio. Interim vero præpositi plebis in eminenti suggestu residentes prædicabant nephãda carmina contra fidẽ. plebs autem tota cõgratulanter affirmabat, *fiat, fiat.* Cum autem tertia die responsum expectarent; milites armati ex præceptu regis irruerunt super eos, & aliquos ex eis obtruncauerunt; præpositosq; eorum ab altis præcipitando cõtriuerunt, reliquos autem ligatos duris verberibus flagellauerunt: & sic occidendo, ligando, flagellãdo seditionem eorum milites vix edomuerunt. Postquã enim S. rex Stephanus conuertit Hungariã ad Christum, bis ad paganismũ versa est: semel tempore regis Andreæ, secũdo tempore regis Belæ, sicut nũc scriptũ est. Piissimus aũt rex Bela completo regni sui anno tertio, in Demes regali allodio corruente solio confractus corpore irremedialiter cepit ægrotare; duxeruntq; eum seminecẽ ad riuulum Kanisa, propter quasdam regni necessitates; & ibi migrauit è seculo. Sepultus est autẽ in monasterio sancti Saluatoris, quod ipse construxerat in loco, qui dicitur Zewkzard. Hic enim Bela erat caluus, & in colore brunus: propterea suum monasterium ad suam dispositionem Zewkzard appellauit.

DE ADVENTV IMPERATORIS CVM REGE Salomone genero suo.

CAPVT XLVII.

REx autem Salomon audiens mortem Belæ regis, accessit ad socerum suum Imperatorem Theutonicorum, rogauitque eum, vt regnum Hungariæ sibi restitueret. Cuius precibus imperator libenter acquieuit; & cum illo nobili Romanæ artis exercitu, & illustri cœtu imperialis gloriæ Salomonem in Hungariam reduxit. Interim Geysa filius regis Belæ, sicut erat prudens & circumspectus, cum duobus fratribus suis adolescentibus assumptis se contulit in partes Poloniæ. non enim poterat impetum Salomonis & Theutonicorum tunc sustinere. Rex itaque Salomon cum imperatore sine difficultate intrauit in Hungariam rege orbatam; & securus venit in ciuitatem regiam Albam; ibiq; ab omni

omni clero & populo totius Hungariæ honorificentissime susceptus est. Concionatus est autē imperator ad vniuersum cœtum Hūgarorum pro genero suo rege Salomone; paceq; inter eos reformatam iurisiurandi religione interposita confirmauit. Regem autē Salomonem in paterno solio gloriose coronatū, cum assensu & acclamatione totius Hungariæ sedere fecit. Ipse vero imperator diuite gaza Hungariæ à rege Salomone largissime remuneratus; prospere rediit ad propria. Statim autem vt imperator discessit, Geysa illinc, quo se caute contulerat, in Hungariam accessit. Rex autem Salomon tanquam nouus & non expertus, & nondum in regno roboratus: timens ne forte Geysa cum exercitu Polonico super eum irrueret; paulisper retrocessit cum suis; & in castro Moson munitissimo tuta statione resedit. Porro episcopi, & alii viri religiosi, instanter satagebant inter eos pacem componere: maxime autem Desiderius episcopus delinitiuis ammonitionibus, & dulcibus allocutionibus suis mitigauit animum Geysæ ducis; vt Salomoni, quamuis iuniori, regnum cum pace redderet; & ipse ducatū, quē pater eius prius habuerat, pacifice teneret: Cuius salubrib' persuasionibus Geysa deposito rancore paruit. In festo autem sanctorum Fabiani & Sebastiani martyrum rex Salomon & Geysa dux coram Hungaria in Gewr pacem firmauerunt. Deinde festum dominicæ resurrectionis ambo simul cū plena curia Quinqueecclesiis celebrauerūt: vbi rex Salomon ipso die paschæ assistētibus regni proceribus per manus Geysæ ducis honorabiliter est coronatus; & in regiam beati Petri principis apostolorum basilicam ad audiēdam missam gloriose deductus. Vniuersa ergo cōgregatio Hungarorum vidētes pacem regis & ducis; & mutuam inter eos dilectionē, laudauerunt Deum pacis amatorem; & facta est lætitia magna in populo. Nocte aūt secuta ꝑgnosticū futuræ discordiæ & turbationis prouenit. Totam enim ecclesiā illam, & omnia palatia, cæteraq; ædificia ei appendētia, flamma corripuit, & vniuersa vastante incēdio corruerunt. Accepit aūt omnes timor præ nimia cōcussione flammarū stridētium, & terribili furore campanarū ex turribus ruentiū: nec sciebat quisquā quo se diuerteret. Rex & dux vehemēti stupore attoniti, & suspicione mali doli perterriti: quanto ocyus in diuersa se transtulerūt. Mane autē facto per fideles nūcios, & in veritate rerū cognouerunt; ꝙ nihil mali ex vtraq; parte perniciosa fraude fuerat excogitatū; sed forte inopinatū euenerat incēdium: rex & dux cū bona pace iterū cōueniūt. Misit itaq; rex Zolomerus Dalmacię, qui sororius Geysæ erat, nuncios ad regē Salomonē & ducem Geysam, & rogauit eos, vt ꝓpria persona eorū cōtra aduersarios suos, scil. Corinthios ipsum adiuuarēt, qui tūc marchiā Dalmaciæ occupauerāt. Rex igitur & dux collecto exercitu iuerūt in Dalmaciam; & ablatā ei restituerūt integrè. Regi igitur duciq; dona regalia ac preciosa palatia, aurū & argentum multū donauit. In reuersione autē eorum Atha Palatinus rogauit regē & ducem, vt in constructione monasterii sui, quod in honorem sancti Iacobi ædificauerat, in Zelyz interessent. quod & factum est.

DE EO, QVOD REX SALOMON ET DAuid frater eius liberos non habuerunt.

CAPVT XLVIII.

REX autem Salomon & Dauid frater eius liberos nunquam habuerūt, & in ipsis semē regis Andreę defecit. ꝙ ideo diuinitus factū esse credimus, quod, quādo Andreas primo in Hungariā reuersus est cum Leuēte fratre suo, propter hoc vt ipse regnū posset obtinere, permisit Vatam prophanum, & alios pessimos sanctū Gerardū, & multos Christianos interficere. Dux aūt Geysa genuit Colomanū & Almū, ac filias. Viguit autē tranquilla pax inter regem & ducē circiter annos tredecim. Interim autē Bohemi superbia inflati irruperūt versus vrbem Trenchen, & magnā prędam hominū & cęterorum animaliū rapiētes abduxerunt. Rex autē & dux pro magna iniuria hoc reputantes, cū suis exercitibus Bohemiam inuaserūt, & Bohemis ad conflictū venire nō audentibus, Hungari fere totam Bohemiam igne & gladio vastauerunt. Ibi Bator Opus Martini filius,

quendã Bohemũ instar gigantinæ magnitudinis corpus habentẽ, in certamine singulari viriliter prostrauit; propter quod memorabile factũ semper postmodum apud regem & omnes optimates Hungariæ gloriosus emicuit. Rex itaq; & dux iniuriam suorum super Bohemos grauiter vindicãtes, cum maxima præda captiuorum Bohemorum in Hungariam gaudentes sunt reuersi.

Magnus Bohemus occiditur.

DE IRRVPTIONE CVNORVM IN HVNGARIAM, & de bello regis Salomonis & ducum Geysæ ac Ladislai cum eisdem.

CAPVT XLIX.

POst hæc autem pagani à superiori parte portæ Meses ruptis indaginibus irruperunt in Hungariã, totamq; prouinciam Nyr vsque ad ciuitatem Byhor crudeliter deprędãtes, infinitam multitudinem virorum ac mulierum, cæterorumq; animaliũ secum trahentes per amnem Lapus & fluenta Zamus inopinabiliter transeuntes remeabãt. Rex igitur Salomon & dux Geysa cum fratre suo Ladislao, collecto exercitu festinantissime accelerauerũt per portã Meses trãseuntes priusquã Cuni mõtes transcenderẽt in vrbẽ Debuka: pœne per totã septimanam ibi aduentũ paganorũ expectarunt. Quidam aũt de speculatoribus nomine Franciska, qui erat in nouo castro, certificauit regẽ & duces, ꝙ quinta feria exercitus Cunorũ appropinquaret. Rex autẽ & duces cũ exercitu equitauerũt illuc vsq; properantes: & in nocte illa descẽderunt prope Cunos. Surgentes autẽ summo diluculo sexta feria omnes eucharistię cõmunione seipsos muniuerũt, & ordinatis agminibus suis ad cõfligendum cõtra paganos perrexerũt. Quod cum vidisset princeps militiæ paganorum nomine Osul, qui fuit seruiẽs Gyulæ ducis Cunorũ, sicut erat plurimũ inflatus superbia, ac nimiũ de se præsumẽs, inquit suis: *vadãt iuuenes super inermes Vngaros, & cũ eis ludi simile bellum committãt.* Nullos enim credebat esse, qui cum eis cõgredi auderent. Procedentes autẽ pagani cõtra Hungaros, viderunt terribilia eorum agmina: & perpropere renunciauerunt Osul principi suo. Qui coadunato cõducto exercitu Cunorũ, festinãter collegit se in supercilium mõtis altissimi; putans hoc sibi fieri pro maximo tutamẽto. Est enim ascẽsus grauissimus mõtis illius, qui ab incolis vocatur Kyrieleys. Congregatus est autẽ vniuersus exercitus Hungarorum ad radicem mõtis eiusdẽ. Milites enim regis Salomonis omnes pariter gestabant vexilla sua facta de syndone. Pagani autem in cacumine montis iam collocati fuerant; ex quibus fortiores & audaciores sagittarii descẽderunt in medium deuexi montis, vt Hungaros ab ascensu montis procul arcerent. Ceperunt itaq; tempestuosis imbribus densissimarũ sagittarum in turmas legionum regis & ducis desæuire. Quidam autem inclyti milites Hungarorum irruerunt super illos sagittarios, & q̃ plures ex eis in latere eiusdem mõtis occiderunt; & valde pauci equos suos arcubus suis verberando vrgentes vix ad socios ascendere potuerunt. Rex autẽ Salomon acerrimæ animositatis audacia fremebundus, per grauissimum ascẽsum cum agmine suo quasi reptando ad paganos ascẽdit: qui super eum densissimos sagittarũ imbres effundebãt. Dux autẽ Geysa, sicut erat semper prouidus, per leuiorẽ ascensum ascẽdẽs, sagittis irruit super Cunos: cuius frater Ladislaus quatuor ex fortissimis paganorũ primo impetu interfecit, & à quinto eorum sagitta grauiter est vulneratus, eodẽ mox ibidẽ interfecto. Postmodũ diuina miseratione à vulnere illo cito est sanatus. Pagani ergo atrocissima mortis illatione ab Hũgaris coarctati miserabiliter fugiebãt: quos Hungari celerius persequẽtes, acutissimos gladios suos sitibũdos in sanguinib⁹ Cunorum inebriauerũt. Capita quippe Cunorum nouiter rasa tanquam cucurbitas ad maturitatẽ nondum bene perductas gladiorum ictibus disciderunt. Vidit deniq; beatissimus Ladislaus dux vnum paganorũ, qui super dorsum equi sui ducebat vnam puellã Hungarã speciosam. sanctus ergo Ladislaus putans illã esse filiã episcopi Waradiẽsis, & quãuis esset grauiter vulnerat⁹, tamẽ illum celerrime ꝓsecutus est super equo illo, quẽ Zug nominabat. Cum aũt attingeret, vt eum lãcearet, minime poterat: quia nec equus eius celerius currebat, nec equus illius aliquantulũ remanebat: sed

Non pugnant Vngari nisi Eucharistiam sumentes

Conflictus inter Vngaros christianos et paganos

sed quasi brachium hominis erat inter lanceam & dorsum eius. Clamauit itaq; sanctus dux Ladislaus ad puellam & dixit: *soror speciosa, accipe Cunum in cingulo, & iacta te in terram*: quod & fecit. Cumq; beatus Ladislaus dux procul illũ lanceasset in terra iacentem, voluit eum interficere; quẽ puella valde rogauit, ne eum interficeret, sed vt dimitteret. vnde in hoc notatur, quod fides in mulieribus nõ sit; quia forte amore stupri illum liberare voluit. Sanctus autẽ dux cum eo diu luctando & abscisso neruo illum interfecit: sed illa filia episcopi non fuit. Rex igitur & gloriosi duces fere omnibus paganis interfectis, & omnibus Christianis à captiuitate liberatis vna cum felice embola totius Hungariæ cũ triumpho victoriæ gaudentes redierunt. Facta est igitur lætitia magna in tota Hungaria, & hymnis & confessionibus benedicebant deum, qui dedit eis victoriam.

DE IRRVPTIONE BISSENORVM in Hungariam: & de obsidione Albæ Bulgaricæ per regem & duces, & de captione eiusdem.

CAPVT L.

FACTVM est autem tertio anno post aduentum Cunorum, vt Risseni per Albam Bulgaricam venientes transnatauerint flumen Zaua in campũ Bazias; & non modicam gentem captiuorum & prædarum diripientes in suã terram abduxerint. Rex autem & dux imposuerunt crimen traditionis Albæ Bulgaricæ; eo quod pace defraudata voluntarie permisisset latrunculos Bessorum deprædare Hungariam. Collectis itaq; exercitibus conuenerunt in Zalankemen, vbi consilio deliberantes decreuerunt, Albam traditricem obsideri oportere & expugnari. Inde castra mouentes descenderunt circa flumen Zauam in directo Nandorfeywar. Exiit autem edictum à rege & duce, vt vniuersus exercitus Hungarorum quanto ocyus transiret fluuium Zauam in Bulgariã. Græci autem & Bulgari nauigantes in celocibus suis, per ingenia sufflabant ignes sulphureos in naues Hungarorum; & eas in ipsis aquis incendebant. Victi sunt autem igniuomi Græci ab Hungaris præ multitudine nauium, quibus flumen operuerant. Fugientibus autem Græcis ac Bulgaris, transierunt Hungari & terminos Bulgarorum occupauerunt. Rex autem & dux secunda feria transierũt Zauam; & mane facto ordinauerunt acies suas; & plenis manipulis suis vniuersaliter per turmas suas insertis vmbonibus obsederunt ciuitatem. Græci igitur & Bulgari timentes ex obsidione periculũ sibi imminere; rogauerunt Bissenos per clandestinos nuncios, vt sine pauore venirent in adiutorium ipsorũ; eo quod nec rex, nec dux ciuitatem eorum obsedisset: sed tantum comes Vid cum Bachiensibus militibus eos inuasisset. Bessi ergo fraudulentis verbis eorum seducti festinanter venerunt in adiutorium ipsorum, & cupiditate prædæ allecti, cuius de comite Vid deuicto sperabant se esse participes, irruerunt super agmina Soproniensium; quorum rector erat comes Ian nomine. Hic autem insultus Bessorum viriliter & fortiter cum Soproniensibus superauit: plurimis eorũ in ore gladii prostratis; residuis autem eorum in captiuitatem abactis: princeps Bissenorum nomine Kazar cum paucissimis fugiendo manus Hungarorum vix euasit. Rex igitur & dux eidem militi IAN munera regalia condignasque grates liberalitate regia contulerunt; eo quod ipse multa millia Bissenorum tãquam lapis limpidissimus vasa fictilia contriuisset priusquam rex & dux cum exercitu suo de ientaculis capita leuassent. Regi autem & ducibus Geysa & Ladislao super rupem, quæ eidem ciuitati proxima est, residentibus; ceperunt Hungari præsentare captos Bissenos, & capita interfectorum, ac equos, & supellectilia: quæ in quarta feria à mane vsque ad inclinationem meridiei plene perficere non potuerunt.

Hoc autẽ ideo factum est, vt Græci & Bulgari, qui obsidebãtur, videntes Bissenos, in quib. sperabãt, tam crudeliter ab Vngaris obtrũcatos; timerent, & semetipsos cũ ciuitate regi & ducibus cõtraderent. Porro, rex & duces ad expugnandũ ciuitatẽ cõuenientiora loca ꝓspicientes, præceperũt carpentariis, vt ibi

turres ligneas octo, altitudinem murorum duplo superantes fabricarent; vnde milites in medium ciuitatis lapides & sagittas super homines iacularētur. Inter turres vero totidem tormenta ad destruendum muros erexerunt, longos etiam pluteos ad defendendos introitus turrium: cæteraque instrumenta bellica cōposuerunt. In quibusdam itaque locis destruxerunt muros eius vsque ad fundamentum, sed ciuitatem ipsam capere non poterant, quia eam intrinsecus fortissimi bellatores defendebāt. Obsederunt itaque ciuitatem duobus mensibus, infra quos sæpius congressi sunt cum Saracenis de ciuitate egredientibus: & ex eis alios occiderunt, alios autem fugauerunt. Post hæc tres Saraceni fortissimi & audacissimi de vrbe prosiliunt, iaculis, lanceis, & sagittis duram plagam Hungaris propinantes.

SALOMON autem balistarius regis vnum illorum ictu balistæ fulminauit; cuius cadauer Hungari nitebātur rapere; socii vero eius de prædictis acriter dimicantes defenderunt. Rex autem & dux videntes eorum conflictum, circumstantibus aiunt militibus: *vtinam sanguis & cor Machabæorum efferbesceret in militibus, qui defensarent Hungaros ab his Saracenis præmunitione arcis audacter pugnantibus, vt Hungari cadauer Saraceni raperent.* Hoc audito Opus, Gregorius, & Bors, milites bellicosi, concitato impetu in modum fulguris irruerunt super illos. Quos quidem Opus nimium audacter persequens, vsque ad vrbis portas fugauit; pugnatores iactabant lapides & sagittas de propugnaculis ciuitatis. Opus tamen sine læsione rediit. Interea autem, Georgius & Bors exhortati sunt Hungaros, qui corpus Saraceni rapuerunt, & in turpitudinem proiecerunt.

In tertio vero mense obsidionis quædam puella Hungarica olim illuc per captiuitatem abducta, in quarta feria ciuitatem succendit. Flabat autem subsolanus vehementissime, cunctaque ædificia occupauerunt incendia. Exercitus itaque Hungarorum irruit in ciuitatem ea parte, qua muri eius per tormenta iam corruerant, & Græcos, Saracenos atque Bulgaros crudeliter trucidarunt: qui autem residui fuerant cum Nicota duce eorum, fugerunt in arcem. Hungari ergo capta ciuitate sequenti die postquam ignis resederat, videntes scrobes Græcorum, descendentes tulerunt exinde aurum multum & argentum, lapides preciosos, gemmasque prælucidas; & thesaurum fere inæstimabilem. in cuius partitione orta est discordia inter regem & ducem: nullusque fuit ex Hūgaris, qui ibi locupletatus non fuisset. Porro, in arce reclusi rogauerunt regem & duces, vt eis vitam & libertatem donarent, arcem & vniuersa sibi vendicarent. Manibus itaque regis & ducum in fidei pignus extensis, quod eos amplius non læderent, omnes, qui in arce erant, descenderunt. At dux Nicota portans argenteam iconē sanctissimæ genetricis dei semper virginis Mariæ cum magna multitudine populi veniens, in potestatē ducis Geysæ se contulit. Sciebat enim Geysam ducem deuotum deo, & captiuos seu afflictos misericordiæ visceribus refouentem. Ad manus autem regis Salomonis pauci venerunt, quia nouerant ipsum esse austerum & pessimis consiliis Vid comitis in omnibus auscultantem: qui Vid deo & hominibus detestabilis erat. Cumque vidisset rex plures ad ducem ex illis confugisse, paucos autem ad se, plurimum indignatus est. Cum autem reuersi essent cum thesauro inæstimabili, venerunt in villam Buzias in prædium Vid: volebantque diuidere thesaurum & captiuos, & illos etiam, qui ad fidem illorum venerant de castro. Duce autem regi in hoc contradicente diuidere non potuerunt.

Hæc ergo causa fuit malorum, & seminarium discordiæ inter eos. Præterea cum thesaurum diuiderent, rex cum consilio Vid, & Franck episcopi, & Radoan filii Burgar, & Iliæ generi Vid in quatuor partes diuisit, deditque quartam partem duci, vt de reliquis tribus sibi vnam haberet cum militibus, secundam autem Vid, tertiam autem Iliæ: vnde dux valde molestatus est.

DE DISCORDIA REGIS SALOmonis & ducum Geysæ & Ladislai.

CAPVT LI.

INTEREA imperator Græcorum audita liberalitate ducis Geysæ, misit ad eum nuncios ad firmandam pacem & amicitiã. Dux autem remisit ei omnes captiuos, & omnes, qui ab arce descenderant. ad regem autẽ Salomonẽ nequaquam misit rex Græcorum. vnde & rex Salomon super Geysam ducem inuidiæ facibus magis ac magis exarsit. Comes etiam Vid peruicaciter instigabat regem, vt ducem Geysam expelleret, & ducatum eius sibi vendicaret; & hoc facile fieri dicebat, eo, quod rex multo plures milites quam dux haberet. nec differendum, sed magis accelerandum esse, suggerebat. seducebatque regem hoc prouerbio: *sicut duo gladii acuti in eadem vagina contineri non possent; sic nec vos in eodem regno conregnare potestis.* Rex ergo venenosis verbis comitis Vid infectus, odium & rancorem concepit. Exinde itaq; quærebat oportunitatem aut capiendi ducem Geysam per insidias, aut debellandi. Dissimulabat tamen rex & simulata amicitia dimisit ducem abire in ducatum.

DE DOLOSITATE REGIS, BELLISque duobus ducum contra regem, & de victoriis eorundem.

CAPVT LII.

POST hæc itaq; misit rex ad vtrumque ducem; vt ambo simul ad regem venirent, & cum exercitu super Nyr castrum Græcorum proficiscerētur. Rex enim dolose intendebat eos perdere; vt si ambos improuisos capere posset, de cętero securus fuisset. Duces autem insidias regis percipientes, sibi caute cõsuluerunt. Ladislaus cum medietate exercitus in partibus Nyr remansit. Geysa vero cum rege profectus est, nec ausi sunt quidquam molestiæ ei inferre: quia Ladislaum in manu valida fratris vltorem fore non dubitabant. Interea viri de Nyr multũ in auro & argento & preciosis palliis regi & duci Nyr abundãter obtulerunt. deinde reuertentes ab vrbe Kene rex & dux ab inuicẽ sunt diuisi. Ladislaus autẽ cõsilio fratris sui de ciuitate Byhor iuit in Rusciã, quærere auxilium amicorũ suorũ, vt cõtra machinamẽta regis sese pręmuniret. Iam enim omnib. innotuerat iniuria & discordia regis & ducũ. Post hęc collectis exercitib. nunciis freq́uẽter missis, tandẽ rex & dux venerunt Strigoniũ, ibiq; ex conducto vtriq; eorũ tantũ cum octo hominib. inter episcopos & principes nauigauerũt in insulã ciuitati ꝓximã ad colloquẽdum. vbi dum diu semetipsos incusant & excusant, tandem roborato fœdere pacis, Geysa rediit in ducatum. Rex autem venit in Albam. Post hæc misit rex ad Geysam ducem Vid deo detestabilem, & Ernei mansuetum. quos Geysa fecit caute custodiri, præ timore traditionis Vid. Misit etiã dux ad regẽ episcopũ Waradiens. & nequã Vatha. quos & rex fecit similiter custodiri. Rex autẽ de villa Megyer iuit versus flumẽ Rapcha in cursum trium ducum Theutonicorum. quos in auxilium sibi contra ducẽ Geysam expectabat. Quia vero dux nec fratrem suum præsentem habebat, nec amicorum auxilium, misit Vid & Ernei ad regem data treuga à festo sancti Martini vsque ad festum sancti Georgii. quo audito rex remisit Vathã & episcopũ Waradiens. Porro, eo tempore rex natalẽ celebrauit in loco, qui dicitur *geminum castellum.* deinde venit Zalam, vbi Marcharth dux Theutonicorum & Vid instigauerunt regem vt ducem debellaret. Suggerebat enim Vid regi hoc & huiuscemodi: *Ecce, nunc facile potes & indubitanter ducem deuincere. quia destitutus est omni auxilio, & si distuleris eum aggredi vsque ad datas inducias, erit spes euadendi.* Cumque rex SALOMON venisset ad Zegzard, & castrametatus esset super locum Kestelci, venit audire vesperas in monasterio sancti Saluatoris. post vesperas vero in monasterio VID & alii consuluerunt regi, dicentes: *Domine: noueris, quod Ladislaus in Rusciam iuit, &* LAMPERTVS *in Poloniam, conducere exercitum fratri eorum duci* GEYSÆ. *sæpe consuluimus tibi, &*

Digitized by Google

nunc veniamus super ducem, qui venatur in Inguuam: noctis in silentio impetum faciamus super eum: capiamus eum & oculos eius eruamus; vt cum Ladislaus & Lampertus venerint vel exercitum secum duxerint, contra nos stare non possint. Et cum hæc audierint, etiam regnum intrare non audebunt. & potestis facere; quia omnes consiliarii sui tibi fideles sunt; & ducatum mihi dabis, & ita confirmabis coronam tuam. Rex autem hoc audito promisit se cogitaturum vsq; ad matutinas, & placuit consilium ante oculos eius. Abbas autem eiusdem loci nomine Villerinus Latinus, qui erat in abscondito loco clausus, quasi deum precans in monasterio, audiuit consilium quod factum est. Qui statim nuncium misit ad ducem, & literas, vt sibi de rege caueret. Cum autem nuncius ad ducem venisset, erant ibi iniqui consiliarii, & ipsius ducis traditores, Petrud scilicet, Zounuk & Bykas, qui dixerunt: *Domine dux, ne timeas; quoniam abbas ebriosus est, & in ebrietate sua ad vos nunciũ misit, & nescit quid loquatur.* Hoc autem dicebant, quia volebant tradere ducẽ in manus Salomonis. Dux autẽ in illis confidens, ibidem, scilicet in Inguuã, venabatur. sed fratrem suum Ladislaum misit in Bohemiam: quia iam tunc reuersus erat de Ruscia sine subsidio, vt rogaret Othonem ducem Bohemorum, vt ipsis in necessitate positis auxiliaretur. In eodem mane, quando rex se cogitaturum statuerat, cum venissent ad matutinas, Abbas idem abscondit se in monasterio, vt audiret consilium; eo ꝙ fidelis erat duci: quia filius fundatoris ecclesiæ suæ fuerat. Cantatis igitur matutinis cum omnes exiuissent, rex & Vid ibidẽ remãserunt, & tale consilium statuerunt, sicut Vid regi facere laudauerat. Hoc autem prædictus abbas audierat, monachalemque statim deponens habitum, & laicalem induens, gladiumque accingens, ascendit equum, & venit citissime ad ducem, quem mane dormientem inuenit, & excitauit dicens: *Fuge dux, & si non fugeris, statim milites Salomonis ad capiendum te appropinquant.* Dux vero collecto exercitu suo voluit citissime ire in partes Bohemię pro fratre suo Ladislao; sed rex obuiam ei veniebat. *Regebat autem Vid sic regem, sicut magister discipulum: eratq; sibi de iure sine omni iure subditus. quod cauendum est omnibus hominibus: sed maxime regibus*: lactatusq; pessimo Vid perfidi consilio mouit exercitum super ducem. Dux vero cum exercitu suo obuiauit regi in Kemey. Principes autem ducis, immo traditores, miserunt clanculo nuncios ad regem dicentes: *Quod si rex eos in dignitatibus teneret, & in gratiam susciperet, ipsi in bello relicto duce ad regem confluerent.*

Rex autem certificauit eos super hoc præstito iuramento, & securus tunc transiuit Tysciam glaciatam super ducem. Cumq; appropinquassent ad prœlium, rex apud ecclesiam filii Nog armauit se, & coadunauit agmina sua ad dimicandum, & impetum fecit super ducem: ac ducem auxilio suorum fraudulenter destitutum superauit. Principes autem Geysę, Petrud & Bykas in ipso prœlio cum tribus agminibus castrorum verterunt se ad Salomonem, sicut ei promiserant. Dux vero Geysa, quamuis maxima parte exercitus sui esset destitutus, non tamen abhorruit vno tantum agmine stipatus contra triginta Salomonis agmina sæuissimum prœlium committere. Traditores autem fugientes leuabant clypeos suos in signum, quod regi dederant, quemadmodum Iudas traditor, qui dederat signum; ne milites regis eos persequerentur. Exercitus autem regis ignarus proditionis signi, & videns agmina ducis fugere; persecutus est ea vsq; ad interemptionem; ita, vt vix paucissimi ex illis traditorib. mortem euaserint. & vtinam ex eis nullus euasisset: qui dominum suum benefactorem sceleratissime tradiderant. Omnibus autem militibus suis pereuntibus declinauit dux à bello; transiuitq; Tysciam in Chotoyd, & Georgium Nigrum, capellanum suum ad fratrem suum Ladislaum transmisit, vt quam citius posset, ad eum festinaret. Iuancam vero clericum suum literatum misit ad Lampertũ. Cumq; Geysa equitasset vsq; Vaciam; obuiauit fratri suo Ladislao, & Othoni duci sororio eorum, cum auxilio valido venientibus. Cumq; dux Geysa vidisset fratrem suum Ladislaum, præ nimio dolore flebat; quia bonos & fideles suos amisisset, & de traditoribus conquerebatur. Ladislaus autem animo fortis

fratrem

Salomon rex.

fratrem suum confortabat ne fleret, sed potius omnipotentis dei clementiam exoraret; vt victorem victis subiugaret: quemadmodum forma bellorum est. Rex autem & dux ante quadragesimam pugnauerant in Kemey quarta feria post dominicam, qua cantatur, *Exurge*. In hoc autem bello Opus filius Martini de genere Vecellini miles gloriosus, militem ducis, nomine Petrum, audacissimum super equum submirteum, cæterosque præcedentem radiante lorica & deaurata galea perspicuum, atque ad conflictum milites prouocantem, singulari certamine superauit. Nam de agmine Salomonis ad prædictum militem solus Opus super giluo equo in lorica cutullata euulsus, in modum fulminis ictu lanceæ rupta lorica Petrum per medium cor transfixit. In eodem autem bello tantam stragem crebris ictibus gladii sui fecit Opus, quod prę nimia reciprocatione ictuum dextera eius obriguerat, & capulo gladii sui adhæserat. Rex autē Salomon, & maxime Theutonici mirabantur de potentia & audacia Opus in pręlio. Rex igitur victoriam potitus transiuit Tysciam congelatam in Thoroyd; & descendit in curiam filii Petri, ibiq; audiuit Geysam obuiasse Ladislao & Othoni ducibus, cum valida multitudine pugnatorum ad se venientem. Vid vero detestabilis vrgebat regem his verbis: *Nouiter exercitum eius confecimus; nobiliores occidimus; timorem et immisimus; & nunc seruos congregauit; messores coadunauit; & eorum agmine se stipauit. Nihil ergo debemus dubitare, quin eos in momento deuorabimus. Bohemicum vero agmen omnibus consodalibus in eis acquiescentibus ego cum Bachiensibus præmaturæ mortis periculis afficiam.* Erney autem semper pacis amator cum hoc audiuit flebat. quem cum Salomon vidisset flere, dixit: *Comes Erney, videtur mihi, quod tu fidelis sis duci; tantummodo apud me simulatus manes.* Cui Erney respondit: *Nequaquam domine; sed nollem, quod cum fratribus tuis pugnares; & vt milites interficerent se inuicem; filius patrem, vel pater filium.* Deinde Vid comiti dixit: Erney, *tu laudas domino pugnare cum fratribus & dicis; quia falcatores & furcantes coadunasset, vide quia mille falcātes quod incidunt, decem millia furcatorum congregare non potuerunt, & absq; deo numerare non valebunt. nobis aptum est pro rege mori; sed esset melius, vt potiori vteremur consilio.* Rex ergo in verbis Vid confidēs, festinauit cum exercitu suo, & in quarta feria descendit in Rakus. sed & duces Geysa, Ladislaus, & Otho, ac totus exercitus Hungarorum, qui erat cum eis, descenderunt circa Vaciam. Fuit autem ibi magna silua, & nemo in ea manserat, præter vnum eremitam nomine Vacz sanctæ vitæ: & cuius nomine dux Geysa illi ciuitati postea ibi constructæ nomen imposuit. Cum igitur exercitus prædictus Salomonem contra se expectaret; duces quodam mane in equis causa cōsiliandi stabant in loco, vbi modo est capella lapidea beati Petri apostoli; tractantes, qualiter essent pugnaturi. & dum ibi starent, clara die, vidit beatus Ladislaus visionem de cælo, & ait ad Geysam ducem, fratrem suum: *vidisti aliquid?* qui respondit, *nihil.* Tunc beatus Ladislaus subiunxit; *Dum staremus hic in cōsilio, ecce angelus domini descendit de cælo, portans coronam auream in manu sua; & impressit capiti tuo: vnde certus sum, quod nobis victoria donabitur, & Salomon exul fugiet debellatus extra regnum: regnum vero & corona tibi tradetur à domino.* Cui Geysa ait: *si dominus deus fuerit nobiscum, & custodierit nos ab inimicis nostris, & visio hæc fuerit adimpleta, ædificabo hic in loco isto ecclesiam sacratissimæ virgini Mariæ genitrici eius.*

Visio sancta Ladislai.

Hoc dicto castra mouerunt; & descenderunt in allodium, quod dicitur Zingota. Mons autem quidam nomine Moniorod interiacebat exercitum. & lucescente quinta feria volebant prœliari; sed densissima obscuritas superuenientis nebulæ eos impediuit. Nocte vero insequenti dextrarios suos per habenas in manibus tenentes; ortum solis pręstolabantur. In diluculo autem sextæ feriæ rex ordinatis agminibus suis equitauit trans verticem montis MONIOROD; & præcepit salinariis, vt in latere eiusdem montis remanerent; quatenus hostes videntes turmas illorum, non sarcinas, sed in præsidio constitutos esse putarent. VID autem dicebat: *statim vt exercitum nostrum viderint fugient.* sed & duces summo mane suas acies ordinauo-

Digitized by Google

runt. Cumque Ladislaus se armaret, in terram se prostrauit, & omnipotentis dei clementiam postulauit; & beato Martino votum vouit, vt, si dominus ei victoriam concederet, in eodem loco ecclesiam in honorem beati Martini construeret. quod & factum est. In medio siquidem Bihoriensi agmine Ladislao locato ex sinistra parte, Ottonem ex dextera constituerunt; Geysam vero in Nitriensi agmine in medio collocauerũt: præterea ex vtraq; parte ter tria agmina quaternatim connectendo conseruauerunt. Cumq; rex de monte descenderet, exercitus Geysæ, qui in inferiori loco erat, videbatur elegantior cunctis exercitibus Salomonis. Quo viso, dixit Erney ad comitem Vid; *mirũ est, si agmina ista fugiant à facie nostra, quia Danubium post dorsum eorum non dimisissent: sed puto quod ipsi proposuerunt vincere siue mori.* Dux autem Ladislaus ante exercitum suum super arduum equum residens gratia exhortandi suos & animandi, in gyrum flexit habenas. Cumque tetigisset veprem lancea, quædam hermellina albissima mirum in modum lanceę eius insedit, & super ipsam discurrendo in sinum eius vsque deuenit. Cum autem commissum esset prœlium, comes Vid & Bachienses in primo ictu à Bohemis miserabiliter sunt prostrati. Ladislaus autem dux commutauerat signa sua cum vexillo ducis Geysæ, ea intentione, quod Salomon audacius inuaderet illud agmen, in quo signa Geysæ gestabantur, putans esse agmen Geysæ, quem nuper deuicerat. Dux autem Ladislaus affectabat custodire fratrem suum Geysam ducem ab insultu Salomonis; & ideo primos impetus belli in se maluit experiri. Rex itaque cum venisset ad agmẽ Ladislai, ipso cognito, timore eius perterritus, præcepit signiferis declinare agmina super agmina ducis Geysæ. Ladislaus autem videns regem præ timore diuertisse à se, ipse primus omnium irruit super agmina regis: cunctiq; milites eius impetum fecerunt super eum à tergo. Sed ex aduerso Geysa dux cum suis acriter inuasit eosdem. Milites autem Ladislai agmina Salomonis tanquam in cortinis retro respicientia terribili tinnitu gladiorum sauciata in morte conclusserunt crudeli. Sed ex transuerso milites Geysæ pocula diræ mortis eisdem propinarunt. Cæduntur Theutonici, fugiunt Latini, locumq; fugæ non inueniunt, & cadunt ante Hungaros vt boues in macello. Rex autem Salomon fere omnibus suis interfectis aufugit, & in Zigetfen Danubium transiens cum Opus Martini filio venit tandem in Moson ad matrem & vxorem: persecutusq; est eum & suos exercitus ducum à mane vsq; ad vesperam. In præfato namq; prœlio nõ solum Theutonici aut Latini ceciderunt, sed & maior pars militiæ regni Hungariæ dicitur corruisse. Duces autem Geysa & Ladislaus triumpho victoriæ diuinitus sublimati, super cadauera interfectorum deo ter laudes proclamauerunt. Dux autem Ladislaus, sicut erat semper eximiæ pietatis, videns tot millia interfectorum, quamuis inimici eius fuissent, qui occisi erant; tamen cõmota sunt omnia viscera eius super illos, & fleuit eos amare: scindens sibi genas & capillos planctu magno tanquam mater in funere filiorum. Postea de spoliis eorum constructa est ecclesia de Moniorod. Marcharth vero dux Theutonicorum, & Semtepolug dux Bohemorum capti sunt, militibus ipsorum interfectis, & ipsis grauiter vulneratis. Cumq; Ladislaus perambularet gemens in cadaueribus mortuorum; videns cadauer Erney comitis, statim de equo prosiliit, & ipsum amplexatus est, cui flens dicebat: *Ernei comes pacis amator; doleo super te, quasi super fratre meo: quia cor tuum & consilium tuum pace plenum erat.* Quẽ manu propria leuans osculatus est, præcepitque militibus suis vt eum Baciæ honorifice sepelirent. Cumq; idem Ladislaus ex alia parte ambularet; vidit cadauer Vid, & ait: *Doleo super morte tua, quãuis nobis semper inimicus fuisses: vtinam vixisses & conuersus fuisses, & pacem inter nos firmasses. Sed miror, quia de genere ducum non fuisti, cur ducatum volebas? nec de propagine regum; quare coronam optabas? video nunc quia cor, quod ad ducatum anhelabat, lancea perforatum iacet: & caput, quod coronam optabat, gladio scissum est*: sed & ipsum sepelire præcepit.

Milites ergo Geysæ & Ladislai, qui in bello de consilio Vid exorto de morte fratrum vel filiorum amaritudine repleti fuerant, statim de equis descenderunt,

Digitized by Google

Salomon rex.

derunt, & pectus cum cultello scindentes ad oculos suos diuerterunt, & terrã in oculos eius proiicientes dixerunt: *Nunquã oculi tui rebus & nobilitate saciati sunt; nunc autem oculos tuos & pectus terra satiet.* Dux autem Bohemorum Otho, qui animam suam pro eis posuerat, copiose remuneratus repatriauit. Cumq; Salomon venisset ad Moson, videns mater eius, fleuit, super eum, sicut debet super vnicum filium suum, qui tantis bonis à deo priuatus fuerat & increpabat dicẽs: *Fili charissime, nunquam consilium meum audisti, nec consilium Erney, nec consilium aliorum fideliũ tuorum: sed semper acquiescebas consilio Vid; & ecce destruxisti te & tuos: nonne semper laudaui, & dixi, quod sufficit tibi corona Hungariæ, & vt dares ducatum in pace fratribus tuis? nunc autem Vid dux esse non potuit; nec tu amplius coronaberis.* quo audito, rex iratus voluit matrem suam in faciem percutere. cuius manum vxor eius retinuit. Iam enim cognouerat rex Salomon, quod non auxiliaretur ei dominus in bello. & in eadem nocte collegit se festinanter in Moson & Poson; quæ castra iam pridem muniuerat: matrem quoque & vxorem suam, quando in prœlium iuit, illic reliquerat.

QVOMODO DEVICTO FVGATOque Salomone rege, rex Geysa primus extitit coronatus.

CAPVT LIII.

PORRO duces Geysa & Ladislaus cum exercitu Albam venerunt. Deinde castrum Portæ, Bobuch & Albam, & alia castra fortissimorum militũ præsidio munientes; dimissoq; exercitu habitabant in Hungaria. Tunc Geysa dux magnus compellentibus Hungaris coronam regni suscepit. Post coronationẽ autem veniens in locum, vbi visio facta fuerat; cepit cum fratre suo Ladislao ꝓponere de loco fundamenti ecclesiæ ad honorem virginis matris fabricandæ. Et dum ibi starent iuxta Vaciam, vbi nunc est ecclesia beati Petri apostoli; apparuit eis ceruus, habens cornua plena ardentibus candelis; cepitque fugere coram eis versus siluam; & in loco vbi nunc est monasterium fixit pedes suos. Quem cum milites sagittarent, proiecit se in Danubium, & eum vltra non viderunt. Quo viso, beatus Ladislaus ait: *vere non ceruus, sed angelus dei erat:* & dixit Geysa rex: *Dic mihi dilecte frater; quid fieri volunt omnes candelæ ardentes in se in cornibus cerui?* Respondit beatus Ladislaus: *Non sunt cornua, sed alæ; non sunt candelæ ardentes, sed pennæ fulgentes; pedes vero fixit, quia ibi locum demonstrauit, vt ecclesiam beatæ virgini non, nisi hic, ædificari faceremus.* Vt autem locus primæ visionis nõ sit sine ædificio, à Geysa rege & eius fratribus decretum est; vt ibi capella in honorem beati Petri principis apostolorum fundaretur. Rex igitur Geysa fundauit ecclesiam Vaciensem, & dotauit eam prædiis multis & possessionibus: non autem solum ecclesiam illam, verum etiam Budensem. cui constituit tributum de Pesth & tres villas in Simigio ac ornamenta preciosa. Eo tempore Bisseni vnanimiter rogauerunt regem Geysam, vt si eos libertate donaret; ipsi insultus regis Salomonis omnino coercerent; ita quod nec auderet exire Moson & Poson ad tentandam Hungariam. Rex autem Geysa se petitioni eorum condescẽsurum promisit, si ipsi hoc, quod promiserant, adimplerent. Bisseni itaque cum principe eorum Zultan nomine equitauerunt super regem Salomonem. Rex autem Salomon marchionem Theutonicorum promissa pecunia in auxilium asciuit. Cumq; obuiam ageret Bissenis marchio, videns horribiles aspectu & terribiles timuit: præsertim quia subiit in mentem ipsi quam miserabiliter perierant per Hungaros Villermus, & Poth, & Marchard duces. Dixitq; regi simulatorie, quod in quadragesimali tempore bellum non committeret. Sed si rex vellet, confligeret: & si Bisseni præualerent, tunc ipse indubitanter regi auxiliaretur. Et sic ascendit cum suo exercitu in montem Bachy, & inde prospiciebat conflictus prœliantium.

Cum autem venissent ad conflictum, Bisseni fugerunt à facie Salomonis sicut fluit cera à facie ignis; & multis ex eis interfectis; aliis in stagno Ferœn sub-

mersis; pauci cum Zultan fugiendo euaserunt. Victis itaque Bissenis marchio pecuniam petiuit à Salomone. cui ille nihil dedit. ipse autẽ minabatur ei, quod eum ante imperatorem accusaret, quia per timore se ostendere non esset ausus vilissimis Bissenis. Marchio itaq; prædictus, nomine Hermich, iratus voluit venire super Salomonem: sed timens imperatorem, cessauit, & tristis reuersus est ad propria.

DE ADVENTV IMPERATORIS IN auxilium regis Salomonis.

CAPVT LIV.

POSTEA autem rex Salomon metuens Geysam regem & ipsius fratres, cum rebus & familia Stiriam introiuit; & in claustro Agmund, matre & vxore derelictis, in Moson est reuersus; volens collecto exercitu inuadere fratres suos. Cumque de die in diem Salomon deficeret, sed illorum processus reciperet felicia incrementa: confusus ad Cęsarem direxit gressus suos, vt ei auxilium tribueret in Hungariam reuertendi. Et licet pecuniam dedisset affluenter pro militibus solidandis, Theutonici tamen & Latini cum ipso ob metum non venerunt Hungarorum. Rex autem Salomon conquerebatur Cæsari de amissione regni, dicens: *Quod de regno suo violenter esset expulsus; & non tantum sibi sed magis imperio Cæsaris hæc iniuria esset illata: & dicebat; tua quippe Hungaria, tuum regnum, in quo me regem constituisti, me regnante optima quæq; regni illius tuæ maiestati gratanter offerebantur annuo censu; & secundum mandatũ tuum tibi seruiebatur. Nunc autem hæc omnia tibi denegantur ab his, qui imperio tuo detrimenta machinantur: Quapropter venias in Hungariam & tuam vlciscaris iniuriam super hostes tuos, & regnum tibi vendices.* His igitur verbis imperator motus, cum magno exercitu intrauit Hungariam. Alimentum vero ad vsum sui exercitus abunde nauigio ferebatur in Danubio. Cumq; venisset imperator ad flumen Vag; Salomon acceptis tribus agminibus equitauit de Sempte super Nitram. Exeuntes autẽ iuuenes cõfligebant secum: nunc his nunc illis fugientibus, & diu sine vulnere certantibus. Opus miles electus ex militibus, sedens super dexterarium suum irruit super portam ciuitatis, & vnum de pugnantibus fulminauit. Nitrienses vero de morte socii sui turbati acriter ingemebãt; & in Opus iaculantes lanceas dextrarium eius interfecerunt. Ipse autem fortiter eis resistens illæsus euasit. Inde ergo reuertentes Theutonici narrabant imperatori audaciam Opus, & incredibilem eius potentiam in prœlio. Imperator autem accersitum eum magnis laudibus commendauit, & verbis dulcibus gratificauit. Quæsiuitque à Salomone, si apud Geysam & Ladislaum essent multi tam boni milites. Salomon autem intendens laudare Hungaros, impræmeditate respondit; *multi sunt*, inquiens, *etiam multo meliores*. Cui imperator, *si ita est*, inquit, *talibus militibus repugnantibus non recuperabis regnum*. Rex autem Geysa audiens imperatorem peruenisse Vaciam, prudenti vsus consilio, iussit attentare & demulcere patriarchã Aquilegiensem, cuius consiliis imperator plurimum auscultabat, simul etiam omnes duces Theutonicorum promittens eis multam pecuniam, si imperatorem reuerti facerent. Patriarcha igitur & duces muneribus illecti, & auri amore capti, satagebant variis figmentis inducere imperatorem, vt reuerteretur. Patriarcha enim finxit se vidisse somnium cuius coniectura manifestissime totum exercitum imperatoris diuina vltione præsagiret periturum; nisi quam citius reuerteretur. Sed & duces finxerunt similiter se diuinitus attonitos; conquerebantur quam imperatori, nescio, quid mali imminere, si non cito reuerterentur. Sequenti vero nocte, duces Theutonicorum instruxerunt quosdam astutos milites suos, vt ipsi vociferando & clypeos suos alternatim percutiendo seditionẽ ortam in exercitu simularent. Quod cum fecissent milites, magnus horror irruit super imperatorem & vniuersum exercitum excogitatæ fraudis & simulationis inscium. Factum est itaque tota nocte illa tumultus magnus in castris. Mane autem facto conuocauit imperator Patriarchã & duces in consiliũ, vt delibera-

liberarent quidnam esset agendum. Patriarcha ergo & duces pecunia corrupti modis omnibus consuluerunt ei, vt reuerteretur. Cæsar autem ingeniis deceptus simulans se Salomoni in posterum auxiliaturum, destructis nauibus in Theutoniam reuersus est.

DE FVGA REGIS SALOMONIS.
CAPVT LV.

AT rex Salomon spe fraudatus gemebundus ac mœstus collegit se in Poson. Confortatumq; est regnum in manu Geysæ regis; & ex eo tempore vocatus est magnus rex, ducatumq; dedit fratri suo Ladislao. Dux autem Ladislaus obsedit castrum Poson multis diebus. Milites vero Salomonis de castro exibant, & cum militibus Ladislai decertabant. Salomon autem & Ladislaus aliquando exibant insignia sua mutantes; & velut milites pugnabant. Contigit autem, vt Ladislaus in meridionali silentio ad castrum veniret. vidit autem Salomon venientem mutatis armis, & ignorabiliter exiuit ad eum: sed nec eum Ladislaus cognoscebat; milites vero Salomonis super castra sedentes, illos aspiciebant. Putabatq; Salomon illum esse seruientem, & propterea inierat decertare cum illo. Statimq; cum ad eum venisset, & faciem eius respexisset; vidit duos angelos super capite ipsius Ladislai igneo gladio volantes, & inimicis eius minantes. Quo viso Salomon fugit in castrum, cui milites eius dixerunt: *Domine? quid est hoc, quod vidimus: nunquam te à duobus vel tribus fugere vidimus: quid ergo nunc?* quibus ipse dixit: *Noueritis, quod homines non fugissent. sed iste non est homo; quia protegunt eum igneo gladio angeli.* Quo audito mirabantur: vnde ipsum magis timere ceperunt. Milites vero eiusdem Salomonis necessitate compellente ad Ladislaum veniebant; ipse vero eos ducali libertate & benignissima largitate refouebat, & ad dominum suum reuerti libere permittebat. Rex autem magnus eo tempore natale domini in Zugzard celebrauit. Quo petente Archiepiscopus Desiderius solennem missam celebrauit; & sermone lucidissimo animum regis deliniuit, & ad bonum pacis inclinauit. Celebrataq; missa & omnibus rite peractis præcepit rex, vt omnes egrederentur præter episcopos & abbates. Tunc rex cum lachrymis prostratus archiepiscopo & aliis ecclesiasticis personis seu præclaris, dicebat se peccasse: quia regnum legitime coronati regis occupauerat: promisitq; regnum redditurum Salomoni cum pace firma hoc modo, quod ipse coronam iure teneret, cum tertia tamen parte regni, quę ducatui appropriata erat. Salomon quoque duas partes regni coronatus teneret, quas prius detinebat. Episcopi ergo lætas deo gratias egerunt: quia regem spiritussancti gratia visitatione compunctum & illustratum esse videbāt. Tunc rex magnus missis nunciis ad regem Salomonem explicauit ei per litteras modū pacis prætaxatū. Intercurrentibus itaq; nunciis, & super hac re diuersis diuersa sentientibus, consummatio reconciliationis effectum sortiri non potuit. Interea rex magnus in grauem ægritudinem incidit, & VII. Kalendas Maii viā carnis vniuersæ virtutibus adornatus est ingressus. Erat enim fide catholicus; deo deuotissimus, & princeps Christianissimus. Regnauit autem tribus annis, & Vaciæ tumulatus in ecclesia beatæ virginis, quam ipse construxit. In primo etiam anno regni sui validissima fames regnum Hungariæ afflixit.

DE CORONATIONE SANCTI REGIS Ladislai primi, fratris Geysæ, filii Belæ similiter primi, & de exercitiis eiusdem.
CAPVT LVI.

AVDITA vero morte regis magni; conuenit vniuersa multitudo nobilium Hūgariæ ad fratrem eius Ladislaum. Et eū communi consensu, parili voto, consona voluntate ad suscipiendum regni gubernacula cōcorditer elegerunt; immo fere magis affectuosissimis precibus compulerunt. Omnes enim noue-

S. Ladislaus rex.

rant ipsum esse vestitum consummatione virtutum; fide catholicum; pietate præcipuum; largitate munificum; charitate conspicuum. Emicuit quippe quasi stella matutina in medio nebulæ, fugans tædia tenebrarum, & quasi luna plena lucens in diebus suis; velut etiam sol refulgens sic effulsit in populo suo; quasi adeps separatus à carne. Et cum leonibus & vrsis lusit quasi cum agnis ouium. nunquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium ex Israhel? Conuertit enim inimicos suos vndique, & extirpauit aduersarios. Erat enim magnus secundum nomen suum maximum. Nam si etymologiæ nominis eius alludamus, Ladislaus quasi Laus diuinitus data populo dicitur. Laus enim populus interpretatur: *dosis* autem dans vel datio siue datum. prima enim syllaba nominis eius Laus est per paragogen. Et quamuis ipsum Hungari in regem absque voluntate sua elegerunt: nunquam tamen in capite suo coronam posuit: propter quod potius cælestem coronam optabat quam terrenam. Et viui regis coronam vsque dum legitime coronaretur habere noluit: proponens in animo, vt, si firma pax inter eos esse posset, regnum Salomoni redderet, & ipse ducatũ haberet.

Postquam autem diuina dispensatione regni gubernacula suscepit, non mundanam gloriam, caducam & transitoriam, sed cælestem patriam, & diuinã gloriam toto cordis affectu promereri studuit. Semper enim timorem domini præ oculis habuit in omnibus iudiciis suis; & maxime in caussis criminalibus, vbi vltio siue pœna sanguinis irrogatur. Diuina quidem inspiratione illustratus sciebat, quod rex non tam regat, quam regatur: vnde in omnibus iudiciis suis mitigata legũ seueritate semper vtebatur misericordiæ lenitate. Erat enim consolatio afflictorum, subleuator oppressorum, pius pater orphanorum, à cunctis enim regnicolis mutato proprio nomine pius rex vocabatur. Qui etiam victor honoratus, inclytus, augustus extitit, non tam nominum proprietate, quam rerum veritate. Adauxit enim rempublicam Hungariæ. Ipse primus Dalmatiam atq; Croatiam suæ monarchiæ iure perpetuo subiugauit. Cum enim rex Zolomerus sine liberis decessisset, vxor eius, soror regis Ladislai ab inimicis viri sui multis iniuriis prægrauata, auxiliũ fratris sui regis Ladislai in nomine Iesu Christi implorauit; cuius iniurias rex grauiter vindicauit, & Croatiam atq; Dalmatiam integraliter sibi restituit; quam postea prædicta regina suo subdidit dominio: quod tamen rex non fecit propter cupiditatem: sed quia secundum regalem iusticiam sibi competebat hæreditas: quoniam quidem rex Zolomerus in primo gradu affinitatis eidem attinebat, & hæredem non habuit. Porro Salomon erat in Poson. Reuerendissimi autem episcopi laborabant pacificare eos. Rex autem Ladislaus, quamuis sciret Salomonem nimis esse trucem & impacabilem, victus tamen pietate, & maxime iusticia compellente; quia ius legitimum Ladislaus non habebat contra eum, sed omnia de facto fecit non de iure; quarto anno regni sui pacificatus est cum Salomone; donans ei stipendia ad regales expensas sufficientia. Optimates autem regni futura pericula bellicæ cladis caute præcauentes non patiebantur regnum partiri cum Salomone: ne nouissima fierent peiora prioribus. Salomonis autem cauteriatam conscientiam præconceptæ iracundiæ amaritudo laniabat. Cepit itaq; fremebundus æstuãti animo machinari dolos in perniciem innoxii sanguinis Ladislai: sed incidit in foueam quam fecit.

Eodem etiam anno crux domini, quæ Albæ constituta fuerat, percussa est à fulgure. Rex autem Ladislaus deprehenso flagitio cepit SALOMONEM, & in Wyssegrad retrusit in carcerem. Erat autem apud SALOMONEM Bodus filius Bokon in carcere. Hoc autem non caussa timoris fecit: sed pro consanguinitate regis, qui semper minabatur facere peiora prioribus; & vt furor illius paululum temperaretur.

Ipse enim assidue ꝑ Salomone orabat, vt ad legẽ dei conuerteretur. Si vero Salomon cõuersus fuisset veraciter, regnũ plenarie ipsi restituisset: ipse ducatũ sibi elegisset: & quãuis Salomon in carcere fuisset, Ladislaus multo magis ei cõdole-

dolebat. Sed postmodum Salomon rex dimissus de carcere in eleuatione corporis sancti Stephani regis beati Emerici confessoris astitit regi paucis diebus: & tandem fugiens adiit ducem Cunorum, qui vocabatur Kutesk: cui iurauit, quod transsiluanam prouinciam proprietario iure ipsi traderet: & filiam eius in vxorem acciperet, si ille in auxilium eius super Ladislaum veniret: Dux autem Kutesk inani spe seductus, cum magna multitudine Cunorum inuadens Hungariã, deuenit vsq; ad prouinciam castrorum Vng & Borsna. Quo audito, rex Ladislaus irruit super eos, & contriti sunt à facie eius, cecideruntque in ore gladii multa millia Cunorum. Rex autem Salomon cum Kutesk, sicut anates auulsis pennis, ab vnguibus asturis fugientes euaserunt. Rex itaque Ladislaus tulit spolia eorum, & in hymnis & confessionibus benedicebat deum, qui dedit ei gloriosam victoriam. Fecit autem construi ibidem ecclesiam ad honorem dei omnipotentis ob memoriam victoriæ; quam ibi adiutorio dei obtinuerat. At rex Salomon cum latrunculis Cunorum inuasit Bulgariam & confinia Grȩciæ: vbi ab exercitu Græciæ imperatoris miserabiliter sunt percussi: è quibus pauci valde euaserunt. Cũ enim vidissent Cuni magnã multitudinẽ loricatorũ, timuerunt valde: ceperuntq; festinare, vt transirẽt Danubiũ priusquã ab hostibus cõcluderentur. Qui ergo loricas nõ habebant, celeri⁹ prȩ leuitate prȩcedebãt. Salomõ autẽ & sui atq; alii loricati armorũ pondere prȩpediti, præcedentes socios tardius sequebãtur, & hyems erat; ningebatq; densissime: repleuerantq; niues oculos eorum, & niuium densitate præpediente non poterant videre socios suos, qui præcesserant. Errantesq; ferebãtur per inania. Sed & hostes persequebantur eos cominus. Cumq; deuenissent ad quoddam castrum desertum & vacuum, intrauerunt illuc, & tota die & nocte ibidem manserunt. hostes autem circundederunt castrum vndiq;; obsessi vero videntes se periculo famis perire, elegerunt magis pugnando mori, quam fame perimi. Summo itaque diluculo exierunt in hostes, & simul cum interfectoribus suis interierunt: & quã plures ex eis occidebantur, qui eos interficiebant. Rex autem Salomon fugiens cum paucis vix euasit, & facili cursu transiuit Danubium, quia glaciatus erat. Cumque venisset ad quoddam nemus magnum, dixit suis, vt pro recreandis equis paululum repausarent. Ipse vero deposito scuto finxit se confestim reuersurum, & abiit in opacas partes siluarum, suisque nihil tale opinantibus, absentauit se ab illis: nec vnquam vltra comparuit. Fractus quippe tot aduersis, visitatus à spiritu salutari, ex ipsis aduersis non est effectus durior, nec contra iustissimam dei veritatem libero pugnans arbitrio: sed manum misericordissime corripientis dei sentiens, in recordatione commissorum ingemuit: & quantum iustæ humanitatis arbitratu pensari potest, cum cordis cõtritione & satisfactione de peccatis suis pœnituit. Vere felix necessitas, quæ compellit ad meliora. nam reuera necesse est, vt quem mundus odit, diligatur à deo. En nobile corpus Salomonis regis regalibus deliciis educatum, iacet in puluere & cinere fatigatum; & qui prius pugnabat pro temporalibus, nunc solum intendit cælestibus.

Totũ enim tẽpus vitæ suæ in peregrinatione & oratione, in ieiuniis & vigiliis, in laboribus & obsecrationibus consummauit. Visus est etiam semel in Hũgaria tempore regis Colomani; sed statim delituit, nec vnquam amplius comparuit. Migrauit autem ex hoc seculo ad dominum, & sepultus est Polæ in ciuitate Istriæ. vxor autem eius, & mater in Agmund requiescunt.

DE SECVNDA IRRVPTIONE Cunorum in Hungariam, & de bello sancti regis Ladislai cum eisdem.

CAPVT LVII.

POST hæc autem quidam de Cunis nomine Copulch filius Krul, cum valida manu intrauit in Hungariam, vt eam debellaret, qui Vltrasiluanum regnum deprædauit, & prædam secum ducebat. Qui depopulata terra transilua-

na transiens venit ad Bihor,& circa flumen Vnsoer aliquantis diebus permoratus est. Deinde transiens Tysciam in Chocoyd, exercitum suum in tria agmina diuisit. duo agmina versus sabulum vastare proposuit: vnum vero circa Tysciam debellare dimisit. Debellantes vero & prædantes venerunt in locum qui dicitur Bechey cum multitudine prædarum, & ad propria redire statuerunt. qui dicebant *venimus debellando; nunc reuertamur venando.* Tantam ergo prædā de Hungaria habuerunt, quanta vnquam aliqua gens potuit habere; vxores etiam & filios nobilium secum in captiuitatem ducebant. Rex autem Ladislaus cum suis in Sclauonia fuerat. Cumq; in reuersione sua hæc omnia nunciassent; citius quam sciuerat reuersus est; & cum suis militibus celeriter post eos equitauit, quos circa fluuium Temes inuenit: & illi putantes se omnino esse liberatos, plus affectabant venationem quam bellum. Rex autem Ladislaus militibus suis dicebat, *vtilius est mihi mori vobiscum, quam vxores nostras & filios videre in captiuitate.* Hæc dicens lachrymabatur, & primus vexillo rubeo impetum fecit in castra Cunorum, contriuitque dominus Cunos ante faciem Hungarorum.

Rex itaq; Ladislaus militibus suis clamabat, *nō interficiam⁹ homines istos, sed capiamus eos; & si conuersi fuerint, viuant*: Kopulch vero, & meliores mortui sunt, & alii quam plures capti sunt: & nemo ex eis euasit præter vnum seruientem nomine Escembu. Rex autem cum suis omnibus pro tanta victoria gratias egit omnipotenti deo, qui eripuit eos de manibus hostium suorum, nominauitque fluuium Pagani propter Paganos vsque in præsentem diem. Hoc audientes Cuni deseruiente illo, qui euaserat, valde contristati sunt; qui etiam coniurantes promiserunt se iniuriam Kopulch vindicaturos. Miseruntq; ad regem nuncios, & captiuos dimittere præceperunt, verbis superbis & contumeliosis regē deriserunt, & statuerunt diem in Hungariam intrandi. Cumq; rex audisset, subrisit; & die qua in Hungariam venire proposuerant, rex prius obuiam illis equitauit, timens depopulationem Hungariæ: & quodam sabbato summo mane prope Danubium impetum super Cunos fecit. In primo autem impetu rex ducem Cunorum nomine Akus percussit: & ensem, quem rex sibi infidelem putabat, in eadem die feliciter ac viriliter seruiuit. Contriuitque dominus Cunos ante faciem Hungarorum, & rex cum victoria & triumpho in Hungariam rediit.

DE EXPEDITIONE SANCTI regis Ladislai contra Ruthenos.

CAPVT LVIII.

POST hæc autem rex gloriosus inuasit Rusciam, eo quod Cuni per consilium eorum Hungariā intrauerant. Cumq; vidissent se Rutheni male coarctari, rogauerunt regis clementiā; & promiserunt regi fidelitatem in omnibus: quos rex piissimus gratanter suscepit. Deinde irruit in Poloniam. Poloni vero contra ipsum venientes pugnauerunt; sed Hungari iuuante deo victoriam habuerunt. Exinde Hungari castrum Krokow tribus mensibus obsederunt. Interim obsessi & obsidentes ceperunt egere. Rex autem & princeps petierunt ab omnibus Hungaris noctis silentio, vt portaret vnusquisq; ocream solam de terra plenam; quod & factum est.

Fecerunt autem ante castrum montem magnum de terra illa: quem desuper cum farina cooperuerunt. Videntes autem obsessi, quod obsidentes abundarent victualibus, & quod diu possent manere ante castrum; arcem cum vniuersis regi tradiderunt, & pacem ad voluntatem regis ordinauerunt seu composuerunt. At inde transiuit in Bohemiam, & multos captiuos de Bohemis duxerunt impune in Hungariam. Et sic rex victoriosissimus ad propria rediit cum gaudio.

Digitized by Google

Ladisla- Rex.

DE CONSTRVCTIONE ECCLESIAE VVARA-diensis, & de electione regis in capitaneum passagii transmarini.

CAPVT LIX.

POST hæc in parochia castri Bihor inter flumẽ Kewres in venatione sua inuenit locum, vbi angelico admonitu proposuit construere monasterium in honorem virginis Mariæ, quem locum Warad nominauit. At rex Ladislaus in ampliora semper se extendens, & de virtute in virtutem proficiens, non solum in Hungariam; sed & in omnia regna Christianitatis suæ respersit suauitatis odorem: vnde mortuo Romanorum imperatore duces & tetrarchæ Theutonicorum, cunctique barones & optimates communiter & concorditer rogauerunt ipsum, vt susciperet imperium. Quia vero tempore suo nõ solum sua, sed quæ Iesu Christi sunt, quærebat; & illud diuinum oraculum mente sedula reuoluebat: *non transgrediaris terminos patrum tuorum*: suis terminis contentus esse maluit; quam supra mensuram iuris augere. alienigenarum itaque & ignotarum gentium regimen suscipere recusauit. Vix autem in Hungaria Deo pie ac fideliter seruiendo, & leges conuenienti vigore sanciendo, poterat remanere. Cumq; celebrasset pascha domini in Bodrog, ecce nuncii de Francia & de Hispania, de Anglia & Britannia ad eum venerũt, & præcipue de Villermo fratre regis Francorum, & ei omnipotentis Dei iniuriam se vlcisci manifestauerunt; & sanctam ciuitatem, & sanctissimum sepulchrum de manu Saracenorũ liberare pensauerunt: vnde gloriosum regẽ rogauerunt, vt eis rector & gubernator in exercitu Iesu Christi existeret. Rex autem hoc audiẽs gauisus est gaudio magno, & in eadem festiuitate à nobilibus Hungariæ licenciatus est; tristabaturque tota Hungaria propter eum; sed ipse quod inceperat, nullo modo dimittebat. Misitq; nuncium ad Cõrardum ducem Bohemorum filium Othonis; & petiit ab illo ac præcepit, vt secum vltra mare ire pro iniuria Iesu Christi properaret. Ille autem libenti animo promisit. Interim cognatus Conrardi ducis nomine Sentapolug noctis silentio Pragam veniens, ipsam ciuitatem cepit. Mane autem facto ab episcopo Pragensi in solio ducali sedit; & à quibusdam honorifice susceptus est. Conrardus autem ad gloriosum regem auunculum suum venit: & quæ ei acciderant, narrauit; & regem in auxilium sibi venire in propria persona rogauit. Rex autem consensit ei ita, quod de seruitio Dei dux non remaneret. Et quia consanguinitatis vinculo illi iungebatur; etiam memor actionis ducis patris eius, qui ipsi in auxilium contra Salomonem venerat; promisit se in propria persona eum adiuturum. Habebat rex secum fratres suos filios Geysæ regis Colomanum & Almum; prognosticatusq; erat rex de Colomano; quia fusor sanguinis fieret. Voluit enim Agriensem episcopum eum facere. Qui eadem nocte secessit in Poloniam, audiens quod pater eius & auus Poloniæ honorifice suscepti essent: secutique sunt eum de Hungaria Marcus & Vgra & alii. Rex autem congregato exercitu suo cepit ire contra Bohemos propter iniuriam nepotis sui. Cum autem peruenisset in confinium Bohemorum, grauis infirmitas inuasit eum. Conuocatisq; principibus suis ad Colomanum nuncios misit sanctum Marcellum præpositum, & Petrum comitẽ, vt ad Hungariam reuerteretur. Beatus autem Ladislaus sic ordinauit, vt post ipsum Almus regnaret; qui sincera simplicitate ductus honorauit fratrem suum Colomanum præferendo ipsi coronam regni, tanquam cui iure primogenituræ videbatur competere. Si quem autem scire delectat, quot & quanta bona genti suæ beatus Ladislaus fecit, de gestis eiusdem plenam poterit habere notitiam. Sanctitate igitur & gratia plenus transiit ad consortia angelorum, Anno regni sui XIX. & sepultus Waradini in monasterio suo. Anno domini M.XCV. tertio kalendas Augusti. feria prima.

Moritur Ladislaus A.C. M.XCV.

DE CORONATIONE REGIS COLOMANI, filii regis Geysæ primi, filii Belæ regis similiter primi.

CAPVT LX.

COlomanus itaq; filius regis Geysæ de Polonia festinanter rediit, & coronatus est: & duci Almus ducatum plenarie concessit: In cuius etiam temporibus multa mala sunt perpetrata, vt inferius patebit. Erat autē habitu corporis contemptibilis, sed astutus & docilis, hispidus, pilosus, luscus, gibbosus, claudus & blæsus. Cumq; prædicti peregrini IesuChristi audissent de morte gloriosi regis Ladislai, valde condoluerūt; ac inde miserūt nuncios ad regem Colomanū, vt quemadmodū gloriosum Ladislaum rogauerant, ita & de ipso petierant: putantes ipsum esse de eadem pietate, quia ipse de eodem sanguine fuerat. Colomanus autem rex hoc audiens, non solū non ire cum eis promisit; sed etiam per terram suā viam illis minime cōcessit. Exercitum autem contra eos misit, vt ad regnū introire nō permitterent, putans ipsos esse tyrannos & nō peregrinos. Illi autem spem in Deo ponentes, & cuius signū portabant Iesu Christi in illo cōfidentes Hungariā audacter intrauerūt; & ex Hungaris multos interfecerūt. Hoc audito rex congregauit exercitū suum circa Temes, & illos simulata pace ire dimiserunt. Cumq; ad Zemlin peruenissent, se in pace esse sperantes castrametati sunt. Castrū autem Zemlin ceperūt, ne rex alias insidias faceret, & peiora prioribus fierēt. Deinde marchiā illam totā deuastabant propter victū; & quicquid rapere poterāt, ad castrū portabant. Rex aūt in Temes vtiliori consilio vsus, pacē cū illis firmauit, & multis muneribus, & victualibus eos honorauit, & in pace ire dimisit. Illi aūt peregrini proficiscētes ceperūt Antiochiā, & adiuuāte Deo Ierusalem abierūt. Cūq; rex ad propria reuerteretur, & dux Almus ad ducatū iret, quidā iniqui diabolico freti cōsilio ceperūt inter eos accusare. Dicebant enim duci: *domine dux; rex insidiatur tibi, & capere vult te.* Deinde regi dicebāt: *dux tibi posuit insidias, & si non custodieris te; scias proculdubio te moriturū.* Hoc aūt audientes ambo iuuenes & lasciui, cōgregauerunt exercitus. Rex autē cum exercitu venit contra ducem in Warkun, & dux econtra venit prope Warkun: Tisciam autē inter eos dimiserunt. Fideles autē Hungari treugas ab ipsis petierunt, vt colloquium haberetur, dixeruntq;: *Quid est quod nos pugnamus? isti nos oppugnant, moriemur: & cum ipsi euaserint, fugient sicut nudiustertius patres nostri vel fratres cum patribus eorum vel fratribus pugnauerunt; & ipsi mortui sunt; nec nos videmus causam pugnæ. sed eis si pugna placet, ipsi duo pugnent; & qui eorum præualuerit, ipsum pro domino habeamus.* Quo statuto consilio principes reuersi sunt. Cumq; Grack regi dixisset, quemadmodum statuerāt, & Ilia duci reuelasset; absq; voluntate eorū quieuerunt. Post hęc autē rex inuasit Rusciam, & ducissa Rutenorum nomine Lanca venit obuiā regi; & eius prouoluta pedibus obsecrabat regē cum lachrymis, ne disperderet gentē illam. Cumq; regem non audientē instantissimis solicitaret precibus, calcitrauit eam rex, & amouit à se dicēs: *Non oportet regalē maiestatem fletu muliebri deturpari.* Illa autē gemens reuersa est retrorsum: & rogabat omnipotētis Dei auxilium. Plurimi aūt Cuni cum Mircode cum precibus venerant in auxilium Rutenorū. Qui de nocte consurgētes summo mane percusserunt castra regis, & vsq; ad interemptionē dissipauerunt ea crudeliter: nobiles autē Hungariæ communierunt regē circumquaq;, fueruntq; regi pro muro inexpugnabili. Kuni vero persequētes comitē Enzē de genere Almasi virum fortem & alacrē, interfecerunt eum: & omnes qui cum eo erāt; similiter & episcopos Cupan & Laurentium, multosq; alios bellatores fortes sagittarū transfixionibus ceciderunt. Vnus autē ex Cunis nomine Monoch acriter persequebatur Hungaros, quem Matthæus miles regis optimus volens comprehēdere, impetum fecit in illum. ille vero fugiēs missa post tergū sagitta pedē Matthæi transfixit; & nisi socii multi insertis clypeis illum protexissent, mortē non euasisset. Petrus itaq; versus est ad Monoch. Cumq; ad Petrum sagittasset, sagittare non potuit;

Digitized by Google

fuit; & vsq; dum aliam sagittã acciperet, Petrus latus Monoch perforauit. quẽ captum ad regẽ viuum perduxit. Tũc Iula comes in pedibus vulneratus euasit: de quo vulnere in Hungaria mortuus est. Rex itaque, & omnes sui celeriter fugiendo venerunt in Hũgariam: thesaurum aũt regis & omnes, qui celeriter fugere non potuerunt, Cuni rapuerunt: tanta strages ibi fuit, quod raro Hungari in tanta strage fuerunt. Qui autẽ ex Hungaris in siluis euaserãt, præ necessitate famis soleas calciamẽtorum suorũ assando comedebant. Quid plura? tanta tũc pericula facta sunt, quæ scripta non sunt, quæ dici non possunt. Rex autẽ de prima vxore genuit Ladislaum & Stephanũ, anno domini M. C. I. Cumq; rex esset in Dalmacia in ciuitate Zadur, & cogitaret ciuitatẽ succendere, prę duricia gẽtis illius, dormierat in palatio suo, ꝙ ibi ædificauerat. Et ecce sanctus N. Zaduriẽsis episcopus venit ad eum in horrido vultu: quem per capillos capiẽs traxit, & cum virgis laureis valde verberauit. Quẽ cum dimisisset, & excitatus fuisset, illum non vidit, sed dolorẽ sentiebat, & ictus virgarum super corpus suum aspiciebat. Quapropter à molestatione ciuitatis patienter cessauit. Deinde rex volebat ire in Rusciã. Anno domini M. C. VI. reuersus est dux Almus de Pataula: qui propter regis timorẽ illuc fugerat: quem rex suscepit ad pacem. Deinde fugit in Poloniam, & accersito Polonorum & Hungarorũ consilio & auxilio reuersus est in Hungariã: & cepit nouum castrum & intrauit illud. Rex aũt hoc audito obsedit castrũ. Cumq; in crastinũ pugnare vellet, ecce, dux subito equũ ascendẽs, portas castri exiens citissime equitauit solus ad castrum regis. & cum ad tentorium regis venisset, statim de equo descendẽs, ad pedes regis venit, & in ore omnium se culpabilem proclamauit. Rex aũt fraterna motus pietate duci indulsit. Nã & indignationẽ suam ab Hungaris, qui in castro erant per intercessionẽ ducis amouit. Deinde dux Hierosolymam profectus est, & cũ prosperitate redeuntem rex suscepit ad pacẽ. Delectabatur autẽ dux in venationibus, & assiduus erat in eis, & dabat ei rex omnia ad venandum necessaria.

A. C. M. C. I.

A. C. M. C. VI.

DE CONSTRVCTIONE ECCLESIAE Demesiensis.

CAPVT LXI.

DVx autem construxit monasterium de Demes, rogauitq; regem, vt ad cõsecrationem veniret: & sic factum est. Postquam Palatini accusabant ducem, quod insidias præparasset, vt interficeret regẽ in consecratione monasterii sui. Quod & forte fecisset, nisi amici regis ipsum vigilantissime custodissent. Rex autem iratus voluit capere eum; sed reuerendissimi episcopi, & alii boni principes scientes falsum esse, quod ex confectione inimicorum duci imponebatur, intercesserunt pro eo apud regem, & pacificauerũt eos iuramento; dimisitq; ducem in pace, vt in Bokon venaretur, misitque cum eo duos iogabiones sub prætextu honorandi eum: quos tamẽ clanculo instruxerat, vt animum ducis solertius explorarent, si dux quid mali aduersus regem machinaretur, vt regi nunciarent. Cumq; venisset dux in Chour, & asture misso cornicem cepisset, simplici animo dixit iogabionibus: *Nonne cornix ista iuraret asturi, vt si eam dimitteret, decetero non vociferaretur?* Illi autem responderunt, Quod nec astur dimitteret cornicem propter iuramẽtum, nec cornix iurare posset, cum esset animal irrationale. Eadem vero nocte verba ducis regi nunciauerunt. Dux autem veniens in Bokon causa venandi: statim absentauit se ab illis, & fugit iterum ad Batauos, regis Theutonicorum auxilium imploraturus. Anno domini M. C. XII. N. filius regis Colomani mortuus est. Et rex secundam duxit vxorem de Ruscia, quam in adulterio deprehensam peccantem nec violenta temeritate pimisit. Sciebat enim quia scriptum est: *Deus quos coniunxit, homo non separaret,* scilicet sine lege & absque ratione. Ideo non ipse ab ea se separauit, sed lex ab ea eum separauit: quam reatus accusauit, culpa damnauit, maleficium coarctauit. Remisit ergo eam lex in terram suam. Quæ ex adulterio peperit filium nomine Borich. Borich autem genuit Calomanum.

A. C. M. C. XII.

Digitized by Google

QVOMODO DVX ALMVS ET BELA FILIUS EIUS FUERINT EXOCULATI.

CAPVT LXII.

A.C. M.C.XIII.

ANno domini, M.C.XIII. imperator propter ducẽ Almum mouit exercitum ingentẽ, & venit in confiniũ Hungariæ vt colloquium cũ rege haberet, & inter eos pacẽ firmaret. quod & factũ est. Rex aũt imperatori plurima dona misit, & sic honorifice repatriauit. Post hæc rex reduxit ducẽ Almum ad pacẽ. Cõfirmata autẽ pace tandẽ rex cepit ducem, & filiũ eius Belã infantulũ, & obcæcauit eos: sed & Belã infantulũ præceperat castrare. Sed obcæcator timẽs Deum & regni sterilitatẽ, castrauit catulum, cuius testiculos tulit regi. Et de nobilibus regni obcæcauit Vros, Vachan & Paul. Nihil tamẽ ei profuit innoxii sanguinis profusio, quẽ diuina vltione præmaturæ mortis deglutiuit dira sorbitio, & puniuit temporalis regni destructio. Vnde dictũ est: *Non sic impii* in omnes &c. Ductus est autẽ dux Almus in monasterium suum in Demes. Post hæc autẽ rex cepit ægrotare grauiter, & habebat quendã medicũ Latinum nomine Draconẽ, cui nimiũ credebat. hic apposuit emplastrũ super aures regis, qui ex capitis dolore vrgebatur, & per cõcauitates auriũ vis emplastri nõ modicam extraxit partem cerebri eius. Remoto autẽ emplastro, quod diutius tenere nõ poterat, ostẽdit Othmaro comiti; comes Othmarus inspiciẽs emplastrũ, vidit in eo cerebrũ extractum: dixitq; regi: *Domine, expedit tibi, vt præpares te ad viaticũ.* Quo audito timuit rex & ingemuit. Postea aũt iniit rex consilium cum sceleratissimis Mark filio Simæ, & Achille filio Iacob, & cũ aliis comitibus, quorum cõsilio ducẽ, & filiũ eius de gremio matris suæ extractum excæcauerat. Misitq; ex eis quendam nomine Benedictũ, filium Both apprehendere ducẽ, ne forte mortuo rege ipse ei succederet. Rex autem in morte præcepit filio suo, & principibus, vt ipsi post mortẽ suam super Rusciam vlciscerentur iniuriam, quã ipsi fecerãt. Cumq; Benedictus recessisset, dux ante monasterium sedebat plangens dolorẽ proprium. Qui cum audisset, ꝙ equites festinãter venissent, præsensit animo sibi periculũ imminere, & fecit se introduci in monasteriũ, & tenebat manibus altare sanctę Margaritę virginis. vt saltẽ pro reuerẽtia Dei & sanctorũ eius, eum inde abstrahere nõ præsumerent. Benedictus aũt per antiphrasim dictus, sacrilegas manus iniecit in eũ, & tenentẽ altaria violenter extrahebat. Dũ quoq; sic conaretur extrahere, diuulsa est cutis manus ducis, & infectũ est altare sanguine. Sacerdotes autẽ obseruabãt ostia ecclesię, & volebãt illũ Benedictũ capere. Ille aũt hoc percipiẽs corde furibũdo, quomodo potuit, exiuit. & dum festinãter equitaret per siluã Pelys, cecidit de equo, & ceruice fracta mortuus est: & canes eius, q̃ sequebãtur ipsum, deuorauerũt carnes eius & ossa. Iste Colomanus, sicut quidã dicũt, fuit episcopus Waradiens. sed quia fratres, quos habebat, morte sunt præuenti, ideo summo pontifice cũ eo dispẽsante regnare cõpellitur: qui ab Hũgaris *Cunues Calmã* appellatur; eo ꝙ libros habebat, in quib⁹ horas canonicas, vt episcopus, persoluebat. Iste Dalmaciæ regnũ occiso suo rege Petro nominato in mõtibus Petergozdia Hũgariæ adiunxit. Galeas quoq; Venetorũ, & naues solidãs, & elocãs, pecunia maxima exercitum copiosum in Apuliã destinauit. Qui Apulia spoliata per tres mẽses permãserunt in ea. Vbi etiã Monopolin & Brundusiũ ciuitates expugnãtes, Venetis ad tenẽdum ꝓ vtilitate regis Colomani reliquerũt: ipsi autẽ ad Hungariã abinde sunt reuersi. Quæ quidem ciuitates per soldatos Parisanorum missos per Cæsarẽ expulsis Venetis sunt rehabitæ. Regnauit autem annis 25. mensibus 6. diebus 5. Anno domini M.C.XIV. tertio nonas Februarii. feria tertia migrauit ex hoc seculo, cuius corpus Albæ quiescit.

A.C. M.C.XIV.

MORTVO REGE COLOMANO STEPHANVS secundus, filius eiusdem, in regem extitit coronatus.

CAPVT LXIII.

POtentiores regni Stephanum Colomani filium in regẽ coronauerunt. Erat enim adhuc impubes, sed spiritus eius in manibus eius. Anno autẽ IX. regni

sui

sui intrauit Dalmaciam & à Dalmaciensibus honorifice est susceptus. Inde reuersus missis exercitibus suis fines Polonicos deuastauit. Placuit autem regno, vt rex Stephanus cum duce Bohemorum colloquium haberet: Cumque venisset ad confinium Hungariæ prope fluuium Orsana, & dux Bohemorum obuiam illi venisset; fluuius tamen eos interiacebat. Erat aũt Solth semper iniquæ cogitationis auctor, qui propter iniquitatem suam de Hũgaria fuerat expulsus; qui tunc ibi cum Bohemis præsens erat. Antequam vero rex cum duce colloquiũ haberet: misit Solth nuncium ad regẽ clanculo dicens: *Fidelis sum domino meo; & ꝙ noui de Bohemis ei notifico, vnde statim, cum colloquiũ habebit cum duce, dux eũ capiet: quia audiuit tuos venisse sine armis.* At reuersus idem duci ducebat; *statim cũ colloquium habueris cũ rege rex te capiet; sed potius arma tuos & ita in castris sedeãt.* Bohemi ergo sicut furibundi & bibuli fecerunt, quemadmodum illis Solth laudauerat. Et alium nuncium misit ad regem dicens: *mittat rex sagittarios circa castra ducis, ne citò ad castra sua equitare praualeant.* Rex autẽ, vt fuit impetuosus, fecit sicut Solth dixerat sine suorũ consilio. Bohemi videntes sagittarios venire, sine dubio sciuerunt veritatem esse, quod audierãt. Qui impetum super sagittarios fecerunt: Bisseni atq; Siculi vilissimi vsq; ad castrum regis absque vulnere fugerunt. Rex autem hoc audiens, cũ paucis celeriter equitauit versus Hungariam: quia sui absq; armis venerãt; & qua arma habebant, armare se nõ poterãt: quia inscii regis consilii erat. Putabatq; rex in consilio æqualem se Salomoni; in fortitudine Samsoni; in audacia Dauid: sed illis æqualis non erat. Bohemi autem acriter deuastabant castra regis. Ianus vero filius Vrosa; & Palatinus comes lõge descẽderat de rege. Qui cum audissent, silenter vnanimiter suos armauerũt, & impetũ super Bohemos, qui castra deuastabant, fecerunt. Contriuitq; dominos eos in ore gladii Hungarorum, & dira morte sauciauit. Misitq; Lanus post regem nuncium, & manifestauit illi victoriam, quam dominus ei dederat. Rex itaq; reuersus gauisus est gaudio magno; sed valde doluit: quia Solth in eodem prælio mortuus non fuit, qui tanta mala mendaciis simulabat. Rex autem Stephanus legitimã nolebat ducere vxorem, sed concubinis meretricibus iunctus erat. Quare barones & optimates dolentes de regni desolatione, & regis sterilitate, duxerunt ei vxorem dominam nobilissimam, filiam regis Roberti Viscardi de Apulia. Venit itaq; dux Theutonicorũ, nomine Bezen ad regem, & conquestus ei est, quod frater suus eum ducatu eiecisset; rogãsq; regis clementiam, vt in propria persona sua ipsum adiuuaret. Rex aũt Stephanus volens iniuriam patris sui regis Colomani vindicare, promisit ducẽ adiuturũ: & collecto exercitu iuit in Rusciam. Cumq; peruenisset primus, obsedit castrum. Contigit autẽ summo diluculo, ꝙ prædictus dux Bezen ambulabat circa castrum prouidẽdo loca expugnandi munitiones. Obsessi vero exiuerant de castro causa visitandi Hungaros. Cumq; dux vidisset illos, impetũ fecit super illos, qui viriliter pugnantes ducem vsq; ad mortem vulnerauerant. Cumq; rex audisset de morte ducis, indignatus est valde, & præcepit omnibus Hungaris, vt castrum oppugnarent, & eodem die eligerent munitiones possidere vel mori. Principes autẽ Hungariæ habuerũt consilium & dixerunt: *Quid & quare morimur: si ducatũ vendicabimus, quem rex ex nobis constituet ducem? Stabilitũ igitur sit inter nos, ꝙ nullus castrum oppugnet, & dicamus regi, quia hæc omnia absq; consilio suorum principum facit.* Cum vero principes venissent ad consilium regis, omnes in duas partes se transtulerunt. Sed Cozma de genere Paznam erexit se dicens regi: *Domine, quid est quod facis? si cum multa morte militum tuorum castrum capis, quem ducem constitues? Si inter principes tuos eligis, nullus remanet. Nunquid vos vultis regno relicto habere ducatum? nos barones castrum non oppugnabimus: si oppugnare vis, solus pugna: nos autem in Hungariam recedamus, & nobis regem eligemus.* Vnde ex præcepto principum præcones in castris clamabant, vt Hungari quam citissime in Hungariam reuerterentur. Rex itaq; cum vidisset, se suorum auxilio iuste destitutũ, reuersus est in Hungariam. Post hæc tertio anno fines Polonicos missis exercitibꝰ deuastauit. Deinde misit exercitũ solũmodo phalangas aulicorũ suorũ, & partes Bulgariæ & Seruiæ

deuastauit. Interea imperatrix Constantinopolitana, filia regis Ladislai nomine Pyrisk nunciauit regi Stephano, quod imperator ipse, videlicet maritus suus, in eius opprobrium ipsi regi improperaret, dicens, regem Hungariæ esse hominem sæuum, quam etiam contradicentẽ imperator castigasset. Cum aũt hæc audisset rex, pro nimia reputauit iniuria, & collecto exercitu in impetu spiritus sui inuasit partes Greçiæ, atq; aliquas ciuitates Græciȩ igne & gladio deuastauit: & cecidit timor super omnes ciuitates prouinciæ illius. Timebantq; omnes reges Stephanum regẽ, tanquam ictum fulminis: vnde infantes vagientes cõminatione nominis regis Stephani quiescere compellebãtur. Habebatq; rex secũ septingentos milites Francos, cum quibus Bulgariã deuastabat: & per eorũ ingenia muros castrorũ Græciȩ destruebat. Ea de causa, quod imperator ad conflictum non veniebat ad ipsum, misit rex nuncium ad imperatorem Græcorũ, & vituperauit eum dicens: *quod non esset dignus vocari imperator, neq; rex, sed anus & vetula; quia sicut vetula semper esset in ocio.* Quo audito imperator respondit, dicens: *Indubitanter credat rex, quod sua in præsenti anno simul cum vmbilico virilia incidam.* Ea de causa misit imperator exercitum ingentem in Hungariam in Haram: & Hungari aliquem impetum facere non potuerant. Quia Græci per ingenia inflammabant ignes sulphureos in naues Hungarorum, & eas in ipsis aquis incendebant. Misit itaque rex omne robur regni sui contra Græcos, quibus præfecit Stephel. Qui venientes pugnauerunt cum Græcis vltra riuulum Karaso versus Boron. Fuitque manus domini cum Græcis, nec potuerũt Hungari resistere. Tanta ergo strages raro facta est, quanta ibi contigit. Riuulus enim Karasu humano sanguine in tantum mixtus fuerat, quod omnino sanguis esse putabatur. Iacebantq; loricati homines in fluuio tanquã trunci, super quibus fugientes & persequentes transibant riuulum quasi super ponte. Mactabãtur autem Hungari tanquã boues, nec erat qui redimeret eos de manibus Græcorum. Ciz vero comes, & alii boni milites ibidem occubuerunt. Post hæc imperator & rex per fideles nuncios conuenerunt ad colloquendum; nauigantes in insulam, quæ ciuitati Borouch proxima est. Ibi vero inter principes suos diu se excusantes & incusantes, tandem pace roborata redierũt ad propria. Rex itaque Stephanus multa mala faciebat, quæ non debebat, in impetu animi sui. Nam Christianam combussit, & super homines cocturas cum stercore equino faciebat fieri: cereos magnos ardentes in fundamentum hominis stillare faciebat. Dux Almus seueritate regis Stephani minoris mediam capitis sui diminutionem passus fuerat. Quamuis fuisset obcæcatus, tamen mortem timens de rege Stephano fugerat in Græciam. Qui ab imperatore honorifice susceptus, imposuit sibi nomen Constantinus: qui & ibi iam pridem ædificauerat ciuitatem Constantinam in Macedonia: & multi Hungari atrocitate regis Stephani fugerant ad ipsum. Quo mortuo, corpus eius præcepto regis Fulbertus episcopus reportauit; & in Albensi ecclesia sepeliuit. Bela vero filius eius in Hungaria occulte tenebatur à principibus, propter furorem regis. Qui omnes inito consilio regi manifestauerunt, quem post excæcationem mortuum credebat. Quem cum rex veraciter sciuisset viuere, à Paulo episcopo & Othmare comite: quorum conscientia retentus erat, gauisus est gaudio magno. quia absque dubio sciebat, se heredem non habere. statimque misit nuncios in Seruiam, & filiam Vros comitis magni in legitimam vxorem Belæ traduxerunt, quæ non post multos dies procreauit Geycham. Quo audito rex gauisus est valde. disposuerat eum rex viuere in Talna: & dabantur ei regalia stipendia. Antequam vero rex Belam sciuisset, coniurauerat regnum, vt post eum filius sororis eius Sophiæ nomine Saul regnaret. Contigit autem, vt rex incideret in grauem infirmitatem Agriæ; ita vt omnes illi mortem imminere viderent. Bors vero comes & Iuan inani spe ducti à traditoribus in regem electi sunt. Cum autem Deo volente rex conualuisset, Iuani caput decollauit. Bors vero comitem turpiter de curia reiecit in Greçiam. & ita statutum est, quod de propagine eius amplius ad curiam regiam nullus dignus esse iudicaretur intrare. Propter hoc autem principes

Bela cæcus Rex.

cipes ausi sunt regē Belam manifestare, quia super hoc rex valde cōdolebat, qui sibi succederet. Rex autē Stephanus diligebat Cunos tunc temporis plus quam decebat. quorum dux nomine Tatar, qui à cæde imperatoris cum paucis ad regem fugerat, cum rege morabatur. Rex autē incidit in dysenteriam. Kuni vero, qui permissionibus regis fuerant assueti sceleribus, nec tunc minus sæuiebāt in Hūgaros. Hungari vero cum audissent, ꝙ rex in mortis esset articulo, interfecerunt Cunos, qui eorū bona diripiebant. Tatar aūt dux Cunorū cōquestus est regi de nece suorum. Rex autē putabat se aliquātulum alleuiatū esse ab ægritudine. Cumq; vidisset Tatar lachrymantē: cæterosq; Cunos circumfusos lamentantes; quia supra modum diligebat eos; infremuit & dixit: *Si sanitati restitutus fuero, pro vnoquoq; quem ex vobis interfecerunt, decem interficiam: nunc de vita mea ne desperetis, quia conualui.* & his dictis extendit manus suas in Cunos. Qui præcipites irruerunt ad osculandum manus eius: & præ nimia pressura defatigauerunt regem; vnde etiam recidiuo dolore correptus sublatus est de medio. Sed cum esset in articulo mortis, monachalem habitum relicto regno suscepit: anno regni sui XVIII. & sepultus est Waradini. Migrauit autem ab humanis anno domini M.C.XXXI. *A. C. M. C. XXXI.*

DE REGNO SECVNDI BELAE CAECI, FILII ducis Almi, filii Lamperti, filii regis Belæ primi.

CAPVT LXXIV.

Regnauit autem post eum Bela cæcus, filius ducis Almi cæci. omnemq; numerum malorum deuitans, bonorum operum exercitationi humiliter adhærebat. nec posuit carnem brachii sui in adiutorium: nec habuit fiduciam in homine; sed ad altissimum posuit refugium suum, & factus est dominus protector eius, & deduxit eum in multitudine misericordiæ suæ, de fructu ventris sui posuit super sedem suam. In eo enim est cōpletū illud propheticū verbū: *dominus soluit cōpeditos, dominus illuminat cæcos.* Et iterū. *Inite consiliū & dissipabitur, loquimini verbū, & non fiet.* Creuerat enim puer cæcus regnante Stephano filio regis Colomani. Confirmatū est ergo regnū in manu eius; & inimicos eius dedit dominus in opprobriū vsq; in præsentē diem. genuitq; quatuor filios, scilicet Geysam, Ladislaum, Stephanū & Almū. Quo regnante; regina Helena habito cōsilio regis & baronū fecit congregationē generalē in regno iuxta Arad. Illa igitur die dictæ cōgregationis, dum rex sedisset super solium regni sui: venit regina cū filiis suis, & sedit circa regem. Dixit autem ad populum vniuersum: *Omnes fideles, nobiles, senes, & iuuenes; diuites ac pauperes, audite: Cum cuique nostrum Deus visum dederit naturalem, volo audire, cur dominus noster rex suis oculis sit priuatus; & quorum consilio hoc sit actum, modo mihi propalate. & eos fideliter in hoc loco vindicantes nobis de ipsis finem date. Ecce enim Deus regi nostro pro duobus oculis dedit filios quatuor.* Facta igitur hac voce, irruit omnis populus super illos barones, quorū consilio rex obcæcatus fuerat, & quosdam ex ipsis ligauerunt; quosdā vero detruncauerū; sexaginta autē & octo prophanos ibidē crudeliter occiderūt: & omnes successores eorū tā viri q̄ mulieres eodē die sunt registrati. Insuper omnis illorum possessio ecclesiis cathedralibus est diuisa. & sic omnes villæ cōditionales de Hungaria donationes regū nominātur. Quia vero Hungari semper fluctuāt iniuria, sicut mare salsum: filii Leuiatā per nuncios inuitabāt Borich adulterinū, vt veniret, & eorū adiutorio regnū sibi vēdicaret: credētes ipsum esse filiū regis Colomani. Borich itaq; ascito Ruthenorū Polonorūq; auxilio venit in confinium Hūgariæ in directo loco qui dicitur Seo. Rex aūt collecto exercitu ibat obuiam ei. Plurimi autē ex nobilib⁹ in partē Borichii declinauerunt. Proceres autē Hungariæ vocati sunt ad colloquendum cū rege. Interrogauit autē eos rex, si scirēt Borichium adulterinū esse vel filium regis Colomani. Fideles autē regni respōderunt, ꝙ indubitāter scirēt, Borichium esse adulterinū, & nullatenus dignum corona regis. Infideles autē & cōtradictores mussitabāt inter se incerta: & titubantes in duas partes claudicabant. Rex autem & cōsiliarii eius, quātum

Regina Oratio ad Hungaros.

Factum ex Reginæ oratione crudele.

Vindicta Hungarorum.

defendit se Rex.

Digitized by Google

Bela cæcus Rex.

in ipsis erat, segregauerunt hœdos ab agnis. & firmiter statuerũt, vt ibidẽ interficerẽtur proditores, ne forte, si diutius differretur, traditores transferrent se ad Borich, & hoc regni verteretur in periculũ. Orta est igitur seditio. & ibidem ceperunt Lampertum comitem. Quem cum extraxissent à rege, frater eius germanus cum sedili quodam scidit per medium caput eius, & cerebrũ per scissuram exiuit. Nicolaum comitem filium eius ibidem decollauerunt. Moynolth de genere Akus, & alios ibidem occiderunt. Residui vero ex traditoribus secesserunt in partes. & collectis viribus suis voluerunt regem inuadere. Fideles autem occurrerunt eis. Erat autem caput traditorum Tyodor de genere Simad, & Folcus ac Titus, & præcipuus Sanson. Laudauit autem Sanson, qui erat pater comitum Thomæ & Thurdo; quod iret in cõuentum regis; & ipsum coram multis vituperaret. Quo audito, omnes laudauerũt. Et ipse Borich inani spe seductus grates ei magnas retulit. & quod inceperat hoc adimplere non simulauit: putans eum de vituperatione regis regnũ habere. Rex autẽ descenderat prope fluuium Seo. & cum sederet in papilione sua cum suis principibus & militibus, ecce Sanson intrauit, & regi dixit: *Quid facis vilissime canis? cum regno vtilius est dominio tuo, Borich regnum habere. & tu viuas in monasterio tuo, sicut vixit pater tuus.* Cum vero principes regni subitò commoti fuissent; Iohannes filius Othonis notarius regis, Symigiensis præpositus dixit ad comitẽ Bud: *Quid expectamus? quare nõ apprehẽdimus eum?* Cũq; apprehẽdere voluissent, ille citissime equum ascendẽs fugiebat. Illi autẽ ad præsens equum non habebant, qui de circulo regis ad cõsilium pedites venerant. sed tamen clamor magnus fuit. Cũ autem seruiens comitis Bud clamorem audisset; equum sine sella ascẽdit, & ipsum cum lancea vsq; Seo persecutus est. Tyodor autem & alii socii eius volebãt nauem intrare & illum citissime traducere. sed vsq; huc nõ potuerunt. Sanson vero equitans cecidit in fluuium. quẽ persecutor in fluuio lanceauit. Habebatq; Sanson sub tunica panceriã. & prę grauamine loricæ natare nõ poterat. Borich autẽ cum magna multitudine Ruthenorum & Polonorũ castrametatus est prope ad regem. Proceres autẽ regni Hungariæ miserunt ad ducẽ Ruthenorum & Polonorum, qui pro Borichio venerant dicẽtes: *Non decet vos cõtra iusticiam quærere regnũ homini adulterino. Nos enim scimus, ꝙ de iure regnum habere debeat Bela. & ipse regnat cũ consensu totius regni.* His auditis duces Rusciæ & Poloniæ destiterũt amplius adiuuare Borichium, & reuersi sunt singuli in suas prouincias. Borich autem cum multitudine populorũ venit pugnare cõtra regem. Rex autẽ diuino fretus cõsilio & auxilio cõtriuit omne robur Borichii in prœlio, & fugauit illum in gladio. cõclusitq; exercitum Polonorum in morte: in ipsa festiuitate Mariæ Magdalenæ; accipiẽs spolia eorum. & reuersus est cum magna victoria. In ipso autem prœlio acriter & præcipue pugnauerunt Myksa, Gaab & Bathur: & multos ex illis ceperunt & interfecerunt. erantq; eorũ loricæ sanguine humano cõfectæ. In hoc prœlio Myksa cepit Tyodorium intentorẽ malorum. Vosos cepit Vitalẽ. Gaab vero fratrem comitis de Cracouia Polonum. Batur cepit Endre. Quos cum ad regẽ duxissent, grates multas retulit eis, & elegantissime remunerauit eos. Postquam autem regnum confirmatum est in manu regis Belæ: vtebatur ex vino multum: cui aulici assueti, quicquid in ebrietate regis petebant, habebant: & post ebrietatem rex recipere non poterat. Poch & Saul viros religiosos in ebrietate sua tradidit in manus inimicorum suorum. qui absque causa interfecti sunt. Regnauit igitur ipse Bela cæcus annis nouem, mẽsibus 9. diebus duodecim. Migrauit autem ad dominum, anno domini M. C. X L I. idibus Februarii: feria quinta. cuius corpus Albæ quiescit.

A. C. M. C. XLI.

DE CORONATIONE REGIS GETSAE SECVNdi; filii regis Belæ cæci primogeniti; & de eiusdem gestis.

CAPVT LXV.

RESpexit autem dominus Hungariam, & dedit propugnatorem gradientẽ in multitudine fortitudinis suæ. Dedit enim dominus regnũ Geysę puero suo.

qui in

qui in die sanctæ Cęciliæ virginis coronatus est. cuius dexteram apprehēdit & confortauit; subiecitq; ei gentes multas, & dorsa regum vertit in fugam à facie gladii eius. Rapolth vero miles Almanus castrum Poson ex industria & probitate Iuliani comitis ceperat. quod Hungari nō pro modica habuerunt penuria. Sed rex adolescens ea non silenter acquieuit. Duxit enim rex exercitum contra furorē Theutonicorum insultantiū & Hungariæ confinia deuastantiū. Quamuis enim Cæsar in propria persona non venerat super regem: vniuersum fere robur regni Theutonicorum ad extirpandam Hungariam commouerat. Henricus autem quidam dux Austriæ principalis aduersarius regis, omnes bellatores de Saxonia & de Bauaria secū adduxerat. erat enim tutor pupilli ducis Henrici Leonis. cui Saxonia & Bauaria iure hereditario competebant. Congregati sunt itaq; Theutonici, in multitudine fortitudinis suæ confidentes; & sicut gigantes steterunt contra Hungaros. Rex autem cum vniuerso exercitu suo posuit spem suam in Deo: & ordinatis agminibus cepit ire contra hostes suos. Sed & sacerdotes & Leuitæ cunctiq; clerici, qui aderant in spiritu contribulato, & corde contrito implorabant adiutorium domini nostri Iesu Christi, & præsidia sanctorum angelorum: & maxime inuocabant clementiam Dei genitricis virginis Mariæ, cuius patrocinio beatus rex Stephanus Hungariā specialiter commendauit. Rex autem accinctus est gladio, & gloria domini apparuit super eū; confortatumq; est ilico cor eius diuinitus, & ipse robustior factus quam prius, exhilarata est facies eius: & totus alacer ibat ad prœlium. Cumq; appropinquasset, Guncel quidam Autenticus, qui vtramq; linguā eorum bene nouerat, nunciauit regi, quod exercitus Theutonicorum appropinquaret. & dixit optimum tempus esse regi, vt irrueret super eos, quia pauci essent, & non omnes, quos in adiutoriū vocauerant venissent. Tūc rex cum omni exercitu suo accelerauit super eos trans metas Hūgariæ. Theutonici vero quasi gigātes obstabant in equis arduis & optimis: in superbia & abusione insultantes impetebāt Hungaros, vt cōtumeliis suis terrorem eis incuterēt. Hungari vero ex aduerso appropinquauerunt ad prœlium. & intonuerunt buccinis & clanxerūt classicis, & clamauerunt ad Deum. & clamor vociferantium ascendit in cælum, & commissum est prœliū. Bisseni vero pessimi, & Siculi vilissimi, omnes pariter fugerūt sicut oues à lupis; qui more solito præibant agmina Hungarorum. Tūc etiam priusquam Hungari cōfligere cepissent, quædā agmina Hungarorū perterrita sunt à furore Theutonicorū. Præualuerūt Theutonici Hūgaris in initio bellici cōflictus. qui sicut hęretici circa principia semper ferueseūt, & in fine tepescūt. Tūc auūculus domini regis Belæ Ban nominatus gloriosus in millibus suis irruēs sup agmina Theutonicorum percussit eos ex aduerso grauiter; & magnā stragē fecit in illis. Sed & electi milites regis impetū fecerūt in hostes, grauatūq; est prœliū contra Theutonicos, & fortitudo eorū dissipata est. & corruerūt in ore gladii plusquā septē millia bellatorū. residui vero fugerūt. Saluauit igitur Deus Hungaros in die illa de faucibus draconū crudeliter sæuientiū. Ibi vsq; adeo cōtritū est robur Theutonicorū, q nec rusticis Hungaris in cōfinio eorū habitātibus aliquā iniuriā seu quodcunq; grauamē inferre pręsumpserint. Rex aūt diuina gratia felici potitus victoria simul cū vniuersa gēte sua benedixit & glorificauit Deum. In eodē aut prœlio comes Vros cepit comitē Rapolt Theutonicū: qui iam pridē nocturnis insidiis castrum Poson occupauerat, & Gabriel Ottonē. Post hæc in dieb⁹ illis fames afflixit Hūgariā; quę magnā partē hominū in morte absorbuit.

QVOMODO CAESAR CONRADVS PER HVNgariam versus Hierosolymam iuerit.

CAPVT LXVI.

Circa etiam eadē tempora Conradus Cęsar iter fecit Hierosolymā per Hungariā. Hungariæ vero nō Christi peregrinus apparuit: in qua non pacē, sed potius irā tyranni & prædonis exercuit. Nā petitionis simulatione inuenta, pro aditu, à regno Hungarię pecuniam nō modicā extorsit, ita, vt nulla ecclesia siue

monasterium totius Hungariæ remaneret, de quo pecunia nō extraheretur, & peregrināti Cęsari præ timore nō offerretur. Cuius Cęsaris processum egregius rex Frācorū venerabiliter, & vt decet, Christi peregrinū subsecutus, à rege Geysa honorabiliter susceptus est. apud quē aliquandiu cōmoratus cōpaternitatis vinculo regi Geysæ sociatur, & tali dilectionis nodo internexo multis muneribus à rege Geysa honeste conducitur. & præter omnem regni molestiam Hungariæ fines cum suo exercitu in Græciā penetrauit. Postmodum autē rex Geysa referente quodam milite suo nomine Gurk audiuit, quod Borich adulterinus regis Colomani esset in comitatu regis Franciæ. misitq; ad eum dicens: *Non est bonorum, reddere malum pro bono: nec insidiantem vita mea vestra erit defendere.* His auditis, facta est contentio inter reges Francorum. Quærebant enim milites eius, quisnam esset inter eos, qui mortem regi machinaretur; vt inuētus ab his interficeretur. Borich autem venerat consilio quorundam Hungarorum, vt si ipse regnum intrare posset, tunc à multis pro domino haberetur; & relicto rege ei multi adhærerent. Qui vero cum talia audisset, statim ad pedes regis Francorum se prostrauit, vitam ab eo & veniam rogaturus: vt eum absq; læsione extra regnum cum eo ire permitteret. Cumq; rex Geysa audisset Borich esse apud regem Francorum, rogauit eum, vt pro amicitia sua Borichium ei vinctum remitteret. Cumque hoc rex Francorum audisset, dixit: *Nouerit rex, quod domus regis est quasi ecclesia; pedes eius quasi altare. & quomodo possum reddere vinctum eum, qui ad domum regalem quasi ad ecclesiam, & ad pedes regis, quasi ad altare se prostrauit?* Cui nuncius ait, *quoniam magistri nostri sic interpretantur, vt adulterinam progeniem ecclesia non communicat.* Borich autem videns sibi mortem imminere; ea nocte rapuit vnum dextrarium regis Lodowici & aufugit. Quidam autem de agasonibus occurrens ei, voluit eum tenere, quem Borich cum gladio percutiens, à vertice vsque ad medium pectus eius discidit, & ipse manus sequentis euasit. Post hæc autem rex Geisa dedit ducales expensas fratribus suis Ladislao & Stephano: duxitque exercitum in Rusciam super Lodomerium ducem; vt vindicaret iniuriam soceri sui Minosloi. pro quo etiam iam pridem miserat exercitum; qui male tractatus fuerat à Rutenis & Cunis. Regnauit autem annis 20. mensibus 3. diebus 15. Migrauit autem ad dominum anno domini M. C. LXI. pridie kalendas Iunii: feria quarta: cuius corpus Albæ quiescit.

A. C. M. C. LXI.

DE CORONATIONE REGIS STEPHANI TERtii; filii Geysæ secundi; filii regis Belæ cæci. & de vsurpatione coronæ per ducem Ladislaum secundum, filium eiusdem regis Belæ cæci.

CAPVT LXVII.

Loco eius coronatur Stephanus filius eius; & regnauit annis vndecim, mensibus nouem, diebus tribus. In cuius imperio dux Ladislaus filius regis Belæ cæci vsurpauit sibi coronam dimidio anno. Migrauit autem ad dominum anno domini millesimo centesimo septuagesimo secundo, kalendis Februarii, feria prima. cuius corpus Albæ quiescit.

A. C. M. C. LXXII.

DE VSVRPATIONE CORONAE PER STEphanum quartum, filium Belæ regis cæci.

CAPVT LXVIII.

Post hunc autem Stephanus frater eius vsurpauit sibi coronam mensibus quinque. Coronatus est autem tertio idus Februarii, in dominica Exurge. deuictus est autem in festo sanctorum Geruasii & Prothasii, feria tertia. vbi nobiles Hungariæ corruerunt. Post hæc expulsus est de regno. Obiit in castro Zemlem, anno domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, idus Aprilis, feria quinta. cuius corpus Albæ quiescit. Idem vero rex Stephanus filius Geysę migrauit ad dominum anno domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, quarto nonis Martii, feria prima, cuius corpus Strigonii quiescit.

A. C. M. C. LXXIII.

DE

Digitized by Google

DE CORONATIONE REGIS BELAE TERTII, fratris Stephani similiter tertii; filii Geysæ secundi.

CAPVT LXIV.

POstea regnauit Bela frater eius, qui fures & latrones persecutus est; & petitionibus loqui traxit originẽ; vt Romana habet curia & imperii. Qui coronatus est in diebus Ianuarii, feria prima. Regnauit autem annis 23. mense vno, diebus 19. Obdormiuit autem in domino, anno eiusdem M. C. X C. kalendis Maij, feria tertia, cuius corpus Albæ quiescit honorifice tumulatum. *A. C. M.C.XC.*

DE CORONATIONE EMERICI REGIS; filii Belæ regis tertii.

CAPVT LXX.

CVI successit Emericus filius eius, & regnauit annis 8. mensibus 7. diebus 6. Huius vxor Constantia filia regis Aragoniæ Cæsari Frederico per consilium apostolicæ copulatur. Migrauit autem ad dominum, anno domini M. C C. pridie kalendas Deceb. feria tertia, cuius corpus requiescit in ecclesia Agriensi. *A. C. M.CC.*

DE CORONATIONE REGIS LADISLAI tertii; filii regis Emerici.

CAPVT LXXI.

POst eum regnauit Ladislaus filius eius; & coronatus est 7. kalendas Septembris; feria quinta. Regnauit autem mensibus sex, diebus quinque. migrauit autem ad dominum anno eiusdem millesimo ducentesimo primo: nonis Maij, cuius corpus Albæ quiescit. *A. C. M.CC.I.*

DE CORONATIONE REGIS ANDREAE SEcundi, filii regis Belæ tertii; patris sanctæ Elizabeth, qui & Hierosolymitanus dictus est.

CAPVT LXXII.

HVic successit Andreas, filius Belæ tertii; qui Andreas coronatus est 27. die post obitum regis Ladislai; quarto kalẽdas Iunii: in pentecostes. Eius vxor fuit domina Gertrudis de Almania: de qua genuit Belam, Colomanũ, Andream & beatã Elizabeth. Sed, proh dolor, humani generis inimico proculdubio suadente, vxorem Bankbani magnifici viri domina memorata tradidit cuidam suo fratri hospiti deludendam. Quam ob causam idem Bankbanus de genere Bor oriundus suum gladium in reginæ sanguine miserabiliter cruentauit, & diro vulnere sauciatam anno domini M. C C. X I I. interfecit. cuius corpus in monasterio griseorum monachorum de Pelis tumulatur. Pro cuius nece vox flebilis insonuit in tota Pannonia: & in omni genere Bankbani execrabilis & horrenda sanguinis effusio subsecuta est. *A. C. M.CC.XII.*

DE PEREGRINATIONE EIVSDEM in Hierosolymam.

CAPVT LXXIII.

POst hæc rex Andreas terram sanctam visitauit ad mandatum domini Papæ. quod mandatum acceperat dum esset adhuc dux; sicut habetur *extra de voto & voti redemptione; licet vniuersis.* Quia ipse compleuit & redemit votum patris. & ibi in terra sancta super exercitum Christianorum contra Soldanum Babyloniæ capitaneus & dux præficitur; & mox victor efficitur gloriosus. Mansit autem tribus mensibus. regali denique thesauro exposito diuersorum sanctorum per ipsum reliquiæ comparantur. Caput videlicet sancti protomartyris Stephani. & caput beatæ Margarithæ virginis & martyris; dextera beati Thomæ apostoli & sancti Bartholomæi. item de virga Aaron, & vna de sex hydriis illis, in quibus Christus mutauit aquam in vinum: & aliæ multæ, quas potuit

Digitized by Google

tunc congregare. Reuersusque in Hungariam cum preciosis thesauris sanctorum; regnum suum reinuenit in prospero statu: non tamen hoc suis meritis; sed sanctorum, quorum reliquias afferebat, asscribi voluit. In occursum ergo regis Benedictus filius Erga cancellarius reginae omnes praelatos ecclesiae compellebat. Modo autem illas reliquias sanctas specialiter ille ecclesiae habent: quarum praelati regi venienti obuiam occurrerunt. Transactis itaque nouem annis: rex generosam Elizabeth filiam suam nobili viro Ludowico Thuringiae Lanthgrauio copulauit. Qui post multos annos similiter cruce signatus deuote Hierosolymam pergens ibidem migrauit ad Christum: cuius festum Hierosolymis deuote celebratur. Migrauit autem rex Andreas ad dominum anno domini millesimo CC.XXXV. tricesimo anno regni sui; cuius corpus in monasterio de Egrus feliciter requiescit.

A. C. M.CC. XXXV.

DE CORONATIONE REGIS BELAE QVARTI; filii Andreae regis secundi, & de introitu Tartarorum primo, & de miserabili destructione regni Hungariae per eosdem.

CAPVT LXXIV.

REx Bela post eum filius eius coronatus est pridie Idus Octobris, feria prima, qua cantatur *Da pacem Domine*, in cathedrali ecclesia beati Petri Albae, quam ipse consecrari fecit, Colomano duce, fratre eiusdē, ensem regalem ad latus ipsius honorifice tenēte: Daniele vero duce Rutenorum equum eius ante ipsum summa cum reuerentia ducente. Regnauit autem 25. annis. Anno domini M.CC.XLI. ipso Bela regnante Mangali siue Tartari cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hungariae inuaserunt. Contra quos Bela rex iuxta flumen Seo proelians vincitur. in quo proelio fere extinguitur militia regni Hungariae vniuersa. Ipso vero Bela rege ad mare fugam faciente; Tartari vsque ibi ipsum crudeliter insequuntur. Manserunt enim ipsi Tartari in regno Hungariae tribus annis. Et quia seminare illis temporibus non potuerunt Hungari; ideo multo plures post exitum illorum fame perierunt, quam illi, qui in captiuitatem ducti sunt & gladio ceciderunt. Post haec autem rex Bela reuersus est de maritimis partibus, & ducem Austriae Fredericum virum bellicosum ante nouam ciuitatem gens occidit in proelio Hungarorum: & transfixit per maxillam. Licet idem dux ceciderit in hoc bello; Bela tamen rex praefatus triumphum cū Hungaris perdidit.

A. C. M.CC. XLI.

DE BELLO REGIS BELAE CVM Othocaro rege Bohemorum.

CAPVT LXXV.

A. C. M.CC. LX.

POst haec idem rex anno domini M.CC.LX. congregauit exercitum copiosum contra Othocarum regem Bohemorum circa Morauiam vna cum filio suo STEPHANO, & ALPRA duce Cumanorum. Sed victus fugit circa Haymburg tertio idus Iulii. Erat enim vir pacificus; & in exercitibus & proeliis minime fortunatus.

QVOMODO POPVLVS EIVSDEM REGIS in temporibus se flagellauerit.

CAPVT LXXVI.

A. C. M.CC. LXIII.

A. C. M.CC. LXXV.

IPsius etiam tempore, anno domini millesimo CC.LXIII. plebs flagellis se feriendo vniuersaliter discurrebat. Obiit autem anno domini millesimo CC.LXXV. Nonis Maij, feria sexta, in festo inuentionis sanctae crucis in Insula BVDENSI: & sepultum est corpus eius STRIGONII in ecclesia fratrum minorum constructa ad honorem virginis gloriosae, quam ipse dominus rex BELA adhuc viuens sumptuoso opere & pulchro fecerat inchoari: vbi cum domina regina consorte sua MARIA nomine, filia imperatoris Graecorum; & duce Bela filio suo charissimo feliciter requiescit: vir virtutibus plenus;

nus; cuius memoria quasi mel dulcorosum vsq; in diem hodiernum in ore omnium Hungarorum & aliarum plurium nationum suauescit. Cuius corpus Philippus archiepiscopus Strigoniensis de ecclesia memorata auferri exhumãdo fecerat cõtra iura, & in sua ecclesia cathedrali indebite tumulari. Super quo facto coram summo pontifice causa diutius ventilata; fratres minores cum honore maximo rehabere ex integro meruerunt. & coram virginis ara gloriosius condiderunt. Vbi hi pulchri versus continentur. *Aspice rem charam; tres cingunt virginis aram; Rex, dux, regina, quibus assint gaudia trina.* Et sequitur: *Dum licuit, tua dum viguit rex Bela potestas, Fraus latuit, pax firma fuit, regnauit honestas.*

DE CORONATIONE REGIS STEPHANI QUINTI; FILII REGIS BELAE QUARTI.

CAPVT LXXVII.

POST ipsum anno domini M. CC. LXX. cepit regnare filius eius Stephanus super totam Hungariam; quae Othocarum regem Bohemorum in Hungariam cum Bohemis australibus, Branburgensibus, ac caeteris mixtis gentibus cum potentia venientem ante fluuium Rapcha deuicit viriliter ac fugauit. praeterea Budam ciuitatem Bulgarorum expugnauit; & Bulgaros superauit, regem eorum sibi compulit deseruire. Regnauit autem duobus annis, & mortuus est in anno tertio regni sui in magna insula; & sepultus est in ecclesia beatę virginis Insulae Budensis, in loco beginarum.

A. C. M. CC. LXX.

DE CORONATIONE REGIS LADISLAI QUARTI; FILII REGIS STEPHANI QUINTI, QUI KVVNLACZLO DICTUS EST.

CAPVT LXXVIII.

CVI successit Ladislaus filius eius; & coronatus est eodem anno, quo mortuus est pater eius: videlicet anno Domini M. CC. LXXVI. qui imperatore adiuuante circa Morauiam occidit regem Otthocarum supradictum in proelio. Postea cum anno domini M. CC. LXXXII. Oldamur dux Cumaniae cõgregato exercitu Cumanorum circa lacum Hood vocatum, voluisset hostiliter regnum inuadere Hungarorum, vt suo dominio subiugaret; contra eum rex Ladislaus, vt fortis Iosue pro gente sua & regno pugnaturus accessit. In cuius exercitu Lorandus filius Thomae miles strenuus contra Cumanos lanceauit cum impetu virtutis suae: & laudabiliter percussit plurimos & prostrauit. Postea cũ proelium committeretur inter partes fortissimum, subito & inopinate ex diuina clementia pluuia grandis exoritur contra faciem paganorum; & qui in arcubus sperabant & sagitta; propter imbrium densitatem iuxta propheticum facti sunt vt stercus terrae. Et sic rex Ladislaus victoriã obtinuit diuino fretus auxilio.

A. C. M. CC. LXXVI.
A. C. M. CC. LXXXII.

DE SECUNDARIO INTROITU TARTARORUM.

CAPVT LXXIX.

TAndẽ postea pauci de ipsis Cumanis qui euaserant, ad Tartaros fugerunt, quorum instinctu Tartari anno domini M. CC. LXXXV. secunda vice intrauerunt Hungariam; & vsq; Pesth vniuersa miserabiliter cõbusserunt. Iste enim rex Ladislaus filiam regis Caroli de Apulia in coniugiũ habebat. Sed spreto thoro coniugali filiabus adhaesit Cumanorum Ayduam Cupchek & Mandulã vocatis, ac alias quam plures in concubinas habebat; quarum amore cor eius est merito deprauatum, & à suis baronibus & regni nobilibus odio habebatur.

A. C. M. CC. LXXXV.

DE ADVENTU FIRMANI SEDIS APOSTOLICAE LEGATI.

CAPVT LXXX.

HInc insuper contra eum, quia Cumanice & non catholice cõuersabatur, Philippus Firmanus sedis apostolicae legatus aduenit. qui barbas radere,

Digitized by Google

crines detruncare contra mores Hungaricos,& pileos Cumanicos; quorũ vſus in Hungaria iam in conſuetudine habebatur,abiicere demandabat; regem etiam anathematis vinculo feriens vt paganos odio haberet, ritum Chriſtianorũ diligeret; & thoro viueret coniugali: ſed nihil in rege proficiens repatriauit.

DE SVBITA NECE REGIS LAdislai per Cumanos facta.

CAPVT LXXXI.

M.CC.XC. POST hæc in breui ipſe rex Anno domini M. C C. XC. Feria ſecunda proxima ante feſtum ſanctæ Margaritæ virginis & Martyris prope caſtrum Kereſzeg ab ipſis Cumanis,quibus adhæſerat, eſt miſerabiliter interfectus. Tempore enim iſtius regis Ladiſlai cepit Hungaria à ſua magnifica gloria reflecti; vt caſus flebiles & euentus inferius oſtendent. Ceperunt namque in ea inteſtina bella conſurgere; ciuitates confringi; villæ per combuſtiones ad nihilum redigi; pax & concordia penitus conculcari; diuites deficere, & nobiles ruſticari præ inopia. Illo tempore biga ſcilicet duarum rotarum vehiculum; à regni incolis currus Ladiſlai dicebatur. quia propter continua ſpolia animalia vehicula trahentia defecerant in regno; ſed homines more pecorum bigis iuncti vices animalium impendebant.

DE CORONATIONE REGIS ANdreæ tertii nepotis Andreæ regis ſecundi,qui & Venetus dictus eſt.

CAPVT LXXXII.

POST cuius regis mortem eodem anno X VIII. die Andreas dux de Venetiis coronatur; qui viuente adhuc Ladiſlao rege adductus in Hungariam fuerat. Cuius Andreæ regis ortum & originem videamus, vt qua ratione meruerit coronam regni Hungariæ accipere, perſpiciamus. Cum enim rex Andreas ſecundus pater quarti Beli regis & Colomani ducis,mortua prima vxore ſua vel potius interfecta, vt ſuperius dictum eſt, mare ad mandatum eccleſiæ transfretaſſet in terram ſanctam,ad pugnandum pro ſepulchro domini; ibi victor exiſtens reuertebatur feliciter cum honore. Tandem in Italiam applicuit, & quadam vice apud marchionem Eſtenſem eſt magnifice hoſpitatus. Ille vero marchio cognoſcens regem eſſe viduum; filiam ſuam excellenter pulchram & bene ornatam conſpectui regis aſtare fecit. Rex vero videns eam pulchram, & ſuis oculis gratioſam; cum abſque hoc ducere vellet vxorem; cum eadem domicella eodem die contraxit matrimonium & in Hungariam ſecum duxit. Mortuo vero rege Andrea,domina iſta volens redire ad parentes ſuos; conuocatis principibus regni Hungariæ archiepiſcopis & epiſcopis ſe grauidam prole; manifeſtis indiciis demonſtrauit; & ſic eſt reuerſa in terram ſuam Eſth vocatam; & ibi apud patrem ſuum puerum maſculum peperit,quem in baptiſmo Stephanum vocauerunt; qui nutritus & educatus eſt ſub hoc titulo, quod eſſet filius regis Hungariæ. Tandem ad ætatem vltimam deueniens, vſurpare doloſe marchionatum voluit aui ſui: ſed idem auus ſuus preualens ipſum remotius effugauit; & ſic Stephanus fugiens abiit in Hiſpaniam ad Iacobum regem Aragoniæ, qui habebat in vxorem ſororem iſtius Stephani filiam regis Andreæ regis Hungariæ,& ibi aliquamdiu commoratus iterum in Italiam veniens electus eſt poteſtas à ciuibus in Rauenna. inde fugatus venit Venetias. Ibi autẽ vir quidam ciuis Venecenſis ciuitatis potior & ditior cognoſcens & ſciens veraciter, hunc eſſe filium regis Hungariæ; tradidit ei filiam ſuam in vxorem; & omnium bonorum ſuorum participem eum conſtituit.

Ex illa autem habuit filium Stephanus, quem Andream vocauit nomine patris ſui. Qui Andreas auxilio & conſilio auunculorum ſuorum, qui erant infinitarum diuitiarum viuente adhuc rege Ladiſlao in Hungariam ſubintrauit; eo quod eſſet dux,qui deberet habere portionem in regno regis Andreæ titulo

aui

Digitized by Google

aui sui. Cum autem rex Ladislaus fuisset occisus à baronibus regni; Andreas dux feliciter coronatur. Qui anno secundo regni sui cum exercitu maximo Austriam debellauit. In cuius imperio quidam nobiles regni, Iohannes scilicet & Henricus Banus filii Henrici ac Vgemus filius Poch de Wylak; aliiq; quam plures in præiudicium regis ANDREÆ à papa Bonifacio VIII. regem petierunt.

QVOMODO IN PRAEIVDICIVM REgis Andreæ papa ad instantiam quorundam baronum puerum Carolum in Hungariam destinauerit.

CAPVT LXXXIII.

QVORVM instantiam papa admittens quendam puerum XI. annorum nomine Carolum, anno domini M.CC.XCIX. viuente adhuc Andrea rege in Hungariam destinauit. Cuius Karoli generatio & origo tali modo habetur. Rex Stephanus quintus filius Belæ quarti regis Hungariæ inter alias filias habuit vnam, nomine Mariam vocatam, quam Karolo Claudo filio Karoli magni, qui ex donatione ecclesiæ fuit rex Siciliæ, tradiderat in vxorem. Qui rex Karolus Claudus ex illa filia Stephani regis genuit Karolum Marcellum nomine: Karolus vero Marcellus ex filia imperatoris Rodolphi Clementia nomine genuit filium, quem primo in terra sua vocauerunt Carobertum, quasi Karolum Robertum; in Hungaria autem ablato Roberto ipsum Hungari Karolum vocauerunt: vt autem iste Karolus regnare valeret, & contra Andream regē potestatē accipere, Papa legatos vnum & alium de latere suo contra regem Andream pro Karolo destinauit; qui nihil agere valentes ad propria redierunt. Interim anno domini M.CCC.I. in festo sancti Felicis idem rex Andreas in castro Budens. requieuit in domino, & sepultus est in ecclesia sancti Iohannis euangelistæ, apud fratres minores.

A.C. M.CC.XCIX.

A.C. M.CCC.I.

DE ADDVCTIONE VVENCESLAI ducis, filii regis Bohemiæ in opprobrium pueri Karoli, & de coronatione eiusdem.

CAPVT LXXXIV.

POSTEA mortuo rege Andrea barones regni eodem anno in duas partes celerius diuiduntur: ita quod Matthæus Omodeus & Vbrinus potentissimi principes in regno, ac alii nobiles quam plures Karolo puero adhæserunt; & eū regem nominabant verbo sed non facto. Dominicus vero, filius Stephani dicti Porch magister Thauarnicorum quondam regis Andreæ Demetrius filius Nicolai, Henricus filius Henrici viri valde magnifici cum Iohanne archiepiscopo Colloceus. & Andrea episcopo Agriensi; Emerico episcopo Waradiens. Haab episcopo Vaciens. Anthonio episcopo Chanadiensi; Nicolao episcopo Boznensi; & Iacobo episcopo Scepsens. cui vsq; vitam fuerat concessus episcopatus; in mense Iulio versus Bohemiam processerunt ad regem Wenceslaum; vt regni susciperet gubernacula Hungarorum: NE REGNI LIBERI LIBERTATEM AMITTERENT IN SVSCEPTIONE PER ECCLESIAM DATI REGIS. Ad ipsum autē regē Bohemiæ ob hanc rationem posuerunt gressus suos. quia rex Otthacarus, qui per regem Ladislaum fuerat interfectus, sicut est superius enarratum; habuit in vxorem filiam dominæ Annæ filiæ Belæ regis quarti: qui ex ea genuit filium nomine Wenceslaum; qui regnauit in Bohemia patre mortuo multis annis. Qui Wenceslaus venire noluit; sed filium suum ex filia imperatoris Rodolphi procreatum & genitum nomine similiter Wenceslaum in quadam villa Godin vocata circa Moruam ex parte Bohemiæ, quo præfati nobiles & episcopi conuenerant, in regem Hungaris tradidit naturalem. & ipsi confectis instrumentis litterarum, & roborato fidei firmamento vnanimiter susceperunt. Ab hinc *Te deum laudamus*, altissime proclamantes ad Albam ciuitatem regiam deuenerunt: vbi IOHANNES ar-

Digitized by Google

VVenceslaus dictus Ladislaus rex. chiepiscopus Colocen. cum episcopis aliis superius nominatis honorifice eum coronarunt. Sedes namque tunc archiepiscopatus Strigoniens. vacabat. Inde Budam venerunt; ibiq; Iohannes archiepiscopus obdormiuit in domino; & Iacobus episcopus Scepsens. quieuit in pace. Tumulantur autē in ecclesia sancti Iohannis apud fratres minores.

QVOMODO REX LADISLAVS SIVE *VVenceslaus exiuerit de Hungaria, & in Bohemiam reuersus fuerit.*

CAPVT LXXXV.

POSTEA rege iam dicto, quem Hungari Ladislaum vocauerūt, in Buda degente; nullum castrum, nulla potentia seu potestas, nullum ius regale sicut Karolo puero, ex parte baronum restituuntur: sed vna pars regni Karolum, altera Ladislaum regem appellabant nomine tantum, sed non re vel effectu regiminis seu potestatis. Tunc rex Wenceslaus pater Ladislai nouiter coronati, videns & considerans palliatas versutias Hungarorum, anno domini, M. CCC. III. *A.C. M. CCC. III.* cum multitudine exercitus Pannoniam est ingressus; & iuxta Danubium circa Pesth aliquantulum residens; Ladislaum filium suum cum corona regni accipiens, & Ladislaum filium Vernerii rectorem seu iudicem Budensem, in suū regnum in pace reuertitur.

QVOMODO PAPA PER QVOSDAM *Budens. presbyteros extitit excommunicatus.*

CAPVT LXXXVI.

EODEM tempore frater Nicolaus de ordine prædicatorum episcopus Hostiens. Cardinalis apostolicæ sedis auctoritate suffultus in Hungariā pro Karolo aduenit. Qui Budæ residendo diebus aliquot videns se nihil posse proficere, reuersus est in Curiam. & ibi mortuo Bonifacio VIII. in summum pontificem eligitur & creatur, & Benedictus appellatur. In suo autem recessu ciues ciuitatis Budensis pro quodam casu in interdicto reliquerat. Interdictum quippe religiosis & plebanis stricte seruantibus; surrexerunt pseudosacerdotes & perfidi, qui manifeste diuina populo celebrabant, & sacramenta ecclesiastica ministrabant publice interdictis. Insuper malum malo cumulantes perniciosius *NB.* conuocato populo, accensis lucernis, summum pontificem Christi vicarium, archiepiscopos & episcopos vniuersos regni Hungarię, ac viros religiosos communiter excommunicatos, altis vocibus promulgabant. Hoc factum est, castrū Budense quodam dicto Petermano regente, quem pro Ladislao captiuato rex præfecerat Wenceslaus.

DE INTRODVCTIONE OTTHONIS *ducis Bauariæ in regnum Hungariæ contra puerum Carolum, per quosdam barones facta: ac de coronatione, captiuitate & expulsione eiusdem.*

CAPVT LXXXVII.

INTEREA vero filii Henrici, & quidam alii nobiles, Otthonem ducem Bauariæ subintroducunt in regem Hungariæ. Qui veniens coronā regni à Wēceslao ablatam petiuit sibi dari: ac secum ferens anno domini M. CCC. V. Albā, *A.C. M. CCC. V.* regalem ciuitatem petiit, vt ibi coronaretur legitime in regem. Quem Benedictus episcopus Vesprimiens. ac frater Anthonius episcopus Chanadiens. in regē inunxerunt, & dicta corona regia coronarunt. Inde Budam veniens, & in die solenni in decore regio coronam sanctam habens in capite, per omnes plateas & vicos incedebat eques cum populo copioso, vt cunctis se esse regem legitimum publicaret. Qui in breui terram Erdeln cum Belæ filio Thomæ censuit visitare. vbi Ladislaus Wayuoda ipsum captiuauit; & in castro suo tenuit vinculatum multis diebus. Qui tam miserabili fortuna sibi occurrente; de regno expellitur Hungarorum.

DE

Digitized by Google

DE INVENTIONE REGALIS CORONÆ IN VIA AMISSÆ.

CAPVT LXXXVIII.

NEC hoc prætermittendum est; quod cum sancta corona per dictum Otthonem ducem ad Hungariam portaretur; propter timorem hostium fecit illam includi per artem tornatoriam in flasconem. Cum autem equitaret cũ suis sub noctis silentio in strata publica, in qua plurimi viatores transibant, casu de sella, corrigiis, quibus erat flasco ille ligatus, resolutis, quasi vas vinarium nullo vidente collapsus est. Postmodum vero luce clarescente dum vidissent non adesse thesaurum illum preciosum; quo citius potuerunt timore perculsi retro celeriter cucurrerunt. atq; coronam inter multos transeuntes in terra iacentem in medio publicæ stratæ inuentam à nemine repererunt. Forsitan ceciderat in prima vigilia noctis; reinuenta est autẽ sequenti die circa tempus, nõ dubium, vespertinum. Mirum certe & miraculum non tacendum. Quid enim per hoc quod illa corona cecidit intelligo; nisi quia dux ille vsq; vitam suam portare nõ potuit hanc coronam? sed amisit de capite coronam ipsam pariter & honorem. Quid est quod à nullo inuenta sed ab ipsis qui portabant? nisi quod ne Pannonia data sibi corona ab angelo priuaretur. Quo facto in eisdem euentibus Ladislaus filius Vernerii de captiuitate regis Wenceslai anno fere tertio liberatur; & cum Iohanne filio Chaak castrum Budense per portam, quæ est iuxta synagogam Iudæorum feria quinta post festum beatæ Petronellæ virginis noctis in silentio subintrauit; & quosdam ciues Budenses suos aduersarios & prædatores inuasit subito & destruxit. Peturmanus autem iudex ciuitatis, nudus fugiens vix euasit. Duos enim ex ipsis ciuibus, scilicet Martunhermam & magistrum Martinum iuratos ciues de duodecim; in caudis equorum per vicos & plateas ciuitatis crudeliter trahi fecit; & eorum ossa ignibus concremari; bona eorum obtinuit & possedit; sacerdotes insuper illos perfidos superius nominatos, manibus cathenatis & pedibus Thomæ Strigoniẽs. archiepiscopo destinauit. quos idem archiepiscopus carceri mancipauit, & in eodem tristẽ spiritũ emiserunt.

Corona amissa reperitur.

DE ADVENTV FRATRIS GENTILIS CARDINALIS IN HUNGARIAM, & DE CORONATIONE KAROLI REGIS.

CAPVT LXXXIX.

CVM igitur puer Karolus absq; regni solatio in Hungaria moraretur; frater Gentilis tituli sancti Martini in montibus presbyter, cardinalis de ordine fratrum minorum ex auctoritate summi Pontificis plenaria, anno domini M.CCC.VIII. Pannoniam intrauit: vno siquidem anno in pace transacto anno domini M.CCC.IX. constitutione terribili promulgata nobiles regni anathematis vinculo innodauit. Pauperibus vero diuitibus vniuersis diuina strictius interdixit. Et hæc fecit illis nobilibus qui iura regalia & reginalia nolebant restituere regi Carolo supradicto; & qui eũ regẽ minime appellarẽt. Ladislaũ vero Wayuodã Trãssiluanũ speciali excõmunicatione feriens; eo, q corona regni, quã ab Otthone duce, dum eum captiuauerat, receperat, indebite detinebat. Et quia filiã suã idẽ Ladislaus tradiderat filio Stephani regis Seruiæ schismatico in vxorẽ. Quapropter cum præfati nobiles extra cœmeteria corpora iacẽtia cõspicerent defunctorũ, amaro spiritu perturbati, anno domini M.CCC.X. cõgregati in cãpũ raptus circa Pesth Karolũ sæpe dictũ in regẽ concorditer susceperunt; & Albã properantes feria quinta in octauis sancti regis Stephani solenniter cum lætitia coronarunt, cum sancta corona à Ladislao Wayuodæ restituta. Anno eodẽ papa Clemens quartus per cruciferos sancti Iohãnis inter Christicolas mundi huius inæstimabilẽ thesaurũ fecit sagaciter procurari, ad passagiũ generale pro terra sancta expugnãda. Tradens dictis cruciferis gratiã singularem pecuniã largientes ab omnibus criminib. absoluendi vsq; ad continuos quinq; annos, sed postea de illo tanto thesauro nihil factum vidimus effectiue.

A.C. M.CCC. VIII.

A.C. M.CCC. IX.

A.C. M.CCC. X.

Digitized by Google

DE BELLO CAROLI REGIS PROPE *ciuitatem Cassovviensem contra Matthaeum de Trinchinio commisso.*

CAPVT XC.

A.C. M.CCC. XII.

ANNO domini M.CCC.XII. Cum rex Carolus regale castrum Sarub vocatum, à Demetrio filio Nicolai ex mandato Matthæi potentissimi principis possessum suis viribus obsideret: idem Matthæus filius Petri de Trinchinio mille & septingentos milites lanceatos conductitios, & omne penitus suũ posse contra regem in adiutorinm Demetrii destinauit; vt ipsum regem desub castro procul pelleret præpotenter. Principes autem exercitus Demetrium supradictum, & Albam dictum Pulchrum siue Magnum constituit. Quorum aduẽtum rex audiens, putauit se non posse resistere, in Scepes se recepit. Cui Scepenses, equites pariter & pedestres feliciter concesserunt; cum quibus rex hostes suos audacius est aggressus. Qui quidem interdum ciuitatem Cassa vocatam expugnare ceperunt ꝓ morte Omodei Palatini, quẽ in Cassa Cassenses Theutonici vel Saxones potius peremerant innocentem. Quibus cum exploratores clamarent regis aduentum; dimissa ciuitate intrepidi obuiam regio exercitui processerunt; & ad locum pugnandi magis aptiorem, rex & ipsi plurimum festinabant. Quem locum ipsi primitus occuparunt. Rex interim in quadã valle circa Harnad cum exercitu confessione sacramentali præmissa, & absolutione accepta, susceptoq; dominici corporis sacramento, à cruciferis supradictis mori se per omnia parauerunt. At ipsi durissimi pacis hostes bellica arma induti de montis cuiusdam vertice vallem præfatam protinus certaturi obuiam regi descendebant. Et in latere dicti montis, feria sexta in festo sanctorum Viti & Modesti, prœlium durissimum est commissum: quale de tempore Tartarorum in Hungaria non contigit celebrari. In quo prœlio de familia regis Kakas filius Stephani dicti Porch, & Stephanus filius Bageri; Ladislaus filius Thomæ; Iacobus filius Aladarii, Michel filius Petri; Gurke & Michel filii Gurke; & Petrus castellanus de Bereg præclari nobiles corruerunt: Gurke sub vexillo regis vexillarius existens occisus; vexillo regis cadente sub vexillo cruciferorum rege pugnante.

Ex parte vero altera Demetrius filius Nicolai, & Aba principes exercitus, ac duo filii Omodei mortis iaculo vulnerati præpropere ceciderunt; & alii quã plurimi lethaliter sauciati ibidem & alibi mortis debita persoluerunt. Licet autem ex parte regis plures ceciderunt; tamen rex victoriam obtinuit gloriose. Quod factum à deo esse credimus & fatemur.

DE OBITV DOMINAE MARIAE *primæ consortis Caroli regis.*

CAPVT XCI.

A.C. M.CCC. XV.

ANNO domini M.CCC.XV. domina Maria prima consors domini regis natione Polona; filia ducis Kazmerii, tertio die post festum beatæ Luciæ virginis & Martyris in Themesuar vitæ cursum feliciter terminauit; & in Alba regali in ecclesia beatæ virginis terræ gremio commendatus est. Anno domini M.CCC.XVIII. accepit rex dominam Beatricem filiam regis Romanorum sororem regis Bohemorum de terra Lucumburgensi: quę in reuolutione eiusdem anni obdormiuit in domino, & Waradini in cathedrali ecclesia tumulata est. Eodem anno ecclesiam beatæ virginis Albensem, quæ frequenter incendio vastabatur, incepit rex tegere plumbeis tegumentis, & cum gloriosa testudine decorare. insuper etiam columnis firmissimis stabilire. Eodem anno mortuus est Matthæus Palatinus.

A.C. M.CCC. XVIII.

DE

Digitized by Google

QVOMODO KAROLVS REX DOMInam Elizabeth filiam regis Poloniæ duxerit in consortem.

CAPVT XCII.

ANNO domini M.CCC.XX. accepit rex Karolus filiam Ladislali regis Polonorum Elizabeth nomine; de qua anno domini M.CCC.XXI. habuit rex filium nomine Karolum, qui puer mortuus est eodem anno, quo natus est; & in Alba sepultus, Anno domini M.CCC.XXIV. in Wyssegrad in festo sancti Remigii. de eadem regina rex genuit filium nomine Ladislaum.

A.C. M.CCC. XX. M.CCC. XXI. A.C. M.CCC. XXIV.

DE FVNDATIONE CLAVSTRI in Lippa.

CAPVT XCIII.

ANNO domini M.CCC.XXV. inchoauit dominus rex fratribus minoribus ædificare ecclesiam in Lippa ad honorẽ beati Lays noui sancti episcopi Tholosani & confessoris; qui fuit frater carnalis patris sui, scilicet primogenitus regis Siciliæ; filius Mariæ reginæ filiæ Stephani regis Hungariæ; filii Belæ quarti, professor voto & habitu ordinis fratrum minorum.

A.C. M.CCC. XXV.

DE NATIVITATE LODOVVICI filii regis Karoli.

CAPVT XCIV.

ANNO domini M.CCC.XXVI. tertio nonas Martii; natus est eidem regi filius, quẽ nomine huius sancti confessoris consanguinei sui Lays præ gaudio appellauit anno domini M.CCC.XXVII. feria quarta ante dominicam Ramispalmarum; ecclesia beatæ virginis de Alba regali; quamuis plumbo tecta fuisset contra incendium, vt superius memini; tamen flebiliter est combusta; & tota plumbea materiam in laminas producta de tecto eius à facie ignis vehementis fluxit liquide sicut cera: excepto vno campanili, quod supra sacristiam est: vbi sanctorum reliquiæ quam plurimæ appositæ conseruantur: quod nemo dubitat, eorum meritis remansisse; sed nihilominus eandem ecclesiã postea iterum plumbo texit.

A.C. M.CCC. XXVI. M.CCC. XXVII.

DE NATIVITATE ANDREAE DVcis filii eiusdem regis.

CAPVT XCV.

EODEM anno in festo sancti Andreæ apostoli natus est filius ei, quem Andream appellauit.

DE IMPIETATE ET FEROCI sæuitia Feliciani.

CAPVT XCVI.

ANNO domini M.CCC.XXIX. mortuus est Ladislaus filius eius. Cum autem hisdem temporibus regnum Hungariæ pacis optatæ trãquillitate gauderet, & securum esset ab hostibus circumquaque; pacis æmulus & inuidiæ seminator diabolus, misit in cor cuiusdam militis nomine Feliciani de genere Zaach inueterati dierum, & caniciе iam respersi, vt dominum suum regẽ Karolum & dominam Elizabeth reginam, & duos filios eius Lays & Andream occideret gladio vno die. qui Felicianus per Matthæum de Trinchino quondam Palatinum fuerat exaltatus. Tandem relicto Matthæo venerat ad regem. Huic, quod cum rex regio fauore prosequeretur, securo ingressu regis ianua absque obice patebat. Porro cum rex vna cum regina & filiis suis præfatis anno domini M.CCC.XXX. XV. Kalendas Maii, feria quarta post octauas Paschæ, in suburbio castri Wyssegrad in domo sua pranderet, ante regis mensam clam subin-

A.C. M.CCC. XXIX. machinatio mortis *A.C. M.CCC. XXX.*

Digitized by Google

trando idem Felicianus astitit: & euaginato acutissimo gladio vehementissimo impetu more canis rabidi immisericorditer regem, reginam, filiosq; voluit iugulare: sed misericordia misericordis dei prohibente quod voluit non potuit effectui mancipare: tamen regis manum dexteram leuiter vulnerauit: sed proh dolor sanctissimę reginæ dextræ manus quatuor digitos, quos pauperibus & miserabilibus atq; abiectis personis misericorditer in eleemosynis extendebat, protinus amputauit. Cum quibus etiam digitis innumerabilibus ecclesiis paramenta varia consuebat; & altaribus sacerdotibusq; ornamenta de preciosis purpuris transmittebat, & calices indefesse. Cum etiam pueros regios ibidem astantes vellet occidere; pædagogi puerorum, videlicet filius Gyvvla & Kenesich & Nicolaus filius Iohannis Palatini se interponentes, euadentibus pueris memoratis, lethaliter vulnerantur in capite. Tunc Iohannes filius Alexandri de comitatu Potokiensi bonæ indolis iuuenis vicedapifer reginæ tunc existens, in ipsum Felicianum quasi in cruentam bestiam irruit, & cum bicello inter collum & scapulam fortiter feriendo transfixit, & ad terram deiecit hinc & inde. Per ostia gladiatores milites regis gladiis terribilibus membratim miserum lanìantes, quoddam quasi monstrum gladiis effecerunt. Caput eius Budam mittitur, manus & pedes aliis ciuitatibus destinantur: deniq; filius eius vnicus adolescens, & vnus ei fidelis famulus fugam capientes, euadere minime potuerunt: & in caudis equorum vitæ terminum perceperunt. Quorum omnium cadauera canes in platea cum ossibus corroserunt. Et dignum quippe erat, vt Felicianus, qui multos christicolas membris suis feraliter mutilando priuauerat; ipse membris omnibus iusto dei iudicio priuaretur: & qui fuerat tortor pauperum indefessus, à communi morte hominum exclusus, canina & subitanea morte moreretur, vt quasi canis cum canibus perciperet portionem. Filia quoq; eius Clara vocabulo virgo pulcherrima de aula regia extrahitur; & naribus cum labiis turpiter mutilatis, solum dentibus patefactis & octo digitis ambarum manuum amputatis, pollicibus saltem remanentibus per plurium ciuitatum vicos & plateas perducta in equo semiuiua & misera proclamare compellitur in hæc verba: *qui regi infidelis est, per omnia percipiat talionẽ.* Altera insuper filia ipsius Feliciani maior Sebe nomine, cuidam nobili nomine Kopai matrimonialiter nupta ante castrum Levva iussu Emerici dicti de Bechey, castellani ipsius castri capite truncatur: & ipsa Kopay in captiuitatis vinculo mortis debitũ soluit. Filii eiusdem insuper in insulam marinam per cruciferos transportantur nunquã terram natiuam reuisuri. Multi deniq; de ipsius genere Feliciani nobiles trucidantur. Sic igitur Felicianus infelix læsæ maiestatis crimen incurrit, turbauit regnum, extinxit semen proprium, suam gentem infamauit & perdidit, esca canum effectus, solutus à seculo, ligatus est in barathro ac sepultus in inferno, mũdo extitit fabula & infidelibus disciplina. Tam enorme factum vno die vix creditur accidisse hucusq; quo istud accidit. Rex Karolus ventis prosperis nauigauit, & crispantia maris æquora suæ fortunæ carina ad votum sulcauit. Sed iam fortuna vertibilis auersa facie valefaciens terga vertit: quia vndique bellis insurgentibus sua expeditio vincebatur: pedum etiam ac manuum dolore nimio torquebatur.

DE BELLO KAROLI REGIS CVM Bazarad VVayuoda Transalpino infeliciter gesto.

CAPVT XCVII.

IN anno eodem, quo Felicianus indignæ memoriæ periit, videlicet anno domini M.CCC.XXX. cum rex copiosum exercitum cõgregasset, nõ tamẽ totũ suũ posse; quia ad confinia regni sui in diuersas expeditiones cõtra aduersarios eiusdẽ regni quã plurimos destinauerat pugnatores; ipse vero per Zerim in mẽse septembri transtulit se in terram Bazarad Wayuodæ Vlachorũ: ad inductionẽ Thomę Wayuodę Transsiluani & Dionysii filii Nicolai, filii Ancha, quę terra

est

est inhabitabilis genti ignotæ: vt de ipsa terra ipsum Bazarad rex expelleret, aut certe terram ipsius vni ipsorum insultantium traderet possidendam. cum tamē ipse princeps censum debitum regiæ maiestati semper fideliter persoluisset. Cū autem rex Zenrin & castrum ipsius recepisset; Dionysio tradidit memorato omnia cum dignitate banatus. Quo facto Bazarad regi sic mandauit nuncios per honestos: *Quia vos domine, mi rex, laborastis in conuocatione exercitus, laborem vestrum recompensabo VII. millibus marcarum argenti. Ipsam etiam Zenrin cum suis attinentiis nunc habetis præ manibus per potentiam: pacifice vobis tradam: insuper censum, quo teneor, vestræ coronæ fideliter persolui faciam omni anno. Et nihilominus vnum ex filiis nostris vestræ curiæ ad seruiendum deputabo meis pecuniis & expensis: tantummodo reuertimini in pace vestra, & personarum periculis præcauete: quia si veneritis vlterius, periculis minime euadetis.* Quo audito rex elata mente in tale verbum prorupit, nunciis sic dicens: Sic dicite Bazarad: *Ipse est pastor ouium mearum, de suis latibulis per barbas suas extraham.* Tunc quidam fidelis baro Donch nomine, comes de Zolio & de Lipton sic ait regi: *Domine, cum magna humilitate vobis, & ad honorem vestrum ipse Bazarad loquitur: idcirco regiæ benignitatis fauorem, & plenam dilectionem gratiæ ei velitis per vestras literas remandare.* Tunc rex verbum superbiæ & cōminationis superius propositum iterauit, & relicto consilio saniori protinus vltra pugnaturus processit. Et cum sibi, & suis in terra ignota & inter alpes & montes siluarum victualia inuenire nequiret, famis inedia ipse rex, milites & equi sui laborare protinus ceperunt. Quo facto, treuga ordinata cum Bazarad, & data fide, vt ipse regi pareret & securitatem regi cum suis omnibus redeundi præberet, & iter rectum ostenderet. Rex reuertebatur securus: & confidens in fide perfidi schismatici venit in quandam viam cum toto exercitu; quę via erat in circuitu, & in vtraque parte ripis prominentibus circumclusa, & ante, vnde erat dicta via patentior, indaginibus in pluribus locis fortiter fuerat circumsepta per Vlachos. Rex autem & sui omnes cum nihil tale quid penitus opinarētur, in ripis vndiq; Vlachorum multitudo innumerabilis superius discurrēdo iacula iacientes super regis exercitum, qui erat in fundo depressæ viæ: quæ nec via dici potest: sed quasi nauis stricta; vbi propter pressuram cedebant dextrarii fortissimi cum militibus circumquaque: quia nec ad ripas vtriusque lateris viæ propter præcipitium ascendere poterant contra Vlachos; nec vltra procedere, nec fugæ locum habebant propter indagines ibi factas: sed erant omnino sicut pisces in gurgustio vel in reti comprehensi. cadebant iuuenes & senes, principes & potentes sine delectu. Durauit quippe sic iste miserabilis euentus à sexta feria vsque ad secundam feriam. In quibus diebus collidebantur inuicem milites electi sicut in cunis mouentur & agitantur infantes, vel sicut harūdines, quæ vento mouentur.

Facta est autem ibi strages maxima, & cecidit militum & principum ac nobilium incomputabilis multitudo. Feria VI. in vigilia beati Martini, & post in sequenti ibi etiam occubuerunt tres præpositi, videlicet magister Andreas prępositus Albens. ecclesiæ, vir valde venerabilis, vicecancellarius regiæ maiestatis existens, cum sigillo regis periit. Item Michel præpositus de Posega & Nicolaus præpositus de Alba transsiluana. Item Andreas plebanus de Sarub, & frater Petrus de ordine prædicatorum, vir honestus diræ mortis poculum acceperunt: quia in cerebra capitum eorum ligneos clauos miserabiliter affixerunt. Quidā etiam sacerdotes, qui erant capellani regis, sunt occisi. Cumanorum denique corruit inęstimabilis multitudo. Cadauera enim omnium tam virorum ecclesiasticorum, quam laicorum nobilium in loco certaminis ibidem tempus resurrectionis generalis expectant: nec cari eorum potuerunt suos dilectos propter hostium incursus aliquatenus rehabere. Tulerunt ergo Walachi multos captiuos tam vulneratos quam illæsos, & acceperunt plurima arma, vestesque preciosas, omniumque elisorum pecuniam in auro & argento, & vasa preciosa & baltheos. Multaque marsupia grossorum & florenorum; ac equos multos cum sellis & frenis, quæ omnia portauerunt & tradiderunt ipsi Bazarad Way-

uodæ. Rex autem mutauerat armorum suorum insignia: quibus induerat Desseo filium Dionysii, quem putantes esse regem crudeliter occiderunt. Rex vero ipse cum paucis per tuitionem suorum aliquorum fidelium vix euasit. Stabāt enim in circuitu eius quasi muri lapidei: magister Donch cum Ladislao filio suo & cum militibus aliis de familia regis; & magister Martinus filius Bereud, qui omnes ictus gladiorum & sagittarum super se recipiebant, velut imbres pluuiarum, vt regis vita à mortis impetu seruaretur. Cadebant etiam in circuitu exercitus de canina multitudine Walachorum quasi muscæ, quæ perdiderunt suauitatem vnguenti, cum Christianum populum & vnctos Christi sacerdotes immisericorditer percusserunt. Quorum Walachorum numerum ibi per Vngaros occisorum subtilis solummodo infernalis compotista collegit. Rex autē cum tali euentu venit ad Temesuar: & sine mora venit deinde ad Wyssegrad. Porro cum Hungari fortissima & durissima prœlia vbiq; gessissent; istud eisdē accidit, ne propter victoriam frequentem superbirent: vel certe post superbiam præcedentem corriperentur: vt humilitatem discerent & docerent, quatenus diuinæ dilectionis gratiam per paternæ correctionis flagella vberius merentur: quia illos corrigit deus pater, quos diligit.

A. C. M.CCC. XXXII. Anno domini millesimo trecentesimo tricesimosecundo in festo sancti Stephani regis habuit rex filium, quem Stephanum nuncupauit.

A.C. M. CCC. XXXIII. Anno domini millesimo trecentesimo tricesimotertio egressus est rex de Wyssegrad cum Andrea filio suo puero sex annorum, in mense Iulii, & perrexit cum bona comitiua militum per Zagrabiam vltra mare: vt filium suum per voluntatem summi pontificis, domini scilicet Iohannis vicesimisecundi, & ad instantiam & petitionem inclytissimi Roberti regis Siciliæ regni eiusdem coronaret in regem. In cuius regis comitiua profecti sunt Chanadinus archiepiscopus Strigoniens. Andreas episcopus Waradiens. & Iacob. Longobardus Physicus episcopus Chanadiens. & magister Dōch supra nominatus: & alii nobiles plurimi de regno. Qui rex rediit cum sospitate in mense Martii cum sanitate omnium suorum, qui ipsum fuerant comitati: filium autem suum ibidem reliquit, non tamen coronatum sicut optabat; sed sub tutamine & protectione regis Roberti patruelis sui. Qui Robertus erat rex Siciliæ, vir magnæ sciētiæ & sanctitatis: sed decrepitus iam ætate, volebat renunciare seculo & regiæ dignitati, vt contemplationi vacaret, & puer memoratus in regnum succederet. Sed tandem saniori vsus consilio, noluit culmini regiæ maiestatis cedere, dum viueret; sed post mortem ipsius constituit puerum in regno successorem; quia hæres, quem habuit rex Robertus mortis debito præpropere obediuit.

A.C. M. CCC. XXXV. Anno domini M. CCC. tricesimoquinto circa festum sancti Martini, Iohannes rex Bohemorum cum Karolo filio suo, & rex Polonorum venerunt ad regem Karolum in Hungariam ad castrum Wyssegrad, pro perpetuæ pacis concordia componenda. quod & factum est. Omni enim die ad prandium regis Bohemorum ex magnificentia regis Hungariæ expendebantur duo mille & quingenti panes, & de cibis regalibus copiose: pabulum etiam equis eius per singulos dies vigintiquinq; garletæ. Ad prandium vero regis Polonorum mille & quingenti panes, de cibariis etiam abundanter. De vino autē expensæ sunt centum & octoginta tunnellæ. Remunerauit autem rex Hungariæ regem Bohemorum diuersis & preciosis clinodiis: videlicet quinquaginta vasis argenteis, duabus pharetris, duobus baltheis, & vna tabula pro scacis mirabili, duabus sellis inæstimabilis precii; vno bicello valente ducentas marcas argenti, & vna concha margaritarum mirabili opere composita. Item, quia rex Poloniæ erat regi Bohemorum censualis, & quia rex Hungariæ Karolus habebat sororem regis Poloniæ in vxorem, dedit ei rex Hungariæ idem Karolus ad redimendum eundem regem de solutione censuali regi Bohemorum quingētas marcas auri purissimi, & ibi ordinatum est, vt si quenquam ipsorum regum, vel regna eorum, hostis inuaderet, cæteri in eius adiutorium & iuuamen festinarent. Et istud fuit confirmatum inter eos cum magno fœdore iuramenti.

Digitized by Google

DE INCIDENTIBVS QVIBVSDAM.

CAPVT XCVIII.

ANNO domini M. CCC. XXXVIII. circa feſtum apoſtolorum Petri & *A. C.*
Pauli, dominus Lochka dux Rutenorum venit in Wyſſegrad cum electo *M. CCC.*
populo militum ſuorum ad regem Karolum Hungariæ, promittens ei omnis *XXXVIII.*
amicitiæ incrementum. Anno domini M. CCC. XXXIX. Kazmyrus rex Po- *A. C.*
loniæ in menſe Iulii venit in Wyſſegrad ad Karolum regẽ: cum epiſcopis Hun- *M. CCC.*
gariæ: cum epiſcopis & baronibus regni ſui: & de conſenſu & voluntate omni- *XXXIX.*
um illorum regnum Poloniæ libere reſignauit domino Lodowico filio regis
Karoli, filio ſororis ſuę: eo quod non haberet filium, & ad hoc confecerunt eui- *A. C.*
dens inſtrumentum. Anno domini M. CCC. XL. & duobus annis ſubſequẽ- *M. CCC.*
tibus, videlicet XLI. & XLII. infinita multitudo locuſtarum ingreſſa eſt per *XL.*
Syrmiam in omnem partem regni Hungariæ, tranſiens turmatim volitando & *M. CCC.*
gradiendo in terra, ſuper omnia virentia in arboribus ſegetibuſq; ac gramini- *XLI.*
bus poteſtatem accipiens, præter folia vinearum. Poſt triennium autem in cir- *M. CCC.*
cumiacentia regna, ſed Poloniæ, Bohemiæ & Auſtriæ recedentes ſe diuiſerunt *XLII.*
vſq; ad Italiam & Franciam, & ſic morte perierunt.

DE MORTE REGIS KAROLI.

CAPVT XCIX.

HEV me; quia huius mundi decus & gloria à primæuo temporis ſpacio nũquam in vno ſtatu permanens; ſed ſemper variando verſaliter atq; caduce ſe protendens in nihilum tanquam aqua decurrens incedit. Nam omnia quæ à terræ gremio vſq; ad circumferentias cæli ambitu orbis continentur, dilabũtur in terram. Et quia nec vlli mors impia parcendo: nullaq; pacis conditione ſimulando miſeretur; cadit vita humana præ timore ipſius, dum ſtare putatur quaſi flos & protinus aret. O mors, quæ per exceſſus delictorum veteris parentis protoplaſti, morſu pomi noxialis diabolicæ fraudis inſtigante nequitia præconcepta, ſerpentino veneno virus iniquitatis infundens in orbem terræ, filios eiuſdem protoplaſti impauida non timens neq; verens dolo fraudis repleta diripiendo ac deuorando intrandi ſemitas primitus quæritaſti; mirum eſt, quod tanta guloſitate inſatiabili; rapacitate latrocinali; cadauera mortuorum deglutiendo non ſatiaberis: & cur de corpore fœtidiſſimo mortuorum quam viuorum congaudendo gratularis? Non enim ad domum conuiuii & cuiuſlibet ſolennitatis feſtum, ſed ad locum luctus plus feſtinas temere properare. neq; caſas pauperum, neq; aulas ſeu atria regum nullo nuncio mediante adire formidas: nec non coniugatos ex vera dilectione matrimoniali inuicem copulatos diuortionis vinculo innodare non paueſcis, filium à patre, patrem à filio ſeparãdo. Nonne amaram, duram, crudelem & impiam te fore oſtendebas, dum anno domini M. CCC. quadrageſimoſecundo ſequenti die diuiſionis apoſtolorũ XVII. Kalendas Auguſti caſtrum fortiſſimum inæſtimabilis altitudinis & muros eiuſdem inexpugnabiles, cui nec vis nec potẽtia huius mundi poterat quoquo modo dominari, tuæ vulpinæ doloſitatis aſtutia clandeſtinæ inuiſibiliter introire non expaueris, & ibidem hoſtilitatis arma in anima potentiſſimi principis domini Karoli dei gratia regis Hungariæ; cuius potentiam altiſſimo taliter diſponẽte, Dalmatia, Croatia, Rama, Seruia, Gallicia, Lodomeria, Cumania, Bulgaria; totaq; Hungaria, Salernaque ac mõtis ſancti Angeli; alia quoque regna; puta, Polonienſe, Bohemienſ. Auſtrienſ. ac circumquaq; adiacentia trepitando abhorrebant, immittere non metuens; ipſum quadraginta duobus annis & non pluribus vitæ comitem regnare permiſiſti: ſed acriter tua doloſitate conſueta de medio regnicolis manifeſte cernentibus feliciſſimę recordationis pium regem noſtrum famoſiſſimum ac potentiſſimum; non gazis ac precioſis veſtimentis, gemmis & precioſis, ſplendidis margaritis adornatis auro &

Digitized by Google

argento desuper contextis: sed spiritu viuificato spoliando subtraxisti: & ipsius splendentes honores in nihilum in terram humando obumbrasti. Nouissime vero videntes ipsum regnicolæ esse pium ac exaltatum, sicut cedrum Libani, transeuntibus, & quærentibus eum suis regnicolis; & ecce non erat. Ideo ꝓpter tuum grande factum nepharium, omnibus reuera dilectissimis catholicæ fidei cultoribus pariter fidelitati semitarum adhærentib. pium est: hunc ipsum dominum regem Karolū flere; & ipsius morti proh dolor lamentabiliter condolere. O quantus fletus, quanta lamenta prelatorum, procerum, baronum, nobilium, virginum, dominarum, & cuiusuis status & conditionis hominum, specialiterq; dominæ Elizabeth serenissimæ reginæ charissimæ consortis eiusdē: & domini Lodovvici nunc regis ac Stephani ducis filiorum eius? O, quis considerasset & considerare antea præmeditando debuisset, quod tam ineffabile gaudium & hilaritas, vultus scilicet serenissimæ dominæ reginæ tam crudeliter asperitate lachrymarum sit iam mutatus: & riuulis gurgitum ad instar aquarum ab oculis eiusdem vsq; ad terram à tempore obitus ipsius incessanter currentibus humefactus, & organica vox clamoris & gemitus eiusdem & suorū regnicolarum ad orbis cæli summitatē perueniendo, æthera quasi compati cōpulerit: in tantum, vt sol sui optimi coloris radios plurimum visus fuerit obfuscare. Tandemq; die sequenti ob præceptum dictæ dominæ reginæ archiepiscopis, episcopis, prælatis, baronib. presbyteris, fratrib. clericis omnib9 simul cōuenientib. & lachrimabiliter ꝓcessiue pergentib9 ad dictū castrū deuenitur, vbi preciosissimum caput eius iuxta decentiā regni, sui honoris corona aurea, corpusq; ipsius splendidissimum tunica scarletina, ac etiam caligis salutaribus gemmis preciosissimis contextis: & desuper calcaria aurea pulcherrimis pedibus suę excellentiæ annectendo induentes, de prędicto castro inexpugnabili in ecclesiā parochialem virginis gloriosæ in Wyssegrad ciuitate constructā plāctu magno deferebant. Planxitq; eum vniuersus populus ciuitatis planctu magno valde. Peractis autem ibidem diuinis institutionibus, & missarum solennibus, corpus ipsum super cimbam per decursus aquæ Danubialis in ciuitatem famosissimā, Budam videlicet, est delatum. Antecedebat autem flebiliter ipsam multitudinem prelatorū, baronum & regnicolarum, & vexillo triumphali miles famosissimus, atq; manu fortis Laurentius Sclauus; cuius intererat tempore vitæ ipsius domini regis ex officio eidem incumbenti vexilla regalia ferre loco oportuno. Vbi omnes ciues dictæ ciuitatis famosissimæ, sacerdotes & clerici; ac viri religiosi; ipsamq; inhabitantes alii processiue pergentes, condolendo oculis lachrimantibus, vestimenta lugubria portantes, obuiam ipsius corpori vsque ad Danubium processerunt. Et dum in dictam ciuitatem adduxissent, supra corpus ipsius cantica psallere; & alia diuina officia, vt mos est, pro expiratis eorundē per totam noctē preces offerre cantando non cessant summo creatori. Tertio autem die obitus ipsius, in eadem ciuitate, medio temporis spacio, quousq; diuina officia vel mysteria incepta, & missarum solennitates modo debito peragerentur, tres solennes dextrarii ipsius domini regis Karoli suis phalerati purpureis operimentis, super quos milites strenui armis eiusdem domini regis inducti sedebant, ante fores ecclesiæ steterunt. quorum quidem militum vnus armis tormentalibus regiæ excellentiæ conuenientibus erat ornatus; & alter ad hastiludium aptus; tertius vero armis bellicis regiæ maiestati competentibus erat circumseptus. In quorum quidem militum dictis regalibus equis insidentium galeis aureis coronis circumdatis; insignia sub forma struthionis auis; quæ per ipsum dominum regem vita sibi comite haberi & ferri consueuerant, habebantur. VNIVERSA namque ferramenta streparum & habenarum seu rudibularum, & alia ad ipsum spectantia de argento inaurato iuxta decentiam regiæ excellentiæ fabricata existebant. corrigiarumque cinguli & frena ac similia alia cum theniis & postenis sericæ substantiæ contexta fuerant. Nobilissimis namque picturis purpureis, gemmis & lapidibus preciosissimis dicti trini dextrarii & milites in persona & spiritu eiusdem domini

regis

Digitized by Google

Carolus Rex.

regis super ipsos tegebantur. Quos vt, dum cuiuscunque conditionis homines aspiciebāt,& dicta signa regalia intuebātur, eo q̃ idē dominus rex hactenus imperiū regni Hungariæ habitis pręmissis signis & dextrariis feliciter gubernauerit, mox prorūpebant in fletus validissimis æthera vlulatibus propulsantes. Peractis tandē diuinis institutionibus & missarū solēnitatibus: nō more aliorū quorundā regum dudū defunctorum; quos felicissimæ recordationis scripturæ aliarum epistolarum venerabilis cōmendat auctoritas; velata facie; nec corpore eius alicuius diei spatio celato; prout abusiua cōsuetudo aliis vicibus quorundā regū funeribus perhibetur astruxisse: sed manifeste omnibus pręsentibus facię ad faciē manifeste cernētibus ad Albam ciuitatem deferebatur dictū corpus tumulādum. Inde autē ferēdo corpus ipsius ad quācunq; mansionis villā deueniebat: omnes homines tam viri q̃ mulieres lachrymarū fletu cōdolentes clamore maximo in amaritudinē conuersi æthera propulsando resonabāt. Dumq; ad Albēs. ciuitatē dictum corpus perueniret nitidissimū, modo, quo superius allegatur, pręlati, presbyteri, clerici aliiq; regnicolę; ac ciues dictæ ciuitatis extra ciuitatē celeriter pergentes; ipsumq; corpus viuificato spiritu spoliatum amarissime circumspiciētes, in inenarrabiles fletus, eo viso, prorumpētes; illud intra ciuitatē detulerunt. Illi quoq; sacerdotes & clerici per totā noctē hymnos & psalmos Deo decantantes, in vigiliis pausando deduxerūt noctis prolixitatē. Dieq; lucescente inceptis diuinis & missarum solēnitatibus; quousq; diuina mysteria incepta, & missarum solennitates more debito eodē die peragerētur: antedicti trini dextrarij ipsius domini regis modo pręmisso phalerati, purpureisq; coopertimētis decorati; super quos præfati milites strenui arma eiusdem domini regis induētes ante fores ipsius monasterii, vt est pręmissum, steterunt perdurātes. Et demum eisdem digne cōpletis & cōsummatis, quæ in eodē die celebrari debebant, in summo monasterio, vbi sanctissimi regis Stephani & Emerici ducis filii eius sanctissima corpora diuersis coruscantia virtutib⁹ & miraculis, in domino feliciter requiescūt; & summa pietatis opera ipsa benigne implorantib. misericorditer partiuntur; iuxta altare magnū in vestimento regali ad hoc sibi debito per pdictos enarratos dominos & archiepiscopos, episcopos, prælatos & abbates sacris vestimētis indutos extitit tumulatū; & omnes vnanimiter planxerunt eum simul in vnum diues & pauper, in tantum, vt marmorei lapides densitate lachrymarū plurimum fuerint humefacti. Tūc enim tam maximo clamore gemebundi omniū circumstantium fauces raucæ factæ sunt: oculiq; ipsorū præ tantis lacrymis visibus naturalibus fere defecerūt. Vbi etiā venerabilis in Christo pater Dn. Chanadinus Strigoniensis archiepiscopus de obitu ipsius domini regis salubri ac pio sermone intentos animos & pia corda circumstantiū liniuit cōdecenter. Cuius quidē lachrymositatis & inenumerabilis mœstitię prętextu creditur eos, qui reges tumulari nō conspexerunt, de acerbitate doloris instillationeq; lachrymarum quasi imparticipes & inscios fore & extare. Attamen nō mirum, quod omnes creaturæ carne & pelle vestitæ: vt est prætactū, per lapsum veteris parentis protoplasti in culpā, sint morituræ. Nam in omnē posteritatem moriendi legem condidisse videtur generalem & incommutabilem: adeo vt altissimus ꝓprio filio suo, licet deitate vestito parcere noluit, sed ꝓ nobis omnibus tradidit illū. Nō igitur quisquā indignādo creatori propter factū mortis ineuitabile, & incōmutabile potest obuiare; & q̃ nō est sapientia, neq; prudentia, neq; fortitudo, neq; cōsilium cōtra dominū; sed potius ferēdus est grauis euentus necis patienter, quia q̃ donauerat dominus; accepit: & in die illa surrecturū in ipso. Tunc ibidē prædictum supremum monasterium cum aliis ecclesiis, innumerabilibus muneribus regalibus & oblationum maximis quantitatibus extitit donando remuneratum. & tandē antedicti trini dextrarii solennes cum armis & operimentis omnibus ipsorum gloriosissimis seu attinentiis, cum sartanea curru seu mobili aut ostilario regnali signo regio desuper forma auis struthionis deaurato, & gemmis adornato cum septenis nodulis globatibus argenteis & similiter deauratis ob planctus memoriam ineffabilis & luctus ama-

ritudinem iam dicti domini regis in posterum semper in memoriam reuocandi cum innumerabilibus supradictarum quantitatum pecuniis dicto monasterio dati & concessi extiterunt. Cuius quidem donationis & oblationis maxima quantitas ibidem die tumulationis facta, data & concessa in præsenti scriptura seriatim non ponitur: ne calamis scribentiũ pariterq; legentibus fastidium multiplicationis generaret sua prolixitate. Deinde vero potentissimi regis obitum famosissimus rex Kazmirus Poloniæ proximus eiusdem; & marchio Morauiæ in Wyssegrad venientes, condolenti animo celebrauerunt. Demumque triginta diebus completis; quarta feria proxima ante assumptionem virginis gloriosæ: tricesimum diem ipsius regis Caroli cum magna solennitate missarum peracturi; vt superius extitit enarratum, prælati, episcopi cum baronibus quam pluribus Albam, vbi corpus ipsius domini regis Caroli solenniter in domino requiescens, extiterat tumulatum, accedentes. ibiq; Albæ & in Wissegradiens. ciuitate domina regina cum filio suo Lodowico, tunc rege coronato sibi prædilecto, aliisq; prælatis, episcopis, presbyteris, baronibus & plurimis Christi fidelibus funeris obsequias deuotissime celebrarunt. & totius regni vniuersales etiam in toto regno diffusæ: eodem solennitatis voto & missarum solennitatibus dictum officium celebrantes compleuerunt. Imploranda ergo est vnanimi cõsensu clementia Dei omnipotentis pro eodẽ domino rege Carolo: vt cum anima ipsius clementer dispenset, eidem indulgendo; & in numerum ipsius animam ac cœtum sanctorum cõfessorum omnium, ac regũ Stephani & Ladislai dignetur collocare: & prout, quod in præsenti seculo regali triumpho vixerit, ita etiam in futuro seculo cum angelis valeat exultare.

Finit secunda pars Chronicæ Hungarorum.

INCIPIT PROLOGVS IN CHRONICÆ, QVÆ EST DE LVDOVICO REGE, PARTEM TERTIAM.

REX regum, & dominus dominantium vniuersæ terræ: qui supra cuncta tenet in excelsis imperiũ; dat esse rebus, & dispẽsat prout vult culmina dignitatum; & sapientia, & fortitudo eius sunt: & ipse mutat tẽpora & ætates; transfert regna atq; cõstituit, dominus fortis & potens, dominus potens in prælio; à quo omnes potestates velut ex sole radii deriuãtur; sub cuius imperio reges regnãt, & principes dominãtur. Ipse quidẽ est exercituum dominus; acies instruens; roborans animos; docens manus ad præliũ; & iustificationes suas potẽti virtute purificans, quos voluerit subiacere subiicit principũ potestati. Oportet ergo principem ferialiter regnantem & victoriose triumphantẽ culminis potestate à Deo fore exaltatũ; odore bonæ famæ exornatum: caterua militiæ decoratũ: vt præcelsi eius nominis fama dispersa per orbem, & cõscendens de gestis laudabilibus in excelsum, laudari mereatur apud Deũ, & extolli laudibus diuersarũ nationum. Hinc est quod peritissimus princeps philosophorũ Aristoteles in libro suo de secretis secretorũ ad Alexandrum ita scribit: Primum instrumentum intellectus est desideriũ bonæ famæ: quia qui vere desiderat bonã famã, famosus erit & gloriosus. *famã ergo principaliter & per seipsam appetitur in regimine: quia regnũ non appetitur propter se, sed propter bonam famã. Initium igitur sapiẽtiæ & intellectus est desideriũ bonæ famæ. Et persuadẽdo subiungit.* Stude igitur ô Alexander & dilige desideriũ bonæ famæ: quia nõ est precium, nõ est thesaurus, qui sibi possit redimere bonã famam. *Praeterea etiã sapiens & facundissimus Vegetius in libro de re militari super omnia cõmendare videtur militiã & bellorum industriam. Hoc enim secundũ ipsum est, quo Romani maxime exaltãtur: quia maxime dederunt operã rebus bellicis, & summopere studuerũt, quomodo possent sibi subiicere nationes. propter quod secũdum eundẽ hoc debet esse principalissimũ in intentione principis, vt abundet in ciuili potẽtia, &*

vt per

Ludouicus Rex.

Vt per eam sibi subiiciat nationes. Rursus alibi per quendã prudentẽ scribitur: Dum fortia laudãda, ac digne memoranda principũ ac militũ gesta & bellicosa exercitia, triumphos, casus fortuitos, & euentus ad memoriã posterorum scribimus, quid aliud agimus, nisi ꝙ incitamentũ bellicum promouemus? per quod virtuosos animos auditorum ad bellorũ exercitia accendimus; vt hoc exẽplo fortiores & ardẽtiores reddantur ad labores & bellicas passiones tolerãdas: quia præteritorũ exhibitio est instructio posteriorũ. *Quãobrẽ de gestis illustrissimi principis domini Lodovvici ex regum sanctissimorũ prosapia oriundi; Dei gratia Hũgariæ &c. & bellorũ exercitiis suæ gentis & militiæ, quamuis pauca ex pluribus, ne per neglectus incurrã in obliuionem: Ego Iohannes nunc archidiaconus de Kikullevv, in ecclesia Trãsiluana vicarius Strigoniens. in spiritualibus generalis; tũc, licet indignus, suorũ secretorũ notarius; posteriorũ notitiæ duxi cõmendãda ordine sequẽtiũ cõtinuãdo per capitula & particulas terminatas sub certis titulis; vt in prõptu inueniatur ꝙ quæritur pro legentiũ vtilitate; & in quatuor particulas vt infra, de qualibet particula per se posita clarius apparebit; diuidẽdo seu distinguẽdo. Si quid aũt minus recte inueniatur, vel incõueniẽter propositũ, lector prouidus & benignus supplenda suppleat, & corrigat, quæso, sine iniuria corrigenda.*

DE CORONATIONE, AC VITA, ET EXERCITIIS LODOVVICI REGIS.

CAPVT I.

SANE, cum idem rex Lodowicus, glorioso principe Carolo, rege Hungarorum, & eius genitore, beatę memoriæ ex hac vita, per dominum vocantẽ migrante; dominicæ incarnationis M. CCC. XLII. suæ vero ætatis decimoseptimo anno, die dominico proximo post festum diuisionis apostolorũ in vrbe Albæ regalis magnatum, procerum, baronum, militum ac cõmunitatis nobilium regni Hungarię voluntate vnanimi & fauore præcedente solenniter & feliciter in regem coronatus extitisset; & eidem genitori suo in regni solio iure naturæ debito successisset; ac in iuuenili flore regnare cepisset; maturitatemque iuuentuti præferens crescendo bonæ indolis iuuenis discretionis rationem amplexatus fuisset: magno virtutum creuit augmento: reminiscens, quia multi viri fortes pro patria sanguinem suum fundendum esse dixerunt, nec fundere dubitarunt, quod gloriam etiam apud posteros post mortem haberent; cogitare cepit, & in animo discutere, quomodo & qualiter iura regni sui per confines vicinos & principes occupata; ac per rebelles seu infideles de regno temeraria præsumptione in præiudicium sacrę coronæ distracta, & vsurpata ad statum debitum diuino fretus auxilio reuocaret & etiam reintegraret.

DE PRIMA EXERCITVALI EXPEDITIONE Lodovvici regis contra Saxones.

CAPVT II.

INterea accidit, vt quædam gens Saxonũ in eius regno in partibus Transsiluanis quasdã cõmotiones fecisset, & cẽsum consuetũ ac iura regalia soluere denegasset. Copioso igitur moto exercitu idem rex cum suis baronibus, militibus nobilibus, & regnicolis ad conterendam ipsorũ proteruiã personaliter accessit: & eis refrenatis ac ad obedientiã reductis laudabiliter triumphando remeauit.

DE OBEDIENTIA ALEXANDRI VVaiuodæ Transalpini.

CAPVT III.

CVM autẽ esset in partibus memoratis; quidã princeps seu baro potẽtissim' Alexander Waiuoda Transalpinus, ditioni eiusdẽ subiectus: qui tempore quodã Caroli regis patris sui, à via fidelitatis diuertẽdo rebellauerat, & ꝑ multa tẽpora in rebellione ꝑmãserat; audita pietatis ac etiã potestatis eiusdẽ Lodovvici regis fama, ad ipsum spõte ꝑsonaliter veniẽs circa cõfinia ipsarũ partiũ ad po-

Digitized by Google

des regiæ maiestatis humotenus est prostratus: & ad obedientiam ac fidelitatẽ debitam reductus, & integratus solennia munera, xenia & clenodia prestando, & suum dominum ac sanctam coronam recognoscendo cum gaudio & lætitia ad propria remeauit: & ab illo tempore fidelitatem conseruauit.

DE PEREGRINATIONE REGINAE ELIZABETH matris Lodovvici regis; & de rebus per ipsam tum in curia Romana, tum in Apulia gestis.

CAPVT IV.

REx autem Andreas in Apulia nondũ regnabat. domina igitur Elizabeth regina Hungariæ mater regũ prędictorum, post mortẽ regis Caroli habẽs deuotionẽ visitandi sanctorũ reliquias, & apostolorum Petri & Pauli honorãdi limina, q̃ nõ retraxit femineus sexus; nec terruit prolixus labor itineris, nec timorẽ incussit ei multiplex maris periculũ; sed virili animo fulcita ac diuino p̃sidio rapta, cælestiq; desiderio incẽsa, de Wissegrad in festo beatissimę Trinitatis anno domini M.CCC.XLIII. iter arripuit versus Italiã cũ honesta familia & multitudine dominarũ & nobilium puellarũ, baronum, militũ & clientum, cũ multo & magno apparatu iuxta magnificentiã regiam iuit & processit, habẽs secũ pro expensa 27. millia marcarũ puri argẽti, & 17. millia marcarũ purissimi auri. Dominus autẽ Ludowicus rex Hungarię, filius eius misit post eã 4. millia marcarũ auri electi. Habuit etiã secum de florenis fere cũ media garleta, de denariis vero paruis vsq; ad exitum regni multũ. Cui reginę etiã Veneti honestum valde, & vtile seruitiũ præbuerunt. nã cum duabus galeis propriis sumptib⁹ in toto trãsitu maris dictæ dominę diligẽtius famulati sunt. Trãsito aũt mari multum pacifice peruenit in Apuliã; cui obuiauit rex Andreas filius eius cũ consorte sua domina Iohanna regina; & dominã Elizabeth reginã cum magna solẽnitate & gloria receperũt: & ita Neapolim cunctis gaudẽtibus in vigilia S. Iacobi apostoli perduxerunt. Cũ igitur in Neapoli hæc regina Hungariæ resideret, ducto cõsilio ad apostolicã sedẽ solennes nuncios Nicolaũ Palatinum, Paulũ comitẽ curię regię, Thomã Ruphum, Fratrẽ Vitum, episcopũ Nitriẽsem, Thomã filium Petri; necnõ & archiepiscopũ Beneuẽtanũ; ac alios q̃ plures nobiles destinauit; vt dominus apostolic⁹ sua benedictione Dn. Andreã regẽ faceret corona regia decorari. Interea domina Elizabeth regina, volẽs conceptã deuotionẽ ad Deum & ad sanctos effectui mãcipare, ad visitãda beatorũ Petri & Pauli apostolorũ limina; in festo exaltationis sanctę crucis de Neapoli egressa, cũ tota familia & archiepiscopo Neapolitano, ac pluribus nobilibus de Apulia, p̃greditur versus Romam. Trãsibat aũt per ciuitates & castella cũ magna trãquillitate & pace, nullo suorũ cuiquã violẽtiam seu iniuriã inferente. Audientes autẽ terrigenæ reginã Elizabeth virtutibus, morũ honestate, & deuotione cõtinua vt sydus præfulgidũ radiare; ac suos cũ omni modestia pertrãsire; currebãt in vicos & plateas ad ipsam aspiciendã, & diligẽtius intuendã; & vidẽtes eam cũ admiratione & gaudio Deũ vnanimiter collaudabant; q̃ tam nobilis domina, & tam illustris regina, relicto regno & domo, venit à finibus mundi, tanquam regina Sabba ad quærendã & promerẽdam clemẽtiã Saluatoris. Cum aũt Romam infra paucos dies feliciter peruenisset, cõmota est vniuersa ciuitas in eius aduẽtu: illi etiam de Colũna ex vna parte Tyberis, & Vrsini ex alia parte receperunt reginã maximo cũ honore. Vulgus autẽ reliquũ ac populares magni & parui, mulieres & puellæ, currebant vbi transibat regina: & alta voce clamabãt, viuat regina Hungarię, & resonabat terra in voces eorũ: & propter rẽ alias insolitã, videbant omnes populi cõmuniter ex aspectu eius quoddã spirituale iubilũ reportare. Perueniẽs autẽ ante fores ecclesiæ beati Petri apostoli, totũ collegium Romanũ recepit reginã processionaliter cũ magna gloria & honore. Obtulit deniq; ad altare beati Petri apostoli & ad reliquias solẽnia munera in calicibus, & ornamẽtis insignibus, & florenis iuxta magnificẽtiam reginalẽ. Multa etiam monasteria, ecclesias & sanctorũ limina visitauit: quæ largis donariis & offertoriis honorauit. Imaginẽ etiã Christi seu

A.C. M.CCC. XLIII.

seu Veronicam bis per scalā ascēdēdo permissa est clarius visitare: ad quā cum deuotione accedens summo honore & humiliter adorauit. His itaq; gestis atq; perfectis, valefaciēs infra octauas sancti Frācisci reuersa est Neapolim cū exultatione & gaudio: sua enim deuotio cunctis claruit in exemplū. Cum igitur hęc regina in Neapoli resideret; & vidisset nurum suam, dominam Iohannā superbam & ambitiosam; ac vltra humanū modum cōsuetum incedere; mūdani honoris auidam; nec regi Andreæ marito suo exhibere honorē regium ac totum velle; imo, vltra posse suū; nisa est ipsum corona & regno priuare: sicut postmodū exitus rei probauit: cōmota sunt omnia viscera eius acri doloris aculeo cōpungente. Cū itaq; ambasiatores & nuncii longā moram contraherēt in Auinione, propter dissimulationē domini papæ nolentis præbere cōsensum dicti regis coronationi; visumq; est ipsi dominæ reginæ & suo cōsilio, fore vtilius repatriare, quā ibi incassum, & frustra, ac cū tędio permanere; anno domini M.CCC. XLIV. relinquēs filium suū regem Andreā in Apulia sanum & incolumē, circa festum S. Matthię apostoli recessit de Neapoli cū omnibus suis versus Hungariam; & diuertens in Barum; adorato ibi beato Nicolao & donis & muneribus honorato; circa mediū quadragesimæ peruenit Manfordiā: & propter defectū nauium & galearum cōpulsa est, festum paschæ ibidē solenniter celebrare. Sequenti autē die venerunt quatuor galeæ missæ per regem Andreā pro seruitio illustris reginæ Hungariæ matris eius. quæ in eis recepta cū omnibus rebus suis & familia, ac aliis pluribus nauibus mare Adriaticū transfretauit, & venit Viscenia domino cōcedente. Rediit autē regina de Apulia in Hungariā tempore supradicto; & peruenit in domū suam in Wissegrad in anniuersario sui recessus; & receperunt eam filii eius, scilicet Dn. Lodovvicus rex Hungariæ; & dominus dux Stephanus, ac proceres regni cū magna exultatione & gaudio. Interea nuncii Dn. regis Lodovvici & dominæ matris eius: apud dominū papam Clementē VI. Andreæ regis iura ecclesiastica ac leges ciuiles in cōsistorio proponētes; ac corā aliis iudicibus delegatis per omnia iura probātes; ꝙ regnum Siciliæ iure successionis regalis ad dominum regē penitus pertinebat, laborātes tamē nihil de negociis profecerūt: quia nō poterant, vt volebāt, antedicti nuncii eorū ambasiata per viā iusticiæ terminare: scientes ꝙ munera & dona alliciunt etiā animos sapientū, ignorātibus Dn. Lodovvico & domina regina matre eius spopōderūt dare se, & iuramēto firmius cōstringentes, ad camerā domini papæ 44. millia marcarū, vt permitteretur rex Andreas regni Siciliæ gubernacula possidere. Currente aūt hac relatione in Hungariā, ad Dn. regē & ad dominam reginā peruenit hoc pactū: qui hoc percipientes nō modicum turbabātur; quia ius regni, ꝙ ad ipsos secundū Deum & iustitiā pertinebat, sibi per pecuniā vēdicarēt: sed ne malignis & peruersis hominibus daretur occasio & materia, iniuste eos in aliquo iudicādi & nihilominus detrahēdi, quod ad regiū honorē per auariciam cupiditatē impenderet, solutionē antedictæ pecuniæ fieri permiserunt; ne etiam nuncii crimine mendacii notarentur. Cucurrerūt igitur exactores ad omnes comitatus & villas regias, & reginales per totū regni circulū, prædictam pecuniam ex integro exegerunt: & exactam per certos nuncios ad cameram domini papæ Clementis sexti fideliter transmiserunt, sperātes firmiter de coronatione regis Andreæ sine dilatione promissionis fieri complementum. Occupatis autem sæpe dictis nunciis in Auinione circa causam eis commissam determinandam, interim dominus Lodovvicus inclytus rex Hungarię decēti comitiua, anno domini M.CCC.XLV. transiuit in Poloniam ad socerum suum, cuius filiam iam acceperat, nomine Margaretham; & ducto consilio cum rege Polonorum antiquo & dicto socero suo prædicti regis filio, congregauerunt militiam fortem & validam: & circa festum beatæ Mariæ virginis transierunt pelagus super glacie, vno die naturali contra Lithuanos paganos, volentes eorum terram igne & gladio deuastare; sed flante austro dissoluebatur glacies, & ex mora illis periculum imminebat; ideo quam citius retrocesserunt, & sine fructu vacui redierunt.

A. C. M.CCC. XLIV.

Redit dominus.

Regnum pro pecunia.

A. C. M.CCC. XLV.

DE SVBSIDIO PER REGEM LODOVVICUM REGI POLONIÆ FACTO.

CAPVT V.

ITem, pro defensione regni Poloniæ in subsidium Kazmyrii regis contra excelsum principem dominum Iohannem regem Bohemiæ, cum magna potentia ipsum regnum & ciuitatem Cracouiæ inuadentem; strenuum militem Nicomē de Zeech cum Petro Paharos, & aliis militibus cum exercitu copioso trāsmisit; qui ab inuasione ac impugnatione & deuastatione eiusdem regis Bohemiæ regnum ipsum, ac ciuitatem de obsidione liberando defensarunt, & in potestate eiusdem regis cum prosperitate reuertentes reliquerunt.

DE EXERCITV CONTRA TARTAROS.

CAPVT VI.

ITem, cum gentes Tartarorum in regnum Hungariæ sæuientes confinia partis Transsiluanię & Siculos sæpius infestarent; rex ipse strenuum & bellicosum virum Andream filium Laczk Waiuodam transsiluanū contra ipsos Tartaros cum Siculis nobilibus, & valida gente destinauit. Qui terram, in qua habitabant, potenter subintrantes cum principe eorum, nomine Athlamos ad resistendū eisdem cum magno exercitu in campo obuiantes debellauit: & ipsum principem eorū decapitauit, ac multa banderia & captiuos Tartaros regiæ maiestati in Wissegrad transmisit. Post hæc etiā Siculi Tartaros sæpius inuaserunt, & cum magna præda ad propria redierunt. Qui autem ex ipsis Tartaris remanserunt, ad partes maritimas longe distantes, ad alios Tartaros fugerunt.

DE EXERCITV CONTRA CROACOS.

CAPVT VI.

TAndem communicato consilio suorum principum, militum & baronum disposuit contra suos infideles & rebelles Gregorium filium Cyriaci & Niliptium Croacos, qui regna Croacię & Dalmatiæ: ac magnam partem Sclauoniæ vsurpando in præiudicium sacræ coronæ detinebant, cum exercitu copioso & principibus aliarum partium; specialiter cum magnifico & potente principe Stephano bano Boznens. Cuius præclaram filiam dominam Elizabeth nunc reginam; postea duxit matrimonialiter in consortem; pro obtinendo & expugnando eodē regno Croaciæ, processit, & vsq; opidum Byhegh peruenit: propeq; supra caput riuuli Kolkothfew vocati castrametatus est. In quo loco diutius cum suo exercitu pausando, nec vlterius se mouendo, iidem tyranni & rebelles, Gregorius filius Cyriaci, & Iwan filius Nilipczii; mortuo patre suo ad obedientiam sacræ coronæ venire sunt compulsi. Et cum fidelitatem seruare iurassent; aliquibus restitutis, rege cum suo exercitu ad propria redeunte; idem Gregorius filius Cyriaci rebellauit; contra quem altera vice idem rex Lodowicus barones suos & milites cum exercitu ingenti transmisit: qui eiusdem rebellis proteruiam conterendo; ipsum cum aliis suis adhærentibus regno Croaciæ restituto; regiæ maiestati obedire, & se gratiæ submittere compulerunt, & cum lætitia ad propria remearunt.

DE EXERCITV CONTRA VENETOS in Dalmaciam.

CAPVT VII.

COnsequenter tempore procedente idem rex ad expugnandum & recuperandum Dalmaciæ regnum, quod per Venetos à diuturno tempore detinebatur occupatum; exercitū mouit copiosum; & cum multis principibus circumpositarum regionum ac baronibus, militibus & regnicolis suis vsq; ciuitatem Iadrensem peruenit: quæ se prius ad obedientiā reddiderat regiæ maiestati. Et quia Veneti eandem ciuitatem per suos stipendiarios Theutonicos, Gallicos

ctos & Latinos obsidebant; & contra ipsam quandam munitionem, *Scekach* vocatã, firmauerant, gentibus armigeris in ipsa collocatis: & diuersis machinis & ingeniis tam in ipsa munitione, quam etiam in galeis per mare ipsam ciuitatẽ Iadrensem fortissime expugnabãt. Circa quã idem rex in campo cum suo exercitu sedit; & machinis ac aliis diuersis ingeniis applicatis & erectis, ipsam munitionẽ Venetorum, volens obsidionem ciuitatis Iadrens. remouere, fortiter expugnabat, & milites ac gentes regis continuis insultibus hostes aggrediebantur & acerrime inuicem pugnã committebãt. Et quia hostes intra munitionem erant inclusi; per ictus balistarum multos de gente regis vulnerabant: ac etiã gentes regis vsq; ad muros appropinquãtes ipsis vices rependebant. Et cum oportunitatem captabant, clam gentes Venetorum de munitione subito egressæ cũ militibus & gentibus regis dimicabant; & ex vtraq; parte multi corruebant. vbi etiam strenui milites Bartholomæus filius Laurentii Tot, & Harsandorfer Theutonicus de parte in pugna sunt occisi. Quamuis aũt exercitus regis ad expugnãdum ipsam munitionẽ fortiter laborasset; ipsam tamen, quia nimirum erat fortificata & munita, expugnare minime potuerunt. Et hoc videns idem rex, non sine magno damno personarum & rerum, cum suo exercitu ad propria reuersus est. Gentes autem Venetorum tam in ipsa munitione, quam etiam per mare, in galeis obsidionẽ continuantes, per traditionem aliquorum de ciuitate, eandem ciuitatem obtinuerunt; & multos ciues & nobiles de eadem decollauerunt, & diuersis tormẽtis, cruciatibus & pœnis afflixerunt. multos tam viros quam etiam feminas, nobiles & puellas, Venetias in captiuitatem deduxerunt: & heu, miserabiliter, Deum non verentes, nec ætati, nec sexui compatientes, ipsas feminas & puellas, & alios captiuos in persona, fame & siti, solum vita ipsis miserrima reseruata, cruciarũt; & postea successiue in carceribus & pœnis ipsos peremerunt. De quo facto idem rex anxie dolens, se vindicaturum firmissime proposuit, dum tempus se adhuc offerret.

DE MORTE ANDREAE REGIS fratris Lodovvici.

CAPVT XIII.

POstea vero breui tempore decurso; quia nihil pœne in seipso manet stabile; sed currit tempus semper multas euoluens immutationes, quas neq; præuidere facile est, neq; prædicere; & nihil est, quod mutabilitatem non sentiat, & bellum in media pace consurgit: accidit casus lamentabilis & enormis de morte quondam inclyti principis domini Andreæ, Hierosolymę & Siciliæ regis fratris vterini eiusdem Lodowici Hungariæ regis; qui per sceleratum Corrardum de Kathanciis, & alios proditores ex procuratione militis Chensa in aula ipsius regis Andreæ morantis in ciuitate Auersa, (quæ vtinam fuisset submersa) extitit iugulatus & interemptus: & factus est luctus & planctus magnus in Hungaria. Ipsi tamen proditores reatus ipsorum pœnam & nephariæ proditionis præmium sumpserunt. Quoniam potens & magnificus comes Nouelli, cognatus regis & fidelis, ipsos super currum ligari fecit; & per omnes vicos comitatus protrahi, & eorum corpora cum forcipibus ferreis ignitis euelli fecit, carnificari & laniari morte turpissima extremo supplicio perimẽdo. Super quo euentu mortis fratris sui, idem rex Lodovvicus vltra modum dicendi vehementi dolore cordis sauciatus condolens & anxius cepit cogitare, & tractare de vindicta, ne tam execrabile scelus impunitum pertransiret, & primo Nicomem filium Laurentii Toht, qui postea Konth fuit cognominatus ad tractandum cum magnatibus, comitibus, & baronibus illarum partium illuc destinauit. Qui in Aquilam ciuitatem famosam superueniens; cum Lallo viro prudente, & de morte ipsius regis Andreæ multum anxio, capitaneo ipsius ciuitatis habito tractatu dominium ipsius obtinuit; & protracta mora ibidem quam plurimos vna cum ipso Lallo ad regis Hungariæ obedientiam confortauit & perduxit, hæc cum eidem regi per literas & nuncios intimasset.

DE EXERCITU REGIS LODOVVICI in Neapolim.

CAPUT IX.

Rex congregato valido exercitu per partes Italiæ transitum faciens, in qualibet ciuitate per dominos & cõmunitates honorifice susceptus & largiflue in transitu suo hospitatus, versus ciuitatem Neapolim festinauit. Ex quibus dominis ciuitatum dominus Maletesta de Maletestis, Franciscus de Furliuo, Philippus de Mantua, & quidam alii cum pulchra gente armata ipsum vsq; Neapolim sunt secuti; & ab ipso honore & cingulo militari insigniti.

DE FUGA IOHANNAE REGINAE, ET LOdovvici eius mariti.

CAPUT X.

Auditoq; eius aduentu, Iohanna regina cum Lodovvico de Tarento eius marito, qui regem se gerebat, clãdestine fugientes, in tribus galeis per mare versus prouinciam Auinionẽ ob metum regis properarunt. Rex autem Lodowicus ciuitatem Neapolitanam intrauit; vbi cum magna solennitate & gaudio susceptus est. Ex tunc titulo regnorum Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ vtebatur; & ibidem moram faciens cepit inuestigare, qui essent participes & culpabiles in morte fratris sui Andreæ regis prænotati; & capi fecit regulos infrascriptos. Ducem Duracii, cum duobus fratribus eius Lodowico & Roberto. Item etiam alios, videlicet principem Tarentinum & Philippum, puerũ fratris dicti Lodowici, mariti reginæ Iohannæ. Quem quidẽ ducem Duracii, tanquam culpabilem in Auersa ciuitate in domo dicti regis Andreæ, in qua tunc habitabat, & fuerat iugulatus & occisus, decollari fecit. Et dictos alios regulos in comitatu Caroli, pueri filii prædicti regis Andreæ in Hungariam per certos barones & milites destinauit; pro eo, quia reos criminis læsæ maiestatis punire neglexerant, præsumebantur aliqualiter tanto sceleri consensum præbuisse: iuxta illud: *Non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Qui deputati fuerunt in castro Wyssegradiens. custodiendi. Et cum magna diligentia & honore bene & laute fuerunt conseruati, sicut decuit sanguine coniunctos regiæ maiestati.

DE REDITU REGIS LODOVVICI in Hungariam.

CAPUT XI.

Demum idem dominus rex Lodovvicus, volens redire in Hungariam cum gente copiosa; ibi magnificum & strenuum virum, Stephanũ filium Laczk Waiuodam Transsiluanum capitaneum regni & Wolffardum de Wolffard Theutonicum; capitaneum in ciuitate Neapolitana, in persona suæ maiestatis præfecit, & ad Hungariam remeauit.

DE PROELIO ET VICTORIA STEphani VVaiuodæ.

CAPUT XII.

Post recessum autem regis quidam Neapolitani, & ibidem milites Capuani seditionem concitantes, Wolffardum expulerunt prædictum capitaneum; & superbia inflati, ad expellendum ipsum Stephanum Waiuodam insurgentes inter Auersam & Neapolim habito congressu, fortissimum prœliũ est commissum. In quo volẽte Deo ipso Stephanus Waiuoda cũ exercitu domini regis victoriã obtinẽdo, multos comites, barones, milites, nobiles, & ciues de Neapoli, aliis interfectis captiuauit; & spolia ipsorum maxima obtinuit, & gẽtibus regis cum largitate distribuit; & captiuos in magna summa pecuniarum pactando liberos abire permisit. fretus autem victoria in ipso regno securus permansit.

Digitized by Google

Lodouicus Rex.

DE CAPTIVITATE DVCIS VERNERII.

CAPVT XIII.

ITerum aliquibus diebus transactis, idem Stephanus Waiuoda ducem Venerium, capitaneum exercitus Lodowici cum quingentis armatis, societati ipsius adiunctis, in ciuitate Cornechii captiuauit.

DE PVGNA STEPHANI VVAIVODAE CVM gente Lodovvici mariti Iohannæ circa Neapolim commissa.

CAPVT XIV.

POst hæc, pars eiusdem Lodowici aggregata sibi appreciatæ gẽtis multitudine, & quam pluribus dicti regni Sicilię infidelibus in eius societatem adiunctis, ipsum Stephanum Waiuodam exterminare cupiens, ante ciuitatem Neapolitanã dispositis aciebus, conserto bello, & sonis bellicis perflatis aggredi procurauit. Et quamuis longe plures idem Lodovvicus de Tarento pro parte sua gentes in suo exercitu haberet; & vtrimq; hostiliter ad inuicem prœliũ cõmisissent: tamen idem Stephanus Waiuoda zelo fidelitatis armatus, volens potius post mortem viuere per famæ gloriam, q̃ terga hostilitati vertere: victoriã obtinuit optatã. In quo quidẽ prœlio idem Stephanus Wayuoda q̃ plures comites, magnates & potiores multos captiuauit; & cõmuniter sæpius quã plures exercitus ipsius Lodowici debellauit; ciuitates plurimas expugnauit; ac grauia homicidia, & personarũ pericula eidẽ Lodovvico adhærẽtibus irrogauit: sicq; potiores & nobiliores ipsius regni ad fidelitatẽ regis Hũgariæ adduxit, & ipsius seruitio applicuit. sicut hęc & alia q̃ plura gesta sua, & seruitia, etiã priuilegio ipsius regis super donatione castrorũ Oztrogo & Chakthornya vocatorũ inter fluuios Draua & Mura existentiũ in remuneratione pręmissorũ sibi cõcesso plenius cõtinentur. Gentes etiã seu incolę dicti regni quosq; ex Hungaris cõprehendebant, viuos excoriabant, & aliis tormentis seuerissime affligebant.

DE REDITV IOHANNAE REGINAE & eius mariti.

CAPVT XV.

MEdio autem tempore, ipsa Iohanna regina & Lodovvico de Tarento eius marito, in Neapolim redeuntibus, & regnum sibi subiugare nitentibus: ipse Stephanus Waiuoda dictum regem Hungarię ad defendendum ipsum regnum suum contra ipsos euocauit.

DE SECVNDO INTROITV LODOVVICI regis in Apuliam.

CAPVT XVI.

QVi quidem dominus rex sine aliqua retardatione, nec expectata exercitus cõgregatione, cũ quibusdã suis baronibus & militib⁹, inter quos erat principales Nicolaus filius Gileti, Palatinus cũ Iohanne & Dominico militibus filiis suis: ac Iohanne filio Gileti fratre suo. Item Nicolaus filius Laurẽtii, Toth cũ fratribus suis Leukes & Bartholomęo: Itẽ Stephanus & Georgius filii Bebeek: Nicolaus de Seech, Konia filius Thomæ Waiuodæ; Andreas Waiuoda cũ fratrib. eius, Nicola⁹, Paulus & Michael filii Laczk. itẽ ex pręlatis, reuerẽdus in Christo pater Dn. Nicolaus episcopus Zagrabiens. qui fuit ibi in ciuitate Auersana in episcopum cõsecratus: & venerabilis vir Dn. Stephanus præpositus Budens. cũ fratre suo Iohãne strenuo milite filio Laurentii de Kanisa repẽte in Apuliã trãsfretauit: & ad portũ Mãfrodonie applicuit. ipsam ciuitatẽ pacifice de consensu comitatis ingressus Theanũ & Barletũ subiugauit, necnõ ciuitatẽ Barii, vbi sanctus Nicolaus pontifex requiescit, obsidendo obtinuit & intrauit: ac castro ciuitatis munitissimo & fortissimo sibi restituto in eadẽ resedit. & stipendium soldatis Theutonicis numero 4. millibus barbutorũ, quorũ capitaneus erat Corrardus de Wolffard frater dicti Wolffard copiose & largissime diuisit.

DE PRODITIONE FACTA PER STIPENDIARIOS.

CAPVT XVII.

INterim autem gentes suæ de Hungaria per nauigia ad ipsum confluebant; & exercitus eius nimium multiplicabatur. Quod videntes Theutonici soldati absq; voluntate eiusdem Corrardi Wolffard eorum capitanei ac aliorum principalium proditionem & insultum fecerunt contra regem,& gentẽ suam Hungariam & ciuitatem volentes eam spoliare. Contra quos Hungari insurgentes ac ciuitatẽses cum cathenis per vicos & plateas, quæ sub terra inter muros latebant,constringentes,magnam multitudinem soldatorum inter cathenas comprimendo occiderunt,& multos ex eis decapitauerũt;equos,balistas,arma,balteos, & res ipsorum abstulerunt. & nisi vnã portam ipsi soldati pro se occupatã & custoditam habuissent, vix aliqui ex eis euasissent; sed tandẽ extra ciuitatem fugiẽtes,& in campo iacentes per multos nuncios interpositos gratiam sub tali pacto à domino rege obtinuerunt; vt de ipso regno omnes exirẽt,& aduersariis regis nunquam adhæretent: & hoc suis literis & instrumentis firmauerunt. Ex ipsis tamen aliquos dominus rex,qui ipsi videbantur esse inculpabiles in seditione cõcitata,ad suum seruitium reseruauit.

DE EXPVGNATIONE CASTRI CANOSII.

CAPVT XVIII.

POstmodum rex,qui in processu exercitus singulis diebus continuatis inter cateruas militum in armis equitare solebat,amoto exercitu castrum Canosii obsedit,& expugnãdo obtinuit,vel potius restituendo. Sed ibidem cum ipse armatus per scalam ascendere festinaret, ictibus lapidum grauiter percussus in fossatum est prolapsus,grauem in corpore suo sustinens læsionem, de quo barones & milites ipsi nimium improperabant,quod ad talia se ingessit, quæ non decent regiam maiestatem.

DE CAPTIVITATE STIPENDIARIORVM Lodovvici de Tarento.

CAPVT XIX.

ABINDE certa castella occupans, Lutheriam, cuius muri erant diruti, est ingressus,prope quam erat castrum fortissimum pro Lodovvico marito Iohannæ reginę conseruatum. In qua ciuitate rege existente,Nicons & Paulus filii Laczk vix cum quinquaginta stipendiariis Hungaris, centum & viginti soldatos armatos gentis permixtæ Lodovvici de Tarẽto in campo in pugna capientes,ligatis post tergum manibus equites armis indutos introduxerunt ante regem. quos rex illo die in refectorio fratrum in claustro hospitari fecit, & refici in cœna;ac die crastina ablatis equis & armis,sicut consuetudo est stipendiariorum, abire permisit.

DE OBTENTV SALERNI, ET OBSIDIONE Auersa ciuitatis.

CAPVT XX.

DE qua ciuitate vlterius procedens, Deo auxiliante, & vias eius in prosperitate dirigente Salernum & castellum Stafach obtinuit; & inde versus Napolim opidum Sumpniam vocatum munitum, in quo multi erant brigancii pedites,expugnauit. & dehinc recedens, ciuitatem Auersam obsedit; quæ adhuc in muros non erat totaliter consummata, sed de die in diem per defendicula ingeniorum construebatur, & ad perfectionem deducebatur, vbi rex capitaneum exercitus Niconem Konth,virum in consiliis prudentissimum amoto Stephano Waiuoda præfecit. quod factum multis displicuit; & ipsum Stephanum Waiuodam exacerbauit,ac processum negotiorum regis multum perturbauit.

DE

Digitized by Google

DE VVLNERATIONE REGIS CIRCA CIUITATEM AUERSAM & DE OBTENTU EIUSDEM.

CAPVT XXI.

CVM autem ipsam ciuitatē Auersam rex cum suo exercitu expugnare cepisset, & se ad pugnā ingessisset, sagitta balistæ in pede fuit lethaliter vulneratus; & vix diuino fretus auxilio, & medicorum cura mortem euasit. Durauit autem obsidio bene per tres menses; & quotidie armati Theutonici soldati Lodowici de Tarento circa trecentas barbutas de ciuitate inopinate & repente exeuntes, & insultum facientes, cum gentibus regis Theutonicis & Hungaris pugnam cōmittebant: & multis ex vtraq; parte vulneratis iterato ad ciuitatem fugiebant. Qua obsidione durante, victualia in ciuitate defecerunt; & propter famis inediam multi expellebantur de eadem, & per exercitum regis capiebantur. propter quod soldati vlterius durare non valentes, ciuitatem vna cum castro fortissimo, in quo erat capitaneus & castellanus Iacobus de Pinathariis sub pacto securitatis personarum & rerū suarum restituūt: & dominus rex castrum & exercitus ciuitatē ingressi extiterunt. In quo loco multas donationes in possessionibus, baronibus, militibus & nobilibus secum existentibus in regno Hūgariæ fecit & continuauit: quorum agilitates & seruitia in literis donationum eis concessarum enarrantur. Tādem mora protracta in castro rex bene conualescens recuperata sanitate audacem & bellicosum virum Andream Waiuodā, filium Laczk capitaneum generalē in regno, Niconem Drugech fratrem Wilhelmi Palatini capitaneum ciuitatis Salerni & fratrē monialem militē ordinis sancti Iohannis Hierosolymitani Priorē, Auranæ capitaneum in eadē ciuitate Auersana; qui postea infideliter agens, eandē ciuitatem cum castro in potestatē Iohannæ reginæ resignauit in sua persona præficiens: & ibidem dimittens propter annū iubilæū, zelo deuotionis accēsus, versus Romā per ciuitatem Capuanam, in cuius porta est turris altissima ac solenni opere fabricata, & sub monte Cassino, cuius muri per terræmotum corruerunt, & per Cāpaniā est profectus.

DE HONORE REGI LODOVVICO IN VRBE ROMANA EXHIBITO.

CAPVT XXII.

CVI tribunus cum Romanis potioribus per quatuor milliaria Gallicana, vestibus seu pannis purpureis ad hoc specialiter sub vniformitate aptatis, solenniter in trummetis, & diuersi generis musicorum apparatibus, circa centum personas de vna vestitura bene induti obuiam venientes, & eundem honorifice suscipientes, ad vrbem Romanam, cuius plateæ pannis pulchre stratæ & decoratæ fuerant, introduxerunt, & in dominum Romanorū susceperunt. Quod tamen rex acceptare recusauit. Qui quidē in palatio domini papę hospitabatur. Singulis aūt diebus tribunus cum potioribus Romanis ipsum visitabat, & reuerentiam eidē exhibebat, ad domos suas, & ad conuiuia cū magno gaudio inuitantes. Rex autē quotidie in basilica S. Petri principis apostolorū missam audiebat: & eidē singulis diebus sudariū vultus domini ostendebatur, ad magnā consolationē peregrinorum & multitudinis gentium confluentiū. Pluribusq; diebus cū deuotione sic deductis; rex auctoritate domini papæ absolutus super altare sancti Petri quatuor millia florenorum auri offerri fecit ac præsentari.

DE REDITV REGIS LODOVVICI IN HUNGARIAM.

CAPVT XXIII.

EXinde cum suo exercitu per partes Italię reuertebatur; & in qualibet ciuitate gaudenter susceptus & honoratus, in Veronā peruenit. Dimissaq; ibidem gente stipendiariorū Theutonicorū, 4. millium barbutarū cum Wolffardo & Cōrardo capitaneis, quia nondū erant stipēdiis suis plene pacati; ad expēsas ad regis rationē cōputandas, ad Hūgariam cū gaudio remeauit: & abinde stipēdia

ipsorũ cõplete remisit. prædictos vero Wolffardũ & Cõrardũ capitaneos ad se vocauit; & pro remuneratione suorum obsequiorum largifluis regiis donatiuis ipsos exaltauit: quorum gesta & seruitia in priuilegiis concessis explanantur.

DE RESIGNATIONE REGNI SICILIAE ad manus domini papæ.

CAPVT XXIV.

CVm autẽ fere tribus annis Andreas Waiuoda capitaneus regni generalis; Nicon Drugeth frater Wilhelmi Palatini capitaneus ciuitatis Salerni; cũ aliis militibus principalibus ac gẽte domini regis copiosa in regno & in partibus illis remansissent; multaq; bella exercuissent; ac gentes Lodowici sæpius debellassent, & quasi annihilassent, ita vt solũ in munitionib⁹ & castris se inclusissent: sicut de gestis & exercitiis eiusdẽ Andreę Waiuodæ, quę causa breuitatis ad pręsens obmitto, in priuilegio ei super possessionũ donationib⁹ cõcesso, poterit, qui voluerit, experiri, vt fides certius possit adhiberi. Dn. papa Innocentius v. per suum legatũ, primo per reuerẽdissimum in Christo patrẽ Dn. Guidonem tituli sanctæ Cæciliæ presbyterũ cardinalẽ de latere missum; ac deinde plurib. vicibus per nuncios solẽnes viros ꝓ liberatione dictorũ regulorũ trãsmissis; & postea per Dn. Bartholomęum similiter eius nunciũ decretorum doctorẽ principaliter salutaribus monitis institit apud regẽ, vt gẽtem suã de regno illo reuocaret. Ad cuius instantiã tanq̃ deuotus & obediẽs filius ipsum regnũ, necnõ castra, ciuitates, munitiones, & terras, quas tenebat, per suos ambasiatores, videl. Dn. Iohannẽ electum Wesprimiens. in iure canonico licẽtiatũ, & alios ad manus papę assignauit; iure tamẽ suo in regno sibi cõpetenti saluo reseruato. Regulos etiam prædictos, quos in castro Wissegradiens. tenebat, liberauit: & vsq; Venetias cũ secuto cõductu honorifice destinauit ad propria remeãtes. Qui cum magna lętitia per mare in Neapolin trãsfretãtes, cum maxima solẽnitate & honore sunt recepti, & ad ipsorum dominia & principatus, ac ducatus restituti: hoc nõ prætermisso, q̃ tã luculẽter & clare rerũ gestarum seriem per distinctiones annorũ & dierum prępediẽtibus interuallis tẽporum disserere nõ potui; quia aliqua per meipsum didici, & aliqua per alios fide dignos rerum notitiam habentes intellexi; & sic venia tribuatur rite excusanti: cũ sufficiat rerum gestarum seriẽ enarrare. cætera scribenda vel narranda, illis relinquo, qui plura sciunt, quam hic scripta sunt, de gestis eius tam prosperis quam aduersis, scribere vel tractare.

DE REQVISITIONE VENETORVM SVper restituendo regno Dalmatiæ.

CAPVT XXV.

HIs itaq; gestis & expeditis ad ꝓpositum cæptę materiæ de regno Dalmatiæ, & ciuitatum maritimarũ est necessario redeũdum. Cũ enim rex principatus, tenutas & dominia regni sui sacræ coronæ subdita vellet cõseruare; & vsurpata ad statum pristinũ reuocare; inclytum principẽ Andreã de angulo ducem Venetiarũ per ambasiatores solẽnes literasq; & nũcios speciales pluries, vt zelator pacis, requisiuit & monuit, ad restituẽdũ sibi & sacræ coronę regnũ Dalmatię, & ciuitates maritimas in toto occupatum & detentas. Quæ quidem dux & domini Venetiarum negarunt; & astruentes se opposuerunt, & resistere decreuerunt regiæ maiestati.

DE EXERCITV REGIO CONTRA Venetos moto.

CAPVT XXVI.

SVper quo facto rex cum suis vicinis consiliariis, principibus, regnicolis, marchionibus, & ducibus contra ducem Venetiarumq; communitatẽ de tali iniuria grauiter est cõquestus; ne videretur eos indebite & iniuste impugnare, ad vindicandumq; & propugnandũ iniuriã sibi & regno illatã, cum valida potẽtia ꝓ recuperãdis iurib⁹ regni sui per ipsos à multo tempore occupatis versus Italiã

contra

 Ludouicus Rex.

contra ducē Venetiarum cum ꝓpria gente sua; nec nō comitib⁹; militib. Theutonicis, extraneis ipsi fauentibus, & auxilium præstātibus, quos præcipue Theutonicos idiomatis eorum conscius multum diligebat; & eisdē de stipendiis ac donariis largiflue prouidebat: ex eoq; ad ipsum libenter cōfluebant, eiq; fidelia seruitia exhibebant: personaliter est profectus, & per terras ac tenutas Venetorum circa castrum Seravval transiens, Coniglanū obtinuit, & abhinc ad ciuitatē Teruisii veniens, ipsam obsedit; castra & terras suarum tenutarum, specialiter Asulum cū Rotkauernis, vbi est abbatia Crispiniacū Kevverd, Gorgoniā & Forgoniā, ac alias quā plures expugnando, & gentes in eisdē collocādo; & sic in Hungariā dimisso ibi strenuo milite Thoma fratre venerabilis fratris domini Niconi archiepiscopi Strigoniens. ꝓ capitaneo gentis suę armiger est reuersus.

DE OBSIDIONE CASTRI CASTELfranck vocati.

CAPVT XXVII.

POSTEA vero magnificum & potentem virum Nicolaum Konth prædictū, tunc regni Hungariæ palatinum ad partes illas transmisit. Qui castrum Castelfranck ducis & Venetorum cum magno exercitu obsedit, & cōtinuatis ibidē pluribus diebus, quia castrum bene fortificatum, & gentibus armatis munitum erat, nil proficiens in Hungariam est reuersus; ibidem dicto Thoma milite remanente. qui quidē Thomas miles & gentes domini regis, primo ante portā ciuitatis Teruisinæ, & secunda vice in campo prope eandē, cum gentibus armigeris Venetorum bellū & cōgressum habuerunt, eis deuictis & multis captiuatis. Item tertia vice circa fluuium Brētham nauigale contra Theutonicos & stipendiarios Venetorum transpassato flumine super equos cum magno periculo propter fluminis profunditatem; de mane subito irruentes eosdem stipendiarios deuicerunt, & captiuos abduxerūt. quos secundū morem stipendiariorū equis & armis receptis, libere abire permiserūt. In quo flumine Paul⁹ Germanus, Iohānis filii Cheel miles cum quibusdā aliis Hungaris sunt submersi. Quo quidē Thoma per regē reuocato, & Benedicto, filio Hem, milite illic transmisso eidē surrogato; idē Benedict⁹ miles superueniens plurima bella cōtra gentes Venetorū cōtinuauit, & eas superauit. Iterū autē dict⁹ Thomas illuc est trāsmissus; & viriliter ac potenter castra & terras acquisitas sub dominio regis conseruauit tādiu, donec expugnata & recuperata ciuitate Iadrensi; quæ per strenuū militē Elderboh nomine Theutonicū, cum gentib. domini regis quadā nocte muros ciuitatis ascēdendo per pugnā maximā cum gentib. Venetorū armigeris Theutonicis & Gallicis durissime cōmissam; vbi idem miles lethaliter extitit vulneratus, ex quo vulnere vitā finiuit tēporalem; comite Venetorum seu capitaneo in eadē cōstituto cum suis gentibus deuictis & fugatis; capta fuit & expugnata, & in partibus maritimis in Dalmatia regia potestas firmata extitit. Cuius regni Dalmatiæ, & ciuitatum pleno regimine cōsecuto, rex nolens vlterius occupata de tenutis Venetorum cōseruare, castra & tenutas, quas tenebat, ipsis restituit, gentes suas reuocando, & ipsas in pace dimittendo: sub pacto iuramenti per ducem & consiliarios Venetorum, q̄ neminem in terris, eis per regē restitutis, offenderent ꝓ fidelitate regis, vel punirent. Sed tamē postea ipsi Veneti, milites, potestates, & potiores terrarum ipsarum, specialiter vero de Coneglano, decapitauerunt & trucidauerunt, iuramēto p̄dicto violato, ac bona eorundē cōfiscauerunt in displicentiā regiæ maiestatis. Præterea durāte guerra inter eos & dominū regem; ducem eorū nomine Marinū in palatio ducali Venetiis cū plurib⁹ eius cōsiliariis de adhæsione regis inculpantes suspenderūt; & quā plures etiam Teruisinos ꝓpter suspicionē interfecerūt, & in exiliū effugauerūt. Post restitutionē autē ipsarū terrarū ciuitas Teruisina demū ꝑ tractatus ad man⁹ Lepoldi ducis Austrię cognati eiusdē regis se tradidit & subiecit. Cuius dominiū ipse dux Lepold⁹ app̄hēdēs, per certa tēpora obtinēdo, tandē similiter ꝑ tractat⁹ Frācisco de Carraria domino Paduano assignauit sub certis, gentē suā de eadē reuocādo.

DE EXERCITV CONTRA Lithuvanos.

CAPVT XXVIII.

CÆTERVM, contra Lithuvanos Chriſtianis, & maxime regno ſuo Ruſciç, inſultantes perſonaliter cum exercitu copioſo & militia ſua propria, nec nõ aliis nationibus ad eum confluentibus, proficiſcens, terris ipſorum ſeu tenutis in magna parte deuaſtatis, duce eorum capto, ſed incontinenti ſibi promiſſionem de fidelitate & obedientia faciente liberato, feliciter ad Hungariam eſt reuerſus.

DE EXERCITV AD RVTENIAM.

CAPVT XXIX.

POSTEA bina vice cum valida gente ſua etiam extranea ad regnum Ruſciæ ſacræ coronæ Hungariæ ſubiectũ pro defenſione eiuſdem regni cõtra Lithuvanos eſt profectus: & fugatis hoſtibus, ac fretus victoria, potentes viros Petrum banum primo, nec non venerabilem in Chriſto patrem dominum Emericum epiſcopum Agrienſ. ac Georgium Zudar, conſequenter fratres eius: & poſt hęc Emericum Bebek, ac poſt eum Iohannem de Capol ad regendũ ipſum regnum Wayuodas ſeu capitaneos præfecit: qui regnum prædictum bene & laudabiliter defenſantes, ſub titulo ſanctæ coronæ & regimine eiuſdem domini regis conſeruauerunt.

DE EXERCITV IN SVBSIDIVM domini papæ trina vice deſtinato.

CAPVT XXX.

ITEM, ad inſtantiam ſummorum pontificum Romanorum Innocentii, Gregorii, & Vrbani V. beatæ memoriæ; prima vice Niconem filium Laczk, qui multas ciuitates, oppida & caſtella ad obedientiam ſacræ Romanæ eccleſiæ reduxit, ac etiam rebellantes expugnauit, ad manus domini Egidii cardinalis apoſtolicæ ſedis legati aſſignando; & poſt eum Simonem filium Mauritii, qui nihil profecit, & propter hoc diſplicentiam regiæ maieſtatis incurrit; ſubſequenter etiam eundem Petrum banum tempore domini Vrbani papæ in defenſione ciuitatis Bononienſis contra Barnabonem & Galiacium dominos Mediolanenſ. eandem ciuitatem impugnantes deſtinauit; & idem Petrus banus ciuitatem eandem pro domino papa retinuit, & defenſauit, & cum honore ad regnũ Hungariæ remeauit.

DE EXERCITV IN SVBSIDIVM ducis Auſtriæ deſtinato.

CAPVT XXXI.

POſtmodum autem in ſubſidium antiquæ Alberti ducis Auſtriæ Paulũ filiũ Laczk ad obſidendũ ciuitatẽ Turegũ cum magno exercitu deſtinauit; quã per longam obſidionem obtinuit, & dominio eiuſdem ducis ſubiugauit.

DE EXERCITV IN PARTES BOZNAE mittendo, & de amiſſione duplicis ſigilli domini regis.

CAPVT XXXII.

ITem, ad terram Boznæ, ſimiliter regiæ coronæ ſubiectã, ad conterendã proteruiam quorundam rebellantium, magnificum virum Niconẽ Konth palatinum regni ſui, & venerabilem in Chriſto patrem dominum Niconem archiepiſcopum Strigonienſ. cum quibuſdam aliis baronibus & militibus regni ſui, cum magno exercitu deſtinauit. Qui intrantes caſtrum Zrenck obſederunt; ſed minime capere potuerunt, ac cum magno damno perſonarũ & rerũ diſceſſerunt. In quo quidem exercitu, quadam nocte, de tentorio eiuſdem domini archiepiſcopi cancellarii, ſigillum domini regis duplex authenticum, per quoſdã filios belial furtiue eſt ſubtractum; & poſt aliquot tempus per ipſos fures in Biztricia cuidam aurifabro venditum, & confractum, ſicut veraciter eſt compertum:

tũ:de quo tamen facto ex fortuito euentu accidente rex minime curauit: aliud sigillum authenticum præparari faciendo, & eidem domino archiepiscopo cãcellario assignando, sub quo sigillo omnia priuilegia seu litteras cum alio sigillo deperdito emanatas confirmauit.

DE EXERCITV REGIS IN BVLGARIAM.

CAPVT XXXIII.

POst hæc regnum Bulgariæ, sacræ coronæ Hungariæ subiectũ, cum magnã potentia intrauit; & Bodon ciuitatem capiens, regnũ sibi subiugauit: principem ipsius nomine Strachmerum, qui se imperatorem Bulgariæ nominabat, capiens, & in Hungariam transmittens, per aliqua tempora in castro episcopatus Zagrabiens. Gomnech vocato, sub custodia decenter & honeste conseruatum, in Budonium ad regendum ipsum regnum sub nomine & titulo suæ maiestatis sub certis pactis & seruitiis cum gaudio remisit. sicut tandem etiã idem princeps fidelitatem & obedientiã repromissam suæ maiestati obseruauit.

DE EXERCITV REGIS CONTRA KArolum imperatorem.

CAPVT XXXIV.

ITem, contra clarissimum principem dominũ Karolum imperatorẽ, pro quibusdã displicẽtiis, rex personaliter cũ magno exercitu, & potẽtia versus metas Morauię processit; ac ipsum dominũ imperatorem per suas literas diffidauit; & oppidum Trinchinium intrauit; & exercitus circumquaque in campo & pratis resedit. Interim vero diu, donec cum suo exercitu se moueret Moraviã inuasurus, dux Sidnicens. cum certis baronibus & militibus ex parte imperatoris ad tractandum de pace in Trinchinium superuenit, treuga firmata ad concludendum de pace Nicon Konth palatinus: Stephanus Bebeck, iudex curiæ cum certis militibus in Brodam ad imperatorem, vbi cum magno exercitu, & multis militibus se collegerat, sunt transmissi; & interim exercitu regis disperso sine conclusione pacis reuertuntur.

DE EXERCITV IN MORAVIAM.

CAPVT XXXV.

POstea etiam dominum Ladislaum ducem Apuliæ & Petrum banum, cum gente satis valida in Morauiam destinauit, qui incendia & maxima damnã ibidem intulerunt, & ad propria reuersi fuerunt.

QVOMODO REX LODOVVICVS IN REgem Poloniæ fuerit electus & coronatus.

CAPVT XXXVI.

ITem, procedente tempore mortuo Casmerio rege Poloniæ, auunculo eius, cum ingenti exercitu Poloniã intrauit; vbi in regem ex iure successorio eiusdem auunculi eius extitit feliciter coronatus.

DE EXERCITV REGIS IN PARTES Transalpinas.

CAPVT XXXVII.

ITEM, ipse rex personaliter per Bulgariam, partes Transalpinas sacræ coronę subiectas inuadens; ex alia parte vltra terram Siculorum cum valido exercitu, ac nobilibus & Siculis partis Transsiluanæ transmisit Niconem Wayuodam Transsiluanum cum Simone filio Mauricii, & aliis ex potiorib. militibus suis ad videndũ partes Transalpinas contra Layk Wayuodã partium prædictarũ regiæ maiestati rebellantem. Qui tunc circa Danubium cum magno exercitu ad impediendũ ingressum exercitus domini regis ex opposito regni Bulgariæ insidiãdo residebat. Qui quidem Nicolaus Wayuoda cum exercitu prædicto fluuium

Ilumcza, vbi fortalicia & propugnacula erant, per Olachos firmata potēter expugnando pertrāsiens cum exercitu ipsius Layk Wayuodæ copioso: cuius capitaneus erat comes Dragmer Olachus castellanus eius de Domloyka bello intonato, & certamine fortissimo commisso victoriam obtinuit; & ipsum capitaneum multis interfectis in fugam conuertit; sed postmodum incaute vlterius procedens, inter indagines & veprium densitates, ac passus strictissimos cōclusus, per multitudinem Olachorum de siluis & montibus inuasis; ibidem cum strennuo viro Petro suo Vicewayuoda: necnon Deseu dicto Wos: & Petro Ruffo castellano de Kykyllevvar; Petro & Ladislao Siculis viris bellicosis, & aliis militibus quam pluribus & nobilibus potioribus extitit interfectus. Et cū gentes Hungarorum de ipso exercitu terga vertissent & se in fugam conuertissent, in locis lutosis, & paludosis, indaginosis conclusi multi ex eis per Olachos occisi extiterunt: & aliqui cum magno periculo personarum & rerum damno euaserunt: & funus eiusdem Niconis Wayuodæ cum magna pugna de manibus Olachorum ereptum in Hungariam attulerunt ad claustrum beate virginis in Strigonio tumulandum. Tandem huiusmodi infortunio aduersitatis accidente, & fortuna iterū prosperante; Nicon de Gara, Bano de Macho, viro strēnuo & bellicoso; in manu potenti ipsum regium exercitum vltra Danubiū cōtra insultus bellatorum & sagittariorum ipsius Layk Wayuodæ velut imbres sagittas emittentium Olachorum per nauigia mœnibus & fortaliciis firmatum transducente: inimici in fugam conuersi velut fumus euanuerunt: & residui totius exercitus terrā versus Zevvrinum intrauerunt, & eandem occupauerūt; & tunc rex ibidem castrum Zevvrin prima vice, post aliquorum annorū curricula, castrum in Brasso fortissimum Therch vocatum, & circa terminos Transalpinos ædificauit, gente armata, briganciis & balestrariis Anglicis custodiam castri muniendo in potestate sua reseruauit.

DE DIVERSIS REGIS LVDOVVICI EX-*peditionibus, & pietate, & cæteris virtutibus eiusdem.*

CAPVT XXXVIII.

ITEM, fere singulis annis, vel in quolibet anno, mouit exercitum cōtra æmulos & rebelles; & sæpius contra Rachenos & Moldauos omnimodam diligētiam adhibendo: & maxime circa regnum Rachiæ: dominicus filius Osl banus de Macho cum Zemere vicebano suo. & postmodum Nicolaus de Gara in iuuenili ætate banus constitutus multum agilis & strenuus ac in bellis circumspectus, labores assiduos impenderunt ad cōseruandum ipsum regnum sub regiæ ditionis potestate. Item, ipse rex prudens & largus admodum fuit; & bella multa feliciter gessit; multaq; regno suo recuperauit. Qui etiā post bellicā gloriam scientia literarū clarus fuit; in astronomia auidissime laborauit; & propter virtutū perfectionē etiā apud Barbaros summe dilectus, nomē suū apud multas nationes exaltauit. Hic pius in religione catholica; in pauperes munificus; iura seruauit ecclesiarū; & ecclesiastica officia plurimum honorauit.

DE HIS QVAE SVO SVB REGIMI-*ne acta fuere.*

CAPVT XXXIX.

VERVM, quia iuxta sapientis assertionem, bonorum laborum gloriosus est fructus, & recolenda memoria; quæ suo tempore ipso procurante cū pietatis studio sunt peracta hic digne nec immerito annectantur.

DE IVDAEORVM EXPVLSIONE.

CAPVT XL.

IPSE enim Iudæos ad fidem catholicam conuertere & Christo lucrari, tanquam zelator salutis, desiderans; propter obstinatā duriciā ipsorū Iudæorum ꝓpositum ad effectū perducere nō valens: omnes Iudæos per totū regnū Hungariæ licēciauit, & expelli mandauit; bona & res ipsorum per vsuræ voraginem cumu-

Ludouicus Rex.

cumulatas, vt lutum spernens, noluit habere vel occupare: & sic omnes de regno Hungariæ in Austriã & Bohemiã recesserunt, & dispersi extiterunt.

DE ORDINE EREMITARVM, ET TRANSLAtione corporis beati Pauli primi eremitæ.

CAPVT XLI.

DEniq; ordo fratrum eremitarum beati Pauli primi eremitæ in regno Hungariæ florere incepit & multiplicari. Item, corpus eiusdem beati Pauli patris dicti ordinis de Venetiis ad Hungariã est translatũ; & in claustro eremitarũ apud beatum Laurentium prope Budam in vertice montis solenniter depositum; in quo loco & beati huius patris venerãtur merita, & populorũ laudantiũ deum cõcurrit frequẽtia. Primo enim rex Karolus beatæ memoriæ pater ipsius regis fratres ordinis ꝑdicti introduxit; & paucos habebãt cõuentus & loca: vt puta sanctũ Laurentiũ; sanctã crucẽ, & sanctũ spiritũ, & sanctũ Ladislaum in silua de Peliso; & in aliis locis manebãt laici sub nomine eremitarũ vagabundi.

DE CONSTRVCTIONE CLAVSTRI IN Noztre.

CAPVT XLII.

ITEM rex Lodowicus pro ordine prædicto claustrum solenni opere construxit in Noztre.

DE CONSTRVCTIONE CLAVSTRI in Levveld.

CAPVT XLIII.

ITERVM aliud claustrum pro ordine fratrum Carthusiensium in Levveld in Bokonio ædificauit & sufficienter dotauit.

DE FVNDATIONE DVARVM CAPELLARVM.

CAPVT XLIV.

ITEM, vnã capellã Aquisgrani; & aliam Cellis ad beatam virginem pulchro & miro opere cõstruxit, sufficienter & largiter dotauit; ac preciosis vtensilib. ad cultum diuinũ, vasis, calicibus, libris & ornamentis diuersis; ac calice de puro auro decorauit. Post hæc autẽ propter liberalitatem suam, & boni exempli operationẽ, multos traxit ad deuotionis studiũ impendendũ: barones, milites, nobiles, & quosdam ex prælatis, qui loca dicto ordini eremitarum contulerunt, & claustra cõstruxerunt, & dotauerunt ad laudẽ dei & gloriam sancti Pauli.

DE CONVERSIONE CHOMANOrum ad fidem.

CAPVT XLV.

HIc etiã gentẽ Chomanorũ ritui Tartarico inuolutã, apud sedem apostolicã deuotius insistendo; exemplo beatissimi regis Stephani, quẽ ad componẽdum nouæ fidei fundamentũ in regno Hungariæ prouidentia diuina elegit; & qui corda credentiũ post apostolos spiritualiter imbribus celestib. irrigauit, ad laudẽ nominis diuini, vt ampliaretur religio Christiana ad fidẽ catholicã cõuerti ꝓcurauit. Cui quidem genti iam in fide Christiana eruditæ fratres de ordine minorum, auctoritate eis à sede apostolica cõmissa, curã animarũ, iura pontificalia, & sacramẽta ecclesiastica administrãt; & de die in diẽ in fide cõfortantur.

DE CONVERSIONE PATERINOrum in Bozna.

CAPVT XLVI.

ITEM, Paterini de Bozna, qui nimium erant multiplicati, & diuersis erroribus implicati, per dominum Peregrinum episcopũ Boznens. ordinis mino-

Digitized by Google

Lodouicus Rex.

rum, virum magnæ deuotionis & scientiæ ad fidem rege commonente conuertuntur & baptizantur.

DE BAPTIZATIONE QVORVNdam Sclauorum.

CAPVT XLVII.

ITEM, Sclaui districtus de Lipna, duræ ceruicis populus, ad fidem erat conuersus & baptizatus: cui sacerdotes Catholici secundum translationē beati Hieronymi doctoris sanctæ matris ecclesiæ sacramenta ecclesiastica ministrabant; sed nunc, vt narrantur, in apostasiam & pristinum errorem sunt relapsi, & multo peiores effecti.

QVOMODO MOLDAVIA, QVAE PRIus deserta fuit, nouum incolatum receperit.

CAPVT XLVIII.

HVIVS etiam tempore Bogdan, Wayuoda Olachorum de Maramorosio, coadunatis sibi Olachis eiusdem districtus in terrā Moldauię coronę regni Hungariæ subiectam: sed à multo tempore propter vicinitatem Tartarorum habitatoribus destitutam clandestine recessit, & quamuis per exercitum ipsius regis sæpius impugnatus extitisset; tamen crescente magna numerositate Olachorum inhabitantium illam terram; in regnum est dilatata: Wayuodæ vero, qui per Olachos ipsius regni eliguntur, se esse vasallos regis Hungariæ profitentur; ad Hungariam obligantur censum soluere tempore consueto.

DE PESTILENTIA, FAME ET terræ motu.

CAPVT XLIX.

ITEM, etiam tempore sui regiminis pestilētiæ per loca particularia, & etiā per totum regnū Hungariæ, & alia regna conuicina viguerunt; & fames diuersis temporibus per locustas & mures spicas frugum, & aliarum segetum corrodentes inualuerunt; & pluribus vicibus terræ motus per loca factus est magnus.

DE EXEMTIONE VDVVARNICORVM, & aliorum conditionariorum.

CAPVT L.

HVIVS etiam tempore multi ex Oduranicis, & aliis conditionariis curiæ ad diuersas seruitutes astricti, sunt exempti, & in cœtum regni nobilium aggregati: quia in donationibus possessionū gratus ad omnes, largusque & benignus habebatur; & pro eo ab omnibus vltra modum diligebatur.

DE CONSORTIBVS ET LIBERIS regis Ludovvici.

CAPVT LI.

ÆStimo etiam narratione fore dignum, quod præfatus rex Lodovvicus duas coniuges habuisse dinoscitur: primam videlicet præclaram Margarethā, filiam excellentissimi domini Karoli tunc marchionis Morauiæ: qui postmodum ad imperium fuit sublimatus: & ista sine prole defuncta est. Aliam inclytam dominā Elisabeth filiam Stephani bani prænotati: ex qua tres filias generauit: Catharinā, Mariā & Adiugā. Ipsa autē Catharina in puerili ætate morte extitit præuenta. Et quia ad regalis propaginis stirpem clara sunt connubia exquirenda; successio claris fulgebat naturę titulis insignita. Ipsam Mariā, claram augens prosapiam, illustri principi Sigismundo marchioni Brandenburgensi, in puerili ætate vtroq; existente, quem de stirpe Cæsarea pater eduxerat, imperialibus radiis illustratū: cōmunicato cōsilio serenissimarū dominarū reginarū genitricis ac consortis suarum: nec non prælatorum & baronū regni præcedente in Ternauia præsente imperatrice matre eius, & eius baronibus de Bohemia cū

magna

magna solennitate & lętitia matrimoniali fœdere desponsauit,& apud se nutriendũ cõseruauit; q̃ nunc conregnant in regni solio sublimati. Adiuga vero post mortẽ patris in reginã Poloniæ extitit coronata: q̃ postmodũ per magnates,barones & nobiles regni Poloniæ potentissimo principi Lithuanorũ, Iagulæ nomine ad fidem Catholicã conuersõ,& cum suis fratribus baptizato: extitit matrimoniali fœdere copulata. Quæ in regem Poloniæ solenniter per eos coronatum Ladislaum nominauerunt: qui similiter cum coniuge conregnat lætanter regno in eodem.

DE PACE ET TRANQVILLITATE dierum Lodovvici regis.

CAPVT LII.

CVM autem temporibus successiuis idem rex amplissimæ potestatis esset, & floreret in regni solio: totam suam felicitatem ponens in deo, à quo cuncta bona procedunt; ac suum principatum,ac regiminis curam illi submittens; nõ passione ac voluntate cupiens principari; velut custos iusticiæ existens, absque ratione & lege nihil voluit attentare; quia vigẽs industriã & regnatiua prudẽtia,virtualiter dominatur gubernatione regni secundum rationẽ & legem diligentius circumspecta.pollens regimine naturali non instinctu humano,sed potius diuino,sui desiderii propositum ad hoc inclinauit,vt sequens sanctorum regum prædecessorum, & patris sui vestigia, in quibus peramplius & perfectius vigebat; zelus fidei & religio Christiana regna sua,terras & subiectas sibi nationes in suis libertatibus, consuetudinibus & legibus in bona pace & tranquillitate conseruauit: maxime,quos in fide domino regenerauit: & ab omnibus æmulorum insidiis & incursibus, præcipue autẽ paganorum victoriosissime defensauit: nec non etiam ecclesias regni sui in suis iuribus & libertatibus tenuit & in temporalibus bonis augmentauit.

DE VITA REGI LODOVVICI contemplatiua.

CAPVT LIII.

COnsiderans autem & aduertens,regna sua & dominia vndiq; seu circumquaq; quieto & tranquillo statu florere; quamuis ex consuetudine & delectatione à pueritia solitas venationes nimium frequentaret; ad vltimum tamen terrenarum rerum occupationibus,quas difficile est,absq; peccatis ministrare; & curis postpositis concupiscentiam carnalem calcare ac sibi subiicere, & diuinis præceptis parere volens: quia omnis caro fœnum,& omnis concupiscentia eius tanquam flos fœni: contemplatiuam vitam à tumultu multitudinis hominum segregatus,vt piis operibus insistere,& orationibus vacare studiosius & deuotius valeret,elegit,& in his perseuerauit.

DE OBITV ET SEPVLTVRA REgis Lodovvici.

CAPVT LIV.

TAndem hanc vitam laboriosam derelinquens, & ad vitam perpetuã aspirans,iuxta illud psalmistæ; Mihi autẽ adhærere deo bonum est, ponere in domino deo spem meã: vocatione diuina ex hoc mundo migrauit XI. die mensis Septembris, & parum ante cometa apparuit mirabilis. Tantus autem luctus eo mortuo in regno fuit,vt omnes quasi mortem suam deflerent. Et sepultus est in vrbe Alba regali,in capella, quam ipse in latere ecclesiæ beatæ virginis collegiatæ construxit; sed postea eius consors regina Elizabeth ipsam dotauit XVI. eiusdem mensis die,anno domini,M.CCC.LXXXII. Regnauit autem quadraginta annis,& mense vno,& vigintiduobus diebus. Fuit autem homo competentis proceritatis; oculis elatis; crinibus & barba crispis; sereno vultu; labiosus & aliquantulum in humeris curuus. *A.C. M.CCC. LXXXII.*

Digitized by Google

AD EGREGIVM DOMINVM MAGISTRVM STEPHANVM DE HASERHAG, IVDICIS CVRIÆ REGIÆ PROtonotarium; præfatio magiſtri Iohannis de Thwrocz in deſcriptionem miſerabilis caſus Karoli regis cognomento Parui, nec non lugubre factum reginarum Hungariæ feliciter incipit.

IVcundum omnino haberetur; alienā non expetere ſortē. tempora variantur; rerũ obducuntur cæca interdũ fortuna exitus: & inopinato hominũ ſpectacula quandoq; fine clauduntur. Karolus duo maxima mundi regna tenens, quæ totā terrore ſui Italiā concuſſerāt, propriis non cōtentus finibus, infelix animā cũ ſanguine fundens, honore ſepulchri poſtremo ſpoliatus, olentē exhalans tabē inhumatus longa ꝑ tēpora nudo in cæſpite ſtetit; proh dolor, fata in reges altos dominoſq; mundi ſic fulminant; & habenas principũ gubernator ille omnipotēs ſic temperat. Huius Karoli caſum miſerabilē, domine amantiſſime, vt deſcriberē rogatũ me effeciſti: meis maiorem viribus ſarcinā humero meo debili imponis: haud idoneũ pulſaſti ingeniũ. Magnalia enim regum geſta exiguos autores nō expoſtulant: nec alta humili ſtylo delectatur fama. morē tamen tuæ gerere optaui iuſſioni, & tuus quædā mutua vrbanitas votis: potiſſime ne apud te ingratus iudicer, me flectere cogit: nō enim niſi ſolũ tuæ vt ſatisfacerē voluntati, temere hæc aggredi auſus ſum. Nec tamen meo inuidũ interpretē labori deeſſe ſpero. Vnde hæc inquient præſumptio homini indocto venit, vt carmina cōderet: & præſtantes ſtylo agreſti res verteret: omnē vitā humanā, etiam ſi laudē mercatur, odii gratia detractio comitatur: & lingua maledica ætati cōditioni ve parcit nulli: cōmune tamen pondus, qualecumq; ſit, mitius premit: & pœna ſocios habens, iniurioſa eſt minus. Huius regis Karoli lugubre exitiũ quidā Laurentius de Monach Venetus, homo haud indoctus; ipſa geſtarũ rerũ ætate cōpēdioſo pariter & metrico carmine perſtrinxit. Quē in magna ſui parte ſecutus, maxime, ne ex me aliquid facere videar, ea quæ ipſe cōtexuit: tum vero illa meis iuuenilibus quæ in annis à viris ætate pariter & fide plenis; q ſe illius periculi ꝓcellis agitatos dicebant, rege de prætacto audiui amplius, cōſcribere curaui. Lege igitur & diſcerne: exalta, deprime, & qui hominē ignarũ inſueta angariare ꝑſumſiſti ſarcina: ipſe laudis vel vituperii qcquid referre videbor, particeps eſto. Me autem vt & planctuoſum huius Karoli regis vitæ exitum, & reginarum Hungariæ flebile factum, altius ordinare, & longis animum ſaciare, querelis ve mutatis, in cælis altiſſimus iuuet; ſupplex oro.

DE CORONATIONE REGINAE MARIÆ & de odio ſubſecuto.

CAPVT I.

REx Lodovvicus ima ſui regiminis peragens; inops ſtirpis virilis duas liquit natas. Quarũ altera in ordine genituræ ſenior Maria denominata; nondum thoro matura; puero impubi Sigiſmundo marchioni Brandēburgenſi filio Karoli Romani Cæſaris & regis Bohemiæ, genitore adhuc in humanis agente tali pacto; vt dũ virgo nubiles veniret ad años nuptias ſimul & de ſpōſo regē faceret matrimoniali fœdere irretita eſt. Vniuerſis regni nobilib. hęc cōditio placuit. Feruebāt n. illorũ ante oculos recentia merita patris. multos ſiquidē tugurio de agreſti ad ſummum culmē ſublimauerat; alios eccleſiaſticis, alios ſecularibus dignitatibus adornans. nobileſq; curiales ad diuerſa regalis domus ſeruitia cōditionaliter illaqueatos ab omni cōditionis vinculoq; ſoluens, eadē qua meri nobiles fungebantur, ditauit libertate. Quid plura? regnũ in pace ſeruauit, & Hungaros amplius quam antea gentibus externis tremendos, amplamq; illorum famā hincinde diffuſam ſidera tangere fecit: nec dum vita functi principis in populo accepti beneficii amor tepuerat: omnis vulgus concordi animo hanc virginem reginā appellat: fæmineum hoc celebri ſexũ nomine illuſtrant: illā alto parentis in ſolio locantes ſacro virgineum caput diademate coronant. Erat huic puellæ mater ſuperſtes nomine Eliſabeth mulier ſagax & ingenioſa, diſcretioniſq; haud paruę. Hęc in principatu & regimine vices filię maturitate fæmi-

 Maria Rex.

fęminea gerebat. Erat & Nicolaus de Gara vir in regno spectatissimus sanguine ac auri pariterque & agri possessione nobilis: quem rex Lodovvicus sibi subiectum apice honoris palatinatus regni sui sublimauerat. Hic acceptorum nondū oblitus beneficiorum, se totum qua poterat arte pietatis imagine quadam reginæ obsequiis dedicarat. hanc suis dirigebat consiliis. *Tu*, inquit, *huius regni moderaris habenas. tu regina Hungarorum proceres tuos de te curare nihil an non conspicis? illi banatum, isti comitatum aufer: ne elatione ducti contra te calcitrent: tua his, qui tuo lateri assistunt, beneficia sparge: obliquis in te oculis respiciunt: abditas eos tibi conflare insidias, & reginale spernere sceptrum suspicor. defuncti ingentia regis qui recordetur merita præter me est nullus.* Sexum vbi facilem & sibi credentem ad sua vota perduxit, extorta licentia ad libitum reginale exercet sceptrum. regina suggestionis corrupta vicio tectum defert in proceres odium: & iura patriæ labefactat. Quod dum primores regni sensere; paritate confusa crudelis discordia surgit; metus malignas barones in partes diuidit; plebs scinditur omnis; totis regnum viribus laniant; rebelliq; terras Marte excolunt: & virginale dedignantur sceptrum: vtq; diademate puellare caput spolient, modum quæritant. Nō tamen vniuersis id facinus regnicolis cordi erat: pars quædam hoc scelere intumuerat. Zagrabiens. præsul Paulus, & iste Italicus per regem Lodovvicum ipsa dignitate insignitus tantū omnibus paratior ad nephas; Stephanus & Andreas filii Laczk de Debregezth: ipse videlicet Stephanus Wayuoda Transsiluanus; alter Stephanus de Symonthornya; Iohannes de Horvvathi banus, & Iohannes prior Auranæ. nullus tamen ex his erat, qui prætacti regis Lodovvici beneficia consecutus nō fuisset. Nam præfatum Stephanum filium Laczk ampla castrorum Chakthornia & Ztrego possessione dotauerat; præscriptoq; in regno spectantioris titulo officii exaltauerat. dictum quoq; Iohannem de Horvvathi infimæ conditionis nobilem extollens apicem dignitatis ad altum banatus regni Dalmacię eleuans, sua nominatissimos fecerat in aula. Et quid inter cęteros de priore Auranę dicendum est? quem idem rex tugurio in humili popularibusq; partim in tenebris iacentē sustulit; tantoq; honore dignum fore arbitratus; humilem natura quem iacere præcipiebat, virum constituit potentem. Hi conceptū euomuere virus, per quod quasi tota Hungaria infecta est. nam cum ad tantas peragendas res se haud idoneos cernunt: quærunt socios & aditos crebris fatigant persuasionibus; desinuntq; suadere minime, donec inuentos ipsorum flectere faciunt votis. Inquiebant enim: *Quid mentis inopes deliramus? quid cogitamus? quousq; fæmineum facile & pronum ad iram feremus imperium? nostra ei seruitia sordent: toruo nos aspectu intuetur. nostri quem quondam pii regis in seruitiis sanguinem fudimus: quantaque discrimina, quantos ve labores, dum rex Lodovvicus nationes conterebat, nostro gladio, peregrinas pertulimus, oblita; de nostris, quibus quondā eramus sublimati honorib. nos alienos facere satagit: regina quæ prius patebat nobis: nostrum ad introitum ianuā recludere facit. præterque palatinū Garensem placet ei nemo; & vt nostrū furore repens sexus cruorem simul & animā non effundat, grauiterq; cruentis acquisitas opes sudoribus in spolia vertat, remedium adhibendum est.*

DE ELECTIONE REGIS KAROLI cognomento Parui, & de nuncio ad illum misso.

CAPVT II.

CVm igitur se cohortem ad non modicam adunatos conspiciunt: propositas animosius res aggrediuntur; & cebris vicib. conuenientes pro rege Karolo cognomine Paruo in Apuliam mittere deliberant. Iste Karolus & nata Lodovvici regis Maria vnius erant sanguinis. Nam ipsum Karolum quondam dominus Andreas Siciliæ rex; frater quondam domini Lodovvici regis carnalis genuerat: & hunc quidem Karolū velut alta regum Hungariæ de prosapia ortū, cuncti, quibus hæc res placebat, ipsorū regimine dignū iudicabant. Pari tandem voto pręsulē Zagrabiens. vt Siciliā regemq; Karolū pariter adiret, rogatum effecerunt: nō multis precibus pulsatus flectitur non longæ sarcina viæ tædia-

Sic B. primi post Fridericum

tus, cui hoc nephas præ cæteris cordi erat; annuit, seq; tanti sceleris plus quã dici potest hilarem factorem obtulit. Ne autem nondum peractarum notaretur series rerũ; repræhensiq; sceleris auctores reginarũ debita prçuenti prouisione suis frustraretur votis, palliatis ꝓcedunt in tinnitibus; & cœco omnia velamine cõtegunt; præfatumq; episcopũ limina sanctorũ apostolorũ simul & curiã Romanã voto captũ visitare dimulgant. Nec adhuc *rex fœmineus* paterno in solio duos per annos sederat, cum præsul ipse viæ necessariis præparatis terra ac mari pergit: secundaq; comitatus fortuna, vbi tunc ipse rex demorabatur, incolumis Neapolitanam ad vrbem venit: & hospitio capto mora adhibita nulla, nec lassis tantum post laborem membris quieti datis: placebat enim ipsi præterquã rem inceptam ad finem deducere nihil, solis suis suorumq; ornatibus vestium rectificatis concitus properat ad regem. Quem cum adiit, depressa eum, vt est moris Italicorum, genuum veneratur curuatione: deinde, *Magna*, inquit, *salus sacra sit regiæ maiestati, quam prælati, barones, proceresq; regni Hungariæ vniuersi, post ipsorũ fidelitatumq; eorum humilem recommendationem vestræ serenitati me dicere mandarũt.* simul & litteras multis munitas sigillis offert. repentina de nouitate rex stupet. paululumq; oculis in pauimentum defixis insperatum quæ sors attulerit sibi nũcium mirabundus cogitat. Rursusq; luminibus in præsulem eleuatis, cum illum hilari vultu sibi astantem respicit: nil eundem mali portasse arbitratur. mox quã oblatã in salutantes salutẽ reddidit. & vt solus testib. remotis portatarũ experiatur seriẽ rerum præter nunciũ omnes de aula exire iubet: litterasq; aperit. dũ in illis solũ episcopũ in legatione confisum; vtq; ei in dictis fides adhibeatur, se rogatũ comperit, vtrisq; sessione penes sese recepta, vt nuncius vtatur nũciatis rex expetit. Antistes igitur ante dictus ad regẽ Karolum ita verba fecit: *Magnanime princeps, tuorũ grata reminiscẽtia progenitorũ apud nos nondũ ingratã abolita ꝑ obliuionẽ nostros ad te dirigere recursus nos animauit. Te alto regũ Hũgariæ de sanguine ducere originẽ: & ꝑter te nostri sceptra regni cõpetere scim⁹ nemini. es nostrorũ virilis diuorũ ꝓpago regũ. effrenã gentẽ fœmineũ nequit regere imperiũ. leuis sexus quas suscitauit guerras cõponere nescit. illã q̃ quõdã grata vbertate pollẽtẽ vidisti Hũgariã sæuo stat Marte lacerata. atris cõcussæ flãmis ædes nigras redactæ in faces flebilia vestigia mõstrant. dominorũ cædes agros steriles cruẽtat. plebs malignas sanctissima in partes totis regni in viscera viribus sæuit: seq; omnes intestina rabie regnicolæ rodunt. quid inquã? ignipedes veluti fœtãtis equi spreta leuitate vectoris ꝑ deuia sparsi orbẽ quondã impleuerant fauillis: sic grauib. regnum pestibus vndiq; impleuere. Fractũ igitur vt cõponeres regnũ; discordes vnires duces; regnicolasq; humiles tranquilla pacis amœnitate gaudere faceres: nostrosq; subires, quos dirigere neq̃mus labores: & rex dominusq; noster effici nõ recusares te vocamus; tibi iure debetur regnũ; tibi nos æternalis iugo fidelitatis bona fide subiicimus, vt illos, tui quos amauere parẽtes, & tu amato. Tua itaq; serenitas veniat; nos quoq; illud q̃ viatici & ad res componẽdas necessariũ erit, fideliter efficiem⁹. Si enim ꝑiudiciũ sororis, quã, vt nosti, solio venerati sumus paterno tuæ maiestatis morderet conscientiã: præter solitũ & illã sublimauimus; nec dato oneri fœminea sufficit sagacitas. maturi etiã ætas viri tanto sub pondere sudat. Hungariæ populus antiquo exposcente flagitio vndiq; medios inter hostes positus est. Odiis ꝑterea intrinsecis potẽtis ad instar pelagi fluctuat: & vt ꝑegrinis ab insultibus tueatur marẽ expostulat. Quodq; tanti habeas regni virgo tẽperet ardua res est, rebus in talib⁹ magnanimi manus viri interdũ nutare videtur. Quid amplius disserã? tibi & illi moderamine adhibito sufficies. latũ n. regnũ Hungariæ.* Recepta hac oratione Karolus subticuit, & meditabund⁹ relationẽ distulit: remissoq; ad hospitiũ episcopo intra se nouę rei euentũ vertit. Cũ igitur diutius cogitatione vacat; dira culminis Hungarici ambitione capitur, & mente acre duellũ premit; ratioq; superat; in regni cupidine victa cadit. nec differt: reginam in penetralibus manentem aggreditur; & ei sui morbum animi in hæc verba pandit: *Insperata mihi nouitas oblata est; Hungariæ vocor ad regimen. Charissima coniunx, ire, communemq; natum ducere; & dispositis rebus ei diadema dare, ac regimen cedere; & rursus Italiam petere decreui. Duros hac tempestate labores pertulimus; nedum vt ex illis respirassemus: verum grauiora minantur. Seuerina domus nobis inimica est: & grauis summi pontificis in nos ira ful-*

 Maria Rex.

ira fulminat: Gallorumque populus liuore tumidus, vt vitam pariter nobis & agri auferat possessionem armatam aptat manum, & illam quæ intrinsecus nos angit pauperiē ipse taceo. Nostros si superi ad vota euentus perduxerint, & regni Hungariæ habenas attigero; Hungaricis defectum viribus supplebimus. at tui sententiam animi, quantum tibi ipsa res placeat, mihi dicito. In verbis mariti tristis regina æquoris similitudine palluit, turbataque, ac si illius mens malorum præsaga illam stimularet, non tenuit lachrymas. Mœsta suspiriis intermixta voce ad regem sic locuta est: *Discordē dolis odiisq; profanis grauidam, rex piissime, dimitte Hungariam; insidias, &, vt vocantium te pars ibi inimica sit, suspicor. perfidiam gentis huius nouimus. Heu populo pollicita adulteranti precor ne te submittas. Res nobis cōtrarias omnipotens ille ab alto; Ottonem Bauariæ, qui principem multo milite fidentem, & Ausoniam armis virisq; calcantem; ac populis & opibus superbum; te regno & anima spoliare volentem, sine Marte strauit: variosq; innumeris nostros cladibus hostes dispersit; vltro miserebitur, viãq; dabit, vnde duros vincendo labores tolerabimus.* Reginæ precibus rex haud motus; quem æstuans medullatim intestina ambitio succenderat: contendensq; in semetipsum *fœmineis* inquit *dissuasionibus alteram, quæ mihi sponte venit, fortunam non spernam: nec Hungarico natum culmine destituam. Regum enim fama latum per orbem volat: & me vltro quam fata offerebant, sortem querulæ coniugis lachrymis liquisse decet.* Accersito igitur episcopo se vocantum offert votis: vtq; ad reginam regia non deferatur voluntas, vehementer obseruare præcepit.

DE FLETIBVS ET QVERELIS CONSORTIS KAROLI regis in Hungariam venientis.

CAPVT III.

TEmpus erat, quo redolentium variis florum depictos coloribus, quos sæua aboleuerat pruina, cespites terra nouos germinauerat, ruptoq; diræ hiemis silentio, philomela insomnem duces noctem, & venturam dulci modulamine æstatem propinquare nuncians; cæteras in rubenti aurora cum dormientium oculi suauitate capiuntur somni: vt sibi rigidi roris de austeritate euasisse congratularentur sonorosa voce auiculas excitabat. Quo etiam ver posteros suorū graduum propinquat ad limites: & impetuosis Boreę flatibus interdictis fluctuantes æquoris vndas pace tranquilla adunauerat: ac tutum remigantibus salubreq; iter pollicebatur. Cum rex Karolus res ad viam necessarias disponere, pariterq; & naues onerari iussit, & simul vestigia ad vrbem flectit. Hunc regina filiumq; secum dum transire videt, lachrymas quas vsq; fuderat, vertit in iram; precibusq; relictis amens Thymbreę virginis ad instar, altis virum clamoribus insequitur: & in suæ amaritudine animæ supplices manus iungens, in eum his verbis vsa est: *Omnium sæuissime patrum, cur tecum manifestam ad necem natum trahis? si illam, quam cuncti formidant, non pertimescis mortem solus; & si tui non misereris, mei saltem miserere: desolatæq; hunc parenti solatia linque; ipsa crinibus sparsis genas sæuis lacerabo vnguibus; mediam in vrbem ruens gemebunda fletibus altis populi auxilium vociferans implorabo: vt meum velut è faucibus barathri ereptum à te mihi filium restituant.* Tantis rex clamoribus perturbatus; reginam vt taceret leui iurgio increpabat. Quæ dum non parcit voci: ille totus excandescens in iram repentis sexus non moderatur impetum: quin illam manibus pulsat, & ab vrbe arceri iubet; salsasque maris in aquas, nisi taceret eam demergere minatur. Illa velut mente capta exinde nimio incenditur furore; totoq; corpore præceps truculētis ad instar apri alta clausi indagine frugiferos conantis euadere in lucos æstuans, oculisq; fauillans & labia concutiens ad egressum instat: & sui cordis conceptas dum nemini habet exprobrare querelas, dolore torquetur nimio. Rex tandem Karolus coniugali iusto stimulatus amore; reginæ tum fletus, tū iurgia viscerib. totis recipit, menteq; attonitus, lōgo tempore arcano in pectore verba cōiugis vertit: & inter spē & metum medius fluctuat. Cor enim eius, q tanto insaniebat furore, futuri esse pręscium mali cogitabat. sed truci captus ambitione nullis valuit dissuasionib. à ꝓposito auelli. Nihilominus tamen reginæ succum-

bens amori, considerat quantos genetrici absentia nati dolores pariat; & huno quidem dulci promittit linquere parenti. Regina licet tantis lucretur & eripiat filium lugubraminibus; erga fortem tamen, vicemq; mariti angitur: & mœrore præ nimio dietim assidua lachrymarum flumina fundit.

DE ADVENTV REGIS KAROLI in Zagrabiam.

CAPVT IV.

INter hæc rex Karolus cunctis moderata discretione suæ domus & viatici rebus paratis; mœstam in penetralibus lugentem reginā adiit; & nedum illam, vt optabat consolaretur, verū dum verba illius in præsentia disseminat mitia: illi veteres renouat dolores: fletusq; fletibus crebris intermixtos singultibus addit. Maritali tandem pectore motus coniugis pro parte placatis doloribus; natum matri commendat, vltimoq; vale non paruis reginæ & suis cum lachrymis dicto, properat ad naues; iam carbasa ventis exposita tendebantur. Cū rex Karolus reginaque simul marinum ad litus venerunt: &, antequam ab inuicē separarentur, regina ad regē ita dixit: *Hominem irreuocabilem surdumq; ad preces aure; spōte ad interitū ruentē; præter te magis vidi neminē. En transibis: ipsa habitū regi-nalis amictus quo te potestate gloriabar deponā; & vestes nigras viduanda parabo. sēper hominē nouū expectabo, qui mortē tuā annūcians pauidas graui nouitate meas aures vulneret: & tuas mœstis vrbes rumoribus impleat.* Simul & his dictis longa suspiria imo de pectore eduxit. Rex quoq; cōscensis nauibus Italicis sui regni primis eū comitantibus, velis inflatis aquis se credidit: & optatis ventis spirantib. alta maria sulcat; vbiq; fortuna obsecundāte, quousq; Segniense applicuit ad litus. Est enim Segnia maritima ciuitas in partib. Dalmatiæ situata: in qua ipse rex Karolus cōdecenti hospitio acceptus est. Segniēses enim ciues Italico de principe lætabātur. nā ipsi Italica potius, quā veteri patriæ lingua garriunt vsq; in hunc diē. Idē rex Karolus se vocātibus sceleris auctoribus, q. illum in multa fortiq; militū manu expectabāt, coniunctus est in eadē ciuitate, vt artus maris nauigatione lassati recreamine potirentur parua mora adhibita. Optatæ enim rei vt citius culmen adipisceretur auidus princeps festinabat. Ab illic igitur suorum mouens agmina: alpium conscensus asperitate minime tardatus, ad ciuitatem Zagrabiensem venit. vbi illum eiusdem ciuitatis episcopus in multarū affluentia rerum grata hospitalitate receptū fouit. Placuit igitur regi Karolo interim, donec sui Hungariā per omnē fama diffunderetur, ciuitate in eadē exspectare. suas suorumq; præterea aures, quantū plebi eius placeat aduentus, vt audiret, vndiq; laxat: & ambages vt suasionibus regē fæmineum erga populum spretum redderent, cunctas regni ad partes mittit. Altos insuper, quos persuasio corrumpere nequibat regnicolas, auro & munerib. subordinatos corruptionis vitio inficiebat. Alios pollicitis, velut quondam Orpheus, vocis qui dulcedine animalia simul & arbores mouisse fertur: paucis fidelibus simulata fronte fide in pristina erga partem reginæ remanentibus, oneratos ad se trahebat. Humiles quoque quid facerent, nisi vt fauerent, nobiles colla quorum regi Karolo adhærentes domini graui mole premebant.

DE NVPTIIS MARCHIONIS SIGISmundi, & de introitu Karoli in Budens. ciuitatem.

CAPVT V.

CVm hæc erga Karolum regem aguntur; Cæsareus natus rumoribus nouitatum propulsatus; fide pariter & thoro prius condictas nuptias firmauit. Hic enim rege Lodovvico superstite, vt in futurum regnaturus Hungarico informaretur idiomate; simulq; & mores hominū acciperet; per parentes domo imperiali reginæ in aulā trāslatus erat. Ne igitur insidiis aduenientis tyranni cōnexiq; illi furia populi circūueniretur: deserta cōiuge patrios ad fines fugit. Harū nuptiarū dum fama ad Karolum delata est; spē eius res secundas aspicientē magna

Digitized by Google

magna in parte minuit. Cæsarem enim nati præiudicio excitari, & in suas res vim & arma inferre cogitabat. Nec reginas callida Caroli latebant machinamenta. Quapropter nouarum velut insciæ rerum nuncium ad eum mittunt: & vtrum hospes an hostis veniat sciscitantur. Ille pectoreum nefas falsa gratæ pietatis imagine velare conatus nuncio ita respondit: *Illas quas quondam ob genitoris nostri nequiter perempti amorem rex Lodouuicus, cuius merita nostris semper vigilant in visceribus, in amplo censu viribusq; magnis exegit pœnas: haud ingrato animo reminiscimur. Stimulo præterea charitatis, fraternæ & dilectionis intimæ, quam erga sororem nostram pleno clementiæ pectore gerimus, ad id pungimur: vt regnum eius guerra fractum, sicut ad nos delatum est, componeremus: discordes regni nobiles vniremus; & pacatam plebem sorori redderemus: nostri aduentus causa hæc est.* Iste reginarum nuncius Caroli spem propter nuptias Sigismundi collapsam reædificauit. Nam intimata arbitratus reginas credere: & occasione ficta quam se gloriabatur adinuenisse motus: iter concitum versus Budam vertit. Reginæ autem licet regia intimata non credant, vera tamē esse fronte velata testibus coram se credere simulabāt, venientemq; innumeris stipatum iniquis regnicolis hostem cum vi repellere nō posse vident; illum ad facinus optatum sponte tutius admittere putant. Quadam enim reginæ fiducia, quæ rebus in aduersis humanas iuxta sortes sæpe pendere solet, captæ: vltricem sibi fortunam interdum reuerti cogitabant. Quare propinquanti Carolo graues deglutientes dolores, in curru deaurato, pompaq; procerū se comitantium superba, ambę reginæ occurrunt: eumque accipientes secum intra ciuitatem veniunt. Et licet per reginas petatur: nō tamen, vt eo amplius iniquitatem contegeret; castrum intrare voluit; sed reprehensionis cauens à crimine; omnino donec aptius ad sui voti cōplementū sibi tempus præberetur, à regalibus tectis abstinuit. Cum igitur hospitium subintrassent, & Carolus inter reginas medius sederet; senior regina ad regem Carolum ita verba fecit: *Charissime fili, dulcis est tua humanitas, magna gratuitatis pietate referta. qui quondam regis Lodouuici antiqua tuo defers in pectore beneficia: nec oblitus sanguinis tui, regnum pariter reginamq; & natos linquens, Hungaricos tumultus sedare & nostros leuare labores tantis de terris venisti. Nos tantæ mercedi ac laudibus altis sufficimus minime: attamen omnipotens tibi pro nobis talia penset.* Circa hæc simul & tacita suspiria sequuntur. Ille modesta circumspectione intuitu subducto ad reginæ verba ita respondit: *Parens venerāda: viuax quousq; spiritus nostros artus diriget; ingentia magnanimi regis Lodouuici merita semper cordi nostro hærebunt.* Post hæc reginæ ingrato hospiti valedicto; regalia vnde exierant, intrauerunt ad palatia: abinceps nouas à Carolo circa se res geri spectantes.

DE INGRESSV CAROLI REGIS IN CAstrum Budense, & de luctu reginarum.

CAPVT VI.

REx Carolus, cum vndique procerum cateruis se late stipari, garrulamque gentem sibi fauere, & reginas contumeliis palam afficere conspicit; calliditatis arte quoddam *gubernatoris* sibi nomen vsurpat; & nomine sub hoc castrum regale ingreditur.

Pestiferi autem Caroli regis complices, humiles regnicolas simul & popularis conditionis plebem masculei nomine regis ludentes, aiebant: *Hoc regnum affatim sanguine nostro respersum, ædes igne late vastatas vidimus: igitur propriæ nō tantum: publicæ rei quantum nos mouit profectus: desiderium in hunc Carolum, qui de regū nostrorū prosapia deriuatus est, nostrum deflectere refugium; tantarum rerū pōdus nostris humeris fidem ad vos habentes leuare præsumpsimus: id quod nobis placet & vobis placere sperantes. In quantum autem tantæ sarcinæ sub grauitate deficeremus; illud vestro iuuamine suppleretur. Scitis enim res nostras intestinis cladibus fractas; ad quas componendas, & regnum ab extrinsecis incursibus, ille magis quam fœmina tueri idoneus est.* Hæc illi affatim dicebant. Quapropter plebs ipsa seducta, velut sibiipsi congratulās loquebatur: *Quo dū fœmineo prememur iugo? rex qui fœmina dicitur periculi est.*

Rex.

Hunc Carolum omnipotens ab alto nobis dedit: hunc marẽ volumus esse regem. His proterua gens latratibus alta vrbis palatia pulsabat: nec minus talibus reginarum aures ingratis rumoribus inficiebat. Quare reginæ formidine non modica attonitæ contremiscentes regno pariter & vita spoliari timebant. Igitur regina senior eductis imo de pectore suspiriis in hanc vocem prorupit: *Ha, quoniam ingrata reminiscentia erga nos ducitur Hungaria; oblita ingentia quondam regis Lodovvici merita, eius in natam impia retributione vtitur.* Simulque tum has tum alias multas post querelas prodeuntibus è luminibus lachrymis pallida ora rigat. Rex vero Carolus vulgi fauore superbus, Hungaricas habenas auidus inuadit; & velut pacem facturus, sub astu colloquium edicens, nobiles vniuersos ad castrum conuocat; portasque castri latino firmat. Nec abest facundæ suggestioni in plebe locus, cum fautoribus regis suadentibus: præter paucos fideles totum vulgus corruptus Hungarica illi sceptra tradere spopondit; & ipsi fideles assensere metu. Quamobrem reginas tanto feruente discrimine acer nuncius impia iussa deferens aggressus est his verbis: *De principatu, in quo hucusque Deo & nobis volentibus gloriabamini, contentæ estote: amplius pacato animo coronæ pariter & regimini cedite. Nolumus abhinc, vt femina nobis imperet. Nec iure debetur vobis regnum; feminæ estis: quas nunquam Hungaria præter vos nomine regio venerata est. Neque vestra sagacitas, vt tanti regni dirigat habenas, sufficit. Hæc res virum decet. Etenim hac tempestate in gerendis rebus regni arduis quantum sensus simul & manus sexus fragilis valeant tentastis. Hæc quæ dixi, omnium voluntas est. Vtile est igitur communitatis cedere voluntati: potissime illi, quæ in aliud conuerti nequit.* Reginę ad hæc verba leuitate muliebri motæ, sensu pariter & viribus deficiunt; & lethali sauciæ formidine, vt non cadant, vix se continent. Matre quoque subticente filia lachrymas simul & hæc verba fundit: *Diadema paternum mihi iure datum refutare nolo: attamen vestræ voluntatis quod est, eadem qua incepistis via, agite: contradicere enim tanta cohorti non femineæ est potestatis: nec aliud, nisi vt me genitricemque meam ob merita quondam genitoris mei, si qua memoria sunt apud vos digna; seruetis à morte: meque vt Hungariam linquens ad expulsum vadam maritum dimittite quicquam rogo.*

Mater vero de filiæ relatione minime contenta nuncio ita dixit: *Fili charissime, graui in nos nouitate vteris. quod tibi ita cito, vt velles, responderemus defectus muliebris rationis non exigit. vade & dicito illis qui te ad nos destinarunt: quoniam quæ tibi commissa fuere executus es. Carolum enim regem, de cuius rebus agitur, & nos eadem seruant palatia: ad quem ea quæ dictura sumus, personaliter deferemus.* Recedente nuncio reginæ in gemitus, quos eo præsente vix tenebant, dissoluuntur; mutuosque ruentes in amplexus in multarum effusione lachrymarum fletibus insistunt. Vtque vicissim loquantur, aut nouas recentis doloris exprobrent querelas, singultibus pectora suffocantibus non admittuntur. Nec minus domicellæ, quas reginale claudebat atrium tum gemitibus tum lachrymis insudabant. Tandem multos post mœrores regina senior subticente filia ita verba fecit: *O viduarum orphanorumque tutor omnipotens: cur tuæ obliuisceris iustitiæ? quare ab alto ingratum vindictam differs in prædonem? Qui miserãdas sui sanguinis feminas, vt matrem & sororem culmine sacro venerandas soliis ab altis depellere, & sceptro iure dato spoliare festinat pariter.* Et his dictis nondum tersas fluentes è luminibus lachrymas duplicat. Et rursus post multarum genas inundantium flumina lachrymarum: muliebris furoris sedato impetu natam assiduis vacantem fletibus alloquitur ita: *Grata mihi*, inquit, *filia, iam tuum perfidus iste prædo totis viribus regnum tenet: & prospero euentu tumescens palam diadema poscit: nostrumque innoxium minatur fundere cruorem. Ne igitur vulgus nouo lusus principe repenti concitus ira semel ad regalia tecta ruat: & nos alterno madefactæ sanguine simul regno vitaque spoliemur: res metu plenas linquentes venientibus potius cedamus malis. Hungarici enim furor vulgi spumantis apri rabiem ac potentem pelagi sæuitiam interdum transcendere solet; nec honor neque sexus maiestatisque vel meritorum respectus nobis veniam præstabunt. Gens enim ista humili ceruicis sub imagine superbũ defert caput: ea propter tãto in discrimine nostras*

quali-

Digitized by Google

qualitercunq; tribulatas animas seruare sufficit. Ad perdita regna alta obsecundante fortuna si vita fuerit comes redire potest: iusticia enim Dei inultum non praetermittit quenquam. Ad haec filia rauca pariter & confusa voce ita respondit: *Heu mihi chara pa-tres, regali genita de gremio fastigiis tam venerata paternis: iamq; aetatem agens adultam: quam aliena cognoscere tecta & quam sceptro vita magis perropto priuari:* Tunc iterum regina senior geminata emittens suspiria ad filiam ait: *Regina, potestates & opes nõ veniunt cuiquam ad libitum: haec arridens fortuna ministrat. Exilium, vincula, paupertas, luctus, & mortis innumerae species: humanae sortis sunt dotes. Sors igitur omnipotens quae nobis praestat aequo toleremus animo: interim donec ad nos eadem, à qua non despero, alta fortuna reuertatur.* Et his dictis veste simul lachrymantia lumina siccans Carolum regem petit: ad eumq; iocundo sermone orsa: *Hungariam*, inquit, *superbam & gentem effrenam faeminea nequit regere manus, tuorum regna cape progenitorũ: in te sceptra cadunt: tuis rebus ea, qua duceris libidine vtere.* Recens reginae ad Carolum facta relatio extemplo in ciuitatem delata est: & quod nata Lodowici regis sponte cessisset coronae falsa plateas per omnes fama resonabat.

DE CORONATIONE REGIS CAROLI.

CAPUT VII.

CArolus in reginae admodum delectatus relatione amplius non differt; sed vt fraude raptam citius adipisceretur coronam; coetu procerum & turbis popularibus comitatus Albam regalem properat. Est enim haec ciuitas humili in planicie situata Hanc natura praeter muros nescio per quem conditos, limosis vadis, stagnis circumiacentibus, simulq; calamis & palustribus tuetur. Nec minus illam altum de lapide templũ in medio decorat. Est templo in hoc quondam regis nostri Stephani, primitias regum Hungariae qui tulit; quiq; sacrae fidei ad limina, veterum extinguens simulachra deorum, gentem Hungaricam conuertit, venerabile corpus semper templo in ipso primus honor & pompa nouissima reges Hungariae extollere solet. Hoc templum Carolus, non, vt veteres Hungariae reges auro micantes, togisque pacificis amicti intrabant; sed horrendis munitus armorum praesidiis subiit. Adsunt & reginae dura ad spectacula vocatae. Hae sancta prius altaria circuunt. Post haec sepulchralem Lodovvici regis capellam intrant. Dum marmoream pii regis conspiciunt figuram; corde scinduntur. gelidoq; diu adhaerentes saxo, tristem deosculantur imaginem; & rubentem imbribus lachrymarum lapidem mundant. Pectore tandem sufficienti moerore depasto; iras simul & gemitus visceribus in intimis claudunt; madidasque lachrimis genas siccantes, simul & altos dissimilantes ficta fronte dolores sublime fanum petunt. Vbi Carolus sacrata circumdatus veste medius procerum stabat; nec minus clero mystica Dei verba cantãte: summus Strigoniensis praesul regale tenens prae manibus diadema; voce ter leuata de more plebem interrogat, si Carolus placet in regem. Aliis fautorum suggestu: aliis metu placere acclamantibus, illum in regem vngit; & laudibus celebri sacerdotum gutture resonantibus sacrum illi diadema imponit. Sed ô mira res! quae prius omnibus placere noscebatur, cum finem cepit optatum, nemini placere visa est. Nam mox vulgus spoliatis reginis miseretur, primoresque sceleris, qui erant auctores, compuncti intrinseca conscientia rodi videbantur. Quare non laeti strepitus, nec gloriosa, regalis quae quõdam coronationis pompas comitabantur gaudia sequuntur: & ipsi reginarum fideles, ingratũ iugulare tyrannum, sanctumq; Dei templũ illius cruore foedare, ac vltrices animas regis madefactas in sanguine per vulnera mille efflare ardebant. Nec desunt ostenta regi inimicãtia. Nam, dum de consuetudine sacrae post missae solennia regali in fastu procerũ caterua stipatus templum egreditur, equum auro radiantẽ ascensurus, insigne sancti regis Stephani vexillũ, quo prima dies regni dudũ freta fuit, totq; per annos pia religione futuris regibus seruatum, illum praecedens testudine valuae tactũ in partes frangitur, & regẽ sceptra fraude rapientẽ dedignatur. Cũ vero securus castro in Budensi manens noua gloriaretur de dignitate, illum

Digitized by Google

Deus atris ab alto portentis territat. Diebus enim autumni mediis nimbus oriente de subsole terribilis, qualem exacta per secula senes Hungariæ meminere nulli, volumine magno emergens; densissimos dissolutus in imbres turres altas elatasq; domos impetuosis flatibus concutiens; stridore & mugitu ingenti tremulari fecit: altaque tectorum cacumina euertens, medias vertit per auras. Tremendum dictu. Cum tam densi aquarum vapores, & validi ventorum flatus triduana sæuissent ira; in chaos æternum amplius putabant rediturum orbē. Et rursus suæ regalis circa occasum pompæ: inopinatamq; eius vitæ prope ante ruinam, innumera coruorum multitudo aduentans, humana, quæ vi aut arte nulla depelli potuit, regalibus tectis insedit; & turmatim volitando castri ferebatur per partes, horrendoq; crocitamine sidera simul & aures attonabat humanas. Nihilominus rostris in vim & vulnera versis mutuos artus deplumabāt, nigrasq; pennas pariter: & regalis culmē cubilis purpureo cruentabāt sanguine. Mouebant hæc prodigia Carolum; & sentiens minitantia fata ipsum grauibus territari ostentis: spe tamen futura delusus se minime sentire dissimulabat.

DE NECE ET INTERITV CAROLI *regis Parui.*

CAPVT VIII.

INter hæc regina Elizabeth tanto de vertice fastus deiecta graui amaritudine torquetur: maiestatisq; nouiter abactæ dulcedine capta; vltrici ardens furore rem cæca fraude ablatam tectis reuocare insidiis parabat. nec Palatini Garensis suggestio deest. Reginis enim alto spoliatis honore magis compatiebatur nemo. Mouebat hunc tum suarum pietas reginarum; tum illi quædam regis Lodovvici merita cordi erant. Iste, quantum in tam grandi facinore committendo feminea deficiebat magnanimitas; reginam Caroli ad necem impulit; seq; hominem, qui regē audax ferro aggrederetur habere aiebat. Erat enim erga hunc palatinum homo conditione nobilis: viribus & animo fortis Blasius Forgach denominatus, de cuius prosapia dominos castri Gymes eodem cognomine insignitos nostra ætas deriuatos nō dubitat. Hūc regina simul & palatinus in mortem Caroli conuenerunt; &, vt quidam dicunt, q; castrum Gymes prædictum eidē Blasio Forgach tantæ præsumptionis precium fuisset. Postquā autem de rege aggrediendo inter reginā & palatinum clam conuentū est; viam quærebant, qua securius tanta res perfici posset. Quare palatinus calliditatis arte quadam ad natæ suæ in proximis celebranda connubia se pergere debere diuulgans: nouo honore simulato nouis se militibus stipat: lateribus etiam extrinsecis fideles, quos suarum mordebat præiudicium dominarū de rege nouas res paratis armis spectare docuerat. Et cum se tantum ad nefas aptos viderunt palatinus reginam instruit, vt regem sua ad penetralia ficta occasione adinuenta vocaret. Erant enim tunc rigidi mensis Februarii dies: festo virginis sacratæ, cui Christus rosas cum pomis suo misisse de rosario recolitur, propinquātes: dominicæq; incarnationis mille trecentos octoginta post annos quintus nouo volumine currebat: cum regina Elizabeth illius diei circa occasum à marchione Sigismundo genero suo nouas sibi allatas litteras regi Carolo intimauit; rogans ipsum, vt suam descenderet in domum; & dissolutionem simul & secreta litterarum intuerentur: ac occulta, quæ secum haberet, conferre audiret. Infelix Carolus tetra peccati caligine obsessus, cubili ab alto descendens Italicis comitatus aulicis; reginale adiit hospitium. Eadem & palatinus Garensis hora, sic enim conuentum erat, plurimam secum trahens cohortem castrum regale intrauit; suisq; cateruatim, prout illis commiserat, in portis castri remanentibus: ipse ad palatium, quod regem ac reginam simul tenebat, sequenti luce ad filiæ nuptias se transiturum dissimulans; vt domino dominæque suis valediceret, coniuratum sub veste ensem accinctū secum deferens, intrauit. Regina igitur & palatino regis ad latera sedentibus & variis tractatibus incumbentibus; Italici sponte consilio cedunt; domoque egressi bini & bini; vt eorum moris est,

per

 Carolus Rex.

per castrum feruntur. Dum ergo palatinus congestum ad facinus optatũ tempus se exhibere vidit; Blasium Forgach tãtam rem audax qui susceperat, astantem obliquo lumine intuitus est. Ille accepto signo de sub chlamyde, mox rutilantem educens gladium illum in regem in tantum fulminat: & in suorum virtute brachiorum ipsum graui ictũ aggrediens; verticem simul & supercilium; lumenq; eius medium miserabili vulnere scindit; & scelere commisso aulam egrediens Italicis ingenti vndiq; clamore & concursu inualescentibus ense cruentato palatinales vsq; ad turmas sibi viam aperit. Rex vero Carolus tanti vulneris acritate suscepta minime cecidit: sed infelici surgens in quo sedebat de loco: lento nutantiq; gressu procedens per pauimentum cruore longa vestigia signabat: & cubile a quo sanus descenderat æger adiit. Regina autem Elizabeth insuetæ rei visu attonita, suę domus amens corruit in medio. Palatinus vero cõceptum nefas se peperisse lætatus, munimina castri intrepidus aggreditur; portasque simul & arces Hungaricis reparat armis. Italici autem sine principe, sine armis medios se volui inter hostes, ac regem sanguinem fundere dum conspiciunt, fugæ præsidium ipsis tutius esse putant; & vt resumptis armis, viroq; potentes in vindictam regis redirent, castrum egressi totam percurrunt ciuitatem. Sed cum nullum regia moueri vltione, arcesque captas, & hostili satellite se ab ingressu castri prohiberi aduertunt; primæ noctis sub tenebris regalibus comitati fautoribus, fugientes Italicas tendebãt versus oras. Eiusdem tandem noctis sub conticinio, reginales & palatini complices non sine feritate regale irruentes ad cubile, sublatisque postibus regem saucium extrahunt, & captum altæ turri seruandum tradunt. Heu, de genere humano quantis fortuna ludibriis triumphat! proh dolor, regem turris iniqua excubias vigilantes nuper in qua solebat habere, carcerat. *Cedente enim Deo sua quemq; crimina vasto pondere præcipitant. Quisquis es secundarum primam rerum frontem cur inspicis? cur gaudes de illis? cum incerta rerum sint momenta: & sæpe easdem fata aduerso cardine claudant.* Nec minus noctis eiusdem obscura sub profunditate finitimas reginarum gentes ad id seruatas; tantiq; auidas spectaculi in ciuitatem introducentes; vix indubii aduentum diei expectabant. Et cum titaneus axis rubentem aduexit auroram; & splendor ille solis aureus humentes depulit tenebras; cumulatis viribus plateas ciuitatis vagantur per omnes; & regem regnare Mariam clamitant; ac vltrices per manus de Caroli fautoribus grauem talionem exigunt. Irrumpentesq; domos Italorum, congestas illorum gazas voraci prædæ exponunt: nocentium vndique sanguinem in multa rabie fundentes. Et nisi ille Iohannes Horwathii banus in forti suorum Croacorum manu portam sabbati cruento certamine sibi vendicasset: ibidem graues sui demeriti pœnas luisset. Rex postea Carolus tollitur; & celsam ad arcem Wissegradi seruandus mittitur, vbi vulneri, vt quidam aiunt, venenata medela adhibita faucibus elisis & respiramine clauso mœstam consummauit vitam. Nunc quid opes, quid regna, quid profuit altas reginas potentibus spoliare sceptris? dum fortuna illa omnipotens vrbibus ex tantis vltimam sepulchri pompã cunctis mortalibus vnam tibi negauit. In claustro enim sancti Andreæ infra arcem Wissegradiensem prædictam constructo; non paucos per annos tabidũ in cadauer redactus intumulatus iacens, ęrumnæ humanæ ingens spectaculum; regibusq; futuris documentum & exemplum satis grande præbuisti. Enimuero rex iste ante hæc Romanam contra ecclesiam præsumens; Siciliæ de regno debitum annualis homagii fiscum illi negat, propter quod summus pontifex eum suæ calamitatis hunc paulo ante diem anathematis vinculo innodauerat. & hæc fuit causa, regis membra istius sacratam quæ humum attingere vetuit.

Digitized by Google

INCIPIT PRÆFATIO IN CHRONICAM SIGISMVNDI, REGIS ET IMPERATORIS, SIMVL CVM CÆTERIS eiusdem gestis.

INnouare omissa hominum acta; ne negligentia emergente subripiantur; tuis votis rationabili occurrente causa; imo vetusta nondum labefacta amicitia cogente; amplius quàm me rogatum effecisti parere duxi. Potissime ne impulsu tuo temere incepto operi meo finis desit: & tempora quondam nostri principis regis Sigismundi & Romani Cæsaris, quē superius Brandenburgensem nominaui marchionem: quæ meo iam exacto labori quodammodo; ne stylo aliquali intacta humanis labantur ex præcordiis; maiora meis viribus; vt dementium moris est; aggredi præsumens; ea quæ à præfati regis Caroli tristi exitu regni Hungariæ intra viscera infra præclarū moderni principis nostri regimē gesta fuere: maxime, quæ immortalitatis honore sunt digna: prout rebus de eisdem per magnificū dominum Michaelem OrZaag palatinū; quem præfatus Cæsar nō claro sine merito humilis nobilitatis de tugurio alta sublimauit baronatus ad atria: tum vero per quoddā registrū eiusdem Cæsaris diebus præscriptorum temporū suorum pro obseruatione cōscriptum edoctus; stylo prius excusato & carmine paruiloquo perstringere: ac tibi qui me tantillum languidæ latinitatis hominem huius operis ad primitias tuis arctare scriptis non dedicare curaui. Vale.

DE VINDICTA PER IOHANNEM HORVVATII BANVM A REGINIS ET palatino exacta.

CAPVT I.

REGE Carolo nequiter perempto, & regni habenis rursus per reginas arreptis; regis Caroli qui erant auxiliarii metu concutiuntur non modico; & partes sibi tutas quæritantes nō minus regem extinctum vindicare ardebant. Reginæ autē & palatinus omnia eis contraria ipso rege interfecto complanasse & deuicisse arbitrantes; illa parte anni instante, cum sol feruidus Leonis ingrediens signum feruido messores quassabat æstu, infelices reginæ simul & palatinus dementia ductrice, aulicorum tantum comitati cateruis Budam egrediuntur; & partes regni lustrant inferiores. Et cum celeberrimo die festi beati Iacobi apostoli versus opidum Diako nulla insidiarum suspicione pulsati medium graderētur per campum; Iohannes de Horwath banus ingenti hostilitatis manu collecta; vltrici æstuans animo furibundus in agmina aulicorum irruit. graue certamen committitur hostes inter vtrosque. Et cum reginales palatinalesve gentes imparitate hostium se excedi viderent; illi qui nondum ceciderant, terga dantes præcipiti fugæ se commiserunt. Blasius vero Forgach, vt erat audax, primitias excipiens congressus, ex impulsu hostilis lanceæ medios inter bellantes deiectus ab equo capitur: & intuentibus reginis decollatur. Garensis autem palatinus, dum tanti discriminis præsidium solam esse mortem considerat: descendens ab equo, & reginarum iunctus currui in hostes gladio vtitur; seque ac reginas viribus defendit totis. Sed quid profuit solitariæ manus defensio? cum vndique inimicum insistens brachium eum lethalibus sagittarum ictibus sauciabat. quas ille suo infixas corpori: ne sibi feriens præpediretur manus, arundinum ad instar confringebat, & interim tantæ cohorti obstitit, donec per quēdam militem reginali desub curru, vnde non timebat per pedes arreptus in terram deijcitur, ac reginis & earum pedissequis futuræ mortis metu stridenti clamore inualescentibus ibidem capite truncatur. Quo perempto, & reginalibus aulicis aliis deletis, aliis fugatis, feritas illa Croacorum honoris ignara reginales currus inuadit pariter & euertit: ac reginas simul, & domicellas earum

sine

Iohannes Horvvathius.

sine venia sexus, & absque reginalis reuerentia dignitatis, curribus de eisdem extrahendo, & multis afficiendo contumeliis, captiuas sui bani adducunt in præsentiam. Quibus dum ille regis Caroli necem multis opprobriosis exprobrat dictis; regina senior mox genibus in humo defixis supplices manus eleuat: *parce*, inquit, *mi bane, parce: & illud quod quondam à rege nostro Lodovvico beneficium tulisti, reminiscere; ac in natam eius innoxiam sæuire noli. Ipsa perpetrati sceleris sum auctrix: alter nostrum eiusdem rei opifex, qui & me ad hunc perduxit finem pœnas dedit. sexui igitur fragili tui honoris gratia miserere, quoniam non absque causa deliqui.* Et cum regina ampliori vellet vti sermone, illius è conspectu ipse abiit. Dum autem nox superueniens illius diei fugata luce vndique suas diffudisset tenebras; regina Elizabeth tollitur; & frenatis faucib' amnis Bozwtha altas demergitur in aquas. Reginalis vero atrii virgines tum nobilitate, tumque pulchritudine insignes; nocte eadem dedecoris lecto tractatæ fuisse: quod apud me vel habet fidem, perhibentur. Tandem diluculo propinqui ortum solis diem qui efficit clariorem nunciante; sine mora consurgentes Croaciam versus suorum flectentes habenas equorum, non sine festinatione transierunt, iuniorem reginam secum captiuam ducentes. Proh dolor humana conditio quam variis fortunæ voluitur euentibus! Arridentem enim pridem reginis sortem tam cito in aduersas commutari quis putasset? vt recens exactam post vindictam inopinatam sui demeriti redderet tam paruo in tempore talionem. Reginæ enim & palatinus de nece Caroli has pœnas dedere. Nam ille qui cuncta creauit, cuncta & respicit, & suo intactum iudicio omittit præterire nihil.

DE REDITV SIGISMVNDI MARCHIONIS ad Budam, & de liberatione reginæ.

CAPVT II.

EAdem tempestate, qua rex CAROLVS sanguinem simul & animam fudit; regina ELIZABETH patratarum seriem rerum ad marchionem SIGISMVNDVM noui gratia gaudii conscribi faciens; & vt festinanter veniret, illum suos per nuncios rogatum effecerat. Quare ipse SIGISMVNDVS marchio enormis casus reginarum fama nondum audita; cum Bohemorum armata manu plurima; multis etiam illum partium regni Hungariæ superiorum proceribus comitantibus intardus ad Budam descendit; sponteque ad arcem immittitur. Eisdem autem diebus regina iunior in castro Erupa denominato in partibus Croaciæ situato tenebatur. Postquam IOHANNES HORWATHII banus marchionem Budæ existere, & proceres illi fauere audiuit; mente & animo debilitatus graues incidit in curas. Quare reginam adiens illi ita locutus est: *De omnibus erga te, & tuam genitricem, quamuis satis digne gestis pœnitentia ducor: licet te eidem fini, cui & genitricem tuam, exponere in proposito habuerim. Cum manifeste sciam, si tibi vita seruabitur; eadem quandocunque mihi demetur. Sed ne manus meæ sanguine benefactoris mei polluantur, te dimittere deliberaui: ita tamen, vt mihi fidele iuramentum præstes, me nunquam tuæ liberationis pœnitere. sin autem, incepta non minus perficiam: & omnia simul vna & eadem si oportuerit soluam talione.* Et his dictis domum exiuit. Superba vox tyranni intima reginæ pectoris scindit. Quare abundantes eius è luminibus oriuntur lachrymæ pallidas per genas vndique defluentes. Sufficientem tandem post mœrorem siccatis oculis illum ad se vocari petit. Qui dum affuit, regina metu concussa, non tantum iuramentum illi præstare; verum etiam, quia vitam illius seruauerat, illum vt patrem erga se semper esse venerandum promittebat. Sanctę igitur afferuntur reliquiæ; & omnia, quæ ipse banus exigebat per reginam sacramento reali roborantur. Quapropter reginæ currus coaptantur; & ipsa regina velut è flumine erepta Budensem optatam deducitur ad ciuitatem.

Digitized by Google

DE CORONATIONE REGIS SIGISMVNDI.

CAPVT III.

HÆc omnia triennio vel paulo amplioris spatio tēporis post regis Lodovvici obitum crudeli impetu in multa sanguinis effusione, multarumq; direptione rerum transiere. Tandem nobiles regni, quam grauibus torqueri guerris, potius pacis grata amœnitate gaudere peligētes, anno domini M.CCC.LXXXVI. (A. C. M.CCC. LXXXVI.) ea videlicet anni ipsius ætate, cū ver suaui auicularum modulamine gratissimū posteros sui cursus propinquans ad limites: venienti feruidę æstati rubentibus hospitium decorauerat rosis: geminiq; currum vehentes Phœbi altiores ætheris conscēdebant ad gradus: ad magnum scilicet diem Pentecosten in Albam regalē conuenerunt. Vbi regina Maria cuncto in vnum conuocato nobiliū cœtu media stetit inter illos, ablutisq; prius genis lachrymarū riuulis non grauibus sine suspiriis ad populum hanc vocem fecit: *Domini & fratres, qui mei genitoris reminiscentes merita in me beneuolenti fuistis animo, & meum per vos mihi datū non labefactastis imperium, Deo & vobis gratiarum immēsas refero actiones. Nostis quanto guerrarum turbine nouiter elapsis diebus nostrum agitatum est regimen: quantásq; ipsa pertulerim periculorum procellas. illa mihi vestri in cōspectu referre aut vobis audire necessariū est minime. Omnia enim vel vidistis vel audistis. Nec vestris de pcordiis puto esse lapsum, quali pacto genitore meo gratæ recordationis nondum sublato, vestro ad id accedēte voto, huic principi* (quem manu ibidē astātem ostendit) *matrimoniali fœdere sim irretita. Credo enim, q illa, quæ tunc placuere vobis, & nunc placeāt. Ecce igitur, de sponso regē efficio; iusq; regni pariter & diadema illi cedo. potissime cum nec fœmineum vos amare imperium; neq; ad dirigēdas tam impetuosæ gentis habenas factis testātibus illud sufficere animaduertā.* Simul & cuncto coram populo marchionē iuxta se statuens ait. *Hic dominus & maritus meus: hic rex vester est. Parcite igitur regno: & vestras mutua cæde ne deleatis personas. Pax enim vbiq; terrarum optimum bonum est. & concordiam populi vicinum regnum metuit.* Reginæ oratio astātibus placuit vniuersis. Igitur celebertimo die scripti festi Pentecostes instante; ipse Sigismundus marchio ætatis suæ anno vigesimo cæterorum Hungariæ regum ad instar magno cum tripudio in regem solenniter inunctus extitit pariter & coronatus.

DE POENIS A IOHANNE DE HORVVATH bano exactis.

CAPVT IV.

REge Sigismundo regni Hungariæ sceptro feliciter potito: regina Maria dudum conceptam susceptæ calamitatis æstuans in vindictā; regem Sigismūdū, vt in offendentes manus ingereret vltrices, sæpius alloquitur: & crebris illū non sine fletu suggestionibus fatigat; susceptæq; per ipsam ærūnæ mille species illi exprobrat. Eisdē diebus Iohannes de Horwathio banus castrū regale Posegawar appellatū, sui capitis præ tutela subintrauerat. Rex igitur Sigismūdus assiduis cōiugis motus querelis copias aptat: & illas Trāsdanubiales ad partes Bulgariā versus mittere dissimulans castri prædicti in obsidionē cōuertit. Obsesso igitur castro prædicto; dum idē machinis bellicis acrius oppugnaretur; spesque de cita eius obtentione erga oppugnātes indubia esset: vna noctium, dū tenebrę vbiq; terrarū diffusæ rebus furtim gerendis tempus præbent habile: Iohannes Horvvathii banus ipso de castro ea parte vnde Stephanus filius Laczk Wayuoda: alter Stephanus de Simothorna; regiæ dolosa sub fidelitate immixti expeditioni excubias tenebāt prosiliens; fugiendi libertate potitus est: trans fluuiumq; Zavve eadē nocte, nescitur si nauali officio, vel arte natatoria vectus, in castrū Dobor denominatū in Boznæ partibꝰ, quæ Vzora vocitātur, situatū inuasit. vbi præsulē Zagrabiensem Paulū pluresq; sui facinoris cōplices inuenit. Eisdē temporibus Boznenses Dalmatini simul & Croaci eiusdē Iohannis bani & suæ cohortis magnatum suasione viciati: à fidelitate, quam sceptro debebant Hungarico, defecerant: regniq; in oras non paruas in igne & ferro vastitates edebant.

Digitized by Google

Sigismundus Rex.

Quare rex Sigismundus copias copiis cumulando, vt ipsa regna suo flecteret principatui: illud quoque castrum, suos quod tutabatur infideles, expugnaret, magna vi armorum vndique cinctus prætactum flumen Zawe transiuit, & Boznense regnum potenter intrauit. Iohannes vero banus regalis expeditionis territus magnitudine; in illa, quæ sibi prius arriserat fuga magis quam in dicti castri confisus monitione, antequam obsidione clauderetur, de ipso castro cum pluribus eadem peste infectis suis complicibus exiuit. & fugitiuus per colles & montium abrupta ferebatur. Sed hæc fuga profuit ei minime. Nam per regem ipsi ordinatas incidit in insidias, captusque est. Rex autem Sigismundus præfato castro Dobor expugnato; regeque Boznensi simul & regnis Dalmaciæ & Croaciæ iugo fidelitatis annexis, repatriauit: & Iohannem banum in ciuitate Quinqueecclesiensi genere exterminii horrendo, prout reginalis exposcebat furor, necari iussit. Primitus enim equi ligatus ad postera ciuitatis per plateas circulatus est. tandem ignitis vexatus forpicibus ex post quadripartitus, & ciuitatis portis particulatim futurorum erudimento pro terribili appensus, illam, quam in alios exercuit seueritatem, consecutus extitit. episcopus vero Zagrabiensis, quamuis multis aliis necatis non sit interfectus; nunquã tamen eiusdem episcopatus in sedem quam diu vixit, restitui valuit.

DE EXERCITV REGIS SIGISMVNDI in Moldauiam.

CAPVT V.

HAnc etiam ante tempestatem, dum res Hungaricæ fæmina duce graui fluctuabant guerra; Moldauiani pariter & partes Transalpinæ reginali dedignato sceptro: necdum resipiscentes, regi Sigismũdo fauebant. Ille igitur quarto, postquam coronatus est, anno renouatis armis illos domandi gratia aggressus est. Eisdem temporibus quidam Stephanus Wayuoda Moldauianas moderabatur habenas. Hic vt regis præcluderet ingressum, omnem suæ gentis vim commouit; alpesq; & aspera viarum anfracta rex vnde ingredi habebat, tum indaginibus, tum sagittariorũ muniuit præsidio. Et cum rex insidiarum inscius alpes condescendisset, ingenti mox sagittariorum manu aggreditur. tela nec minus homines equosq; feriunt: & pœne omnis densarum imbribus sagittarũ regalis expeditio grauatur. Regii autem milites vitam in forti brachio redimere conati, de equis descẽdunt, in magnaq; virtute bellandi irruentes in Volachos multis ex eis interfectis illos retrocedere cogunt: fugientesq; alpiũ per abrupta graui mortalitate afficiuntur. Quare redẽpta sibi gladio via rex præfati Stephani Wayuodæ vsq; ad habitacula penetrauit: Ipse autem Wayuoda dum pręterquam veniam petere sibi prodesse aduertit nihil; ad regem venit, & sui grauis demeriti debitas vt nõ daret pœnas, rege cotam, sui dominii Volachis cum potioribus, in terram procidens, regem his verbis deprecatus est: *Gloriosissime princeps, tua nobis veniam petentibus regalis clementia ignoscat. & illud nostra quod proteruitas contrarium fidelitati, quam debemus temere præsumpsit, grata expietur benignitate. prostratis enim parcere quam duriciem conterere inobedientiæ regali dignitati non minus gloriæ affert. enimuero tuarum sumus puluis plantarum. Tu rex & dominus noster es. Illam igitur, quam nostra non expostulant facinora, gratiam, vestra nobis regalis pietas largiatur.* Et his dictis vniuersi simul humiles flectentes ceruices regiam expectabant beneuolentiam. Ad hæc rex Sigismundus ita respondit: *Nostræ regalis celsitudinis offensa quamuis digna vltione pensanda esset: ne tamen crimine austeritatis nostræ gloria famæ vicietur, parcimus vobis pariter & ignoscimus: & vos in nostram recipimus gratiam in ante non delinquentes.* Prouoluti ergo regiis pedibus Stephanus Wayuoda & sui: regii oras amictus deosculantur; sincera post hæc fidelitas & annualis census solutio promittuntur: omniaque fideli iuramento roborantur. Quapropter rex Sigismundus rediens milites simul & arma vnius anni recreauit quiete.

Digitized by Google

DE EXERCITV REGIS SIGISMVNDI IN partes Transalpinas, & de morte Mariæ reginæ.

CAPVT VI.

POST hæc rex Sigismundus sexto sui regiminis anno gentibus Transalpinis arma intulit. Hæc gens suis non contenta potentiis; vt se defenderet, validam Turcorum conduxerat manum. Dum igitur regales copiæ Alpibus transitis illius terræ ad plana descenderunt: aciebusque ordinatis ac signis bellicis collatis; vterque hostis manu vti vellent; mox Turci pariter & Volahi radiantium armorum, quibus regalis tegebatur expeditio, fulgore territi, tutrici se fugæ commiserunt. Regius vero exercitus quodum potuit, illos persecutus est. Cadebant Turci & Volahi ad dextram & ad sinistram: & cadentibus multo plures additi fuissent; nisi regalium militum equi vasto pondere armorum ipsis insidentium depressi; fugientibus pares in cursu fieri valuissent; & nox superueniens illis tutiorem Danubii transitum non præbuisset. Rex igitur Sigismundus contrariis fugatis copiis, castrum minus Nikapol ardua cinxit obsidione. Tutabantur tunc illud Turci simul & Walohi. crebriusq; de muris erumpentes regio in exercitu tumultus non modicos edebant. Rex autē bellicis machinis adiunctis; castrū idem in magna sui parte præcipiti dedit ruinæ & expugnauit; & eiusdem defensoribus aliis interfectis, aliis captiuatis illud Hungarico commendauit præsidio. Tandem genti partium earundem iugo obedientiæ imposito cum triumpho felix venit in Hungariam. Nondum tamen redierat, cum regina Maria graui præuenta ægritudine regnum pariter & vitam liquit. Nec illius obitus regi Sigismundo parum curæ peperit. Nam rex Polonorū Ladislaus defunctæ reginæ sororem vterinam, Adiugam denominatam matrimonialis fœderis grato in contubernio habebat. Ipsam igitur coniugē suā sceptro mortuæ sororis potiri ratus, contra regē Sigismundū exercitum copiosum mouit. Et nisi pater reuerendissimus dominus Iohannes de Kanysa archiepiscopus Strigoniensis multo armatorū cœtu regni cōfinia muniuisset, ambitiosus princeps absente rege Sigismundo regimen eius non minus turbare potuisset.

DE DECOLLATIONE TRIGINTA duorum militum.

CAPVT VII.

FElices rerum euentus nedum reges, verum & humiles exigui census homines, quos conditio silere mandat, extra solitum rapiunt, & moribus mutant, variasque per illecebras ducunt. Dum enim humanæ sortes prospero tramite diriguntur, animum eleuant prosperantis: nec minus illum arduis ingeri rebus cogunt. Rex Sigismūdus, quousq; secunda comitatus fortuna solito magis animo tumidus quosdam suis de regnicolis nobilitate insignes ante hæc, dum scilicet reginarum gubernamen calle sinistro vehebatur, in se & reginas grauiter delinquētes: aut grata sub fidelitate sibi iungere aut illos morte afficere satagebat: illi quidem dementi ducebantur proteruitatis obstinatia, & mori potius, q̄ ingrato sub principe viuere præoptarant. Hi erant nobiles illi, nostra quos ætas duorum & triginta militum nomine vocat. Inter quos erat miles ille tam gloriosus Hūgaros inter omnes magno laudis præconio insignitus, Stephanus Kōth, denominatus dominorum de Hederwara alto de sanguine ortus: quem nostrū æuum viribus & virtute non minus præclarum nedum loquitur verum & resonanti lyra canit. Isti milites dum vagabundi regni per climata spaciantur; regiq; Sigismundo id opprobrii non modicum generaret; nouas illos res aggredi suspicatus, statuit eos esse circumueniendos, virumq; non minus arte deceptoria, quam armis potentē Georgium Waydasi sibi fidum, illos vt vi aut fraude ad se duceret constituit. Dū igitur milites hi secus fluenta Zawi hostilitatis suspicione sine omni cāpestrali hospitio dediti, præter Iohannem de Korpad, quē sopor rubētis auroræ nunquā detinuisse fertur; aduenietis diluculi dulci essent occupati

Sigiſmūdus Rex.

pati ſomno; ipſe Georgius Waydaſii dormiētes irruit ſuper illos. Ipſi vero mox cōſurgentes arma capiunt. Inſtat ille pollicitationibus, & regē illis placatū reddere ꝓmittit: nihilominus armis militeq; potētior terrori illis erat. Ipſi vero dū in hoſtē viribus vti impar eſſe cernūt, cedunt promiſſis. Cum aūt in opidū Karum denominatū ventum eſt, diris credūtur vinculis: & Budenſem ad ciuitatē in currib⁹ delati ſunt. Cōtulerāt nobiles hi intra ſe, dū ducebātur: etſi regis venirēt in pręſentiā, nō tamen illū aliquo ſalutationis oraculo deberēt venerari: ꝙ & factū eſt. Nā cum rex Sigiſmūdus ſuorū cinctus corona regnicolarū medius ſederet; & ipſi nobiles illius cōſpectui præſentarētur, nullus ex ipſis in ſalutationē illius os ſuū aperuit: nec capitis aut genuū curuatione illi aliquā exhibuerūt honeſtatē. Hæc ignomina regē Sigiſmundū in maiorem cōcitauit irā. Quapropter ſui furoris ductus vehemētia, illos in ipſa ciuitate Budenſi in platea S. Georgii martyris fecit decollari. Aiunt quidā, ꝙ dum Stephanus Konth ipſa decollationis pœna plecti debuiſſet: reſupinus vultu feriētis ictū verſus decūbere prælegiſſet: ſeq; plurimas imminētes ſibi mortes intrepidis oculis conſpexiſſe: & hāc quidem nō formidare, tū vero in turri velle dixiſſet. Hos etiā nobiles nonnulli vnū & triginta fuiſſe tradūt. Cū aūt exterminatis illis ſpatharius Stephani Konth, Chowka vocatus, irreuocabiles diſſolutus in lachrymas fletib⁹ vacaret aſſiduis; & rex illo cōſpecto dixiſſet; *cōpeſce fili lachrymas, & flere deſiſte: en ipſe dominus tuus, qui tibi plura donare potens ſum, quam ille qui decollatus eſt.* ad hæc puerū reſpondiſſe ferunt; *ego tibi velut ſcrophæ Bohemicali ſeruiturus ero nunquam.* Qui tādem iuſſu regis eandem, quam dominus eius ſententiam ſubiſſet & numerum adimpleuiſſet prædictum. Poſtquam autem ſanguinē animaſq; hi milites ſimul fudere, ſacratā capellæ noſtri viatici in ſuburbio dictæ ciuitatis habitæ: cœmeterii tellurem habitatione pro perpetua, donec angelus tuba canet, cōpreſſere. Horum mors militum illas, quæ poſtea inter regem Sigiſmundum & Hungaros flammis arſerunt ingentibus ſcintillas, miro cinerum ſub tegmine; & nūquam illi ſuum vltimum infra diem tutum propterea regimen præbuit.

DE BELLO REGIS SIGISMVNDI SVB CAſtro maioris Nicapolis infeliciter geſto.

CAPVT VIII.

Regnante feliciter quondā rege Lodowico, inter Græcos ingens exorta diſſenſio inteſtinis grauiter fluctuabat diſcordiis. Duo enim erāt Græcorum domini; & ſi non eiſdē parentib⁹ orti, vterq; tamen ſe imperiali de parētela natū eſſe, & ex hoc ius dominii ad ſe pertinere aſſerebat. Nec minus cęteri Gręci hos quiſq; ſuo pro libitu amabāt pariter & ſequebantur: pro incertoq; imperatoris nomine ciuili bello pugnaciter dimicabāt. Et cū alter horū ſuam partē deficere vidit; vlciſcēdi libidine captus, Amratē primum Turcorū Cęſarem poſtquā regnare ceperūt tertiū ad ſuas partes adiuuādas precio pariter & ꝓmiſſis ex Aſia in Græciā accerſiuit. Neq; enim magnę fuit difficultatis Cæſari id perſuadere; qui ad hæc antea accenſus totis viribus inſtabat. Hunc itaq; & eius copias per mare Helleſponti cū ea cōditione in Thraciā nauali officio traduxit; vt cōfecto bello rurſus nauigio remitteretur. Hoc pacto Turcorū gens ex Aſia in Europā migrauit. Hæc trāſuerſa Gręcorū opera rogū inextinguibilē Europęas per partes aſſidue flagrantē ſuccēdit: noſtrarumq; miſeriarū frutices noſtris in agris affatim pullulātes germinauit. Nā ipſe Amrates nō id, ꝙ promiſit, ſed quod ſibi ꝓdeſſe poſſe ſperabat animo voluebat. Sēper enim bellum conferēdum per occaſionē in dies protrahebat: vt Gręcos mutua cæde fractos ille integer adoriretur: ac facilius ſuperaret pariter & opprimeret. Nec illū ſua fefellit opinio. Vbi enim diuturno bello Græcos deficere, domeſticiſq; opibus euacuatos ſibi ipſis paruo iuuamine eſſe ſenſit; mox occaſione adinuēta in illos arma cōuertit; occupatoq; peroportune Gallipali opido ad fretum Helleſponti ſituato, cætera Græca opida obſidione petere, agroſq; vaſtare, & cūcta paſſim inuadere nō deſtitit: quouſq; magnā partē ſuæ ditioni ſubiecit. Exhinc rebus Turcorū indies augeſcen-

Digitized by Google

tibus: rege Lodowico vita functo; habenisq; Hungaricis in Sigismundũ regem devolutis: Pasaythes & ipse Cæsar Turcorum patre Amrate peracri ingenio nõ minus idoneus; & in tentandis rebus arduis magis audax; breui spacio temporis Thraciã vniuersam Thessaliamq; ac Macedoniã; Phocidẽ, Bœotiam & Atticã tum vi tum deditione capiẽs, sui dominii fecit. Misos quoq; quos nos Bulgaros vocamus, regis Sigismũdi sub ditione cõstitutos armis infestis aggressus est. Ad hunc Pasaytẽ rex suos caduceatores misisse; vtq; ab inuadendo regno sibi iuris vigore attinente desisteret, eidẽ intimasse: illum vero per occasionem interim donec tota Bulgariæ terra potitus est, relationẽ distulisse: tandem diuersitatem armorum, framearũ puta ac clypeorum necnõ pharetrarũ; quibus Turci in hostes vtuntur; singulos per parietes vnius domus appẽdi fecisse; introductisq; regiis caduceatoribus ad illos dixisse fertur: *Reuertimini ad regem vestrum, & dicite illi, quoniã & ego terram ad hanc, vt videtis, ius habeo sufficiens:* pariterque & illis in parietibus pendẽtia manu ostendit arma. Hæc res Sigismundi regis animũ nõ parũ vlciscendi in timorem excitauit. Quapropter sui regni 10. dominicæ aũt incarnationis M. CCC. XCVI. anno, commota vniuersa sui principatus armorum virtute; ingentẽ conflauit exercitum. In quam quidem regiam expeditionem tam grandẽ dux Burgundię inter alias nationes ac Francorum siue Gallorum populus arma nõ pauca fortiaq; virorum bellatorum agmina aduexerant. Quorum nobilitatis armorũ insignia Budæ in claustro sancti Nicolai confessoris erga fratres prædicatorum tabulis arte pictoria inscripta ac parietibus affixa meos vsque ad annos pro memoria stetere. Mota igitur rex Sigismundus tam grandi sui exercitus congregatione Danubium transiuit: & nedum Turcorum timeret Cæsarẽ; verum quidã ipsum dixisse ferunt: *Quid metuendus est nobis homo? vastum si calorũ super nos pondus rueret: ipsi illud nostris, quas gerimus hastis, ne læderemur, sustentare possemus.* Regno tãdem Rasciæ crudeli furore in magna rerũ direptioni horribilitatisq; strepitu nimio pertrãsito, Bulgarię venit ad oras. Inde opidis Oriszo & Bidinio aliisq; partium earundẽ munitionibus nõnullis Turcorũ quas tutabatur bellicosa manus: nõ sine sui & suorũ multa sanguinis effusione expugnatis; ad vltimũ ea ipsius anni ætate cũ vites suis fructus dulciores cultoribus reddebant, circa festum videlicet, sancti Michaelis archangeli in campo castri maioris Nicapolis sua castra fixit. Turci vero crebrius de castro erumpentes, regium exercitum in se prouocabant: nonnullosq; vulnerantes sæpius vulnerati redibant. Cæsar autem Turcorum; quem nostri seniores Pasaythem supradictum nominauere, Nicolaus autẽ Secundini de familia & origine Turcorum ad Æneam Senarum episcopum scribens, eundẽ Chalapinum fuisse posuit: dum regẽ grandi bellico cum apparatu suã in dominia penetrasse audiuit: non minus omne gentis suæ robur in arma concitauit; & in forti suorum manu regiæ obsistere expeditioni conatus, appropinquabat. Galli vero siue Frãci aduenientis hostis fama pulsati, regem adeuntes, & eum belli primitias, quæ maiori feruere solent atrocitate, illis in se excipere, vt annueret, rogatum effecere. Dum igitur Cæsar ipse frementibus vndiq; suis agminibus magnam vim paganorum secum trahens regiis opponi castris visus est: mox Franci præcipiendæ pugnæ insolenti cupiditate capti; priusquam vniuersæ regales copiæ instructis ex ordine aciebus signis collatis prœlium inirent, ẽ castris prosilientes: & præcipites ab equis, vt eorum moris est, pedites certaturi descendentes contrarias irruerunt in turmas. Diro itaq; bello hostes inter vtrosq; vigente; cum Hungari sellatos Francorum equos cursu transuerso regia petere castra conspiciunt: nondum enim illorum bellandi vsus ipsis notus erat; illos omnino hostilem per manum extinctos fore credentes, graues dissoluti in tumultus castra pariter & bellica relinquentes ingenia campo vndique fusi hostibus acriter insistentibus in fugã conuertuntur. Strages fit maxima: multi cecidere de Hungaris, & multi captiuitate affecti. Et nisi ipse rex nauis ministerio sibi adinuenisset salutem, non cælo velut elatus princeps dixisse fertur, sed hostia armis ibidem obrutus fuisset.

DE INIMICITIIS IN REGEM SIgismundum conflatis, & captiuitate eiusdem.

CAPVT IX.

PRoh dolor; res humanæ nouerca ductrice fortuna; in optatos per calles dū diriguntur, quam varias excitant inimicitias, quantumue pariunt odium? cum gratis etiam ex amicis maxime Hungaricæ generationis in prosapia interdum hostes efficiant. Rex Sigismundus hucusq; genti suæ amabilis; post tā grauem sui populi cladem odio fuit. Enimuero timebat, ne illis, quos male duxerat, vt quondam rex Persarum Xerxes post infelicem belli in Græcia gesti finē, suæ improuisionis pœnas daret. Quapropter fugitiuo similis altas Danubii & æquoris per aquas remorum officio Constantinopolitanam ad vrbem: inde ad Rhodum: post hæc regnorum Dalmaciæ & Croaciæ ad oras nauigauit. Comitabantur illum viri in regno potentes dominus Iohannes, archiepiscopus Strigoniens. & Stephanus de Kanysa frater eiusdē; nec minus per internuncios regi, q̧ esset optimum apud primores regni operabantur. Inter hæc autē superius nominati Stephanus filius Laczk Wayuoda; & alter Stephanus de Simonthornia antiquo scelere tumidi; non ipsorū facinoris pluribus sine sociis, quorū cordi erat amplius regē Sigismundū nō regnare, ad illustrē iuuenem Ladislaū natū regis Karoli eiusdē tempestatis nō multos ante annos, vt superius dictum est, interfecti; tunc Apuliæ in regno vices patris in regimine gerentē suos mittentes nuncios, sceptra regni Hungarici illi quā leuiter tradere promittebāt. Ille vero miserā sui genitoris sortē, qua Hungarico in regimine comitatus erat, prę oculis præ cordeq; ferens: quamuis illi regē Sigismundū eliminare, & regimē tranqllum ei dare ꝓmitterent; ad capessendas res Hungaricas patre tardior fuit. Cū igitur illū grauiter moueri animaduerterunt; non ergo ab inceptis destiterunt: sed ad ipsorum voluntatis finē facilius concludendū, ipsi vterq; Stephanus ab eodem rege Ladislao per internuncios iuramentū pariter & literas receperant; vt quid illi vice eiusdē in regno operarentur; id sibi dum sceptro potiretur, gratum fieret. Magnā partē nobiliū hæc cōditio infidelitatis per deuia traxit: multi fuere hac sceleris nota obfuscati: quorū propago etiā hac nostra ætate perpetuā exinde assecutā deflet rusticitatē. Hæc res clā dirigebatur; nō tamen regem latebat. Dies cōsueto volumine transierunt sub hac tempestate quāplures; & ipse rex Sigismundus vnū & medium per annos maritimis in partibus demoratus; quorundā magnatū ope, maxime archiepiscopi Strigoniens. ac dominorū de Kanysa, & Iohannis de Maroth bani regale restitutus extitit in soliū. Et licet dictos vtrumq; Stephanū aduersas sibi res machinari & componere sentiat: nō tamen sibi coadunatā illis propter cohortē in illos vindicta vti par erat. Trāsiere rursus post reditum regis tres & medius anni; & semper inter hæc in contrarius res coniuratorum crescebat numerus; & quasi totus Hungarię vulgus suggestione viciatus sinistro illum lumine intuebatur. Concitauerat maxime Hūgaros contra illum in odium: tum duorum & triginta mors militum: tum vero calamitosus Nicopolitanę expeditionis exitus: nec minus ipse rex soluto thoro carnis; dissolutus in lasciuiam virginum violentæ deditus corruptioni: Hūgaris opprobrio erat. Valebat etiam præter hæc in populo præfatorum vtriusque Stephani crebra persuasio. Contulere igitur vniuersi, quorum id animi erat, vt regem ipsum, dum se illis tempus ad id præberet idoneum, captiuitati darēt. Igitur millesimo quadrīgētesimo primo dominicæ incarnationis anno: ea scilicet parte anni eiusdem, cum ver illud fœcundissimum tauro duce medios tepido sub æstu ministrabat dies arboresq; rigida hyemis austeritate virentibus spoliatas foliis, floridis vestierat frondibus: videlicet, die, qua mater ecclesia certaminis sancti VITALIS gloriosum decantat triumphum; barones regni dolo indutæ collocutionis gratia regia adeuntes palatia, ipsum regem medium esse voluerunt. Qui cum affuit illi, obiectis prius ipsi vniuersis facinorum causis, quas in illum excogitauerat magno cum fremitu manus A.C. M.CCCCI.

Digitized by Google

eorum in ipſum iniecerunt; & niſi iſtorum, qui amabant eum, ſibi iniſſet diſſuaſio: ibidem Iulii Cæſaris ad inſtar multis vulneribus confoſſus ſanguinem ſimul & animam fudiſſet. Erant diebus in eiſdem Garenſi in domo duo gratę indolis iuuenes; auctore quondam Nicone de Gara palatino: qui quondã reginarum ad latus interfectus eſt, geniti: quorum alter eſt paternum nomen ſortitus: alter Iohannes vocabatur. Hos iuuenes captores regis in illum grauem, paternam propter necem, cum maxime propter illum pœnas dediſſet, animũ habere rati, ipſum regem iuuenibus eiſdem in caſtro eorum Soklos vocato, ſeruãdum aſſignarunt.

DE LIBERATIONE REGIS Sigiſmundi.

CAPVT X.

REge Sigiſmundo captiuitatis ęrũna affecto; illi qui in eundem amaro erant corde; abdite ante hæc in illum conflatas inſidias in lucem deduxerunt. Itãque nullo obice ſe votis ſuis potiri cogitabant. Magna igitur in agmina palam conuoluti ſuperba ceruice gradientes; eleuato ipſius regis Ladiſlai vexillo, regni per climata ferebantur. Et cum ciuitatem ad quamcunq; ipſo vexillo comite veniebant, ſacratus cleri ordo illis proceſſionali cum veneratione obuiam ire compellebatur. Inter hæc ipſi regi Ladiſlao ſe omnia ad vota illius complanaſſe, vtq; accelerarer, intimauere. Dum autem ipſe rex Ladiſlaus Sigiſmundũ captum, ſuamq; partem inualeſcere audiuit; quaſi promptas res adepturus vocantium flectitur votis: & celeri apparatu ſumpto Hungariam verſus iter continuauit. Rex vero Sigiſmundus moleſta captiuitatis ſub cuſtodia caſtro in prędicto lugubres ducebat dies: regalibuſq; è luminibus crebro obortæ lachrymæ pallidas illius inundabant maxillas. Huius regis continuam cordis amaritudinẽ aſſiduoſq; lachrymarum decurſus iam dictorum iuuenum genitrix; cuſtodia ipſius regis, quorum curæ erat, cum ſæpius intuita fuiſſet, compaſſionis erga illũ viſceribus mota: liquido ea pectore, prout muliebris exigit natura, corde toto recipiens filios adiit, illoſq; ita affata eſt: *Grati mihi filii, an vobis in hoc homine maioris quam cæteris regnicolis offenſæ cauſa eſt; quod alii cura cuſtodiæ eiuſdẽ ſoluti vos ſoli illius tutam ad conſeruationẽ inuigilare debeatis. Maxime de quondam genitoris veſtri recordor me coram dictis. Aiebat enim, regem legitime coronatum, ſi etiam iumento cõpararetur, non eſſe deſerendũ. Rebus in his quicquid fecerint alii, vos expertes habere vellẽ. Nã ſi illum, prout in vobis eius ſperãt aduerſarii, interfeceritis, nota effuſionis regalis ſanguinis veſtræ ꝑpetuæ aſſcribetur hæreditati. Et licet cæteri in adducendo nouo rege nouis ſemper ſperent gaudere munificẽtiis: vos apud illum exoſi eritis. Quid ſceleris putatis regum fundere ſanguinem? Quæ dignitas, ſi hoc nefando crimine veſtras pollueritis manus, vobis aut veſtris ſucceſſoribus quandocunq; in regno merebitur? Iſte coronatus tantos per annos pro rege habitus: ille pro cuius rebus agitur, non ꝙ rex noſter eſſet, verum nondum regnum nouit. Deſiſtite igitur mei filii, ſi q́d in necem huius hominis conſpiraſtis; & tã altã veſtræ domus dignitatem hoc enormi facinore contaminare caueatis. Rege pro iſto genitor veſter ſcitis quã mortem ſubiit: nec vos non ignorare dubito, iſtum, q́ dicitur regis interfecti natus eſſe. Qui ſi regni Hungariæ ſceptra capiet; an putatis illũ de paterna nece maxime veſtrum per genitorem ꝓcurata non recordari? ſi vero captiuus iſte vlteriori regimine potietur: ſicq; vos id feceritis, quæ ipſa perſuadeo, veſtris in rebus ſemper finis bonus ſperabitur: & apud illum, ꝓ quo genitor veſter animã fudit, benemeriti eritis ſemper.* Audiere hæc iuuenes ipſi; & ſtupidi longa hora ſtetere diſſoluti: tandem materno de colloquio magnas inciderunt in curas. Illis igitur variis cogitationib. inde vacãtibus; mulier illa ſagax regẽ adiens Sigiſmundũ ita allocuta eſt: *Rex Sigiſmunde, ſcito tuos aduerſarios nouo de rege, deq; tua exterminatione curare. Mouerũt me lachrymæ tuæ indeſinenter tua per ora decurrentes; & fletus tuos continuos toto recepi corde: tuæq; iuuenili ætati tanta in amaritudine fluctuanti compatior. Ipſa ſum mulier, quæ ſola tua pro libertate laboro: ſed res quædã de hoc me cogitãte territat, & ſæpius retrahit. Timeo enim, ſi te liberauero, duos, quos noſti, natos meos amittere. Si tamen fideliter promiſeris, cum de nouo ſceptro potitus fueris, meo de beneficio reminiſci, ac illos & me non deſerere, quam accura-*

Digitized by Google

curatissime tua turabo de libertate. Ad hæc rex Sigismundus mox humo ad pedes illius prouolutus; expansisq; brachiis ipsius ruit pedum in amplexus: tremebũdaq; ac flebili voce, *age*, inquit, *domina & mater mea: enimuero si regnum mihi redibit; si mihi vita comes erit: siq; tibi aut filiis tuis quandocunq; obliuiscar, maiori calamitate quã præsens est mancipet: nec deus quandocunq; per amplius mihi libertatem præstet. Ecce, te in matrẽ, illos in fratres hac die adopto: fideliq; sub iuramento hæc tibi & illis seruare promitto.* Vicit post hæc mulier ista crebris persuasionibus filios, & regem ipsum emitti facientes auido suorũ aduersariorũ à spectaculo liberauit, clandestinaq; illum sub cõditione marchionatus Morauiæ fecit deducere ad horas. Sigismũdus Rex.

DE REDITV REGIS SIGISMVNDI in Hungariam.

CAPVT XI.

RVmor regiæ liberationis eiusdẽ aduersariis non paruo terrori fuit: nec modicum erga secundas eiusdem res valuit. Nam hi, eius captio quorum tędio erat; principe libertate potito, quasi graui de somno excitati de eiusdem offensoribus vindictã exigere, & regẽ ipsum altũ reducere regni Hungariæ in solium totis viribus conati, vicos pariter & agros illorum, qui aliter sentiebant, ingenti deprædatione vastabant. Inter quos erat vir ille inclemens magno austeritatis rigore tumidus Iohannes de Maroth banus. Cuius vastitatis editionem nostræ ætatis senectus nondum oblita est: econtra pars altera tum in sui protectionem, tum hostilem in offensam vires experiebatur. Feruentibus igitur vndiq; guerris, & rerum direptionibus, magna in rabie inualescentibus; rex Sigismundus tum armigeræ natalis soli gentis; tumq; partium superiorum regni Hungariæ procerum fortibus comitatus agminibus, nondum enim partes superiores ipsius regni Hungariæ illius declinauerant à fidelitate, potenter adiutus, rursus venit in Hungariam. Non enim multæ difficultatis erat, regem de nouo sceptro potiri; cum castrum Budense, & quasi cuncta regni munimina suorum fidelium præ manibus habebantur. Eisdem diebus rex Apuliæ vocantium crebris seductus pollicitationibus, vt rebus potiretur pmissis veniebat: iamq; Dalmatiæ regni venerat ad limites; cum regem Sigismundum sospitem Budæ morari, & rebus ad vota gaudere Hungaricis audiuit. Quare extemplo incepto desinens ab itinere terga vertit; & parentis petens regnum, tum paterna tumq; sua motus iniuria; ad regem Sigismundum literas scripsisse, & ipsum per easdem, vt illis, qui ipso superstite de nouo semper soliti sunt gaudere rege, condignæ retributionis munere compensaret rogatum effecisse ferunt.

DE POENIS PER SIGISMVNDVM A Stephano VVayuoda, & cæteris infidelibus exactis.

CAPVT XII.

TAnta calamitatis mole rex totiens grauatus; nõ statim suum post reditũ delinquentiũ in personas grauitatis vindicta vsus est. Solum n. illorũ auferebat prædia; & suis collocabat fidelibus. non tamẽ in ipsos sibi sæpius occurrẽtes sæuiebat: nec gratiã petentib. regiæ benignitatis clementiã subtrahebat. Enimuero hamum dulcedine simulatæ beneuolentiæ tinctum humilibus tendebat regnicolis: vt altos suæ ærumnę vitio maculatos eo facilius comprehendere posset. Dissimulabat sagax rex graues animi dolores; & inter hæc dietim numerus eius fidelium grande patiebatur augmentum. Quare rex ipse post hæc animo audacior fidelibus suis dietã vniuersalem in oppido Rewrevvsvvdvvarhel denominato in partibus Sclauoniæ habito celebrandam indixit. Illaq; constitutis diebus in magna nobiliũ tumultuositate feruente, Stephanus filius Laczk Wayuoda; duce peccato; aut regia in elemẽtia aut in agminib. armatorũ, quę secum nõminus q̃ rex aduexerat, fidẽs; illuc venit. Vna igitur dierũ cũ rex primoresq; regni & ipse Wayuoda simul eadẽ cõstituti in domo essent, ipse Stephan⁹ Wayuoda ibidẽ medios consilii inter tractatus captus pariter & decollatus est. Et cũ

fama mortis eius ad suos delata extitit; mox vindicta tumidi ruũt in arma. Et fuisset ibidem procul dubio sanguinis effusio haud modica; nisi cadauer illius alta de domo præcipitatum suis graue spectaculum ostendisset; & nisi etiam quidã ad illos tanto discrimini se subiicientes exclamasset: *desinite* inquiens *miseri, desinite perituri: en videtis extinctum gratiã cuius arma capere deberetis.* Quo facto rigor furoris illorum tepuit: & vnusquisque eorum tutas sibi partes fugibundus quæritauit. Hunc Stephanum Wayuodã præter cætera infanda sua facinora in læsam regiæ dignitatis maiestatẽ perpetrata: eadem tempestate cum rex Sigismundus post cladem sub Nicapoli receptam maritimis demorabatur in partibus tale scelus commisisse accusabant. Etenim illum ad Cæsarem Turcorum Pasaythem nuncios misisse; filiamq; illius regi Ladislao, quem inducere conabatur: ea conditione, vt illi contra regem Sigismundum adiumento fieret, iugo matrimoniali ducere spopondisse: & in huius documentum ingentia Turcorũ agmina Hungaricas in partes inter flumina Zavve & Travve situatas induxisse: grauesq; ibidem per eosdem depopulationes edidisse dicebant. Ante hæc Turci nondum Hungaricas lustrauerant terras. Iste fuit ingressus Turcorum in Hungariam primus: eo tunc illi ingentes quas cernimus in ciuitatibus Sirimiensibus edidere vastitates: quas ciuitates etiam nunc loca illarum suis orbata ædificiis non paruas fuisse testantur.

DE ELECTIONE REGIS SIGISMVNdi in regem Romanorum; & de obsidione castri Galamboc infeliciter terminata.

CAPVT XIII.

POstquam ipse Stephanus Wayuoda sui reatus nouissimas dedit pœnas, suiq; sodales alii morte, alii exilio fuerant damnati; vniuersæ in regem paratæ insidiæ vndiq; tacuere: ipse quoq; rex ab illic quieto potitus sceptro infra vitæ suę limites suo in regimine intestino tumultu turbatus est nunquã. Igitur cum tantis calamitatibus iuuenis princeps sæpius agitatus moribus & vita melioratus esset; immobiliq; sui regni dominio etiam nationibus ab extraneis fungi prospiceretur, & iam tres & viginti in Hungaria regnasset annos, in regem Romanorum electus est. Quamobrem rex tanti principatus magnanimitate motus; vi non modica armorum conflata rursus vires Turcorum tentare aggressus est; arcemq; Galambocz vocatam alta in rupe supra decursu Danubii Rasceano in agro situatam tempestate eadem illis subditam multo milite cinxit. Dimicabãt vtriq; hostes simul, & semper Sigismundanæ copiæ superiores erant: donec ille Cæsar Turcorum Chalapinus oppressione suorum propulsatus, bellico apparatu cum ingenti veniens rege hostis potentior visus est. Quapropter rex ipse post non modicam suorum vndiq; decertantium stragem campum deserens, Danubium transiit; & hostilem euasit manum. In hoc prœlio licet multi occubuerint; vir tamen ille nominatissimus Zanissa niger appellatus; virtute & armorum directione insignis ibidem cecidisse nostrum æuum nostri nõ sine turbatione animi memoratur.

DE ORIGINE HVZISTARVM.

CAPVT XIV.

NEdum res mortaliũ in heteroclisim collabuntur; verum etiam diuini cultus dispositio cedente deo interdum eclipsim patitur. Supradictorũ enim ipsius regis Sigismundi temporũ circa decursum; ingens Christiana in religione orta est dissensio, & tabes illa hæreticæ prauitatis pestifera humanas inficiens mentes auctoribus Iohanne Wykleff in Anglia, & altero Iohanne Hus in Bohemia sensim diffusa creuit. sectæ cuius imitatores maxime in Bohemia & eius partibus; cum nobis sint propinquiores, Huzistas vocamus. Hanc præter catholicæ fidei æmulã enormitatem, diebus in eisdem, quidã infandus ordo, si ordinis nomen vsurpare queat Adamitarũ vocatus, nescio quo auctore, institutus emerserat; suaq; polluta ad facinora vtriusq; sexus homines senes simul & iuuenes

Digitized by Google

 Sigismundus Rex.

uenes trahere non paruæ facultatis fuisse dicitur: maxime, vt arbitror, ex eo, quod carneæ voluptatis libidine illis vti fas erat. Hunc enim ordinem sui imitatores summum creatorē rerum circa originem instituisse; omniaq; communia fieri, & vt crescerent & multiplicarentur, præcepisse aiebant. Incedebant nudi, & speluncarum latebras inhabitabant. Postq; sacra, si sacra dicere fas est, quæ peragebant, extinctis lucernis tenebris se credebant: & seniorem suum Bohemico idiomate, *othecz* id est, suum patrem, vocabant. Illud verbū crescite & multiplicamini dicebatur, absq; discretione ætatis mutuos in amplexus: pariterq; ad explendum carnalis voluptatis desiderium ruebant. In dilatione etiā & augmentum suorum retium, diabolus quæ exhinc humano tetenderat generi, huic superstitiosæ adinuentioni tanto auxilio fuisse perhibetur; vt, dum huius cohortis senior, inter cætera prodigia, quæ faciebat, auibus altum sulcantibus aera, vel feris atris in nemoribus latitantibus, vt venirent imperabat, mox aderant: inclinataq; ceruice illum venerabantur. Volebat enim mille artifex illos, quos sui cultus voluptas non capiebat, saltem prodigiorum irretire ostentis: quod & factum est. Nam hæc perniciosa sacræ religionis subuersio paucis in diebus tantū ceperat incrementum, vt postmodum per dictos Huzistas magna vi, armorumque illatione non modica vix deuicta abolitaq; sit. Miracula haereticorum Adamitarum.

DE BELLIS SIGISMVNDI REGIS contra Huzistas actis, & combustione Iohannis Huss.

CAPVT XV.

REX vero Sigismundus, qui ex suscepti Romani regiminis officio fidem catholicam tutari tenebatur, maxime autem; quia natalem eiusdem terrā dicti Huzistæ magnam in vim conglomerati vastabant: contra suæ sectæ alienos igne & gladio atrociter dimicantes, contra eosdem armatum tum Hungaricæ, tum vero Germanicæ gentis non semel suscitauit robur: soloq; & populo hæreditario non parcens, magnas in regno Bohemiæ edebat vastitates. Non ergo illi flectebantur: sed semper quasi in nomine sanguinis Christi certaturi, pro armorum insigniis in vexillis & scutis ac clypeis; aliisq; bellicis vtensilibus imaginem calicis arte pictoria scribi facientes duce quodam Syska, homine robusto & monoculo turmatim procedebant; & in se sæuientes acrius sæuiebant. & tū in religione, tum vero rebus in humanis confusio regno in eodem erat ingens. Pugnatum est ea de causa partes inter vtrasque cum magno discrimine personarum sæpius. maxime autem cum vna dierum vterque hostis in campo non remote ad ciuitatem Vrburarum Kothumbanya vocatam conuenissent; pars non cessit sine ingenti strage parti. Diu igitur populo in vtroque ancipiti bello feruente, & multis ex vtraq; parte cadentibus; vltimatim Syska superiore; rex campum deserens, terga vertit; & simul cum suis, qui superstites erant, fugiens, hosti tum res tum animi ferocitatē reddidit. Cum igitur rex Sigismundus huius rabiem perfidiæ vi se compescere minime posse arbitratus est: vniuersalis dogmate concilii tantam suffocare pestem satagens, illam Constantiensem celeberrimam vniuersalis Christianæ religionis Synodum celebrari procurauit. Vbi præfatus Iohannes Hus, & Hieronymus discipulus eiusdem, hæresiarchæ videlicet prædicti concilio in eodem simul cum dogmatibus reprobati, dānati & ignis incendii supplicio exterminati fuere. Non ergo regno Bohemiæ in prædicto per ipsos seminatæ pestis fomes cessauit hanc nostram vsque ad ætatem. Schiska.

DE EXERCITV HVNGARORVM IN partibus Boznæ debellato.

CAPVT XVI.

MVlta & varia bella huius regis in diebus nō semper fine optato clausa strepuere. Sed quis tanti principis tot per annos regnantis æuum stylo queat

Sigismundus Rex.

A.C. M.CCCC. XV.

perstringere? Inter cætera enim bella, dominicæ incarnationis, cum quindecimus post mille quadringentos instaret annus; magna vis armorum gentis Hũgaricæ aduersus ducem Spalethi Hervvoya denominatũ mota est. Dux enim iste ante hæc regi fidelis; eisdem in diebus proteruiæ stimulo ductus, lapsus in perfidiam regno Hungariæ vim inferre conatus, ad suas partes roborandas ingentia Turcorum agmina conduxit; & partibus regni Boznensis regi subiectis ingens prædo fuit. Animauerat hunc hominem longæua regis absentia. Rex enim ipse eisdem sub annis in dicto Constantiensi concilio contra hęresim iam dictam, proq; sacrarum Romani regiminis coronarum adeptione agebat. Viri igitur in regno potentes, quibus regia de commissione id curæ erat nouarũ rerũ strepitu pulsati; Iohannem de Gara, alterum Iohannem de Maroth; Paulum Chvvpor de Monozlo banos; cæteros etiam quam plures viros præstantiores duces sui exercitus efficientes robur Hungaricum satis grande, in regnum Boznense contra illum misere. Ille vero ex aduerso tum sua tumq; conducta gente munitus illis campo se opposuit. Collatis igitur signis bellicis, & tubarum vocibus vtraq; ex parte magno clangoris insonitu taratantarizantibus, vterq; hostis mutuam in ruinam sitibundus bellum ingreditur: & in magna virtute lacertorum viribus prœliatur totis. clamor ingens exuberat; franguntur lanceæ, & in earũ fractione multi deiiciuntur ab equis, cadunt hincinde cadauera mortuorum parte ex vtraq;. Sed quis Boznensium astutiæ se præferre valet? Cum Hungarorum vires illorum potentiæ eo in certamine multo superiores cernerentur; mox illi montium per culmina, qui ex eis ad id constituti erant, stantes, ita docti, Hungaros fugere proclamabant. Hæc vox magnam Hungaris edidit confusionem. Nam cum prœlio viriliter insisterent, hoc rumore audito, partẽ ipsorum fugæ datam arbitrati, campũ deserentes terga verterunt. propter quod & magnam stragem & hostibus prædam ibidem dedere. Nec duces ipsi tanti periculi expertes fuerunt: quin alii ibidem capti, alii perempti. Iohannes enim de Gara captus, & dire vinculatus, post multos suæ captiuitatis dies libertate potitus, pondus ferramentorum ingens, quibus vinctus erat; in monasterio de Batha ad gloriam preciosissimi sanguinis domini redemptoris nostri, pro illius, quod ibidem vouerat, redemptione voti futuram ad memoriam reliquit. Iohãnes vero de Maroth pro sui libertate inimico magnam auri summam fudit. Et quid de Paulo Chvvpor bano dicendum est? qui bouinam crudam in pellem insutus vlteriorem duce ab ipso vitã non meruit. Nam cum perfidiã ante hanc dux ipse Hervvoya regi Sigismundo obedientiæ iunctus officio eiusdem curiã frequentaret: & tum vita tumq; regimine morũ brutalis cerneretur; ipse Paulus banus illum ludibrio habens, dum illi obuius fiebat, dissolutus in derisum mugitu bouino pro salutationis veneratione dignitatem illius deturpabat. Sic & ipse dux Hervvoya, cum idem Paulus banus ab ipso vestimento dictæ pellis bouinæ honoratus fuisset, aiebat: Qui in forma humana voce bouis instar vtebaris; vtere iam & forma & voce eiusdem.

DE BELLO PER STEPHANVM BANVM de Losoncz in partibus Transalpinis commisso.

CAPVT XVII.

EST etiam pugnatum huius regis in diebus, Transalpinis in partibus pluries semper illius gentis requirente rebellione. maxime tamen prœlium illud quod duce viro magnifico Stephano de Losoncz bano partibus in eisdem cõmissum est, quamuis tristem habuerit finem; viuaci tamen memoria dignum. Erant enim diebus in illis terra in hac duo principes, alter Daan, alter Merche: ambo eodem sanguine nati: qui paritate confusa singulari vti dominio laborabant. Et cum Daan suas partes debilitari agnouit, princeps Turcorum quæsiuit subsidium, & illo potitus partem alteram coegit in fugam. Merche vero cum vires suas ad arcendum extraneum hostẽ debiles sensit, regis Sigismundi petiuit auxilium.

In hu-

In huius igitur succursum Stephanus de Losöncz banus multis armatorum cum agminibus per regem missus extitit. Qui tandem cruento commisso bello, dum hosti impar esset; post multam partis vtriusq; stragem capitis sui damno vitæ pariter & bello ibidem finem dedit. Nam post casum ducis dicti in fugam versi magnam inimicis rerum & personarum prædam dedere. Huius belli exitum ingens subsecutum est miraculum. Enimuero, cum post hanc cladem duo vel citra præterissent anni; & quidam visendorum ossium interfectorum gratia in huius campum certaminis accessissent: dumq; mirabundi innumeras hominum pariter & iumentorũ ibidem occisorum admirarentur costas: euestigio vocem quasi humanam, tenuem pariter & difficilem audierunt. Attoniti igitur huc atq; illuc respiciunt, neminẽ tamen vident: quare se phantasmate ludi arbitrantur. nec minus pauore perculsi diu stetere. Et cum vocem illam continuari interque rumores, quos audiebant, nomen cæleste domini nostri Iesu Christi, & eius genitricis gloriosissimæ Mariæ crebrius recitari aduerterunt; in animum reuersi, inquirentes quidnam hoc miraculi esset; vlterius processerũt. Tandem humana tabe spoliata ossa natis circumquaq; virentibus herbis intorta solum caput integrum inuenerunt. O cęli regina gloriosissima tuum quo laudum præconio sanctum magnificemus nomen? quas tibi gratiarum referamus actiones? qua te veneremur gloria? dum cunctæ tuas in laudes humanæ sufficiant vires minime. Ille tuis cesset à laudibus, tuo sancto qui nomine inuocato tuam non sensit beneuolentiam. tua enim petens suffragia, & ad tua sancta confugiens præsidia; à te derelictus est nemo. Magno nobis exemplo est virgo sacrata, hoc ingens quod homine in hoc nobis ostendisti miraculum. Nam cum totum corpus exanimatum tabidumq;, solum caput viuere & linguã loqui cõspexerunt, stupidi ingenti capiuntur admiratione, tantos quod per dies æstatis feruidus ardor, hyemisq; austerus rigor, ac inedia & sitis, totius corporis cõsumpta carne solum caput reseruauere. Admirantibus igitur illis; *quid admiramini*, inquit, *creatura dei & Christianus sum, qui si Christiani estis illius pro nomine propter vos in cruce qui mortuus est, quærite mihi sacerdotem vt confitear.* Interrogatus tandẽ: quomodo namq; illos vsq; ad dies vixisset, respondit: *Gloriosissima virgo Maria me fouit; pariterq; vt sine perceptione ecclesiasticorum sacramentorum non decederem, me vestrum vsq; aduentum conseruauit; & nisi confitear, mori nequeo.* Interrogatus rursus: *qua te ratione ipsa virgo gloriosa tanto prosequitur beneficio?* respondit. *Vigilias septẽ festiuitatũ illius semper in pane & aqua ieiunaui; & illius festiuitates summa cũ deuotione celebraui: vitæq; & mortis omnis spes ipsa mihi fuit.* Accersito tandẽ sacerdote & cõfessione, cęterisq; quę subsequi debebãt pactis, dissolut⁹ quieuit in pace.

DE BELLIS NICOLAI PETHERSII bina vice gestis.

CAPVT XVIII.

MVltoties æuo eodem gens Turcorum quietis impatiens, & continuæ sitibunda rapinæ partes Çisdanubiales, & terrã nostro vocabulo Themeskez appellatam, violentis irruptionibus tristauit. Quos vir strenuus, magna aggredi audax, Nicolaus filius Petri de Macedonia, amicorum auxilio & milite aggregario adiutus, binis profligauit vicibus; spolia tulit, & hostem in fugã pariterq; & in prædam conuertit. Cum enim eadem tempestate Mahumetes primus, Cæsar autem Turcorum quintus, defunctis fratribus vna secum ex quondam supradicto Pasaythe alias similiter Cæsare Turcorum generatis regnum adeptus; illud terra mariq; adauxisset, & quandam partem Mœsiæ, quam nos superiorem Boznam, vel vulgo vocabulo Werhbozanyã vocamus, suo subdidisset dominio; placuit illi, vt nouum terra in hac regem crearet. Igitur quendã tum parui census, tum humilis ortus pariter & famæ hominem Ikach vocatum regem Boznensem denominauit. Iste noui gloria nominis seductus, vim, quam potuit, sibi commissæ gentis omnem mouit, & partes prædictas prædabundus inuasit. Fumantibus igitur vndiq; prædiis, & præ timore cunctis terræ illius ho-

minibus, euadendi facultas, quorum erat fugientibus: Nicolaus filius Petri supradictus, non æqualis milite ad hostem militari ductus temeritate, illi hostis fuit. Commisso enim prœlio cum anceps certamen ferueret; & illi medios inter bellantes rex Ikach obuius fuisset; ille eo cognito, mox equi sui in illum vertit habenas, & illum lancea sua tam viriliter aggressus est, vt rex Ikach ex impulsu lanceæ eiusdem non obstantibus fidelibus armis suis grauiter vulneratus præceps corruerit ab equo. Non pepercit iratus miles homini prostrato; sed descē-dens de equo, pectori illius armatum impegit pedem; & victi non curatis precibus illum ense nudo iugulauit. Quo viso, cohors, quam ipse Ikach conduxerat, vniuersa in fugam conuersa est.

Ipse vero Nicons filius Petri simul cum suis præda locuples rediit; & regi Sigismundo in signum victorię banderia siue vexilla hostis hostemque captum haud modicum misit. Pugnauit & altera vice cum Turcis confinia in prædicta irrumpentibus miles iste. Et cum ad conterendum hostem viro pariter & armis illi impar esset, noctem sibi auxiliari arbitratus, militem, quem potuit, congregauit. Addidit insuper homo sagax militiæ equarum cæterorumq; in agro depascentium iumentorum vagabundos greges, vnicuique gregi tum tympanistas, tum fistulatores, & præterea homines, qui clamores ederent præponendo. Tali adiutus præsidio in hostem hospitio campestrali, nocturnæq; quieti datum irruit: turbauitq; & afflixit, ac fugæ præcipiti dedit: victoriaq; pariter & solenni potitus præda, suæ conditionis inter nobiles nostras vsq; ad dies memorabilis, nomen optimum nactus est in æuum. Dixere quidam, quod hoc in certamine miles prænotatus suæ gentis pro cognitione, ne nocturnis obumbrati tenebris sui milites alter feriret alterum, vocabula, *Isten, Zenthmyhal* belli feruente atrocitate præcepisset clamanda; Cumq; pugna eiusdem noctis sub obscuritate ferueret, & hostis hostem minus agnosceret, Turci hoc vocabulum vel apud deum vel erga hostes sibiipsis non minus auxilio esse cogitantes, cum acriter ab hoste persequerentur, ingenti cum clamore omisso vocabulo *isten* solum *mihal* clamitassent.

Victores fiunt Hungari per Stratagema

DE CORONATIONE REGIS SIGISmundi in regem Bohemiæ.

CAPVT XIX.

A.C. M.CCCC. XX.

REx Sigismundus quatuor & triginta annos regni Hungarię principatus gloria fretus, M. CCCC. XX. dominicæ incarnationis anno regni Bohemiæ in regem coronatus est. Hos enim ante annos post sublationem Weceslai fratris sui, ipse rex Sigismundus regno in eodem non regio sed gubernatoris nomine fungebatur. Iste rex non solum humilis domus nobiles; verum etiam plebeiæ conditionis homines altę dignitatis ad culmen quam plures sublimauit, suoque in regno potentes fecit. Domus enim dominorum de Palocz & de Rozgon: ac quondam domini Michaelis Orzaagh palatini, de quo superius mentionem me fecisse recordor, ipso rege auctore amplam deuenere agrorum ad possessionem, superstites quorum nunc in regno alto magnificentiæ titulo gaudent. Comes vero Pipo de Ozora nullo sui sanguinis hærede superstite defunctus, & Mathkobanus cum suis fratribus Frankone, Perkone & Zowano: posteri quorum paternis in rebus nunc haud magnam habent portionem, Ragusiani fuerunt. Qui licet vrbani status fuerint, magnam tamen huius regis beneuolētiam habuerunt; auriq; & agri possessione opulenti, quoad vixerunt potentes in regno fuere. Mediæ autem eminentiæ nobiles, quos rex iste aut ex rure aut obscuro nobilitatis ex tugurio sustulit, mihi connumerare haud promptum est: legentibus quoque tædii fastidium, cum ad has res nullius sint importantiæ, generare arbitror.

Bohemi n' omnes ex alto sanguine

DE

DE HIS, QVI REGIS SIGISMVNDI *frequentauerunt curiam; & quomodo Dezpotus castrum Nandoralbense eidem cesserit.*

CAPVT XX.

CVria principis huius magna nobilium claritate illam frequentantium refulsit; ingentiq; aduenarum inundatione semper gloriosa fuit: multi Germaniæ & Italiæ proceres hanc frequentauere. Nec minus regis Portugalliæ natus, multo sui regni nobile cinctus, occiduis terræ de finibus pro tanti veneratione principis veniens; curiæ regis huius honori fuit. Eum, tum, quod instante hyemis diro rigore Danubium congelatum vidisset admiratum extitisse: & genitori suo maiori pro miraculo, quod vnquam peregrinarum partium in lustratione vidisset, nunciasse ferunt Sigismundo regi. Illustris princeps Georgius Rasciæ Dezpotus summa obedientia fuit, castrumque Nandoralbense inter concursus potentium amnium Danubii & Zaui situatum: quod abolito æuo Taurinum; nostros autem per seniores Alba Bulgarica vocatum extitisse perhibetur, suos per prædecessores & ipsum illa vsq; ad tempora inhabitatum, domini M. CCCC. XXV. circa annum mere fidelitatis pro obside eidē cessit. Hoc castrum postea rebus Turcorum inualescentibus, agro Hungarico, vt infra stylo tangetur breui, haud paruæ vtilitatis fuit. Rex vero Sigismundus illi propter hoc non minoris munificentiā largitatis exhibuit. Nam in regno suo Hungariæ castra Zalamkemē, Kevvlpen, Bechey, Wylagosvvar, Thokay, Mvvkach, Thalya, Regeg, ac opida Zathmar, Bezermen, Debreczen, Thur, Warsan, & alia nonnulla; in ciuitateq; Budensi domum egregiam illius dignitati sufficientem pro descensu & hospitio eidem donauit. Is etiam regalem frequentabat curiā; & apud regem apudq; Hungaricos gratus habebatur.

A.C. M.CCCC. XXV.

DE VASTITATIBVS PER BLASkonem editis.

CAPVT XXI.

REx Sigismundus sanctam matrem ecclesiam tum armis tristatam, tum vero ingentibus schismatis & hæresis procellis, & turbinibus agitatam, crebris vicibus consolatus est; ruentemque erexit; & pro illa suos sæpius thesauros suorumque sanguinem simul & animam fudit. Tandem cum ætas sua longas sibi moras promittere videretur minime; ne morte pręuentus imperialis nominis honore frustraretur: illa in toto orbe terrarum nominatissima Romani regni diademata; imperialisq; dignitatis infulas suscipere satagens: dispositis in regno ex viris præstantioribus pro eiusdem tutela custodibus; versus vrbem Romanā suorum flexit habenas equorum. Sed hi custodes regnum Hungariæ sui præsentia principis orbatum haud bene protexere. Nam M. CCCC. XXXI. salutis anno ipso rege peregrinis in regnis res suas dirigente; quidam Blasko exigui tum census, tum nominis ex collectiuo milite, Hungarico videlicet & Bohemico; quorum præda animi erat: ingenti manu conflata: primum opidum Ternauiæ turribus altis muro coctili iunctis cinctum: ciuibus eiusdem nocturna quiete soporantibus vi clandestina subintrauit: potitusque munitione arma auxit: & quasi turbo vehementissimus in partes regni superiores: quas nos terram Matthiæ vocamus, se ingerens, rebus etiam diuinis aut sexui vel ætati parcens minime vsq; ad Danubium igne & gladio omnia vastauit, rapaciq; exposuit prædæ; & altius fecisset, nisi custodes prædicti vniuersa regni Hungariæ cōgregata nobilium multitudine illius voracem appetitum compescuissent; & illum suis in rebus, quas aggressus erat, quoddam silentium pacis sub imagine tenere coegissent.

A.C. M.CCCC. XXXI.

DE RVSTICIS REGIBVS IN regno subortis.

CAPVT XXII.

HOS ante annos in regno Hungariæ duo rusticana bella autoribus quibusdam rusticis, altero Anthonio, altero vero Martino vocatis; non tamẽ vno eodemq; tempore strepuere. Horum vnus puta Anthonius in Transsiluanis regni partibus, alter autem, videlicet Martinus, in terra Nyr & Zamoskevvz magna rusticorum vi collecta; & nomine regio sibi vsurpato; ac vexillis eleuatis ingentibus; velut inundatio quædam erumpentes viribus & regnum ipsis subiicere satagentes, huc & illuc ferebantur; nobilesq; vniuersos sibi occurrentes 10 interficiebant: ad villas vero & oppida, vt illis adhærerent nuncios cum sanguinolentis gladiis mittebant; nolentes vero inclinari, prædæ pariter & morti exponebant: & in tantum rusticana hæc potentia creuerat; quod & armati illos aggredi pauitabant. Tandem multa procerum expeditione contriti & debellati sunt: pœnasq; condignas dedere. Nam regibus ipsis morte mulctatis; cęterorum, qui euadere nequibant, alios oculis, alios naso & labiis, alios vero manibus damnificauere.

QVOMODO REX SIGISMVNDVS PRImum in regem, tandem in Imperatorem Romanorum feliciter 20 extiterit coronatus.

CAPVT XXIII.

INter hæc rex Sigismundus partibus Tusciæ & Lombardiæ perlustratis; in ciuitate Mediolanensi secunda Romani regiminis corona; cum primam ante hæc in Aquisgrano suscepisset, per principes & electores eiusdem dignitatis extitit coronatus. Deinde continuato itinere Romanam venit ad vrbem: vbi sacrarum imperialis fastus infularum honore, veneranda tanti principis canicies per sanctissimum in Christo patrem dominum Eugenium papam IV. ingenti cum solennitate laudabiliter extitit adornata. Propter quod ipse rex Sigismundus iam non solum rex aut imperator; sed rex & imperator à suis vocari dignatus est. 30 Reuersus post hæc per Italiam & Germaniam, & rebus tam Romanę ecclesiæ quam suis sibi occurrentibus discretionis moderamine ad votum compositis, venit in Hungariam: quæ suam propter absentiam multis iniuriis vndique lacessita; & in suæ quietis statu grauibus affecta erat procerum discordiis. Figens igitur in ciuitate Posoniensi residentiam; & ad illum regni sui Hungarię principibus & proceribus quasi totum regnum repræsentantibus pro visenda noua domini ipsorum dignitate confluentibus; omnem impetum & turbinem discordiarum, quibus regnum suum sua regali absentia viduatũ & interim agitatum extitit, sagaciter complanauit: & insuper pro euellẽdis radicitus amplioribus regnicolarum discordiis; proq; pace illorum stabilienda, nouas in regno 40 constitutiones, nouasq; leges, sui priuilegii patrocinio mediante perpetuo seruandas, statuit & roborauit.

DE OBITV IMPERATORIS SIGISMVNDI.

CAPVT XXIV.

QVia regnum Bohemiæ principe remoto non minoribus guerrarum ardebat incendiis; maxime, quia Huzistæ Christiano rebelles regi catholicam fidẽ subuertere satagentes; res pariter & sanguinẽ secũ dissentientiũ sitiebãt; & cũ illis vis simul & habilitas cõueniebant: nõ tantã Christian⁹ in paganũ, quantã ipsi Huzistę in Christianos sæuitiã exercebant. Mouit igitur Christianũ princi- 50 pẽ natalis regni discordia; nec illũ suæ ætatis grauitas detinuit. Quoniã arrepto versus Bohemiã itinere, vt illis pacẽ conderet, disceptanteq; populi fidẽ vniret; Pragensem vrbẽ intrauit. Dũ igitur senex princeps ætate curisq; pariter & paralysis infirmitate laboraret; magna infirmitatis grauitate occupatur: suãq; senilẽ ætatem extremos suæ vitæ ad limites appropinquare sui corporis ex debilitate agnos-

Digitized by Google

ignoscens; Hungarorum potioribus, quæ illum comitabantur, clam ad se vocatis illos ita affatus est: *Chari mihi filii; summum rerum conditorem meæ vitæ de diebus, vt ipsemet corporis sentio ex debilitate, contentasse arbitror: sicq; hic morte præuentus fuero: timeo ne Bohemi, qui me & vos semper odio habuere in vos irruant; vosq; & vestras res rapaci prædæ exponant. Sed qui hucusq; vos dilexi; vt & nunc me vos intime diligere sciatis; maximam propter vos incidi in curam: ita vt & languoribus, quibus perurgeor, & cæteris rebus omissis solum vestrâ de libertate die noctuq; curem. Quandã igitur vestræ salutis viam inueni, per quam vos vestris laribus incolumes me reddere posse cogito. Cras enim barbâ & crinibus meis coadunatis caniciem capitis mei crinali adornate: locantesq; me imperiali in sede, simulq; in feretro me ponite; & mediam per ciuitatem vnamecum transeuntes, me & vos è medio illorum, qui vestrum sitiunt sanguinẽ educite*: pariterq; post verba imperialibus è luminibus madidæ obortæ lachrymæ suas defluxere vsq; ad maxillas. Placuit Hungaris imperialis beneuola persuasio. Quamobrem subsequentis noctis tenebris, quæ stellas reddit clariores, per solis ortum fugatis; altisq; palatiorum cacuminibus Titaneo radianti perfusis lumine; Hungari vniuersis ad viam necessariis præparatis omnia iuxta imperatoris consilium fecerunt. Et cum senex princeps veneranda canicie tumq; florido adornatus crinali mediam per ciuitatem ferebatur, vndiq; sexus vtriusq; iuuenum seniumque fit concursus: & lachrymantibus intuentes eum luminibus, quasi illum amplius non visuri; genuum curuatione pariterq; & iocundo salutationis oraculo eum venerabantur. Ille circumquaque oculis intuitu depastis eisdem imperialis tantummodo capitis inclinatione respondebat. Egressus igitur Pragensi de ciuitate optatam venire ad patriam nequiuit: sed in Znoymam ciuitatem Morauię delatus, domini M. CCCC. XXXVII. anno, in festo cõceptionis gloriosissimæ virginis Mariæ; ætatis suæ septuagesimo; regnorum autẽ suorum Hungariæ quinquagesimo primo: Romanorũ septimo & vigesimo: Bohemiæ decimoseptimo; imperii verò anno quinto, diem obiit. Qui postmodũ suorum non sine vberrimo fletu in Hungariam portatus; & in ecclesia Waradiensi honorifice suorum prædecessorum ad instar traditus est sepulturæ. Fuit imperator Sigismundus homo in sui vultus qualitate & personæ quantitate satis idoneus; pulchra facie; crinibus crispis & glaucis, ac sereno intuitu à summo rerum conditore adornatus. Hic in fauorem Hungarorum quondam longas barbas deferentium prolixam barbam deferebat.

A.C. M.CCCC. XXXVII.

DE CORONATIONE ALBERTI REGIS, & præda in ciuitate Budensi facta.

CAPVT XXV.

Liquerat imperator Sigismundus regni pro hærede vnicam tantum natã Elizabeth denominatã; quã ex illustri regina Barbara, nata quondã spectabilis Hermanni comitis Ciliæ, secunda scilicet consorte sua genuerat. Hanc ipse imperator Alberto duci Austriæ adhuc in humanis agens hac sub conditione, vt sibi gener pariter & filia in regno succederent, ritu Christiano legitima ꝓ consorte locauerat. Et cum hæc dispositio populo Hungarico displiceret minime, imperatore tumulato, ipse dux Albertus mox introductus est; primaq; noui tũc subsequentis die anni, dominicæ scilicet circumcisionis celebri in festo, domini autem M. CCCC. XXXVIII. anno: eadem, qua primi reges Hungariæ gloriæ cum pompa feliciter extitit coronatus. Huius regis primo anno Budensi in ciuitate ingens exortum fuit disturbium. Cum enim ipsa ciuitas ex bino populo; Hungarico scilicet & Theutonico habeat incolatum: Theutoni sui idiomatis principe tumidi Hungaros omnino suæ ditioni subdere, & illam consuetudinem ciuitate in eadem ab olim obseruatam, quod videlicet altero annorum Hungarus, altero verò Theutonus in iudicem præficeretur, abolere satagentes: interdum cum illis tempus idoneum præstabatur, Hungaros tum opprobrio, tum vero vi afficiebant. Hungari verò, qui ab antiquis in sui vindictã tarde moueri; sed aliquando tarditatem vindictæ potestatis turbinis ad instar satisfactio-

A.C. M.CCCC. XXXVIII.

Digitized by Google

nis grauitatem in sui offensores exercere solent: omnia, velut quodã graui somno occupati dissimulabant: quidnam insulsa Theutonorum pareret præsumptio expectantes. Erat tunc ciuitate in eadem Hungarus quidam, IOHANNES EVVTHVVEVVS denominatus, homo præstantiæ non paruæ; nec vltimus in ciuitate: qui solus totius Hungaricæ plebis opprobrium præter omnes grauiter ferebat: & quantum in illo erat, Hungarorum ciuium honorem voce & vi tutabatur. Cum igitur in oculis Theutonicorum admodum grauis haberetur: Theutoni opportunitate potiti, illum furtim captiuarunt; & captum domus eorum in penetralibus diuersis tormentorum generibus affecerunt; tandem nimiam tormentorum per torturam mortuum alligato illius collo ingentis lapidis mole in Danubium illum demerserunt. Tacuit hoc enorme scelus octauũ infra diem: donec scilicet cadauer illius pondere solutum lapidis aqua suis exposuit ripis. Inuentum igitur corpus exanimatum & multum suæ calamitatis exhibens cicatrices credibile de suis testimonium præbuit interfectoribus. Eadem tempestate curia regis multo feruebat nobile. Quapropter Hungari hoc enormi scelere viso, frementes, vnanimiter ingenti clamore cõcrepuerunt. magnoq; furoris cum impetu in sui vindictam in ciuitatem irruentes, dum interfectores illius reperire nequeunt, illorum ingerunt se in palatia, & testudinum ferrata confringentes ostia: thesauros Theutonorum rapaci exponebant prædæ. Erat diebus in eisdem Budensi in ciuitate frater quidam nomine Iacobus; homo deuotus & religionis perfectæ: natione Italicus: ordinis sancti Francisci: quem Hungari prædicationis in doctrina haud parum sequebantur. Hic ingẽtibus excitatus clamoribus; cũ eidem facti innotuit series: arrepta diuina crucifixi imagine medius nudus pedib. inter Hungaros cursitabat. & Christi imaginem illis ostendens, ac illos, vt ab inceptis pro illo, qui pro eis ita crucifixus esset, desisterent: voce querulosa pariter & lamentabili rogabat. Illi eo magis clamoribus inualescentes dicebãt: *deus etiam nobiscum est*. Direptioniq; rerum dediti de illius precibus curabant minime. Et cum frater ille nil proficere: sed magis tumultum se facere agnouit; in claustrũ sancti Iohannis Euangelistæ, vnde exierat, reintrauit. Hũgari vero tali à Theutonis scelerati illorũ facinoris exacta talione; cum amplius res eorũ inuenire non valuerunt, à direptione earundem cessauerunt.

DE EXERCITVALI EXPEDITIONE regis Alberti contra Huzistas.

CAPVT XXVI.

REx Albertus imperatore vita functo, illi hõ solũ in regimine successit Hũgarico; verum etiã post impositã in Hungaria sibi coronã mox in regẽ Romanorũ & Bohemiæ electus est. Cũ igitur post imperatoris sublationẽ in regno Bohemiæ Huzistas eo acrius in catholicos sæuire audiuit: ingentẽ Hungari & Almani populi cõtra illos mouit expeditionẽ. Illi autẽ, licet & Polonicales man⁹ habuerint in auxiliũ; tamẽ cum cãpestrẽ regis expeditionẽ ipsorũ vires paritate potentiaq; eminere aduerterẽt; intra mœnia ciuitatis Thabor denominatæ se receperunt. Est enĩ ciuitas hæc in Bohemia caput & nutrix Huzistarũ: per ipsos dudũ nouella adhuc illorũ crescente superstitione, cãpestralibus eorũ ex castris noua murorũ ædificatione in loco naturaliter forti cõdita. Iuxta quã rex sua cãpestralia fixit castra. Illi autẽ sæpius de ciuitate; regius vero exercitus de castris erũpentes vicissim graui morte laborabant. Cõpleuit hæc dimicatio mẽses tres. Interim autẽ vtraq; de parte tũ mutuo in cõflictu: tũ vero excussione machinarũ necati fuere plurimi. Et cũ rex Albertus solã famẽ hosti inimicã aduertit: tãto populo escam demere, & vias opem victualium ferentes illis se recludere non posse arbitratus: dissolutis castris hosti cessit: nobilisq; illa expeditio illustrium ducum, comitum, aliorumq; potentum nobilium in euertendam Huzistarum vim & prauitatem conflata: viroque & armis admodum potens dissoluta ipsis Huzistis locum cessit: animumq; & spem maiorem, quam prius erat, dedit.

 Albertus Rex,

DE EXPEDITIONE REGIS ALBERTI IN *Tydevvevv consummata, & obitu eiusdem.*

CAPVT XXXVII.

POST hæc anno regis Alberti secundo ingens exuberauit fama, quod Amrates Turcorum Cæsar magnam suæ gentis vim mouisset; regnumq; Hungariæ inuadere conaretur, propter quod rex Albertus sui regni procerum celebrata congregatione vna cum eisdem conclusit; hostem non debere spectare regni ad penetralia; sed esse illi in forti brachio obuiandum. Cõmota igitur totius regni Hungariæ militari virtute; magnũ congregauit exercitum, & in loco vulgari appellatione Tyddewrew vocato sua tentoria locauit. Cæsar vero Turcorum regem in regni defensionem sufficientibus militum armorumue præsidiis gaudere audiẽs: expugnato castro Zendrevv, & omni pæne Rascianæ agro suæ potẽtiæ subiecto, Dezpotoq; regni eiusdem domino in Hungariã profugato; frameã & omne suum robur in Græcos conuertit, ac illam amplissimã Thessalonicẽsem egregiã Græciæ ciuitatem, antiquitate, opibus ac populi celebritate: & præstantia dignitateq; ciuium insignẽ & nominatissimã, vi cepit & expugnatã penitus diripuit. Deinde Epirum & Ætoliam prouincias nõ obscuras aggressus est; easq; in deditionem recepit, & reliquo regno addidit. Hungari vero ex longa cãpestralis hospitii mora tædio affecti; maxime cum multi ex illis sanguinis fluxu grauarentur; lupo iuxta antiquam ipsorum cõsuetudinem proclamato: inuito rege sparsim & confuse relictis regiis castris recedentes, abierunt. Rex autẽ Albertus veniens ad Budam infirmitate præuentus est. Et cũ in animo Wiennam intrare haberet; suæ minime parcens debilitati versus Austriã continuabat iter. Tandem cum in villam Nesmel in festo beatorum Simonis & Iudæ apostolorũ descendisset; inualescẽte ægritudine; postquã annum 1. & menses 9. diesq; 28. in Hungaria regnasset; M.CCCC.XXXIX. domini anno ibidem villa in eadem vita functus; in ecclesia Albæ regalis suorum prædecessorum ad instar, vltimo sepulchri honore regali in pompa extitit tumulatus. Erat rex Albertus homo competentis proceritatis; faciei plus ad nigredinem quam albedinem tendentis, mitium morum, & petitioni suorum flexibilis. *A. C. M.CCCC. XXXIX.*

DE INTRODVCTIONE REGIS VLADISLAI; *& rebus inter ipsum & reginam Elizabeth actis.*

CAPVT XXXVIII.

DEfuncto rege Alberto, regina Elizabeth, prægnanti vtero ab illo relicta, de se, deq; regno cogitans; vt viduarũ moris est, mœstos ducebat dies. Abundabat tunc in regno magnatũ copia humanitate præclara, virtuteq; tum cõsilii, tum militiæ præfulgida. Ad hos regina de futuro rege solicitos, ita verba fecit: *Domini & fratres, de rebus regni vobis non minus quã mihi cogitare incumbit. Ipsa sum, vt nostis hæres regni. non ergo ad dirigendas regni habenas meam sufficere arbitror virtutem. Si ad prolem ex me nascendam expectatis; feminea in quãtum experiri valet natura, filiam magis quam filiũ me parturire arbitror. Quærite igitur vobis principẽ, qui ad portandas tanti regni curas femina magis idoneus sit. nec minus mei genitoris beneficia præ corde præque oculis ferentes, me in regno illius, è quo genita sum, expertẽ ne faciatis.* Et his dictis post emissa suspiria lachrymantia simul lumina tersit. Hæc reginæ oratio ingentẽ multos per annos in Hũgaria ardentẽ facẽ peperit. Nã magnates ipsi ex his reginæ verbis quadã leuitate cõsilii ducti; de nouo rege introducẽdo vnanimi voto cõtulerũt. Erat tũc in regno Poloniæ princeps quidã iuuenis nomine Vladislaus, magnus dux Lithvvaniæ: frater regis Kazymerii. Huius morũ peroptime virtutes dum in Hungaria cõmendantur; placuit ille cœtui magnatũ vniuerso. Cõuentũ est igitur de illo, vt introduceretur & regnaret. Quapropter viri in regno potentes famaq; honesti; episcopus Tininiensis ac Mathko Dalmatiæ, Croatiæ & totius Sclauoniæ banus, Emericus filius Wayuodæ de Marchali; & Ladislaus de Palocz: pro deferendo ad illum comitatis voto, proque illo introducẽdo electi pariter & destinati fuere.

Digitized by Google

Hi nondum ducem ad prædictum ipsorum legationis detulerãt officium, cũ reginales per nuncios reginã filium peperisse nunciantes præuenti: paríterq; ne erga ducẽ suscepta vterentur legatione, ꝓhibiti sũt. Illi autẽ quia Cracouiẽsis ciuitatis erant intra muros, regiq; Kazymirio & fratri illius duci Vladislao, pro cuius rebus agebatur, illorũ manifesta erat itineratio, absq; executione ipsis cõmissi negocii reuerti haud audebant. Postquã autem ad eundẽ ducem ipsorum vsi sunt officio; mox iuuenis princeps ambitione regnãdi captus est. nec differt, quin statim præparatis viæ necessariis: adunataque sibi Polonicalis militiæ decenti comitiua venit in Hungariã. Cui primores regni Hungariæ, quorũ de nouo principe gaudere cordi erat, multis regnicolarũ cum agminibus obuiam venere. Eisdem in diebus Laurentius de Hedervvara palatinus, antiqua regni de consuetudine Budense castrum conseruabat. qui venienti nouo principi non minus obuiam exiuit; portisque castri eiusdem vltro patefactis, illum regalia alta ad atria, velut regem Hungariæ introduxit.

DE NATIVITATE ET CORONATIONE *pueri Ladislai, & de asportatione coronæ.*

CAPVT XXIX.

A.C. M.CCCC. XL.

VOluebatur M.CCCC.XL. dominicæ incarnationis annus; & celebre festũ Pentecostes instabat: cum rex Vladislaus Budensem ad arcem introductus est. Non ergo regina Elizabeth, quæ his currentibus filium genuerat, ea, quæ suam ad partem pertinebant, dirigere negligebat. Multi enim magnatum, quorum in pectoribus imperatoris Sigismundi nondum tepuerant beneficiorum recordia reginam sequebantur: & res noui regis displicebant illis omnino. Quapropter regina Elizabeth sua baronũ cum parte Albam regalẽ petiit; filiolumq; suũ nomine Ladislaum, qui nondũ quatuor suæ ætatis menses cõpleuerat, multis tonantẽ vagitibus in regẽ fecit inungi pariter & coronari. Cantabat clerus cõsuetas laudes; & regina assiduas fundebat lachrymas, nec minus baronũ cœtus illi assistens, reginales fletus visceribus cõpassionis recipiens lachrymabatur. Interfuit huius infantuli intẽporaneæ coronationi vir præclarus dominus Dionysius de Zeech cardinalis & archiepiscopus Strigoniensis. qui & puerulũ ipsum suæ dignitatis officio exigẽte inunxit; ac illi sacrum diadema imposuit. Erant etiã ibidem Matthias Wesprimiensis, & Benedictus Iauriensis ecclesiarũ episcopi. Vlricus comes Ciliæ: & idem proximus reginę affuit. qui pro puero coronato ad instar aliorũ regum Hũgariæ tempore coronationis pro obseruãda suę plebis libertate sacramentũ præstantium reale præstitit iuramentũ. Necnõ & Nicola' de Wylak & Ladislaus de Gara bani, Machovviẽs. Andreas Bothos de eadẽ Gara, Ladislaus & Hẽricus filii quondã Iohannis Wayuodæ de Thamasy, ac Thomas de Zech: aliis cũ pluribus regni nobilibus tanti spectaculi pro videnda gloria proq; obseruãda reginæ & infantulo regi fidelitate affuere. Postquam igitur talis coronationis peracta est solennitas; regina Elizabeth arcem ad Wyssegradam, claues & conseruatio cuius tunc dicto Ladislao de Gara bano credita erant; pro reponẽda suo in loco regali corona iter suum direxit. Est enim castrum hoc natura loci tutum: altoq; in monte secus decursum Danubii, delectabiliq; aspectu digna murorum arte erectum: superioribus mœnibus liquidum aerem errantesq; sub cælo nubes: infima vero munitione decursus dicti fluminis tangens. ea propter veteres quondam Hungariæ reges hanc arcem coronæ tuta pro conseruatione elegere. Ad hãc arcem postquam regina intrauit; in repositione ipsius coronæ barones sibi circumstantes fefellit. Simulauit enim se illam suum in locum reponere; feminea tamen quadam astutia eandem surripiens erga se occultauit; & per barones ipsos antiqua tanti thesauri conseruatoria suis vacua conseruare solitis rebus sigillare fecit. Diuertit tandem regina ac hinc simul cum filio & corona ad Fridericum Romanorum regem & Styriæ ducem; frater enim puero erat: & vtrumq;, tum filium pro educatione, tum coronam pro conseruatione illi dedit.

DE

DE DOMINIS QVIBVSDAM NOVO REGI ADhærentibus, & curia pro parte eiusdem Budæ celebrata.

CAPVT XXX.

HIS habitis, regina Elizabeth à rege Romanorum rediens; suorum sanctorũ sub custodia per ciuitates & castra, quæ ad illam recto erant corde, ferebatur. multam tamen non tantum à rege alienigena & sua gente; quantum à suis terrigenis persecutionem patiebatur. Fauebant regi Vladislao magnates multi, & res illius præferre conabãtur. Inter quos Simon de Rozgõ episcopus Agriensis primus omniũ simul suis cum fratribus & pæne omnibus partis superioris regni Hungariæ baronibus nobilibusq; pro noui regis parte laborabat. Et cum Nicolaus de Wylak banus Vladislai regis fauentiũ agmina crescere ac reginalẽ partem paruipendi vidit; infantemq; regem aut prodesse aut obesse ad tũc non posse cogitauit, à regina defecit; & nouo regi adhærens, extollendã eiusdem in partem cæteris actior fuit. Erat tunc in regno miles magnanimus nobili & claro Transalpinę gẽtis de gremio natus Iohannes de Hwnyad, homo bellicosus & ad flectendum arma dirigendasq; res bellicas natus. & sicut piscibus aqua ceruisq; vmbrosas lustrare siluas: sic illi armorum belliq; expeditio vita erat. Hunc hominem, vt dici præsumitur, futura regni pro tutela rebus per ipsum gestis testantibus fata ab alto elegerant: peregrinisq; de partibus regni Hungariæ deduxerant intra oras. Fertur enim, quod rex Sigismundus virtutis nomine genitoris militis huius pulsatus; illũ partibus de Transalpinis suum traduxisset in dominiũ: suiq; regni illũ incolam effecisset: & nihilominus digna perpetuaq; eundẽ munitionis Hvvnyad possessione, vbi nunc castrũ nobile aspectuq; delectabile erectum est, dotasset. Prȩfatus igitur Iohannes de Hvvnyad semper sui superioris lateri adhærendo, cum iam de virtute in virtutem creuisset; à minoribusque regni officiolatibus, quorum vsq; ad tũc fretus fuisset honore successiuo incremento in tantum claruisset: ꝙ ad Wayuodatum partium regni Transsiluanarũ suum extulisset titulum: vir in regno non parum potens; & ipse regi Vladislao adhæsit. Fit igitur pro parte regis Vladislai cunctorũ regni procerum conuocatio: & Budensis ciuitas multorum aduentu nobilium feruet: plebsq; semper nouo de principe gaudere solita, ciuitatis per plateas læta fronte ferebatur. Venerant etiam ad hanc congregationem salui conductus sub prȩrogatiua dominus Dionysius cardinalis supradictus: & Ladisla' de Gara banus, pluresq; magnates, quos reginalis magis q̃ noui regis dilectio trahebat. Hi cæteris cũ regnicolis castrum regale cũ adissent; mox portæ, quę illos susceperãt, eosdẽ remittere negarunt: tamdiu quousq; nouo regi fidelitatẽ seruandã proprio sub iuramẽto promiserũt. Quib' peractis Ladislaus de Gara interim dimissus est minime: donec arcẽ Wissegradiens. q̃, vt pmissum est, tenebat, cõpulsus regi Vladislao restituit.

DE CORONATIONE REGIS VLADISLAI, & de guerris subsecutis.

CAPVT XXXI.

POstquam autem rex Vladislaus castro Wissegradiensi potitus est; mox sacræ tentata sunt conseruatoria coronæ. In quibus res quæsita dum non inuenitur; magna in regis Vladislai parte turbatio orta est. Nõ ergo regem ipsum absque corona fieri voluerunt. Commotus enim est omnis cœtus regnicolarum, quos beneuolentiæ animus regi iunxerat, & simul cum ipso rege venerũt in Albam. Ibique ordine sacerdotali laudum in concionem altis vocibus dissoluto, regem eundem corona pro ornamento reliquiarum capitis sancti regis Stephani oĩm miro operis artificio præparata; magno cum tripudio coronarunt. Tota inter hæc plebs Hungarica scinditur: omnisque dilectio dissoluta mutuum ruit in damnum, & velut magno olim Alexandro Macedonum vita functo, duces illius vnitate (qua ipso viuente non minus quam armis vastum subegerant orbem) animi spreta; illius latum dilaniauerunt imperium: sic

duces dominiue Pannonici agri regnum regibus ſub diuis tranquillitatis amœnitate tutatum; magnarũq; rerum (quæ concordia creſcere ſolent) vbertate vndique refertũ diro marte lacerarunt. Hi, qui colunt, quique metantur aſtra, regnum Hungariæ ſigno ſubiacere ſagittarii non vacue poſuere. Nam incolæ illius, vt hoc veterum produnt præconia, ſemper triſtibus inſudauerunt armis: & cum extraneis rebus ſanguinique parcunt peregrino, alternũ fundunt cruorem: & in ſeipſos mutuo ſæuientes: per parentes perque ſe congeſtas gazas rapacem in prædam conuertunt. Huic tum antiquæ tum noſtri æui geſtæ res ſufficienti teſtimonio ſunt: nec minus ætas regiminis dicti regis Vladiſlai his rebus credibile edidit documentum. Nulla enim ſpiritualis ſecularisque dignitas ſuperſedit ab armis: omniſque ætas nocere prompta ætati non parcebat: at diſcordia ductrice cuncti diuiſi regnicolæ pro incerto regis nomine pugnabãt. Hi regem ſequebantur Vladiſlaũ, illi reginam Eliſabeth, illiuſq; filium præferre conabantur. Et quibus in hoſtem frui domeſtica nõ ſufficiebat manus: hoſtem extraneo de populo conducebant. Quæ poſtmodum res in regno flammas non modicas ſuccendit.

DE CONFLICTV BARONVM CIRCA monaſterium Dezyk.

CAPVT XXXII.

CVnctiſq; igitur dominis ſeruiſq; dictarum partium ſequacibus pro ſua parte ſe alternatim ſiniſtro oculo reſpicientibus: & ſæua mente conſiderantibus; viri in regno potentes Ladiſlaus de Gara banus: Iohannes Phylpes de Korog, Andreas Bothos de Harapk: Hẽricus filius Wayuodæ de Thamaſy; omne robur ſuum in arma concitantes; iniurias reginæ filiiq; illius propulſaturi ſecus monaſterium Deczykador, quem locum vulgus Zek appellare ſolet, caſtrametati ſunt. Contra quos præfati dominus Iohãnes de Hwnyad Wayuoda, & Nicolaus de Wylak tunc banus Machouienſis compoſitis agminibus veliſq; extenſis venientes in magna virtute bellandi illorum irruerunt ſuper caſtra. Quapropter ingens clamor exuberat hoſte in vtroque; nec minus tympana tubæq; reſonant partibus ex ambabus. Sed cum regis Vladiſlai pars animo pugnat feruentiori; mox caſtra partis alterius perturbata ſunt; diſſolutaq; per deuia ferebantur; ac cuncti eorũdem præſidio caſtrorum nudati, ſparſim fugiebant, denſarumque ſe ſiluarum latebris commendabant. Perſequebantur eoſdem Wayuodæ ac bani milites: & non minus ac ſi hoſtem repeririſſent vltramaritimum, graui illos clade afficiebant: vbi & Andreas Bothos homo ſeuerus ſeuera morte interiit. Henricus quoque filius Wayuodæ captus eſt. Ladiſlaus autem de Gara banus & Iohannes Phylpes de Korog, quamuis aliis grauiori corpore fuerint: in hoſte tamen fuga vincendo cæteris non fuere grauiores. elapſi enim per fugam nunquam amplius cãpeſtrali certamine hoſtibus ſe ſuis offerre præſumpſerunt. Dominus ergo IOHANNES de Hvvnyad Wayuoda & NICOLAVS de Wylak banus direptis hoſtibus, caſtris ſuis ſimul cum agminibus locupletati: deinde amoto exercitu caſtra Symonthornya & Soklos aggreſſi obſidione grauare tentarunt. Quæ cum expugnare nequiuiſſent, diſcedentes ab illis per regnum ferebantur: & quoſque regnicolas regis Vladiſlai iugo obedire cogebant.

DE INSVLTIBVS EX CASTRO STRIGONIenſi factis, & obſidione caſtri eiuſdem.

CAPVT XXXIII.

EAdem tempeſtate vir dignus viri nomine, formaq; & corporis diſpoſitione, inter cæteros regni Hungariæ primores non vltimus Thomas de Zeech, frater domini Dionyſii Strigonienſis archiepiſcopi caſtrum Comaron conſeruabat. Homo iſte reginæ obſequiis præ cæteris magis deditus ex caſtro Strigonienſi in forti manu ſæpius progrediens: in vicis regnicolarum à regina & illius

filio

Vladislaus Rex.

filio dissidentium, in ferro & igne vastitates non modicas edebat: veniensque oppidum Thermarum Hungarico idiomate Felhewyz vocatũ Budensi ciuitati annexum regis in conspectu succendit: altasq; in flammas, & obscurum redegit in fumum. Rex vero Vladislaus cum suam partem omni conamine pro se decertare animaduertit: baronesque regni sibi contrarios debellatos fore audiuit; coadunatis armatorum copiis audax prosiliit in campum; primitusq; castrum Strigoniense expugnare satagens, illud circumquaque obsidione cinxit; ac in monte sancti Thomæ munitione præparata, obsidentes & obsessi sæpius ludo Martis concurrentes, mutuisque se confodientes vulneribus animas simul & sanguinem fundebant. Quod cum dominus Dionysius archiepiscopus vidit; homo enim erat innatæ compassionis: naturaque & moribus ac vita nobilis: mox in suspiria & lachrimas dissolutus, Dei iudicio se puniendum arbitratus est, nisi tantæ cladis compesceret fluctus. Quapropter mox ad regem interlocutores misit, laborauitque pro pace & treuga, quam & obtinuit. Rex igitur Vladislaus amoto exercitu venit in comitatum Zaladiensem: duasque ibi expugnauit munitiones, quas tunc Theutonorum proterua detinebat manus: quarum altera Paka, altera Kygyos vocitabatur. Quibus expugnatis felix rediit ad Budam.

DE HIS QVAE PER NATIONES EXTRANEAS IN REGNO ACTA FVERE.

CAPVT XXXIV.

Contulerat regina Elizabeth Alberti regis post mortem castrum Zoliense, & cæteras illi annexas munitiones cuidam Iohanni Izkræ, denominato de Brandis; homini Bohemo & arma flectere docto, rapinęq; auido; & illum cunctis montanis ciuitatibusq;, Cassouię scilicet & cæteris nondum à reginæ & filii eius fidelitate discrepantibus in tutorem præfecerat. Iste Iohannes Izkra, cum barones in seipsos alternatim sæuire vidit; mox prædabundus omnem terram Matthiæ & prouincias comitatusve Cassouiensi ciuitati vicinas, & pæne totam partem regni Hũgariæ superiorem prædabundus inuasit. Nocebat, quibus poterat, cunctis: his quoque maxime, quos ad reginam, & eius filium sinistro sciebat esse corde. Conducto igitur extraneo milite multo in forti manu palam gradiens agrum lustrabat Hungaricum; castrametabaturque, ac omnia sibi occurrentia graui rerum direptione incendioque vastabat. Hinc & Pancratius Lyptoniensis comitatus incola, homo plus quam extraneus, hostis atrox; ac Petrus Komorowzky, necnon Akzamyth Thalafvvz, Rybald, Kerczky, Wryk & Zlovvachko: aliique nonnulli Bohemi, Poloni & Sclaui, quos præda delectabat, aggregario milite muniti, omnem vim ipsorum regni in prædationem cõuerterunt; paratisque multis munitionibus & castris ligneis cunctæ ipsis vicinæ regionis parti terrori erant. Quapropter res intestinis quæ nequibant consumi guerris, has peregrina manus multa cum rapacitate diripiebat. Popularis conditio graui premebatur censu; nec eidem crebra homagiorum solutio pacem redimebat: sed sola capitum pro tutela deserti antra cæteraque nemorum latibula inhabitare cogebatur. Ardebant ciuitates & villæ vicibus iteratis succensæ, altumque eructantes fumum vicinum aerem confundebant: sæui cunctam per Hungariam ferreæ ætatis anni voluebantur, ac steriles agros dominorum seruorumve cruentabat cædes. Innocentes quot personæ fuderunt cruorem animamve simul? quot destitutæ suis fuere rebus? quot mulieres suis fuerunt viduatæ maritis? quot puellæ virginali florentes decore suis inuitæ cadentibus fuerunt spoliatæ liliis; temporibus in prædictis: cum solum personas rebus nudatas omnibus, futura ad tempora tanto in discrimine vnicuique præseruare sufficiebat? Quid autem comes Ciliæ Vlricus reginæ auunculus diebus in eisdem in illius vindictam operatus sit; senes regni Sclauoniæ memorant vsq; modo: & illa grauibus nõ sine suspiriis ipsorum narrant filiis. Nec fuit regno intrinsecis laboranti guerris vicinus quispiam, qui se illi hostem non

exhibuisset. Hæc fuerunt disturbia regni intra climata magnis fluctuantia procellis, quę plus quam octo & viginti per annos sęuis morsibus Pannoniam lacerarunt. Neq; tantos guerrarum turbines multi pluries conati comprimere valuerunt. Sique eosdem modernus princeps noster inclytus rex Matthias circa millesimum quadringentesimum sexagesimum secundum domini annum in forti brachio tanto à feruore cessare non coegisset, dici posset, quod in multa rabie bullirent eadem disturbia vsque hunc diem.

DE OBSIDIONE CASTRI NANdoralbensis.

CAPVT XXXV.

MVlta & varia vna & eadem tempestate aguntur, non tamen simul & semel queunt enarrari. Nam eisdem annis, quibus præfatus quondam dominus rex Albertus vita functus est; Cæsar Turcorum Amrates omne Seruiæ regnum, quod communi vocabulo Rasciam vocant, suo dominio subdiderat, ac castra & cunctas munitiones illius detinebat. Hic cum audiuit, omnem regnicolarum regni Hungariæ cœtum se intestinis guerrarum rodere morsibus, diuisam plebem in sui defensionem arbitratus est valere nihil. Quapropter regnum Hungariæ inuadere, & primitus castrum Nandoralbense obsidione tentare cogitauit. Commoto igitur omni sui principatus armorum robore, cunctisque bellicis apparatibus, machinis & tormentis eductis, veniens castrū prædictum expugnandi gratia aggressus est. Erat tunc castro in eodem capitaneus vir magnificus, Iohannes Prior, Auranę cognomento Zowanus, Ragusiana de natione ortus: frater Mathkonis regnorum Dalmatiæ, Croaciæ & totius Sclauoniæ bani: vir strenuus & animo impauidus. Hic cum vidit hostem aduentantem, obuiam illi iuit; & nec sine certamine in castrum reuersus est; sed cum hostilium copiarum ingens esset multitudo: longa decertatione manus illi cōserere impar erat. Rediens igitur in castrum, quæ ad custodiam mœniorum spectabant, debite prouidebat. Cæsar vero Turcorum circumquaque agminibus distributis, ac excubiis vndique ordinatis, castro eidem graui obsidione adhærebat. Nihilominusq; machinis & cæteris tormentorum generibus adaptatis, altas turrium munitiones & mœnia præcipitem dissipabat per ruinam; humilique terræ adæquabat. Zowanus vero, & qui cum illo erant; ex tanti hostis visione tamque dura expugnatione minime stupefacti; ea quæ ipsorum curæ erant, agiliter exercebant; & diurnis Cæsaris fatigationibus parietes castri prostratos nocturno labore muniebant: sæpiusque de castro ad instar vespium erumpentes magnum in hoste tumultum faciebant. Cum igitur Cæsar ipse Zovvanum in castri eiusdem tutela fortiter sibi obstare animaduertit: aliud genus insidiarum pro obtinendo castro eodem excogitauit. Est enim quidam colliculus castro ab eodem versus inimicas terras in medio miliari Hungarico vel citra distans: resque ex altera sui parte geruntur à conspectu castri prædicti occultare habilis. Huius igitur colliculi sub vmbra, Cæsar ipse fossam subterraneam castri eiusdem vsque ad interiora penetrantem, longam latamq;, per quam agmina post sese progredi possent, egerere statuit. Adhibitus est igitur labor continuus: & tot millia hominum terram tum propriis in artubus, tum vero camelorum, equorum, onagrorum & asinorum officio egerendo fossam eandem in breui tempore ad ipsius castri muros non longe distantem perduxerunt. Inter hæc Cæsaris insidiæ vel diuino nutu illis, qui de eiusdem castri conseruatione potiorem curam habebant, indicatæ sunt: vel, vt quibusdam dicere placuit; quod sagitta, nescitur per quem, emissa in castrum deuolasset: cui charta quædam circumuoluta reperta extitisset: quæ fossam in loco memorato egeri, castroq; propinquam esse manifestasset. Vnde Zovvanus primo vel vltimo modo de Cæsaris voluntate instructus: aliam de ipsius castri corpore progredientem fossam consimiliter subterraneam fossæ Cæsaris obuiam celeri cum labore effici ac saletro bombardarumque pulueribus: ac aliis rebus ardere flammasq; repen-

repentinas ac fumum vehementem subito edere valentibus impleri: orificiaq; fossę eiusdem intrinseca artificiose fortiterq; recludi: & tantummodo pro succendendis rebus & pulueribus pręnotatis quoddam foramē irreclusum dimitti: hostemq; occultas parantem insidias mira spectatione indesinēter plurimos per custodes subaudire fecit. Cumq; hostilis fossa intra mœnia castri ad fossam per castrenses egestam deducta est, & rumor effodientium illam per custodes extitit auditus; mox ignis adhibitus omnes prædictas res compositas succendit; & vehementi flamma fumoq; omne viuens, homines scilicet & pecora, quę intra eandē fossam erant, subita morte necauit. Quapropter Cæsar ipse, cum nec hanc viam sibi in obtentione castri eiusdem iuuamini esse vidit; amissis, vt fertur, decem & septem suæ gentis millibus, & septem mensibus obsidione in eadem exactis confusus repatriauit.

DE BELLO PER DOMINVM IOHANNEM VVAYuodam circa castrum Nandoralbense commisso.

CAPVT XXXVI.

CVM post hæc eorundem temporum sub decursu, dominus Iohannes de Hwnyad Wayuodatus Transsiluani & banatus Sevveriensis honore claresceret; & in comitem Themesiens. creatus, exigenteq; rerum necessitate castro Nandoralbensi in prædicto capitaneus factus extitisset; ac partes regni Hūgariæ inferiores vsq; ad flumen Thitiæ, totaq; Sclauonia ac cunctus ager inter Sauæ & Drauæ flumina medius dira Turcorum rabie vastarentur; ciuitates & villæ ac opida vehementes per flammas comburerentur; res diriperentur; homines sine discretione sexus & ętatis aut interficerētur, aut perpetuę seruitutis iugo mancipandi abducerentur; omnib' regnicolis intrinsecis fluctuantibus odiis, ac partibus regni præscriptis manifesto discrimine relictis, solus ipse Dn. Iohannes Wayuoda tantam Christianæ religionis persecutionem amaro corde tulit. Quapropter post multos cum ipsis Turcis: in quibus semper victor euasit, partiales congressus, dum eorundem dierum sub volumine Wayuoda quidam Turcorum Izak nomine, qui castrum Zenderew, cæterasq; Rasciani regni arces & pæne omnē Rasciam siue Seruiam ex dono præfati Cæsaris Turcorum tenebat; suorū magna vi subditorū collecta: castro Nandoralbensi circumiacētes vicos diripere exurereq; ac noui capitanei animum tentare aggressus est. Ipse dominus Iohannes Wayuoda hostilem sciens conatum; ea, quæ ad tantum hostem tractandum pertinebant, componere non neglexit. Congregato enim peroptimo armatorum præsidio, ac ex illo aciebus ordinatis hostis se hosti in campo obtulit. Fit igitur magno cum impetu congressus vtriusque hostis; & multi in belli primitiis sternuntur ab equis: clamor exoritur ingens, moribundum instat certamen, innumeri parte ex vtraque cadunt interfecti. Izak ergo Wayuoda Hungaros aut vincere aut mori peroptasse videns; mox terga vertit, & in veloci cursu sui equi versus castrum Zenderevv simul cum suis, qui supererant fugam iniit vehementem. Vnde dominus Iohannes Wayuoda & omnis suorum militum cœtus secuti sunt illos in ore gladii: quo dum ipsius castri Zenderevv mœnia intuitu sunt, multos ex ipsis in cadauera redigentes. Tandem cum victoria, & captarum magna cum opulentia rerum in castrum Nandoralbense redierunt.

DE BELLO ET CONFLICTV DOMINI IOhannis de Hvvnyad VVayuodæ in partibus Transsiluanis commisso.

CAPVT XXXVII.

POst hanc ipsi domino Wayuodę diuinitus datam victoriam non multo dierum interuallo prætereunte; alter Turcorum exercitus gloria victoriarum ante hæc tum de Hungaria tum aliarum sibi vicinarum nationum de regnis reportatarum tumidus; magna præsumens; magnoq; suæ generationis populo ac

armorum munimine nō modico suffultus: duce quodā Wayuoda Mezethbeg vocato, homine austero, resq; bellicas dirigere docto; per terram Transalpinam clandestina quadā eruptione Alpibus transitis regni Hūgariæ Transsiluanas irruit in terras. Gens crudelis & cuncta offendere solita; quæq; sibi occurrebant pietate absque aliqua ignis & ferri vim adhibendo omnia vastabat: ætasque aut conditio cuipiam aliquam non ministrabat redemptionem. Hanc funestam eiusdem exercitus Turcorum ante eruptionem paucis diebus dominus Iohannes Wayuoda in ipsas Transsiluanas partes venerat: aditaq; ciuitate Albense vulgari vocabulo Gywlafeyerwar vocata: quid de hoste faceret, cogitabundus præmeditabatur. Subitū enim tanti inimici propter aduentum copias adunare, & illi occurrere sibi omnino negabatur: quapropter maxima premebatur anxietate; ita vt ora illius ex nimiarum cogitationū impulsu marcesseret, & labia scinderentur. Cum aūt ipsi Turci multis iam dicti Trāssiluani agri partibus percursitatis ingentem prædam hominū rerumq; ac pecorum trahentes dictæ ciuitati Albensi propinquū ad campum venerunt; sic vt incendia fumum eructantia illos non remote esse testarentur; dominus Wayuoda Iohannes alios sustinere valens, se sustinere nequiuit: quin totus excandescēs in vindictam, tanto hosti obuiandum esse statuit, militumq; minus congrua in comitiua confliсturus prosiliit in campum. Erat eisdem in diebus episcopus ciuitatis eiusdem homo decentis reuerentiæ: in rebus tamē rite agendis vehemens; & hic ipsum dominum Wayuodā comitatus est. Progredientes igitur cum incauti ad campum villæ sancti Emerici peruenerunt; subito cunctæ circumadiacentes valles ingentia hostiū agmina in abscondito latentia tantummodo aduentū ipsius domini Wayuodæ expectantia effuderunt. Quid vltra? ipse dominus Wayuoda campum deserere, imparēq; sibi hostem declinare coactus est. Fugiebant, qui poterant, cuncti; qui autem in fuga deficiebant, per hostem aut capiebantur aut interficiebantur. Vbi & prætactus Albensis episcopus in celeri cursu sui gradarii, dum fugiēs suo gradario trans decursum cuiusdam riuuli saltante in terram decidisset, decollatus est. Extulit hæc res cor Mezethbeg Wayuodæ; ipsumque maiora aggredi animauit. Quapropter omni sine timore Transsiluanas ferebatur per partes. Gaudebat de præda, maxime de illa, quam sibi sors pugnæ obtulerat. hanc quidem intactam suo deferre Cæsari cogitabat: ergo & vectores & custodes curruum in idem seruabantur. Inter hæc dominus Wayuoda Iohannes omnem ipsarum partium militem, quem tam repentini temporis in spacio conducere potuit, in magna celeritate congregauit: vleiscique ardens mox egressus hostem sequebatur. Cum autem hæc Mezehtbeg Wayuodæ nunciata sunt; fertur dixisse: *veniat & nobis plus quam pridem lucri faciat.* Stabat ad tunc cum hæc dicta sunt, speculator domini Iohannis Wayuodæ Turcorum dicto Mezethbeg Wayuodæ astantium in medio; ac omnia, quæ per ipsos de cōmittendo bello collata sunt, audiebat. Festinanter igitur ad dominum Iohannem Wayuodam rediēs secrete dixit illi: *Tu & omnia tuorum armorum insignia, quibus proprie personæ vteris pro defensione: equiq; tui color Mezethbeg VVayuodæ prodita; & me præsente robustissimi milites in armis cæteris præstātiores delecti sunt: commissumque est illis, vt quam primum te circumueniant, & quam maxime tuam festinent ad interemptionem.* Habebat Dn. Wayuoda Iohannes inter alios militē vnum Simonē nomine ex generatione nobiliū de Kamonya ortū, à se in forma corporis nō multū differētem, militarisq; animi virtute suos inter socios nō minus valentē. Cū hoc igitur milite ipse Dn. Wayuoda arma & equum cōmutauit: ac ad eiusdem defensionē milites nōnullos viriū fortitudine, bellandiq; desiderio perspicuos deputauit; & tandē omnib⁹, quæ belli exigebat necessitas multa discretione ordinatis; hostē priori victoria tumidū, in quodā vico partium prædictarum suas ad bellū cōponētem acies in magna auiditate bellādi aggressus est; & tanq̄ turbo quidā vehemens irruit super illū, congressu quoq; in primo omnia illorū agmina pturbauit, ac varias in forti suorū brachio distinxit in partes. Ferebatur hostis vterq; per colles & valles: & semper tāto in certamine gladius Hūgaricus Turco-

Turcorum frameæ superferebatur. Sed quid profuit per dominū Wayuodam Simoni de Kamonia designata custodia? qui mox in primitiis belli prodētibus illū domini sui armorum insigniis: loco eiusdē domini sui ipsa custodia & fidelibus armis suis non obstantibus, Turcis Wayuodæ eorū præcepta etiam cū interitu personarū fideliter exequentibus interfectus est: ea propter conuenit exercituum ducibus, vt suam parte ab aduersa abscondant agnitionem. Nā sæpius cōtingit, vt cadente duce ducti omnes cadant. Feruente igitur atrocissimo bello, & Turcis magis in sui defensionem, quam in vincendum hostem laborantibus; omnes captiui, quos ad villam sancti Emerici illis obtēta victoria dederat: liberati, & mori potius quam illorū captiuitate torqueri parati: magna vi in sui defensionem laborabant hostes crudeliter perimentes. Dum igitur Wayuoda Mezethbeg tantam suæ partis conspexit cædē; cunctis suæ partis agminibus fuga laborantibus: & ipse fugam iniit; nec tamen hæc fuga salutē ipsi præstitit. Nā fugiens dū euadere conatur, inter alios fugientes, quos ipsi Hungari insequētes perimebant; ipse & filius eius interfecti sunt; captamq; prędam cum proprii capitis damno innumerabiliq; suæ gentis strage refudit. Dominus ergo Iohannes Wayuoda omnibus captiuis liberatis, prædaq; ab hoste erepta hostem magnā conuertens in prędā; paucis admodum Turcis fugę præsidio saluatis: felix & victor Alpium vsq; ad iuga illos persecutus est; ac errabundum captiuando hostē pluribus diebus campū tenuit cadaueribus refertum. Cuius victoriæ ingentis gloriæ fama hanc regno attulit vtilitatem, vt Transalpinarum partium & Moldauiæ Wayuodæ, præteritis qui temporibus à regno regibusq; Hūgariæ discissi sacræ coronæ rebellantes Cæsari Turcorum prædicto omnem vim suam dedicauerant; domini Iohannis Wayuodæ aut consilio inducti, aut metu concussi, ipsorum simul cum dominiis in pristinam redierint fidelitatem; obsequia consueta regi Vladislao exhibere iurando promittentes.

DE BELLO DOMINI IOHANNIS VVAYVODAE ad locum, qui VVaskapu dicitur commisso.

CAPVT XXXVIII.

PRæter hæc tam gloriosa per ipsum dominum Iohānem Wayuodam cōmissa certamina; vbicunque Turcorū quæuis turma particularis cōsuetam regni in deprædationem quouis occulto tramite se ingerebat: vbique sors illos sinistra comitabatur. Nam semper milites ipsius domini Iohannis Wayuodæ regni ad custodiam deputati illos profligabant. Omnes ergo illorū semitæ ad inuadendum Hungariæ agrum ab eisdem ademptæ erant: nec illis regnis eiusdē intra oras micante solis iubare frameas eorū fulgurare fas erat. Cum igitur Cæsar Turcorum Amrates totiens in suis actam stragem; tantamq; suæ gentis mortalitatē, ac terras Moldauiæ & Transalpinam, illorumq; dominos à se discessisse cogitabūdus intra se sæpius reuoluit; animo admodum perturbatus statuit grauem de his, qui illum offenderāt, exigere vltionem. Quapropter octoginta suæ gētis millia ex delecto sui principatus milite virtute bellandi peroptimo coadunauit; ac Bassam hominem in gerendarū sui regni rerum à se secundum illis in ducē præfecit: præcepitq; illi, vt quam primū Transalpinas terras inuaderet; & illas propterea, ꝙ Wayuoda eorundē ab ipso defecerat, quam primū depopularetur. Tandē inde in regni Hūgariæ Transsiluanas partes copias traduceret: in eisdemq; de iniuriis per dominū Iohannem Wayuodā sibi illatis pœnas in igne & gladio durissimas, quas posset, exigeret, & quā amarissime vlcisceretur. Hæc Cæsaris intentio non solū plebeiæ cōditionis illarum partium populū tremulare fecit; verum etiā militaris officii homines durissimis cogitationibus inuoluit. Inter hęc Bassa omni sibi cōmissa cum gente secus castrū Kysnycapol Danubiū nautarum officio traiiciēs, in magno suorum agminum fremitu cunctū Transalpinum agrum peruagatus est; ac omne quod ipsum per fugę remedium declinare nequiuit, aut in prędā, aut in cadauer redegit. post hęc Alpes transcendere iniunctamque sibi per suum Cęsarē seruitutem exequi aggressus est. Dominus

vero Iohannes Wayuoda, q̃ suæ defensioni commissæ plebis depopulationem videre, mori potius paratus; pręcedentibus animatus victoriis, armorum præsidiis, & militari manu adunatis, inuadere potius hostem, q̃ inuadi ab illo pręoptans; viribus & numero impar, illarum partiũ vsq; ad extremum persecutus est illum. Cum aũt ad locũ, qui Waskapu dicitur, extitit ventũ; arduũ magnumq;, & cũctis seculis memorabile in multo clãgore hincinde resonãtiũ tubarum cũ illo bellum cõmisit. Vndiq; fit concursus hostiũ, decertatur viriliter parte ab vtraq;, Bassa in suę gentis fidẽs multitudine terga vertere nõ cogitabat. Dominus vero Iohãnes Wayuoda mori aut vincere intẽtus, omnino fugę immemor erat. Feruet igitur bellũ ex vtraq; parte asperrimũ: cędes fit maxima: multi cadũt hoste ex vtroq;: sed multo plures ex Turcis: quapropter Bassa & Turci cãpum deserere, & subitæ se cõmittere fugæ sunt coacti. Insequebantur illos Hungari, & cunctos, ad quos peruenire poterãt, moribunda in cadauera redigebant: ita, vt cũctus tanti certaminis cãpus tanta ex cæde humano equorũve cruore cõspersus, ac crebris cadaueribus refertus postea incalescente solis feruore olentẽ exhalans tabem auras inficeret peregrinas: & humanum illac aditum fieri negaret. Dominus siquidem Iohãnes fusis tot hostium millibus, multisq; illorũ maioribus captiuatis; amplo thesauro & omni precioso exercitus eorum supellectili in prædã conuersis; vir magnificus digno laudum præconio omne per æuum recolendus; bello fortiter suscepto; prudenter administrato; felicissimeque gesto & confecto, memorabilem victoriam reportarit; seque exhinc non solum regnicolis, verumetiam nationibus extraneis sinceræ dilectionis affectu exhibuerit toto corde amandum.

DE OBITV REGINAE ELIZABETH.

CAPVT XXXIX.

HÆc dicti domini Vladislai regis sub regimine; tam felici tamque prospero euentu infra duorũ vel citra annorum decursum acta fuere. Inter hæc autẽ partibus regni in superioribus nõ minus intrinsecus rancor grassabatur; nec earum partiũ dominos regni protectio tantũ mutua, quãtum offensa delectabat. Quapropter & curia Romana tantorum pulsata fremitibus malorum; virũ reuerendum dominum Iulianum Cardinalem ad cõponendos dictarũ strepitus guerrarum summi pontificis miserat de latere. Hic dum pro pace laborat, regis Vladislai & reginæ Elizabeth cordibus non parum ad concordiam inclinatis; pace ipsa nondum composita, regina diem obiit: mors cuius plures ex baronibus illam sequentibus regis Vladislai restituit in sinum.

DE EXACTA A TVRCIS INIVRIARVM TALIONE per dominum VVayuodam Iohannem, & bellis eiusdem felicibus sex vicibus gestis.

CAPVT XL.

HIS rebus occurentibus, regimẽ ipsius regis Vladislai in dies corroborabatur, & in augmentũ transibat. Cũ igitur rex ipse regaliũ atriorũ altis sub tectis castro in Budẽsi quietus resideret, Dn. Iohannes Wayuoda illũ ad inferẽdũ Turcis bellũ, ad propulsandasq; per ipsos crebris vicib⁹ Hũgariæ illatas iniurias animauit & induxit. Quare ipse rex Vlad. tertio sui regni anno, grãdi & sumptuoso egregiorũ militum cõflato exercitu, vna cũ ipso Dn. Iohãne Wayuoda pluribusq; sui regni principib⁹ & Georgio regni Rascię Dezspoto siue rege (Is enim ad tũc sui principat⁹ de dominio eiectus erat) Danubiũ trãsiẽs peruenit in Rasciã. Ibiq; regi Vladislao statiua figere castra, ac terras Turcorũ dominio subiectas ad interiores summũ sui exercitus capitaneũ Dn. Iohannẽ de Hwnyad Wayuodã mittere placuit. Disiuncta igitur exercitus sui omni expeditione binas in partes; partem illam, quæ armorũ gestamine militariq; virtute præstabat, ipsi Dn. Wayuodæ assignauit. Ducebat præter hæc ipse dominus Wayuoda plurima suorũ militum agmina, quorũ bello docta manus victricibus armis iam pluries hostẽ verterat in fugam. His itaq; dominus Wayuoda comitatus, regno Rasciano siue

Digitized by Google

bo siue Seruiæ pertransito, cunctum Bulgariæ regnum, quod annis ab antiquis Turcorum detinet vsq; ad cōfinia Romaniæ peragrauit; omneq; viuens, quod sibi & suis occurrebat, ab homine vsq; ad pecus aut capiebatur aut interficiebatur: ciuitates, castra & domicilia Turcorū quælibet expugnabantur, & præcipitem per ruinam euertebātur: flagrantisq; ignis impetu cōsumebātur. Inter quæ & ciuitas illa famosissima Thermarū sophia denominata populo & diuitiis referta, capta & direpta est; ignitasq; extitit redacta in fauillas. Tot ergo ciuitatū & opidorum incendia, altum eructantia fumum, omni Romaniæ, & cunctis Turcorum Cæsaris dominiis, quæ marinis non confidebant in aquis, terrori erant. Occurrebāt inter hæc domino Wayuodę multa hostium millia, per Cæsarem Turcorum illius in contrarium destinata. Quapropter quinque vicibus cū hoste semper maiori in numero sibi occurrenti, ipse dominus Wayuoda atrocissima gessit bella, & semper victor euadens, dum iam summa triumphi cum gloria redeūdo rursus Rascianum attigisset agrum, & in illo castrametatus esset, nunciatum est illi, innumerabilem Turcorū super ipsum venire multitudinem. Cæsar enim Amrates prædictus tanta sui dominii depopulatione admodū exacerbatus, omne, quod erga curiam suam in armis optimum erat, totamq; regni sui militiæ speciem, magno belli cum apparatu exigendę vltionis gratia conuenire mandarat; & hanc sui exercitus expeditionem Bassę Natuliensi affini suo commiserat dirigendam. Hic dominum Iohannem Wayuodā eadem via, qua ipse Bulgaricis de oris exierat, sequebatur. Et cum aliquos de Hungaris aut vulneribus confossos, aut infirmitate grauatos ipsius domini Wayuodæ hesternorū in loco castrorum relictos inueniebat, iubebat illos suum ad Cæsarem vinctos deferre, exprobrando nihilominus illi, *videat* inquiens *quā miserabiles suum intra regnum ipsum territent personæ.* Ad hæc ipse Cæsar ei ita fertur respōdisse: *Redeas felix, vt opto; cum autē redieris, quæ sunt illæ personæ, quas ipse fugio, solus mihi certius dices.* Dum vero in tātum deuentū est; vt vterq; hostis nocturnæ deditus quieti illucescente aurora mutuas tympanorū audiret resonātias; pertimuit ipse dominus Iohannes Waiuoda, ne hostis declinans ab eo, regia irrueret super castra. Malēs igitur impetus illius in se experiri, tantis belli ex laboribus fesso milite vltro se illi obuiam dedit. Cum autē ingentem paganorū multitudinem ex aduerso sibi opponi vidit; pauore quodam cōcussus est; omnesq; exercitus eius milites timore non modico trepidabant. Non ergo ipse dominus Wayuoda terga vertit; sed timore percussas sui militis acies seriatim hosti exhibens, animabat illos dicens: *Constantes estote, & prius vitā quam consuetum perdamus nomen victoriæ. Quid trepidatis hostem multitudine tumescentē? nonne iam sæpius animum illius tentastis, & qui totiens fugit Deo nobis propicio, & nunc fugari potest. Si autem cuipiam ex vobis mors crudescit, nō curet. Nam si mecū aut cum sociis pransus est, cū Christo cenabit.* Et his dictis, maius agmen, quod suæ deputauerat ductioni mouēs, irruit super hostem. Quo viso cætera agmina ducem eorum imitata sunt. Quare bellum per vtramq; partem, in multo vincendi desiderio cōmittitur. non tamen ęqua sorte pugnatum est. Nam ipse Bassa, & omnis ipsi commissa Turcorum multitudo, mox in primo impetu cōgressus terga verterūt, & præcipiti se cōmiserunt fugæ. Hungari vero hoc viso multa cū seueritate persequebantur illos: & quem celer equi sui cursus ab instanti nō eripiebat morte, cruentū per examen vita excedebat. Plurima igitur ibidē millia paganorū cecidere. Nā Hungaris captiuare illos fastidio erat; quapropter omnes quos fugientes præuenire poterāt, multis confossos vulneribus interficiebant. Durauit hęc persecutio à vespertina hora incipiens mediam vsq; ad noctā. Bassa enim ipse certamen ea diei in parte propterea cōmittere præelegerat; vt si bello superaretur, saltem nocturnæ obscuritatis per remedium ab hoste eriperetur. Sed hæc adinuentio profuit ei minime. Nā lunari sidere pleno noctem eandē suis radiis illustrante; Bassa ipse captus; ac in multa tubarum voce noctis circa medium in castra Hungarica ad tentoriū domini Wayuodæ Iohannis deductus est. Sicq; ipse dominus Wayuoda sex bellis pręcipuis vna & eadem via felici exitu gestis, quinti mensis postquā, de Hun-

garia exierant reuolutione trāsacta, exercitū ingenti hominum rerumve prędā onustum regia ad castra incolumem reduxit: in signumq; victoriæ multa hostis vexilla siue banderia regi obtulit. Hęc postmodum gloriosissimæ virgini Marię regni Hungariæ patronæ oblata, in ecclesia eiusdē ciuitate in Budensi constructa, futura pro memoria: proque eiusdem virginis gloriosæ laude, nostrum vsq; ad æuum dependentia, tantis victoriis ipsi domino Wayuodæ cælitus datis fidem perhibebant: & nisi mollem illorum pannū puluis vetustasve consumpsisset, suspensa dependerent ibidem vsque in hunc diem.

DE TREVGIS INTER REGEM VLADISLAVM ET Turcorum Cæsarem firmatis, & de restitutione regni Rasciæ.

CAPVT XLI.

EX his tot illustribus triumphis, totq; præclaris victoriis id accessit, vt Cæsar ipse Turcorū Amrates tremefactus, missis caduceatoribus erga regē & dominum Wayuodā pro treugis instanter laborarit. Rex igitur Vladislaus solennē suorum magnatū consuetudinē in ciuitate Zegediensi celebrari statuit. Ad quā vndiq; multo regni nobili cōfluente; venerūt & à Cæsare missi Wayuodæ Turcorū duo ad cōponendas treugas præscriptas idonei. Conuentum est ergo, 10. annorum de induciis, & ex parte regis Bassa Natuliēsis dimittitur. Cæsar quoq; Turcorū castrū Zenderew cæterasq; cunctas Rasciani regni munitiones, quot & quas ante hæc Georgio Dezpoto demerat eidē restituit. Et hæ quidem induciç iuramentis firmatæ extitere. Dominus enim Iohannes Wayuoda pro rege, & pro se, proq; omni Hungaricę plebis parte; dicti vero Turcorum Wayuodæ pro Cæsare eorum ac cuncta domini eiusdē gente tam dictarum decennalium treugarum, q̃ aliarum rerum tunc firmatarū pro obseruatione realia deposuerunt iuramenta; quæ vtinam nunquā deposita fuissent. Nam postea treugis eisdem, per regem & Dn. Wayuodam, inducente præfato Dn. Iuliano cardinali ruptis; velut quondā Pompeio, qui omniū hominum victoriosissimus euaserat; postquam equos in porticu templi Hierosolymitani stabulauit, gloria victoriæ dempta est: sic & bellicæ res ipsius regis Vladislai, & domini Wayuodæ in antea, aliam commutatæ sunt in sortem. Valuit tamē harum compositio induciarum Dezpoto. Cum enim Rasciani regni de dominio eiectus fuisset penitus, his treugis interuenientibus in dominum, qui prius erat, restitutus est.

DE BELLO DOMINI VLADISLAI REGIS IN partibus Romaniæ circa oppidum VVarna, prope ad littora maris commisso; & de interitu eiusdem.

CAPVT XLII.

HIS igitur rebus hac via in hunc finem perductis, dominus Iulianus cardinalis omni suo posse apud regem, apudque dominum Wayuodā instabat; vt rupto induciarum fœdere Turcorum Cæsarem armis inuaderent. Dicebat enim *quod promissa fides infidelibus seruari deberet minime*: Deoq; iniuriosum aiebat, quod ipsi nobilem illam eis diuinitus datam ecclesiasticæ religionis contra hostes victoriam ingrato tractarent corde; ac Dei voluntatem, quæ in hostem exequi deberet, hostis commutassent in voluntatem. Impulit ergo illos crebris persuasionibus illicitum ad facinus; *& viros quos mars ferrumve totiens vincere nequiuit, molli tantum lingua vicit.*

Multos enim Christianorū principes eisdem armorum ferre opem pollicebatur, de Bulgariaque ac de Albania, & de Thracia; nec non & de illa famosissima imperiali vrbe Cōstantinopolitana magna militum subsidia ipsis venire dicebat. Idipsumque & principes, idem ac dictorum regnorum incolæ promittebant. Paruerunt tandem tanta sollicitati fiducia; ac mox multo stipendiario milite conclamato, bellicisque castris coaptatis; & pluribus regni magnatibus comitati; circa castrum Orsowa Danubio transnauato hostilem in terram se ingesserunt. Mouentur ergo castra dietim de loco in locum, & omnis hostilis ager,

 Vladislaus Rex.

ager, qui occurrebat, fumanti incendio, & rerũ direptione vastabatur; castra & munitiones alia deditione subiugabãtur; alia potenti incursu ferroq; expugnabantur: quapropter magis ac magis introrsum progredi visum fuit: donec regnis Bulgariæ & Romaniæ pertransitis marina venerunt ad littora, Romaniciq; agri oppida Warna & Galata denominata, se sponte offerentia in deditionem, recepere, & iuxta eadem castrametati spectabant promissa ipsis venire auxilia: Sed proh dolor sæpius contigit, *dum propriam domi quis negligit militiam; partibus in peregrinis male armatur aliena.* Verum paulo ante multis comportatis spoliis; multis cædibus illatis; ac magna parte dictorum regnorum in ignẽ & prædã redacta; damnisq; plurimis illatis; hostilẽ illæsi poterant declinare congressum: præteritæ tamen ipsos hoste ab eodẽ reportatæ animabant victoriæ: idcirco temeritate quadã occupati, quãuis ꝓmissis frustrati sint auxiliis, incepto ꝓpterea à proposito nõ viso hoste reuerti ingloriũ esse iudicabãt: & ob hoc vltimũ ęstatis mensem, & quasi omnẽ autumnũ hostili in terra ꝓtractarunt. Tandẽ mensis nouembris die decima, quæ scilicet vigiliç festi beati Martini ascripta est, Cæsar Turcorũ Amrates innumerabilib. paganorũ cum agminibus instructis aciebus signisq; collatis pugnaturus venit. Ecõuerso vero rex & domin⁹ Iohãnes Wayuoda, cæteriq; Hungariæ domini illic q̃ aderant, educta omni eorũ vi de castris, aciebus armorũ præsidiis resplendentibus suo ordine distributis & ordinatis; & vnicuiq; aciei duce deputato, statuerunt, vt vnamquãq; aciẽ sui currus eadẽ velocitate tempore congressus sequi deberent. hosti enim erant impares; metuebant ergo ne ante pugnantes per hostẽ vltima acierũ in parte inuaderentur. His igitur hac serie compositis; deus ab alto ibidẽ ipsis futuræ signum ostendit calamitatis. Nam statim post q̃ signa siue vexilla auro micantia eleuata, & initium ventorũ tunc tempestiue susurrantium flatibus extensa sunt; mox ventis eisdẽ impetuosum in turbinẽ concitatis & inualescentibus vexilla eadẽ diuersas scissa & dilaniata in partes altũ per aerẽ volabant. Tandẽ in multarũ tubarum & tympanorũ parte ab vtraq; resonantium sonitu, Turcorumq; magno clamore exuberante; vterq; congreditur hostis. Franguntur hincinde lanceæ, & in earũ fractione multi sternuntur ab equis. feruet bellum asperrimũ. cędes fit maxima partibus ex ambabus, multo tamẽ maior ex Turcis. Nullũ quippe agmen illorũ Hungaricç militaris virtutis impetũ sustinere poterat: quin subitã conuertebatur in fugã. Sed quia Turcorũ longe lateq; distenta agmina Hungaricæ gentis exercitũ in numero vltra quã sextenario excedebant; parũ igitur Hungaris fugitiuas illorũ acies ꝓsequi ꝓficiebat. Nam redeuntibus illis à persecutione noua agmina occurrebant; ac in magno fremitu recenti illos bello vexabant. Consumpta est ergo moribundo in certamine diei pars maxima; & campus vndiq; multis refertus cadaueribus vtriq; hosti terrori erat. Quapropter cuncto Turcorũ equitatu nutante, & fugæ intento, solis castris Cæsareis innumerabilibus peditum agminibus munitis suo in loco magno cum timore stantibus, vbi rex Vladislaus hostilẽ equitatũ fugere Amratemq; Cæsarem, & castra illius terrore concuti vidit; mox sui capitis ꝓ custodia deputatũ mouit agmẽ; domino Wayuoda & cæteris parte ex altera feroci bello insistentibus, Cęsaris castra inuadere & penitus opprimere aggressus est. Cum igitur densa peditũ venit inter agmina, multitudine illorum simul cuncto suo cum agmine obrutus pariterq; & oppressus ac ibidem interemptus est; & victis iam debellatisq; hostibus neq; sibi quicquam de victoria sperantibus insperatam præbuit victoriam. Quare Hungari campo simul & castris eorum hosti relictis in fugam conuersi fuere; multis ex eis, qui in persecutione hostium prius fugatorum occupati erant de cæterorum lapsu ignorantibus: qui tandem persecutione ab eadem regressi castris ipsorum in prætactis nocturnæ se quieti dedere. Cum autẽ immediate diẽ tam mœstã subsequens nox aduentãs tenebrarũ vmbra cunctũ operuit orbem: qui nondũ per fugã parte ex vtraq; eorũ reliquerant castra: in eisdem proxime aduenientis diei, vsque ad lucem nocturnas duxerunt excubias. Audiebant innumerabiles cæsorum nec mori nec viuere valentium: quibus cunctus cir-

Signum malum promittunt Vexilla

Perit Rex Vngarie.

Digitized by Google

cum adiacens campus mortua inter cadauera refertus erat; gemebundas voces & vlulatus. attonitiq; lucem diei vix expectabant. Tandem rubescentem post auroram, quæ noctis tenebras & diei lucem mediat; dum sol ille clarissimus cũcta montium supra cacumina euectus diem restituit clariorem; Turci de fuga hostis dubii; compositis agminibus quibusdam Cæsareis de castris egressi castra Hungarica, an sint milite referta, lentis passibus procedentes paulatimque eisdem appropinquantes diligenti scrutinio tentarunt. Cum autem in illis exiguam quandam hominum vocem immurmurare: nullumq; ad arma moueri, aut causa belli in campum prosilire animaduerterunt; omnis Cæsareæ expeditionis peditatus irruit super illa: & eadem qualibet defensione orbata è vestigio conterens euertit: cunctis viuentibus, qui in eisdem reperti sunt, aut captis aut interfectis. Vbi & præfatus dominus Iulianus Cardinalis; multiq; alii religiosæ vitæ viri, maxime de ordine fratrum Cheriensium castra inter eadẽ vltima soluisse debita feruntur. Et præterea domini Iohannes Waradiensis ac SIMON Agriensis ecclesiarum episcopi: nec non vir magnificus Stephanus de Bathor, in curia regię maiestatis homo militari virtute perspicuus: cui & vexillum regium tanti discriminis in tremore sua exigente strenuitate, deferre confisum erat; huius conflictus in fluctibus perempti extitere. Hũc igitur in modum dominus rex Vladislaus, regum optimus, homo condecentis proceritatis, fusca facie, nigris crinibus, in armis strenuus, in suos beneuolus, morum honestate præclarissimus, menteq; & animo compositus, regni sui quarto, domini autem M.CCCC.XLIIII. anno, vitæ pariter & regimini mœstum finem dedit.

A.C. M.CCCC. XLIV.

DE CAPTIVITATE DOMINI IOhannis VVayuodæ.

CAPVT XLIII.

QVamuis in huius discrimine belli victoriæ gloria apud Cæsarem Amratem remanserit; multo tamen illam suorum ablutam sanguine reportauit. Plura enim vulnera sua gens ab Hungaris recepisse, quam eadem illis infixisse: & ipse Cæsar mortalitatis sui populi cædem maiorem ab eis percepisse relatione fide digna perhibetur. Huic rei sufficienti testimonio est: quod fugientes postmodum Hungaros sua ex gente persecutus est nemo. Habebat enim illorum quisq; pro sufficienti propria lambere vulnera. Inter hæc dominus Wayuoda Iohannes, dum redeundo in partes peruenit Transalpinas, hostem vbi non timebat, hostis obuiauit illi. Nam Drakul partium earundem Wayuoda de cuius conductione sperabat violentas in eum manus iniecit: & nedum mœstũ consolaretur, hominem verum captiuitatis illum ærumna affecit. Tandem cũ ipse Drakul dominum Wayuodam in eundem causam captiuitatis nullam se habere præmeditatus est; paucos post dies multis eum muneribus (vt ipse sperabat) placatum regni Hungariæ Transsiluanas traduci fecit in partes.

DE ELECTIONE DOMINI IOHANnis VVayuodæ in gubernatorem, & de talione per eundem à Drakul VVayuoda exacta.

CAPVT XLIV.

POst hanc tandem belli tempestatem; postq; regis Vladislai lugubrem interitum; ne quis in regno in alterius offensam moueretur; per dominos prælatos & barones regni interdictum est. & nihilominus vt adueniente festo Pentecostes in campo Rakos conuentio fieret omnium regnicolarum generalis, communi voto extitit statutum. Voluebatur M.CCCC.XLV. domini annus; & festum Pentecostes prædictum instabat; ipsaq; conuentione multorum aduẽtu nobilium inundata; ac latas dicti campi Rakos per planicies vndiq; diffusa; omnes qui aderant, voto vnanimi de regni commoditate; deq; eo, quem interim, donec rex Ladislaus filius regis Alberti puellus suæ ætatis quintum agens annum mentẽ ad consilia manumq; ad arma extendere valeret; eiusdem regni

A.C. M.CCCC. XLV.

in

Ioh. Huniades gubernator.

sui protectorē, eligerent multa cum discretione tractabant. Pendebat totius cōmunitatis ante oculos exactarum per ipsum dominum Iohannem Wayuodam clara memoria rerum; & ideo multis hanc dignitatem in se descendere sperantibus; hanc eandē solus ipse dominus Wayuoda tulit. Electus est igitur omniū regni & regis negocia tangentium rerum in gubernatorem. Quapropter cuncta Hungarici regni plebs tali fulta protectore magnam mox dissoluta in exultationem, alta voce deo laudes reddebat; campanarumq; & tubarum sonus vicinum per aerem ferebatur: peractamq; tantæ electionis post gloriā solis his, qui se hoc honore dignos esse credebant, eodē frustratis, & corde tristi, vultu tamen simulata sub imagine lęto, incedentibus; quisq; regnicolarum gaudens ꝓpria reuersus est ad habitacula. Placuit tandem post hæc domino gubernatori, à Drakul Wayuoda Transalpino suæ captiuitatis exigere talionem. nondum enim ingrata per ipsum ei exhibita hospitalitas suo de corde discesserat. Mota igitur armatæ gentis contra eundem copia non modica; ac Alpibus transcensis; illius se ingessit in dominium, vniuersoq; eius principatus agro perdomito, eum captiuauit: & simul cum filio eius in ordine genituræ maiori decollari; quendam vero alterum partium earundem Wayuodam, puta filium quondam Dan Wayuodæ lumine priuari fecit. Tali igitur à Drakul Wayuoda suæ captiuitatis pœna exacta; terra in eadem alium constituens Wayuodam, compos sui voti reuersus est in Hungariam.

DE REPETITIONE CORONAE ET vindicta propterea exacta.

CAPVT XLV.

INter hæc domini Hungariæ pertriste ferebant; quod sacrum diadema, quo reges Hungariæ coronari solent; puerulūq; regem, qui iure naturę illis dominari debebat; rex Romanorum Fredericus detinebat. Timebant enim ne puer aliena enutritus in terra à moribus & labio Hungarorum alter fieret. Conuentum est igitur, vt repeteretur aut iretur in vltionem. Et dum rex Romanorum petitis non flectitur, ingentibus damnis pulsatur. Nam dominus gubernator secundo sui officii anno pluribus armatorum agminibus compositis, omnem Carinthiæ & Carneolæ agrum, & magnam partem Stiriæ crudeli cum seueritate peruagatus est; res in prædam; homines in captiuitatem; ciuitatesq; ac oppida, & villas ardentes in flammas redigendo. Cum tandem ipsum Romanorū regem suorum regnorum depopulatione moueri vidit minime, multarum rerū & captiuorum congerie onustus felix rediit.

DE BELLO DOMINI GVBERNATOris in campo Rigomezevu commisso.

CAPVT XLVI.

POst hæc dominus Iohannes de Hvvnyad gubernator, omnes regni res vndecumq; emergētes, tanquā impositū suis humeris onus peroptima discretione gubernabat; regnūq; hostili tuebatur ab incursu; nec annis in eisdē Turcis Hungarici agri in offensam ipsorū extendere frameam facultas occurrebat. Tandē quarto sui gubernaminis anno, ipse dominus gubernator in virtute bellandi semper magna tentare præsumēs, Turcorū Cæsarē noua armorū expeditione aggredi cogitauit. Cōflauit igitur magnā militū manū, & omne, ꝙ in Hūgaria in armis potens erat, vnā redegit in expeditionē. ac castris bellicis, machinarū, pixidū, ac aliorū tormentorū hostē ferientium ingeniis munitis & refertis, primū autumni circa mēsem supra castrū Zevverini Danubiū trāsiit, & regnum Rasciæ eo, ꝙ domin⁹ illius expeditionē ad eandē vocatus nō accesserat, seuero incursu pertrāsiens; hostiles se gessit in terras; illasq; in igne & ferro domitabat; & nō tamen vt prędā acturus, sed vt regnū occupaturus transibat. Comitabātur dominum gubernatorem viri in regno potentes, sanguineq; & vicorum possessione pręclari; domini Emeric⁹ de Pelsevvczt Wayuoda Trāssiluanus, Ladisla-

Digitized by Google

Ioh. Huniades gubernator.

us, frater eiusdem; Emericus filius Wayuodæ de Marczali ianitorum regalium magister; Kayvvoldus de Rozgon, Thomas de Zeech; Franko de Thalovvcz regnorum Dalmatiæ & Croatiæ banus; Iohannes Zekel domini gubernatoris cōsanguineus; Benedictus de Losoncz; Stephanus filius bani de Alsolidvva, & alii quam plures virtute militari perspicui, audacesq; in bello multis armorū præsidiis insignes. Nec minus Cæsar Turcorum Amrates, qui tantam hostilitatis manum contra se moueri audiebat, ad protegendū se erat solicitus. Omnē enim sui principatus manum, quę ad arma extendi posse videbatur, commouit; armauitq; cunctum suæ gentis militem, & ad bellum instruxit, ac mouens ingentia sui populi agmina aduenienti hosti contrarius obuiam iuit. Instabant mensis octobris medii dies, cum Hungarorum castra Rasciani agri transuecta per oras Bulgariæ Cæsari Turcorum subiectas terras attigerant. & in expectando hoste in campo Merulæ quod Hungarico idiomate Rigomezrye vocatur, fixa manebant. Ventum est tandem ad feriam quintā, festa quæ sanctorū Galli confessoris & Lucæ euangelistæ mediabat: cum Cæsar ipse Turcorū veniens à castris domini gubernatoris suum non remote posuit hospitium. Leuis ergo armaturæ vtriusq; partis milites, quos effrena ducebat iuuentus; quibusue manus conferere animi erat; hincinde campo dediti; concursu mutuo non sine mortalitate separabantur. Cum autem illa cunctum per æuum memorabilis festiuitatis sancti Lucæ euangelistæ dies illuxit; solq; infra meridianas cæli per atria delatus venit ad horas; vterq; hostis omnem armorum virtutem, cunctūq; suæ expeditionis militem campi prædicti effundit per planicies. nec erat vllus parte in vtraq;, quem formido mortis tanti discriminis in sorte, tanta hostium visa multitudine, non occupasset. Ordinatæ sunt per dominum gubernatorem omni sua de gente, quam ducebat, acies octo & triginta; signaq; siue vexilla illarum in medio claro depicta auro ferebantur. & vnaquęq; acies prima in fronte radiantibus munita armis stabat. ac duces illarum easdem circumquaq; gyrantes corda militum monitis & persuasionibus ad bellum acuebant. Econuerso vero Cæsar Turcorum omne gentis suę robur ingentia in agmina cōponens; collatis signis velut murus quidam continuus omnem campi partem aspectui Hungarorum oppositam occupans lentis passibus propiabat. Cum autē ad vnius sagittæ iactum ventum est; cuncta mox vtriusq; partis tympana percussa terribilem ediderunt sonum. tubarumq; hincinde resonantium ad clangorē cunctæ vtriusq; partis acies in multarum flexione lancearum omni virtutis eorum cum impetu concurrentes; vniuerso campo tanto ex motu gemitum quendam edente mutuā irruerunt in cædē. Ingens ergo exoritur lancearum fragor: multi hincinde præcipites bellantium inter pedes saucii deiiciuntur ab equis; horrēdoq; clamore morientium altum intonabant aera: densatur ambarum partium populus: nec pars sciebat cedere parti: magnaq; ex densitate multorum manus hostem sibi propinquum magnam per horam ferire nequibat. Fortiori tandem impetu Hungaris in hostem vtentibus, Turci plurimas dissoluti in turmas ab Hungaris longā campi per partē cæde continua propellebantur. & rursus Turci nouis agminibus ex castris Cæsareis adiuti; Hungaros eorum vsq; ad castra in manu occisionis grauabant. Inter hæc & sagittarum densissimi imbres Turcorum per peditatum excussi: altum obumbrantes cæli lumē; Hungaros atrociter feriebant. Et quamuis Hungaris hostem plusquam ducentis armatorum millibus tumentem: viginti quatuor vel paulo plus millium pugnatorū in brachio sustinere impar & onerosum fuerit: non ea propter tanta hostium multitudo; tantus armorum strepitus; tantaq; vulnerum infixio, ipsa die eisdem fugā persuadere potuit; sed solis vsq; ad occasum inuicti animo, quanto durius cædebantur, tanto magis cedere nesciebant.

Conflictus magnus.

Magna igitur virtute, maiori tamen pertinacia aduenientis proxime noctis vsq; ad tenebras pugnantes, maiorem in hoste faciebant stragem, quam ab illo suscipiebant. Consumptus est dies totus magno belli in feruore: & innumerabilibus ex vtraq; parte cæsis, campoque certaminis toto recentibus repleto cadaue-

Digitized by Google

Ioh. Huniades gubernator.

daueribus, nox ipsa superueniens furorem simul & arma partis vtriusq; suis diremit vmbris. Vbi etsi eadem nocte parumper acies belli à labore resederint; totam tamen per noctem machinis & ingeniis extitit decertatum. Postquã autem immediate aduenientis sabbati dies orientis solis per radios illustrata est; vterq; hostis hesterno furore tumidus ordinatis aciebus rursus prosiliit in campum. Concurritur de nouo, & durissimũ ex vtraq; parte bellum committitur: in magno quoq; tumultu sextam eiusdẽ diei vsq; ad horã decertatur. Inter hęc Cæsar Turcorum dum milite Hungarico admodum pauco fessoq; sua agmina turbari vidit; omnem suæ gentis multitudinem, equitatum scilicet, & peditatũ mouit; & in magna rabie super acies superq; agmina Hungarorum irruit; & nõ minus velut multarum quædam inundatio aquarum obruit: eos ac castra eorũ euertens inscios fugere ad fugam coegit. Fugiebat quisq;, nec in fugiendo quispiam ordo seruabatur. Persecuti sunt eos Turci magna cum atrocitate, donec sol occiduis demersus est in oris. Sed post hæc non minus acerba Hungaris successit persecutio. Nam dietenus fugientium Rasciani quos in introitu offenderant, occurrentes, eosdemq; itinere fessos omnibusq; armorum præsidiis nudatos, velut à lupis territas oues omni absq; miseratione spoliabant, trucidabant, & perimebant.

DE MAGNATIBVS, QVI IN HOC BELlo cecidere; & de captiuitate domini gubernatoris per Dezpotum facta; & de exactis propterea pœnis.

CAPVT XLVII.

Ceciderũt bello in hoc domini supradicti Emericus de Pelsevvcz, Ladislaus frater eiusdẽ; Emericus filius Wayuodæ de Marczali; Thomas de Zeech; Franco banus; Iohannes Zekel: Benedictus de Losoncz; & Stephanus filius bani de Alsolindvva; & quasi cuncta regni Hungariæ militia extincta est. Dominus autem gubernator cum in celeri cursu sui equi tãta belli ex confusione procul à campo certaminis elongasset; omniq; milite desertus; tutricibus depositis armis errabundus per deuia ferretur; duorũ Turcorum incidisse dicitur in manus. Dum vero agnitio eiusdem illis nota esset minime; abiectis in terram frameis manutenus insilierunt in eum; ipsumq; suis spoliarunt vestimentis. Pẽdebat aurea crux domini gubernatoris in collo. hanc alter Turcorum eorundẽ cum rapere voluisset; mox dissensio inter illos orta est; mutuumq; irruerunt in luctamen. Inter hæc dominus gubernator, ipsis luctantibus, vna ipsarum framearum arrepta, irruit in eos, in virtuteq; sui brachii alterum eorum tam grauiter percussit; vt ille præceps in terram ruens extinctus fuerit. Cumq; & alterũ ferire vellet, ille fuga elapsus, eius euasit manus. Post hæc dominus gubernator amplius procedens quendam Rascianum obuium sibi habuit. Hic licet rapinæ gratia lustrauerit siluas; dum tamen hominem forma intuituq; præstantem suam in prȩsentiam emersisse conspexit, eiusdem ab offensa omnino abstinuit. vel quia dominus gubernator arreptam frameam nondum abiecerat, idẽ Rascianus ipsum inuadere ausus fuit minime. Cogitabundi ergo stetere ambo. Tandem dominus gubernator eundem Rascianum, vt sibi Nandoralbensẽ vsq; ad castrum conductum prȩberet, rogatum effecit; nihilominus illi condignã promittens remunerationem. Ille mox id se facturum obtulit. non tamẽn locũ ad optatum, vt prȩmiserat, sed ad castrum Zendeтevv ipsum deduxit. Postquã autem Georgio Dezpotum dominũ gubernatorẽ sui castri intra portas esse innotuit: immemor, quod virtus & opera hominis huius ipsum paucos tunc prȩteritos ante annos expulsionis calamitate affectũ suo in regno nouũ effecerat dominũ: ingratitudinis ductus vicio ingratũ se illi exhibuit hospitẽ. Detineri enim illũ iussit, & nec eũ Hungariæ dominis, pro illius liberatione solicite laborantibus, restituit: donec idẽ dominus gubernator filiũ suum nomine Ladislaũ natu maiorẽ erga manus illius sua in persona pro obside locauit. Quamuis autẽ ipse dominus gubernator bello in hoc sinistra comitatus fuerit fortuna: tamen quia po-

Ioh. Huniades gubernator.

tius armorum quam animorum defectu illum apud hostem victoriam reliquisse constabat: grato ergo animo Hungariæ proceres cuncti illius spectabant aduentum. Huic rei documento est; quod eodem domino gubernatore erga festa domini natalitia reueniente: magnus nobilium cœtus in ciuitate Egediensi congregatus illius spectabat aduentum, appropinquantiq; illi hilari in vultu se obuium dedit. Post hæc dominus gubernator ingratitudinē Dezpoti nō minus quā suæ captiuitatis calamitatē ponderans; resumptis armis & milite, Dezpoto ab eodem eius delicti condignas exigere pœnas processit, inuectusque forti in manu eius dominii in agrum magnas in illo edidit vastitates; omnibusq; castris & dominiis illius, quę regni Hungariæ ambitus cingebat, illum spoliauit. & amplius illius laborasset in destructione; nisi Dezpotus filium eius ipsi incolumem restituisset: Hungariæq; primores tumentem eiusdem domini gubernatoris in vindictam animum per Dezpotum peti non compescuissent.

DE BELLIS DOMINI GVBERNATORIS intra limites regni gestis.

CAPVT XLVIII.

MVlta & varia post hæc dominus gubernator, Bohemis in regni oppressione agentibus, eiusdem regni intra limites cum eisdem Bohemis gessit bella. & multas eorundem Bohemorum munitiones Hungarici agri in desolationem variis erecta in locis, alias deditione, alias vi cepit. omnemq; suarum expeditionum directionem contra eosdem Bohemos fine felici consummasset; nisi opera proditionis in ipsum dominum gubernatorem per primores Hungariæ conflata eisdem Bohemis auxilium præstitisset. Quanto enim res ipsius domini gubernatoris via prosperiori dirigebatur; tanto magis plurimi dominorum in illum occulta tumebant inuidia. Actum est enim dominicæ incarnationis

A. C. M. CCCC. LI.

M. CCCC. LI. anno: cum idem dominus gubernator multo tum stipendiario, tum populari milite armatus munitionē per præfatum Iohannē Izkra ad murū claustri sancti regis Stephani deprope ad oppidū Losoncz erectā obsidione cinxit: dietenusq; forti expugnatione illā expugnando illius custodes siti & armis in tantum grauasset, quod iam de illius obtentione finis optatus speraretur; pfatus tandē Izkra ciuitatū regaliū regni partibus in superioribus habitarum fauore superbus, tum vero proditorum motus persuasione proprio & auxiliariorum non modico munitus armatorum præsidio, suis, qui munitione in prætacta circumuenti erant, allaturus opē venit: secusq; castra ipsius domini gubernatoris ordinatis aciebus stetit. Sed quid nequitiosa rebus in bellicis valeat proditio, tunc patuit, cum nondum manus pugnatorum consertæ erant, & iam agmina proditorum domini gubernatoris de castris præcipitem proruperant in fugam. Quare & ipse dominus gubernator campū & castra deserere est coactus. Hanc quidem proditionem vir magnificus Stephanus de Pelsevvcz munitione sub prætacta fortuito ictu bombardæ ad mortem vulneratus; antequā moreretur proprio ore extitit confessus. Interfectus est ibi præterea nobilibus regni de potioribus Iohannes Kompolthy de Naua. Episcopus autem Agriensis Ladislaus de Hedervvara, cum esset claudus euadereq; nequiret, ibidem extitit captiuat⁹. Sicq; Iohannes Izkra campo & castris Hungarorum pariterq; & victoria potitus; tandem castrum Gede filiorum Lorandi dura tentauit oppugnatione. sed castellanis eiusdem viriliter resistentibus, voto frustratus Agriense venit sub castrum. Cumq; ibidem dictus Ladislaus episcopus idem castrum propriæ personæ pro redemptione manibus ipsius Iohannis Izkra assignare voluisset; capitanei eiusdem castri cum essent regnicolę illarum partium; calamitatem, quę exinde sequi potuisset vnius hominis præferentes miseriæ, ipsum Iohannē Izkra suo à proposito vacuum abire voluerunt. Post hæc dominus gubernator nouis assumptis armis; gentibusq; suis, quæ partes tutabantur inferiores (quorum militarē virtutē tumq; fidelitatis constantiam priorum bellorum in tentamine expertus erat) adductis: munitiones ipsius Iohannis Izkra ad claustrum de Saag

secus

 Ioh. Huniades gubernator.

secus fluuium Ipol,& in montem Galchur oppidoq; Rosnavva & Scepsi nouo erectas ædificio inuadens; graui obsidione vexauit, ac ad deditionem coegit. Munitionem vero eiusdem Iohannis Izkra in Derenchen habitam; quam Bohemus quidam Walgatha vocitatus,illius sub nomine detinebat,obsedit,& cũ esset in valle; nouo in eandem genere oppugnationis excogitato,vallem ipsam desubtus eiusdem munitionis alto aggere recludi faciens; fluuium per eandẽ vallem decurrentem altas retorsit in aquas. Cumque illarum diluuium mœnia munitionis eiusdem transcenderet: cunctisq; in illa existentibus suffocationis mortem minaretur; hi,qui in illa erant,Bohemi personas in captiuitatẽ & munitionem ipsam ad manus ipsius domini gubernatoris dedere. Tandem ciuitatem Zoliensem tantæ perniciei nidum & altricem adiens, eandem vehementi exussit igne, castrique Zoliensis in contrarium magnam erigere faciens munitionem armis militeq; refertam relinquens,ipsum Iohannẽ Izkra armorũ strepitu interim angustiauit, eundemq; ad pacis condimentum impulit.

DE BOHEMIS REGNVM HVNGARIÆ deuastantibus, qui fratres nominati fuere.

CAPVT XLIX.

TVnc præter Iohannem Izkram plurimæ in regno erant extraneæ nationes; quæ omnem vim ipsarum regni eiusdem dedicauerant in molestiam. Petrus Komorovvzki comitatum Liptoniensem vniuersum suæ subegerat ditioni. Pancratius vero homo, vt supra dictum est, in Hungaria natus, toto comitatui de Thvvrocz dominabatur; castraq; Ovvar, Berench & Ztrechen vsurpãs; in vastando regno non minus cæteris atrox erat. Hi mutuis se persequebantur odiis: comitatusq; prædictos,& omne quod ipsis vicinum erat, alternatim grauibus spoliis excolebant. Erat & aliud genus latronum, partes regni superiores vastantium. Hi ex collectiuo quodam & gregario milite armorũ præsidiis grassati,plurima sibi domicilia,alia proditione & armis acquisierant,alia nouo ædificationis opere adaptauerant. fraternum quoq; nomen claustralium ad instar monachorum sibi vsurpantes; se ipsorum lingua *bratrik* vocitabant. Hi constitutis inter se capitaneis, omnes regni ipsius contiguas partes, maiori cæteris deprædationum cædiumq; ac flammarum grauamine quassabant. Tanta iam in regno illis creuerat audacia, vt palam connubia tanquam perpetuo in regno mansuri contraherent. Nam & dominus gubernator, postquam superiorũ regni partium magnates proditionis insidias sibi tendere, & illos magis erga eum inuidia quam recto corde duci animaduertit; in earundem partium tutamen postmodum tepidior fuit.

DE BELLO DOMINI GVBERNATORIS in terra Rasciæ iuxta castrum Crusovvcz commisso.

CAPVT L.

EAdem tempestate Cæsar Turcorum Amrates Georgium Rasciæ Dezpotũ sua in vicinitate dominio potiri ægre ferens (graue enim in illum propter emissionem domini gubernatoris conceperat odium) magnam suæ gentis partem ad arma commouit; & illam cuiusdam Wayuodæ sui Friezbeg denominati hominis bellicosi sub ductu Rascianas in partes direxit: ac illi, vt castrum Crusovvcz ad litus fluuii Muræ situatum antiquã per ruinã occupatum repararet; & ex illo Georgio Dezpoto hostis fieret, strictius mandauit. Hac re audita Dezpotus contremuit; cogitabundusq; quid faceret, diu intra se reuoluit. Suas enim vires tanto posse resistere hosti impares sciebat. Mox de iniuria domino gubernatori illata pœnituit. Sed cum nullã sibi tanto in discrimine redemptionem præterquam aut hosti cedere aut auxilio vti animaduertit; ad quem pro auxilio refugeret ignorabat. Dicebat enim ad suos, *si domini gubernatoris erga me non offendissem voluntatem: hic esset homo, qui me periclitantem tantorum malorũ eru-*

Ioh. Huniades gubernator.

eret à procellis. Cum ergo, cuius se commendaret præsidio, præter dominũ m gubernatorem inuenit neminẽ: facie quasi rubore perfusa, ad illius diuertit auxilium. Dominus vero gubernator, cui cum Turcis bellare magis quam iocundas adire choreas animo erat; mox plurimum sui exercitus militem conclamari iussit, coaptatisq; armis Dezpoti propria in persona iuit in succursum. Sciebãt etiam Turci, quod Dezpotus ad se defendendum arma parasset: ignorabant tamen, quod dominum gubernatorem suum conduxerat in auxilium. pacato ergo animo aduenientem expectabant hostem. Dominus autem gubernator, vt eo celerius hostem adoriri posset; cum cunctis suorum armatorum & Rascianæ gentis agminibus in transeundo totam noctem consumpsit. Exacta est igitur simul nox & via; diesq; solis ad ortum, & dominus gubernator ad hostem propinquarunt. Insurrexit inter hæc nebula quædã, quæ vtriusq; hostis, ne se mutuo cernerent, tenebat oculos. tandẽ cum nebula eadẽ orientis radios per solis subleuata est in altũ: mox ferratæ resplenduerunt acies. Agmina vero Turcorũ cum easdem sibi propinquas esse; & inter easdem vexilla domini gubernatoris, quæ dudũ cognouerant, ventilari viderunt; terga verterunt: & armis minime consertis subitæ se commiserunt fugæ. Persequebatur eos fugientes cunctum domini gubernatoris leuis armaturæ robur; & quisque persequentium multa pugnandi cum auiditate illos perimebat. Quare cædes maxima secuta est de illis venturam vsq; ad noctem. multoq; maior fuisset subsecuta; si eosdem aduenientis noctis tenebrę fugiẽtes nõ occultassent. Vbi & pręfatus Friczbeg Waywoda multis sibi commissæ gentis cum potioribus captiuitatis calamitatẽ affecti; & domino gubernatori magno cum gaudio & solennitate pręsentati fuere. Quapropter ipse dominus gubernator victoria potitus, in reditu ciuitatem Budiniensem totius Bulgariæ locum capitalem exuri fecit. Tandem vniuersis captiuis Dezpoto assignatis, felix cum triumpho venit in Hungariam.

DE REDVCTIONE REGIS LADISLAI, & de creatione domini gubernatoris in perpetuum comitem.

CAPVT LI.

INter hæc cum Romanorum rex Fridericus regem Ladislaum suis regnicolis pacato animo sibi reddi petentibus dimittere negaret; mox nonnulli regnorum eiusdem regis Ladislai primores, & comes Ciliæ Vlricus cum illis, minacibus armis & militibus ad inferendas iniurias promptis magna in copia coadunatis, ciuitatem nouam & ipsum regem Romanorum in illa molesta circumquaq; obsidione cinxerunt. Quapropter ipse Romanorum rex tum metu tum penuria victualium admodum laborans: regem Ladislaum suorum regniorum ꝓceribus reddere est coactus. Reductus est igitur puer princeps; & castri Wiennensis conuersabatur in palatiis. Multi ad illum confluebant tum de suis, tum de alienis regnis nobiles. Cum enim tam excellentibus tamq; potentibus esset natus de parentibus, magnum in hominem illum euasurum sperabant. Conuentum fuit ergo, vt & dominus gubernator, regniq; domini, & magnates cuncti ad exhibendos puero regi condignos honores fidelitatisq; homagium præstandum illuc irent. Nec dilatum extitit. quin omnis dominorũ Hungariæ pulchritudo in Wiennensem ciuitatem conuoluta est. Et ipsa regis curia venerando dominorum cœtu feruens; dominis Hungariæ prædictis, cunctos cæterorũ eiusdem regis Ladislai regnorum inter primores locum eminentiorem dedit. & rex ipse suos pueriles in illorum aspectione depascens oculos, tãtorum magnatum lætabatur de fauore. Consumpti sunt ideo tantę curialitatis in honore dies plurimi. Vbi & dominus gubernator onus sui officii, quod iam octo per annos felici gestamine direxerat sponte exuit; & millesimo quadringentesimo quinquagesimosecundo instante domini anno; regnum Hungariæ sanguinolentis suis suorumq; laboribus omni industria, solicitudine & bellicis artibus pręseruatum regi Ladislao restituit. Propter quod ipse rex Ladislaus, ipsum dominum gubernatorem exactarum victoriarum longas orbis per partes diffusis inclytis

A. C. M. CCCC. LII.

clytis

cyftis præconiis,præſtantiumq; operum laude dignis meritis erga ſe commendatum,alto in fano regali quoq; in habitu & maieſtatis ſuæ in throno ſedens, aſſiſtentibus ſibi quam pluribus ducibus,marchionibus,ac regnorum ſuorũ prę-latis & baronibus,magna cum ſolennitate in comitem perpetuũ Biztricenſem ſublimauit.& temporalem gubernationis dignitatẽ prædictam,quam vſq; tunc ſuis meritis & regni neceſſitate exigente tenuerat,in perpetuã commutauit hæreditatem. Armorum quoq; inſigniis; puta coruo, geſtamine annuli de colore flauo in clypeo depicto: quę ipſe dominus comes vſq; tunc geſtauerat; alia clara inſignia,rubeũ ſcilicet leonẽ, coronã vnguibus rapere volentẽ; albo in ſcuto deſcriptum ſuperaddidit; & maioris excellentiæ & dignitatis pro honore eundem dominum comitem Biztricenſem inſigniis eiſdem adornauit. Peractis tãdem magno cum gaudio cunctis ipſius ſublimationis cerimoniis; idem rex Ladiſlaus eundem dominum comitem multis muneribus & donariis regali largitate honoratum; vna cum cæteris dominis prælatis & baronibus paucos poſt dies remiſit in Hungariam.

DE ADVENTV FRATRIS IOHANNIS *de Capiſtrano in Hungariam.*

CAPVT LII.

DOmino igitur comite Biztricenſe,& cunctis regni Hungariæ magnatibus ad propria feliciter redeuntibus: vir religioſus frater Iohãnes de Capiſtrano fratrum ſancti Franciſci regulari redimitus amictu; vitæ quoque ſanctitate perfulgidus; dominis cum eiſdem in Hungariam venit. Sũmus enim Romanæ eccleſiæ pontifex Nicolaus, Turcorum rabie Chriſtianæ religionis in perſecutione acrius inſiſtente, populo catholico tanti periculi in procellis fluctuanti auxiliari; & cõtra eoſdem Turcos chriſticolarum adunari ſatagens expeditionem; cunctis ad id ſe offerentibus veniam delictorum futuræq; remiſſionem pœnæ omnes per prouincias prædicari: & illis quidem rubeam ac deſubtus alba cum ſindone ſubductam parte pectoris in ſiniſtra applicandam crucis imaginem diſtribui debere apoſtolica bulla mediante ſtatuerat. Huius quoque intentionis ſuæ idem dominus apoſtolicus præfatum fratrem Iohannem de Capiſtrano conſtituerat operarium. Quapropter ipſe frater Iohannes cum ſacro in dogmate magnæ eſſet auctoritatis; non modicaq; ſuorum virtus meritorum ad cæcos,claudos & infirmos,ac ſpiritus immundos habentes humano in conſpectu clareret; multam in Almanię & Poloniæ partibus,& in Hungaria multã, maxime popularis conditionis,plebem præfatum contra hoſtem ad arma excitauit. Paulo quidem hanc ante tempeſtatem Cæſare Turcorum Amrate ſupradicto vita functo, Mahumetes filius eiuſdem illi ſucceſſerat: patre cæteriſque cunctis eius prædeceſſoribus in effundendo Chriſtiano ſanguine, inq; agrorũ direptione truculentior: & diſciplina rei militaris peritior; copiis ac bellico apparatu opulentior; inq; ſuos domeſticos ſeuerior. Hic poſtquam regni potitus eſt gubernamine; Conſtantinopolitanam vrbem; dum ſibi eſſet vicina, alienamq; teneretur per manum; opprobrio habuit; & illam ſæuo ſemper intuitus eſt oculo: ac de illius obſidione diu in animo reuoluit: aliudq; quam faciebat diſſimulans,munitionem quandam iuxta litus maris ad oſtium Boſpori vrbe ab eadem non magna in diſtantia mira & incredibili celeritate extruxit. Hæc res magnam mouit in Chriſtianitate turbationem: cum ipſa munitio non aliud, niſi vrbi prætactæ venturam minari videretur ruinam.

DE ADVENTV REGIS LADISLAI *in Hungariam.*

CAPVT LIII.

POrro rex Ladiſlaus ſuæ ætatis tredecimo, dominicæ autem incarnationis M.CCCC.LIII.anno,comitis Vlrici aliorũq; multorũ ſui principatus nobiliũ in conductu eiuſdem anni ea in parte cum carnes piſcibus dominorum menſis A. C. M.CCCC. LIII.

cedere parabant; venit in Hungariam, Budensiq; ciuitate intrata: in illa admodum lætus manebat. Eisdem vero in diebus, dominus comes Biztricensis partes regni inferiores lustrabat. Sciebat enim plurimos dominos de Hungaria, & maxime comitem Vlricum, non recta ad ipsum esse voluntate. Metuebat igitur ne apud regem cæcas ipsi insidias tenderent, in quas si incautus graderetur, de facili cadere posset. Salui tandē conductus sub securitate ea tempestate anni prędicti cum Titanei axis ductor veris instantib⁹ primitiis Piscium hospitio relicto ad Arietis cornua suos colligauerat equos, ipsis scilicet sacris quadragesimalibus diebus, dominus comes Biztricensis, ac magnifici potentesq; in regno viri Thomas Zekel Prior Auranæ: Wlad Transalpinarum partium Wayuoda, Ladislaus de Kanisa, & Sebastianus de Rozgon; nobilesq; Hungariæ multi radiantibus stipati armis, splendida in agmina distincti, in forti brachio armorumq; tutrici in præsidio potius quam dicti salui conductus confidentes in assecuratione pariter ad regem venerunt. Amabant hi magnates dominum comitem, & pro illius vita vitam suam in discrimine ponere non formidabant. Cōuersatus est igitur dominus comes apud regem dies per plures. tandem recedēdi licentia obtenta ad Themesvvar descendit.

DE EXPVGNATIONE VRBIS CONstantinopolitanæ per Cæsarem Turcorum facta.

CAPVT LIV.

Eiusdē anni sub decursu, quo rex Ladislaus in Hungariam venerat, primum æstatis circa mensem, Cæsar Turcorum, Mahumetes armis in Græcos conuersis, contra inita cum imperatore illorum fœdera, & contra iusiurandum; omni Græciæ formidolosum bellum intulit: ac innumeris vndique copiis coactis, cunctoq; sui regni bellico apparatu moto; vrbem illam famosissimā Constantinopolim olim Byzantium vocitatam, veterum alumnam imperatorum, & orbis dominatricem tumentis animi cum impetu terrestri marinaq; obsidione aggressus est: mœstamq; vrbem à Christianis regibus auxilia mendicante, ab omnibus tamen discrimini & euersioni derelictam, armis & insultibus continuis adeo vexauit; vt & muliebris sexus defensioni adhærere cogeretur. Sed quid profuit Græcis tam innumerabiles contra hostes imparem extendere manum? cum Cæsar ipse nouo expugnationis genere excogitato, cuniculos & fossas subterraneas egerere faciens, illis insidias tendebat; marique tum cathenis, tum ponte iuncto; ac turribus ligneis eo vsq; erectis, vt muros vrbis, qui altissimi erant, excederent; illarūque de summitatibus, Turci omne quod in vrbe ad arma mouebatur, imbribus sagittarum densissimis offendebant, adhibito præterea machinarum ac tormentorum multiplici & inuisæ magnitudinis genere muros illius præcipitem per ruinam dissipari faciebat. Mœnibus tandem illius in magna parte humotenus prostratis, Cæsar ipse cunctum suæ expeditionis robur ad inuadenda vrbis eiusdem interiora nimio tympanorum & tubarum in sono mouit; ac post quartum & quinquagesimum obsidionis eiusdem diē vrbē ipsam summa vi & extrema pugna cepit. ac illius imperatore in ipso hostium ingressu multis vulneribus confosso pariter & extincto; omne quod in illa pulchrum reperit diuinum pariter & humanum fœdas Turcorum per manus direptioni dedit. optimates illius captos & sibi adductos sæuus princeps miserrime iugulare, sepulchra sanctorum euertere, & illorum reliquias marinis aquis immergere fecit. Quis tantæ vrbis casum, tantopere deflendam Christianæ religionis calamitatem, tot tantaque ab hoste rabido in sacra atq; prophana, in viros ac mulieres per immanitatem ac scelus passim patrata facinora pro merito rei vel verbis exprimere, vel lachrimis prosequi, aut narratione perstringere valet?

DE

Digitized by Google

DE OBSIDIONE CASTRI NANDORalbensis per Cæsarem Turcorum facta.

CAPVT LV.

A. C. M.CCCC. LV.

MOrabatur rex Ladislaus castro in Budensi; & annus domini M. CCCC. LV. voluebatur; cum Cæsarem Turcorum Mahumetem regno Hungariæ inuasionem minari, & quam primum castrum Nandoralbense expugnare velle auditum est. Hæc fama non solum Hungariæ plebem, verum etiam cunctas vicinas regiones, & quasi omnem Christianitatem magnas inuoluit in curas & cogitationes. Constantinopolitanæ enim vrbis truculenta expugnatio totius catholicæ plebis ferebatur ante oculos: cunctisq; terrori non modico erat. Ipse siquidem Cęsar Turcorum habita in Græcis victoria, quasi alium hominem indutus, ambitione & superbia altiori tumescens; magni quondā Alexandri Macedonū triumphalia ad ipsum redisse tempora arbitrabatur. Fertur enim dixisse, *vnus deus dominatur in cælis; competens est, vt vnus tantum princeps dominetur terræ.* Hi rumores cum ad regem Ladislaum delati sunt; mox iuuenis princeps intime expauit; & comes Vlricus Almanico qui ducebatur bellicæ virtutis animo; quiq; suis regem consiliis dirigebat, non minus turbatus est. Non ergo regni de tutela tractarunt; & nec ad obuiandum hosti arma pararunt; sed velut rumorum ignari vnius noctis sub tenebris Budensi de castro exeuntes in Wiennensem ciuitatem via immorata se contulerunt; & Budense castrum irreclusum plus quam medium per mensem debita sine custodia stetit; dietenusq; horrenda aduentus tanti hostis crebrescente fama, illius in contrarium ad arma mouebatur nemo. Tandem subsequentis æstatis ea parte adueniente, cum segetum spicæ virentibus productæ ex cęspitibus iam crocescebant: Phœbusq; suum geminorum per campum moueri faciebat currum: cum videlicet prefatus Cæsar Turcorum horrendo & multiplici bellico cum apparatu, ac millibus Turcorum vltra quam quatuor centenis castrum Nandoralbense prædictum terribili obsidione circumquaq; adorsus est. Innumerabilium ergo cernebantur altis castri de mœnibus culmina tentoriorum longe lateq; circum adiacentes campi per planicies extensorum. hostis vero multitudinem visu cōprehendere poterat nemo. Multas prætcrea naues, marinarum nauium ad instar fabricatas, ipse Cæsar adduxerat: & his quidem Danubii & Saui flumina secus idem castrum decurrentia adeo munierat; vt ad ferendam castro eidem opem nauali officio vti valeret nemo. Ingenia quidem, ac machinas, & tormenta tot & tanta in quantitate, qualis & quanta in nullius castri destructionem aliquando cōportata fuisse credi possunt; iuxta castrum Crvvsovvez mira agilitate conflata; propter sui enim magnitudinē longinquis de partibus apportari nequiuissent; maximis cum laboribus adduxerat. Quæ tandem ea parte castri, qua campum respicit apposita; alia ex illis solidos castri eiusdem quatiebant muros: alia vero altum in aerem lapides magnitudinis modii excutiebāt; & hi quidem deorsum castri intra muros formidoloso impetu cadentes, omne viuens quod attingebāt ad instar fulminis subita morte extinguebant. Tonabant ergo die nocteq; crebrius excussæ machinæ; ac terribiles illarum tonitus vsq; ad ciuitatem Zegediensem, & aliis circumquaque plus quā ad Hungaricalia vigintiquatuor milliaria audiebatur. Nihilominusq; continua succensio machinarum fumū eructans assiduum, nobilem solis iubare rutilante aerem densa nubiū caligine obumbrabat. aduolantesq; auræ sulphureo miscebantur fœtore: & nec feruidus ęstatis dies, neq; noctis obscura caligo obsidentibus & obsessis quieti erat; vt nō omne tempus funebri decertatione expenderetur. Ruebant tanto ex impulsu nobilium turrium culmina: dissipabantur parietes, & alta mœnia hominem castrum ve tutātia humotenus sternebantur. Quid amplius dici potest? nisi quod obsessi intima mortis formidine percussi, diem tantum expectabant extremū. Cunctas regni per partes tam acerbę tamq; potentis obsidionis fama ferebatur. Hungariæ tamen domini quadam desidia, quasi graui somno laborantes: peri-

turræ arci armorum auxilium ferebant minime. Adiit tandem hoc tremendum obsidionis genus vir innatæ virtutis & militiæ dominus comes Biztricensis supradictus: modico ad decertandum cum tanto hoste stipatus milite. Confluūt Hungaricæ plurimę per dictum fratrem Iohannem de Capistrano cruce signatæ gentes pro Christi nomine pugnaturæ: & de partibus Polonicalibus cruciferi quasi trecenti venere. Quapropter ipse dominus comes, quamuis, vt supra dictum est, cura gubernaminis exutus fuerit; tamen assueta in illo agente strenuitatis virtute sustinere non valuit; quin hostem adoriretur. Viam ergo quæsiuit, qua hostium naues à decursu fluminum prędictorum remouere; obsidioneq; laborantibus armorum præsidium ferre posset. Conquisitis tandem nauibus; illas militibus armatis & cruce signata gente simul onerauit. tandem per flumen Danubii hostiles contra naues misit. Propter quod vterq; hostis nauali iungitur certamine. Ingens exuberat in Turcis clamor: & Hungari quoq; vocibus altis dominum Iesum pro auxilio inuocabant. Via igitur ad fugam vtriq; hosti dempta: acerrimum committitur bellum. Feruntur hincinde altas Danubii per aquas vtriusq; partis naues: & multi ex illis mortalibus sauciati vulneribus cadentes ibant in profundum: tantiq; sanguinis ex effusione clara Danubialis aqua immensæ cædis cruenta ostendebat vestigia: & recentibus pugili de vtroq; piscibus escæ parabantur. Tandem longum belli post laborem vicerunt Hungari, acriusq; irruentes in Turcos; naues eorum ferreis iunctas cathenis dissecantes: vehementes succēderunt in flammas. Quod postquā Turcorum Cæsari innotuit, dixisse fertur: *iam grauius nostrā potiemur voluntate.* Dominus vero comes nauali in certamine gloriam victoriæ adeptus; mox castrum adiit, & capitaneos illius iam mente consternatos, & præter mortem nullā aliam sortem expectantes cōsolatus est. *Quid*, inquit, *territi estis? An solum nunc vidistis Turcos? Hi sunt illi, quos sæpius fugauimus: nosq; interdum fugimus ante illos. Cur illorum aspectus, quos multotiens vidistis, vos turbat? Nonne arma & vires illorum experti estis? Confidamus igitur filioli in Christo: pro cuius nomine crebrius nostrum fudimus sanguinem: & cum illius nostroq; hoste eo fortius decertemus. Nonne Christus mortuus est pro nobis? & nos quoq; moriamur pro illo. Estote ergo animo constantes, & fortes in bello. Timidus, vt nostis, est hostis. Siq; deus nobiscum fuerit, de facili conteri potest. Nam & terga vertere consueuit: & illum in fugam labi, fugientemq; in patriam reuerti non pudet. Quid amplius est differendum? cum hæc & vos tentastis meo sub ductu longa belli tædia ferentes.*

Per hæc itaq;, & horum plurima verba; perq; suam præsentiā dominus comes non modicæ illos animositati restituit. Firmauit insuper castrum nouo milite. cruce signatam quoq; gentem plurimam in illud introduxit. & cum popularis esset conditionis, armaque vertere esset ignara: dominus comes & illos, in quantum potuit, bello adaptauit. Audierat ante hæc Cæsar Turcorum prædictus, quod genitor suus Amrates, dum viueret, sub eodem castro Nandoralbensi septem mensium consumpsisset obsidionem: & eodem potiri valuisset minime; ac absque victoria cum decore desub illo recessisset. Quapropter idem Cæsar Turcorum astantibus sibi sui exercitus ductoribus, ipsum genitorem suum vituperamine non modico affecit, seque idem castrum dies per quindecim expugnare posse dixit. Quē cum Wayuoda Natuliæ suorum supremus Wayuodarum se sic iactantem audiuit; impetrata prius dicendi licentia ad verba illius ita respondit: *Maxime Cæsar, iocundum aliquid vestræ dignitatis in præsentia me dicere expediret: timeo tamen me in posterum rei exitus me vestram apud clementiam redarguat: ac tamen scire debemus, Hungaros ipsorū castra grauius cedere quā Græcos.* Cū igitur iam nobilium culmina turrium deiecta mœniaque in magna parte hucusque prostrata iacerent; ac valles & fossæ castri repletæ & terræ adequatæ essent, ita vt hostis irruptioni nil penitus obstaret; & præscriptus quintusdecimus dies præfatæ obsidionis eluxisset; mox CÆSAR ipse adhuc rutilante aurora cunctam gentis suæ multitudinem pulsantium tympanorum tubarumque hinc inde resonantium in voce commouit: furiosoque in impetu idem

tu idem castrum aggressus est: ac cruentã per cędẽ illius penetrauit in medium. Hungari vero, licet tanto cũ hoste ipsos cõgredi impar fuerit; viribus tamen se defendebãt totis, auxiliumq; domini Iesu sæpius acclamantes, hostis in ruinam acriter insistebant. Instauratur ergo mortale bellum; & castri decertatur in plateis. Cadunt hinc inde multorum cadauera interfectorũ, multoq; ex clamore ac innumerabiliũ ensium ex tinnitu ingens in aere confusio reboabat: & sæpius vtriq; hostes, tum iste tum ille, terga dare coguntur. Aderat & frater Iohannes de Capistrano. hic velut in ecstasi positus, & cæteri fratres cum illo humotenus prouoluti; leuata ad summum auxilium mente manibusq; & oculis in cælũ defixis gemebundi orabant, & cum propheta quidẽ dicere potuissent; *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Dominus vero comes Biztricens. hic minis, hic vt pugnarent, instabat monitis. Michael quoque Zilagy capitaneus, & Ladislaus de Kanisa iuuenes militari virtute præstantes; & acies armatorũ, quas dominus comes adduxerat cum illis, nec nõ & agmina cruce signatorum dirutis stantes castri in parietibus atrociter pugnabant. Iam Turci sæpius de castro expulsi, & rursus dirũ per certamen in illud ingressi, Hungaris potentiores erant. Iam plurimæ domus in castro succensæ vehementes eructabant flammas. Iam Cæsaris vexilla in signum victoriæ plurima castri in mœnibus eleuata tenebantur. Iam Hungari omni spe resistentiæ destituti retrocedere (si quo erat) cogebantur. Crudescebat enim vnicuique imminentis mortis aspectus. Tãdem cum fugã salutis sibi opem ferre posse nullam; sed tanti discriminis solam mortem esse redemptricem cõspexerũt; rursus nomine domini Iesu altis vocibus inuocato; armis coaptatis & clypeis iunctis; fortiori, vt poterant, cũ impetu irruerunt in hostem. Funebre ergo renouatur certamen, multi hincinde sanguinem simul & animam fundunt. Nec abest auxilium Dei. Nam mox cuncta Turcorum agmina tam fortẽ tamq; animosum Hungarorũ per impetũ turbata; versa sunt in fugã. Hungari ergo animositate resumpta; & quasi nouo potẽtiæ spiritu cælitus adiuti, in ore gladii persecuti sunt illos tam diu, donec cunctæ machinæ cæteraq; tormenta per illos castri ad ruinã adhibita, suorum sunt nudata custodiis. Propter q̃ Hungari omnes, quas Turci constituerãt; munitiones igne succenderunt, fortiusq; clauis ferreis ad immittendum ignem apta machinarum clauserunt foramina. Nec ergo diei durante luce cessatũ est à bello; sed illud quod prius castri artis in plateis agebatur: lato postea in campo interim, donec nox superueniens vtrumq; hostem sua disiunxit caligine multa cum seueritate extitit continuatũ. Qualiter autem Cæsar ipse profundis eiusdẽ noctis sub tenebris castro desub eodem fuga lapsus sit: pro comperto habet dicere nemo. ad laudem tamen Dei, & Cęsaris eiusdem confusionẽ sufficit, quod cunctis bellicis spoliatus apparatibus, omnibusq; machinis, & cæteris tormentorum generibus, quas, & quæ illuc aduexerat, relictis; immensam suæ gentis post cędem propriam in patriam rediit. Sed & in posterum huius castri memoria per quempiã sui in præsentia facta, grata fuit ei nunquam. Quidã tamen de eiusdem Cæsaris fuga ita dixere, q̃ videlicet ipse Cæsar feruente atrociori bello dum suos ad certamen cogeret, sagitta in pectore fuisset vulneratus; cecidissetque mox semiuiuus. ac sui eum rapientes inter manus sua ad tentoria detulissent. Vbi autem ad noctem ventum fuisset, Turci & Natuliæ Wayuodã & potius cũctos ipsorum optimates bello consumptos, seque maximam stragem accepisse, & ipsum Cæsarem velut exanimem vix palpitare prospexissent, territi, ne mane facto per Hungaros adorirentur, fugam iniissent: Cæsaremque secum deferentes, ne idem ex itineris laboribus magis grauaretur: ex alia parte castri eorum Sarno vocati condescendissent. Cumque ibi Cæsar ipse ad se rediisset, ac vbi iam esset interrogasset, illi quoq; eidem locum denotassent, dixisset Cæsar: *Et cur aut qualiter ad hunc locum deuenimus? Deuicti sumus,* inquiunt, *per Hungaros, & Natuliæ VVayuoda, ac quasi omnes tui exercitus ductores interfecti sunt. nos quoque magnam accepimus stragem. ac quod maius est, tuam serenitatem potius mori quam viuere suspicabamur. Fugimus ergo huuc vsque ad locum,*

Io: de Capistrani oratio

NB.

Victoria divinitus data.

Spolium.

Digitized by Google

Et cum rursus, si etiã machinę & cætera ingenia ibidem derelicta essent, Cęsar quæsiuisset: Illi quidẽ omnia ibidem remãsisse dum respõdissent; Cæsar ipse mox intima cordis amaritudine exacerbatus dixisset: *afferte mihi venenũ, vt gustem, & moriar potius quam cũ dedecore meum reuertar in regnũ.* Tali igitur exitu Cæsar Turcorum sub castro Nandoralbensi cũ Hungaris prœliatus est; & qui tumida mente superboq; oculo solus cuncto terrarũ orbi dominari volebat: iudicio diuino rusticanam per manũ, quæ potius sarculũ, quam arma tractauit, deuictus est: & qui multarum tubarũ multorumq; tympanorum in sono admodum lætus venerat; tristis noctis sub silentio turpiter fugit.

DE OBITV DOMINI IOHANNIS DE HVVNYAD comitis Biztricensis.

CAPVT LVI.

POst hæc dominus comes Biztricensis, qui tot tantosque suæ iuuentutis primæuo à tempore bellorũ exegerat labores: nõdum senectutis ætate demolitus; sed continuo armorũ gestamine curarumq; directione fatigatus & virib⁹ exhaustus, ibidẽ ægrotauit: paucisq; diebus ipsa ægritudine laborans: tandem in oppidum Zemplen delatus in recommendatione præfati fratris Iohannis de Capistrano, viri Dei, suo saluatori suum restituit spiritum. Oritur ergo planctus magnus omnẽ per Hungariam; & quasi cuncta Christianitas nimio dolore turbata est; dum suum propugnatorẽ vita functum esse audiuit. Nam & alta in cælo fixa eius obitum sidera prænunciauerãt. admirandum siquidem sublimi in æthere sidus comatum eius ante sublationẽ apparuerat. Ipse etiam Cæsar Mahumetes, quamuis per eundẽ dominum comitem prope suã ante mortem de sub castro Nandoralbensi prędicto fugatus sit: cum tamen per Georgiũ Rasciæ Dezpotũ eidẽ Cæsari pro cõsolatione mors ipsius domini comitis nũciata est; Cæsarem eundẽ defixo capite longã per horã subticuisse; seq; (quãuis ei inimic⁹ esset) sublationẽ eiusdem cõdolere: & seculorũ ab initio hominẽ sub principe nũquam talẽ fuisse ad nunciũ dixisse perhibetur. Iste homo, quã quondam Solon Crœso regi Lydorũ omnium regũ ditissimo percuntanti primã negauit beatitudinẽ, cunctos nostri ęui inter mortales solus tulit. Nõne velut Tellus homo omniũ Atheniensium pręstantissimus, quẽ Solon Crœso visis illius thesauris in beatitudine antetulit; liberis, de quib⁹ erga omnes spes optima habebatur, summo rerũ conditore prouisus est? Nonne & vitã multa vndiq; famæ gloria redolentem traduxit? obitusq; illi persplendidissimus tanquã ipsi Tello obtigit? cum tanto Cæsare deuicto & fugato, magnifica victoriæ (quã semper appetebat) sub laude, triumphi dulcedine nondum suis è faucibus lapsa bono cum nomine diem clausit extremum. Cuius tandem corpus vbere suorum in fletu ad Albam Transsiluaniensem delatũ honorifice extitit tumulatum. Obiit autem ipse dominus comes millesimo dominicæ incarnationis, simulq; quadringentesimo quinquagesimo sexto anno: virgine suo æthereo solem hospitante in cubili. Quem cum præfatus frater Iohannes de Capistrano vltimis respiraminibus laborantem intuitus est, post illius recommendationem Deo factam, hoc flebile carmen dixisse fertur: *Salue aureola cæli, cecidisti corona regni. Extincta es lucerna orbis. heu corruptum est speculum, id quod inspicere sperabamus. Nunc tu deuicto inimico regnas cum Deo, & triumphas cum angelis, O bone Iohannes.* Erat quidem dominus comes homo mediocris staturæ; magnæ ceruicis; crispprum crinium, colorem nucum castanearum seruantium, magnorum oculorum, sereni intuitus, rubicundæ faciei. & in cæteris suis membris tam competenter, tamque ornate dispositus; vt inter mille eius principalis agnosceretur persona. Duo ei erant nati: ad quos non modico desiderio cuncta respiciebat Hungaria. Paterna enim merita hos quemque amare cogebant; & non minus virtutem naturamque paternam in hos descendere spectabant. Horum in ordine genituræ maior Ladislaus vocabatur; genitori in statura haud dissimilis. virtute quoque militari & morum honestate liberalitatisque humanitate iuuenis cunctos suos,

A. C. M. CCCC. LVI.

inter

inter coætaneos præstantissimus. Iunior vero Matthias paternæ sublationis in diebus nondum annis solutus erat de puerilibus. Hunc genitor dum viuebat, intimo cordis amore amplexabatur; hunc & ætatis suæ agilitas omnium in oculis commendabat; cunctique illum intuentes, magnum eum hominem futurum præsagiebant.

DE OBITV FRATRIS IOHANNIS de Capistrano.

CAPVT LVII.

AT qui mutuum vita ipsis comite in Christo amorē confouebant; hi nec in sæuientis diro examine mortis ab inuicem sunt separati. Nam & præscriptus vir catalogo sanctorum condigne asscribendus frater Iohannes de Capistrano, prefato domino comiti Biztricensi sincera charitatis iunctus dilectione; post decessum ipsius domini comitis non multos sub sole dies duxit astrale magis quam terrenum peroptans atrium inhabitare: spiritu ad cælum euolante, humo, de qua conditum erat diuisum ab anima, suum restituit corpusculum: quod in claustro fratrum minorum de obseruantia, quorum sub habitu & ipse vitam sancti patris Francisci imitatus est, in oppido Wylak fundato, debita conditum sepultura innumeris claruit miraculis, clarereque non desinit diem vsque in præsentem.

DE REDITV REGIS LADISLAI IN HVNgariam, & comite Ciliæ in castro Nandoralbensi decollato.

CAPVT LVIII.

POrro cū tantæ victoriæ fama longas mundi per partes diffusa, cunctæ Christianæ religioni gaudio esset; præfatus rex Ladislaus, dum Cæsarem fugatū; dominum vero comitem vita excessisse audiuit, mox in Hungariam redire statuit. Inter hæc comes Ciliæ Vlricus dudum conceptam in quōdam dominum comitem Iohannem inuidiam, qua via illam defuncto patre in illius filios parturire posset, multo suæ mentis in feruore reuoluebat. Cogitabat enim eosdem iuuentutis mente duci; & ea propter suas per insidias eo citius illos subuertere posse arbitrabatur. Nam ipse comes Vlricus, dum omnium hominum esset ambitiosissimus, superbiaq; humanam supra naturam tumidus; ægrè ferebat ante hæc dominū comitem Iohannem regni Hungariæ gubernamine potiri. Hunc quidem titulum consanguinitatis iure sibi supra omnes competere iudicabat: Alia vero causa inuidiæ exhinc orta erat, quod ipse quondam dominus comes Iohannes ea tempestate, cum adhuc gubernaminis fungeretur officio, à Romanorum rege pro non restitutione coronæ & pueri regis pœnas exigens: in ipsius comitis Vlrici tanquam eiusdem Romanorum regis partem tenentis se ingesserat offensam. Tertius quidem rancoris fomes inter præfatum comitem Vlricum & dictos filios ipsius quondam domini comitis Iohannis exinde causabatur; quod idem comes Vlricus, tum regium latus, tum omne, quod in Hungaria pingue, pulchrum & suaue erat; ea, quæ ipsorum iuuenum comitum dirigebat manus, velut homo ambitiosus, & intime superbus in suam potestatem redigere laborabat. Hæc comitem Vlricum mentaneis corrosionibus intrinsecus non modicum mordebant. hæc ipse ad finem deducere peroptabat. Fertur enim, quod dixisset: *ego sum homo ille, qui hoc canile lingnagium hac de terrā extirpabo.* Non latebat iuuenes comites Vlrici comitis venenata rerum directio: Quapropter amara erga illum ducebantur recordatione. nec minus cunctum Hungariæ vulgus despecto illum intuebatur lumine.

Elapsus est tandem sublationis ipsius domini comitis Iohannis annus; tempusque erat cum æstas autumno appropinquante suos vltimos properabat ad limites; cū rex Ladislaus & comes Ciliæ Vlricus populari Almanica gente crucigera plurima stipati nauali officio alta Danubii sulcātes magno cū strepitu vo-

nerunt in Hungariã. & primo Budensis castri atriis dies per aliquot inhabitatis, tandem ad oppidũ Futhak denominatum descẽderunt. Est autem hoc oppidũ campestrale secus decursum fluminis prædicti in comitatu Bachiensi pingui in tellure longe lateq; plateatim locatũ. Ad hoc oppidum postquam vẽtum est; regio ex edicto solẽnis ibidem totius regni nobiliũ congregatio extitit celebrata. Et hac quidem cõgregatione multorum aduẽtu procerum in dies crebrescente; comes Ladislaus, qui regis Ladislai leuem animũ comitisq; Vlrici metuebat insidias; more paterno multo armati militis tutamine vallatus ad regem venit. Placuit post hæc regi Ladislao castro in Nandoralbensi potentiæ Cæsaris Turcorum conspicere vestigia. Pariter ergo rex ac comites Vlricus & Ladislaus illuc transierunt. crucigeriq; cuncti, qui de Almania venerãt, nauigio secuti sunt illos. Inter hæc hi, quibus regium patebat consilium, comiti Ladislao dicebant: *de tuis rebus male agitur. comes enim Vlricus regium animum erga te peruertit: induxitque illum, vt tu cæteriq; omnes Hungari officiolatuũ dignitatibus, quos hactenus tenuistis, spoliemini: & eædem dignitates Theutonis (qui regiæ volũtati magis quam Hungari placent) locentur. tuq; quam primum de hoc castro eiiciaris. & huic rei sufficienti testimonio est, quòd hi Almani crucigeri tantum ea de causa huc adducti sunt.* His auditis, iuuenis homo admodum perturbatus est; ac cogitabundus vbiq; incedebat; suiq; persuadebant; vt comes Vlricus captata temporis & loci habilitate interficeretur. Continuatum est occultum super his rebus consilium; & regni ex proceribus multi, quos similis cura mordebat, hæc ita fieri laudabant. Iuuenem ergo hominem magna audaciæ virtute feruentem, qui effrenum iuuentutis suæ impetum vix continebat, crebris persuasionibus grande ad facinus impulerunt. Instabant eiusdem anni dies cum inclytus præsul Martinus dudum humili tugurio sublatus de terreno, altasque cælorum translatus ad mansiones, dulcifluum mustũ boni saporis vertebat in vinum: & dies lunæ festum eiusdem sancti Martini subsequens orta est; in qua comes Ladislaus summo mane post repulsum per solis radios eiusdem diei diluculũ, domum ipsi comiti Vlrico castro in prædicto pro hospitio assignatam, pariterque & ipsum comitem pro habendo, vt fertur, mutuo colloquio adiit. Sed ô inimica fatorum series; ô longa per tempora pectoribus in intimis cæcis alimentis nutrita sceleratissima inuidia! quæ quam primum in anguem nostrum veterem transuertens hostem; nostros locorum de amœno & alto vertice boni protoparentes deiicere fecisti; & quæ vtrorumque comitum corda tanto inundaueras rancore; vt alter alterius abditis appetitibus intime anhelarent in necem. quæ tuis voluuntur in imis tunc patuit: cum ambo comites, Vlricus scilicet & Ladislaus vna eademque tecti domo postibus clausis colloquio mutuam verso in iram, primum verbis minacibus, tandem radiantibus decertantes armis; alter in alterius madidarunt cruore enses. Dum autem ante ostium stantium ipsius comitis Ladislai fidelium aures intrinseci rumor belli delatus est; in tardi dissoluto domus ostio causam dubii scrutantur rumoris. Cum igitur comites vtrosque bello insudare viderunt; mox eductis ensibus irruerunt in comitem Vlricum, se suorum viriũm omni cum virtute defendentem: strauerunt que illum frameæ ictu in pede grauiter vulneratum; ac tandem prostratum ibidem decollarunt. Quantus autem regem baronesque regni, & Almanos regi annexos ibidem concusserit timor, quantave formidine intima ipsorum trepidarint viscera, dum enses nudos sanguine tinctos humano, castri per plateas radiare viderunt, ipsi sensere. omnes enim idem poculum, quod comes Vlricus bibit, se bibere cogitabãt. Fuit autem comes Vlricus homo condecentis proceritatis, in vultuque & corpore condigne dispositus, macer facie, ætate quinquagenarius vel citra: iocundus & admodum venereus, crines ornabat, & ne barba apud amatrices ætatem confunderet, illam radicitus euellere faciebat.

DE VENIA PER REGEM LADISLAVM SVPER *morte comitis Vlrici comiti Ladislao data.*

CAPVT LIX.

PEracta tandem huiusmodi mora castro Nandoralbensi in prædicto; rex & comes Ladislaus, cęterique barones, comes scilicet palatinus, Ladislaus Garay vocitatus, Michel Orzag de Gwth, Paulus filius bani de Lyndwa ianitorum regalium magistri, & aulici regiæ maiestatis, proceresque regni quam plures, qui regiam frequentabant curiam, cum illis versus castrum Themesvvar suum flexerunt iter. Est enim castrum hoc Vngarico in agro præcipuum: partibus regni in inferioribus ad litus aluei Themes in loco satis amœno celebri munimine ædificatum. Cum igitur castrum ad hoc appropinquatum est; comes Matthias, & domina Elizabeth genitrix illius, in signum luctus sublationis dicti quondam domini Iohannis comitis, nigris amicti stolis regi venere in occursum. Inducto ergo illo sublimia castri eiusdem in palatia, excellenti illum, vt regiam decebat dignitatem, hospitio tractauere. Vbi & ipse rex Ladislaus prædictis sui regni baronibus ad vtrumque latus suum stantibus; comiti Ladislao ad veniam prostrato; temeritatem, quam in occidendo comite Vlrico eiusdem regis, vt dictum est, consanguineo commiserat, expiauit & indulsit. Et nē rex ipse apud comitem Ladislaum quandocunque de exigenda mortis fraternæ vindicta suspectus haberetur: vtrosq; comites, Ladislaum scilicet & Matthiam fideli sub iuramento super sacratissimo corpore Christi præstito in fratres adoptauit; eodemque sub iuramento nunquam futuris in temporibus aliquam talionem comitibus ab eisdem ratione præuia se exigere velle spopondit. Et in tam gloriosæ fraternalis adoptionis signum ambos comites lugubri vestimento, quod paternæ mortis in memoriam deferebant; exui iussit; ac eosdem propria sua pro persona rubea de purpura sarcitis vestibus amicire fecit. Sed ô vestis inamabilis roseo desuper vernans rubore! dum intrinsecus marturinæ, quibus subducta eras, vulpinas postea transfiguratæ fuerunt in pelles. O astutus & ab omni bono homine refutabilis fraternalis contractus. Heu & euitabile, bonaque indignum memoria, per te regem super tam caris, tam excellentibus, tamque sanctissimis & tam metuendis reliquiis iuramentum præstitum. Heu infandum scelus: dum antiquitus diuorum Hungariæ regum, quam tu tuum obseruasti iuramentum, simplicis verbi promissio firmius extitit obseruata. An tuę dispendium vitæ tuum per te ruptum sacramentum tibi non peperit? dum per te præstiti iuramenti dies vltima anni primi non præteriit diuina vltione regnis pariter & vita excessisti.

DE VINDICTA PER REGEM LADISLAVM. *à comitibus Ladislao & Matthia exacta.*

CAPVT LX.

HIS itaq; serie prænotata inter regem & comites peractis, rex & comes Ladislaus venerunt ad Budam; cumq; gaudioq; ibidem manebant. Comes enim Ladislaus regio fidens in iuramento; ad regem recto corde erat. Omnem quidem indignationis ardorem, si quem rex contra eum propter mortem comitis Vlrici concepisset, extinctum fore arbitrabatur. In comite præterea palatino Garensi Ladislao supradicto; cuius filiā adhuc viuente patre in consortem ducere disposuerat; hac in re spem non modicam fundauerat. Cogitabat enim, si rex aduersum eum in iram excitaretur: palatinus qui regem dirigebat, illam compesceret, ipsique adiumento fieret. Hac igitur spe comes Ladislaus deceptus, cum regem continua erga ipsum videbat duci beneuolentia: illius de malignitate suspicabatur nihil. Sed quid ei profuit in comite palatino confidere? cum ipse palatinus comitis Vlrici de nece, qui ei auunculus erat, magis quam rex LADISLAVS crudelem exigere affectabat vindictam. Ipse ergo comes pa-

Digitized by Google

latinus, & Paulus Pansi, pluresq́; qui potius adulationibus q̃ armorũ directione regi seruiebãt; ac omnes illi, qui in patrẽ ipsius comitis Ladislai cõceptũ rancorem illo viuente euomere nequierãt, ad exigendas à comite Ladislao facinoris eius pœnas crebris persuasionibus regem fatigabant. Inquiebant enim: *tu rex es; & illum cuncta sequitur Hungaria. Hic procerum vulgiq́; fauore superbus, hac vice in comite Vlrico consanguineo tuo tuum ad latus hæc fecit. Timendum est ne præsumptuosus homo de tua persona idem faciat. Rex es; sed interim Hungariæ in regno non regnabis, donec ipse superuiuet.* Motus est crebris persuasionibus regis Ladislai iuuenis animus: paruaque scintilla, quę in vindictam necis præfati comitis Vlrici in pectore eiusdem regis velut in obliuionem demersa vernabat; crebris persuasionum flatibus ardere cepit. Cum ergo regis animum ipsorum votis inclinatum compererunt, quærebant oportunitatem, vnde suis optatis eo celerius potiri valerent: timebant enim, ne insidiæ per ipsos in occulto conflatæ detegerentur. Inter hæc annunciatum est, Turcos regni confiniis irruptionem minari. Quapropter comes Ladislaus paternam volẽs imitari naturam: plurimum militem stipendiarium partibus regni Hungarię de superioribus vsque ad ciuitatem Pesthiensem conducere faciens; à rege impetrata recedendi licentia Turcis occurrere parabat. Illi vero, qui de comitis Ladislai aduersis gaudebant; regi, ne illum pateretur abire, antequam comitem Matthiam loco sui in curia suæ maiestatis aduenire faceret, incessanter consulebant. Econtra & comiti Ladislao suggerebant dicentes: *si tibi à rege discedere voluntas est, antequam regi valedixeris, iube ad regem tuum venire germanum. licet enim, vt alter vestrum semper regium latus comitetur. Tu quoque regiæ maiestatis in curia tui germani rebus sua serie dispositis abire poteris: & si quandocunque te absente apud regem quidpiam tibi contrarium mouebitur, germanus tuus nosque cum illo illud planabimus.* Et hac quidem sub astutia insidiarum artifices vtrosque comites oportunius circumuenire se posse sperabant: nec illos eorum fefellit opinio. Nam statim, postquam comiti Ladislao his in rebus regia declarata est voluntas, ille inscius insidiarum, immemorque, quod pater illi dixerat, vt caueret, ne simul cum germano aliquando domus regiæ inter limites clauderetur; antequam abiret, comitem Matthiã illuc venire voluit. Quod postquã dominæ Elisabeth genitrici eorundẽ comitũ innotuit, mox expauit; & quasi futura præsciẽs; ne comes Matthias interim, donec frater eius regia in curia cõuersaretur illuc acceleraret, instabat. Sed quia fata suarum series rerũ bonos vel malos ad exitus trahunt; comes Matthias fraternis mandatis potius quã maternis interdictis parens; à matre cum lachrymis dimissus venit ad regem. Geminis igitur fratribus curiæ regiæ intra ambitum existentibus: tempus instabat, dum scilicet quadragesimale ieiunium se obseruantes suum deuexerat prope ad medium; & feria secunda proxima post dominicam *Oculi* claro solis radio illustrata meridiem constituerat: cum comes Ladislaus regium ad colloquium vocatus; Ladislao de Gara palatino socero ipsius (in quo ipse, vt dictum est, intime confidebat) causam calamitatis eiusdem proferente, præsentibus Paulo filio bani, Iohanne Izkro, Benedicto de Thwrocz, & quodam Almano Lomberger vocitato, ibidem regia in domo extitit captiuatus. Comes vero Matthias de his, quæ erga fratrem agebantur inscius, sua puerili innocentia nullam ei opem ferente, in quadam domo, quæ ei pro hospitio castro in Budensi designata erat, reclusus est. Ambo tandem seorsum peruigili subiecti sunt custodiæ. Cum vero nox superueniens eiusdem diei lucem commutauit in tenebras; Nicolaus de Wylak Wayuoda Transsiluanus lorica indutus, tantæ rei spectaculi auidus, suorum familiarium in comitiua illuc venit: ad castrumque Budense mox intromissus est. Iste enim Nicolaus Wayuoda comitis Ladislai casum non minus ardebat, & nec eiusdem in necem conflati consilii expers erat. Cum enim esset homo honoris cupidus, & ambitione non modica æstuans; altoque parentum de sanguine genitus, quondam dominum comitem Iohannem & eius natos in regno ac erga regem excellentiori nomine & titulo vti ægre ferebat. Ex hincque inuidia erga illos ducebatur non modica.

dica.

Ladislaus Rex.

nica. Postquam autẽ mox subsequens dies in lucem dissoluta est, dominus Iohannes Waradiensis episcopus, itẽ Sebastianus de Rozgon, & Ladislaus de Kanysa, viri egregii, in regnoq; tum sanguine tum agrorũ possessione, virtuteq; militari præstantes; necnon Caspar Bodo de Gyvvrgy, homo consilii sententia nõ vltimus: Georgius quoque Modrar magna rerum opulentia præditus; vterque Paulus Horvvath; ac quidam Almanus Frodnohar denominatus: milites armorum directione insignes; & alii quidam, qui per quondam dominum comitem Iohannem aut promoti aut ab infantia educati erga comites Ladislaum & Matthiam fideli familiaritate & amicitia ducebantur: captiuitatis sunt affecti calamitate. Dum tandem detentionis eorundem comitum tertius dies vesperarum horã peregisset; & titaneus axis occiduas appropinquasset ad horas, comes Ladislaus iudicis & iuratorum ciuium Budensis ciuitatis ad manus, vt capitis plecteretur pœna assignatus; ac sub multorum custodia armatorum ante castrum Budense in oppositum atrii Fryspalotha denominati deductus, pariterque ibidem decollatus est. Contigit autem eius decollationis in tempore res non paruo pro miraculo narranda. Nam, cum ipse comes Ladislaus decollaretur, & iam trinum suæ decollationis sibi impressum post vulnus prostratus manibus ad tergum ligatis in terra iaceret, mox propriis in viribus erectus surrexit; seq; prẹter præscripta tria vulnera, in sua decollatione exacta, de iure, ampliori satisfactione non teneri voce satis intelligibili dixit. Tandẽ omnibus circumstãtibus, rei ex nouitate stupentibus, dum repente procedens post aliquot passus vestẽ, qua indutus erat, calcasset, in faciem cecidit; sicq; iussu quorũdam astantium, quibus hæc res cordi erat, residuum decollationis illius consummatum est. Sed heu dolor; heu mœstitia, & heu quantas huius comitis exitiũ diligentibus illũ peperit angustias? Enimuero vidisses Hungaros quasi cunctos, nobiles scilicet & rusticos demisso capite consertis manuũ extremitatibus cogitabũdos, quasi graui somno occupatos, incedere. Vidisses & multorum per ora recentia lachrymarum flumina decurrere. Dici enim potest, quod si popularis Hungaricæ gentis tumultus per crebras præconicas proclamationes, perque horrendarũ incussiones minarum sedatus non fuisset; siq; ipse comes Ladislaus cõgrua diei in hora ad plateam sancti Georgii, vbi quõdam trigintaduo milites decollati extitere, suo pro exterminio eductus fuisset; ipsa plebeiæ conditionis manus illum suæ de dispendio vitẹ eripuisset. Multi enim tunc pro vinearũ cultu in ciuitatem conuenerant: tantaq; erga illum affectione ducebantur; vt sanguinem fundere vltricesq; animas per mille vulnera in illius vindictam efflare eisdem non crudesceret. Et hẹc fuit causa, quare ipse comes Ladislaus nõ in loco alias consueto; & diei horam circa vltimã extitit decollatus. Postquam autẽ decollatus est, mox atro inuoluitur tegumine: positusq; in feretro ad ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ defertur, totamq; per noctẽ vigiles per excubias custoditur. ac tandem prima auroræ luce erumpente in ecclesia sacratissimi corporis Christi; vbi præfati triginta duo milites, quos quõdam rex Sigismũdus suẹ iræ in impetu decollari fecerat, tumulati iacent; omni exequiarum & sepulturẹ sine honore tumulatur. Fuit autem ipse comes Ladislaus, vt dictum est, in statura patri haud dissimilis; facie rotunda & fusca; crinibus longis castanearum colorem imitantibus; intuitu pius; humeris latus; in armis strenuus: satis audax, & tam ad suos quam ad alienos benignus.

DE VINDICTA ET GVERRIS IN MORTẼ comitis Ladislai in regno secutis.

CAPVT LXI.

QVid autem profuit tanti facinoris persuasio his, qui iuuenile regis Ladislai animum, vt iuramentum transgrederetur, suis cõsiliis peruerterunt? Si diuino iudicio placuisset, humanæ sententiæ idoneum fore videretur, quod ipsi, & non rex Ladislaus, præmissi periurii subissent talionem. Sed arbitrari potest, quod fata hoc tramite futuris rebus disponebant locum. Nihilominus tamẽ &

hi, qui hoc facinus conflauerant, apud plebē ignominiam & odium consecuti sunt, & multi alii etiam harum rerū expertes. ipsius comitis Ladislai fidelibus de nece domini ipsorum continuis in armis vltionem exigentibus: vitæ pariter & rerum ruinam hac de causa subierunt. Subortum est quidem mox in regno acre disturbium; & sine discretione, ipsorum comitum de ærumna grauis exigebatur pœna. Enimuero Michael Zylagii de Horogzeg, eorundem comitum auunculus, multis tum domesticarum tum extranearū nationum coadunatis sibi bellicosorum virorum præsidiis, partes regni Transsiluanas aggressus est; & breui dierum in spacio omnes ciuitates & oppida terræ illius suæ subdidit ditioni. ac cunctos regales prouentus parte regni de eadem regium ad fiscum pertinentes, suos sibiq; adhærentium conuertit in census. Quid autem cæteri, quos calamitas ipsorum comitum magis angebat, regni per climata fortes possidētes munitiones ferri & ignis ministerio perque rerum direptionem fecerint: si quē ea futuram propter memoriam conscribere delectaret, rem multis conclusam suspiriis suorum ad notitiam deduceret posterorum.

Vindicta.

DE SORTE CAETERORVM CAPTIVORVM, & de obitu regis Ladislai.

CAPVT LXII.

POST exitium tandem ipsius comitis Ladislai paucis diebus elapsis dominus Waradiensis episcopus suæ conditionis exigente merito, domino Dionysio Strigoniense archiepiscopo regium vsque ad beneplacitum in captiuitate seruandus extitit assignatus. Comes quoque Matthias quadam arcta in domo ad latus turris Isthwanwr ædificata ad inferiores thermas prospicienti peruigili sub custodia seruabatur. cæteri quoque captiui non minus seorsim à comite Matthia reclusi regium ad votum tenebantur. Voluebatur dies, & millesimus quadringentesimus quinquagesimus octauus domini annus instabat: verque anni eiusdem venusta florum amictum tunica suos iam posteros transpassauerat gradus: & fertili suum cesserat hospitium æstati, sole subterraneos agente gressus: nocte scilicet illa, quæ festum sacratissimi corporis Christi immediate subsequitur, nimiam in tenebrositatem dissoluta; modicoq; nimbi impetu Budense castrum concutiente: omnes captiui eiusdem castri excelsos habiti intra muros, comite Matthia, & Paulo Modrar tantum regia in captiuitate remanentibus: ad aquas calidas inferiores pendentibus castri de mœnibus, quorundam duorum linteaminum in ministerio se demittentes liberi abierunt. Dum autem regi Ladislao suorum captiuorum innotuit liberatio; simul cum illis, qui eorundem procurauerant captiuitatem, admodum triste tulit pertimuitque. Nam præfati Sebastianus de Rozgon & Ladislaus de Kanysa valebant in armis, & multa in regno gaudebant parentela. Rex ergo & ipsi annexi barones hos eosdem in vindictam sui eo citius insurgere formidabant. Quapropter omni suę partis gente cito armata; qualibet absque mora Wiennensem se transtulit ad ciuitatem. comitem quoque MATTHIAM sine aliquo vinculo, & PAVLO MODRAR multis ferramentis compeditum (locuples enim erat auro, & se ab eodem ingentes thesauros extorquere posse sperabat) vno & eodem in curru locatos secum abduxit: tandem modico temporis interuallo Viennæ habito in Bohemiam transiit, & comitem Matthiam Wiennensi in castro firma sub custodia reliquit. Dum autem Pragensi in ciuitate regali in pompa conuersaretur; subita & tristi ægritudine aggressus vitam pariter & periurium vltimo respiramine soluit. Vtrū autem, vt quibusdam placuit ordināte Georgio de Bodebrad, alias eiusdem regni gubernatore, lethiferū per venenum, an vocatione diuina occubuerit, ipse pro comperto dicere nequeo. Sæpe enim multorū ora multas discoloratas in narrationes dissoluūtur: omnibus tamen fidem adhibere quis queat? Creuerat ipse rex Ladislaus congruam sui corporis in proceritatem. glaucos quidē & crispos habebat crines. facies quoq; illi alba erat rubenti permixta colore; & nasus recta diametro mediā inter faciem descendēs; parua qua-

A.C. M.CCCC. LVIII.

Ex carcere fugiunt.

quadam ſui in medio tumeſcebat curuitate; morum vero probitate & prudentia ſuæ ætatis inter iuuenes non minus erat venuſtus. Obiit autem ipſe rex Ladislaus anno domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo ſupradicto ætatis quidem & regnorum ſuorum anno bis nono, cum ſcilicet eiuſdem anni autumnus ſuæ vltimę compleuerat orbem lunæ; eadem die anni ſubſequentis, qua comitibus Ladislao & Matthiæ, vt prædictum eſt, præmiſſum præſtiterat iuramentum. ſepultuſq; ibidem Pragæ in eccleſia parochiali nouiſſimam loco in eodem expectaturus.

DE ELECTIONE DOMINI COMITIS Matthiæ in regem.

CAPVT LXIII.

CVM autem peregrinis ex relatibus fama obitus ipſius regis Ladislai in regnum Hungariæ venit; multos contriſtauit. maxime autem illos, qui eidē regi comitis Ladislai perſuaſerāt necem: cum vltores effuſi ſanguinis ipſius comitis Ladislai eo auidius, eo animoſius inſurgere, ac inceptam finem ad optatũ perducere vindictā deſiderare videbant. Quod & factum fuiſſet, ſi pro componendis regni rebus, proq; eligendo rege, indicta per totum regnũ Hungariæ generalis vniuerſitati nobilium cōgregatio, eorundē vltorum æſtuantem in vindictam animum non refrænaſſet. Ipſa tandem generali cōgregatione ſuis ſtatutis in diebus, cum ſcilicet celer & ingenioſus notariorũ calamus, M.CCCC.LVIII. domini annum de recenti ſcribere inceperat, multa nobilium tumultuoſitate omnes ciuitatis Peſthienſis per plateas feruente, Michael Zylagy ſupradictus, comitis Matthiæ, vt dictum eſt, auunculus cũ genitrice eiuſdem vno eodemq; de aluo natus, multam virorum armorumq; virtutē ſecum ducens cōgregationem nobiliũ ad eandem venit. Et hunc quidem Michaelē Zylagy viri in regno potentes, quorũ in pectoribus beneficiorũ merita quōdam domini comitis Iohannis viuaci mouebantur memoria; domini ſcilicet Thomas Zekel prior Auranæ, Sebaſtianus de Rozgō, Ladislaus de Kanyſa, & Pancratius de Zenthmyklos; cunctiſq; tam Tranſſiluanarum, q̃ inferiorum regni partium cœtus nobilium comitabantur. Qui dum in eandem ciuitatē Peſthienſem venientes commodũ ſibi cepiſſent hoſpitium, & nox eorum poſt deceſſum prima ſuperueniēs humano viſui diei in claritate abditas cęli palam fecit ſtellas; omnipotēs ab alto eiuſdem noctis ſub profunditate altum Danubii flumen tam dura tamq; ſolida conſtrauit glacie; vt ſubſequentis diei luce orta cuncti Danubium tranſire volentes, omni nauigio remoto ipſius glaciei in dorſo velut quendam continuum per campum nullo eos aquarum impedimēto vetante incederēt. Domini vero Ladislaus de Gara palatinus, Nicolaus de Wylak Wayuoda, Paulus filius bani de Lyndwa; qui, vt dictũ eſt, regalibus præerat ianitoribus, & cæteri quidam nō magni momenti viri, qui ſcilicet præfatorum comitũ Ladislai & Matthiæ procurauerāt calamitatē Budenſi erant in caſtro; & ea, quæ erga comitis Matthiæ auunculũ gerebantur, animo formidoloſo ferebāt. Quis aũt putaret, eoſdē parua timoris anxietate cōcuti? dum exactores talionis per ipſos commiſſi facinoris multa virtute armorũ maximaq; bellicoſorum copia virorum vigerę; & hos quidem ſibi vicinos eſſe conſpiciunt. Et ſi tutelam aliquam in flumen Danubii ipſis fieri poſſe ſperaſſent; ipſa fruſtrati idem flumen ſpiſſis glacierum molibus contectum intuebantur. Siq; iam dictæ generalis congregationis prærogatiua per ipſumq; Michaelem Zylagy eis conceſſa aſſidia illos eoſdem non animaſſet, dici poſſet, quod altorum caſtri Budenſis murorum in firmitate minime cōfiſi, atro primæ noctis inſtāte chaos fortaſſis diſperſi loca petiſſent ipſis tutiora. Aſſecurati tandem ad ciuitatē Peſthienſem deſcenderunt: & cum his, qui ciuitate in eadem erant, ſimul iuncti de regis electione tractantes continuo in colloquio dies conſumpſerunt plures. Inſtabat Michael Zylagy eique coadunata gens totalis, & quaſi omnis nobilium Hungarię cœtus, vt comes Matthias in regem eligeretur. Supradictis vero Ladislao de Gara palatino, Nicolao de Wilak

A.C. M.CCCC. LVIII.

Matthias Rex.

Wayuodæ,& Paulo filio bani de Lindwa, cunctæque eorum cohorti, nec id vt comes Matthias regia potiretur dignitate annuere; dum cõmissi per ipsos sceleris grauiorem exinde arbitrabantur se suscipere posse talionem; neq; eis omnino refutare cedebat ad libitum; dum vindictæ mortis ipsius comitis Ladislai exigentium cateruis vndiq; circumdati eorundem medios voluebantur inter tumultus. Saniori tandem freti consilio; imminens vitæ aut rerum dispendium futuris cõmittentes euentibus; accepto prius à præfato Michaele Zylagy fideli iuramento, quod nunquam futurorum temporum in euolutione hoc crimen ipsis obiicietur: & nec aliquando necis ipsius comitis Ladislai ab ipsis, & eorum heredib' aliqua vltionis exigetur pœna; & ipsi id, vt comes Matthias regale sublimetur in soliũ annuerunt. Et quid facerent, nisi vt annuerẽt? dum omne Hungaricum vulgus latas ciuitatis per plateas deambulãs; puerorumq; cœtus hincinde cursitans loqueretur, & alta voce clamaret; *Matthiã volumus esse regẽ: hunc nostra pro tutela Deus elegit. hunc quidem & nos eligamus.* Tanto enim cunctus eiusdem congregationis populus, præter illos, in quibus commissi in eum criminis timor laborabat, erga ipsum ducebatur amoris desiderio, vt supra omnes delicias ipsum regium ad culmen peruenire optarent. Nobile ergo illud dominorum, prelatorũ, baronum procerumq; regni consilium vnitũ est, omniq; Hungaricæ genti placuit, vt comes Matthias regia adornatus dignitate regno Hũgariæ dominaretur: & nihilominus eiusdem regale sceptrum præstito fideli iuramento venerari pariter & metuere spoponderunt. Et quia pueriles eiusdẽ comitis Matthiæ artus tam vasti negocia regni occurrẽtium rerum præ magnitudine sufferre non valere cogitabant; iam dictum auunculum eius, donec phaethontis axis quinquies annuales peragraret cursus, in eiusdẽ regni & ipsius electi regis gubernatorem præfecerant. Sed mira res, adhuc hæc tam solennis electio in penetralibus agebatur. nondum ad populũ eiusdem deuenerat rumor: & iam Pesthiensis ecclesia solennem in cantum prorumpens de tam desiderabili electione Deo laudes psallebat. Cum autem communis populi deuenit ad notitiam: omne Hungaricum vulgus magno præ gaudio exultabat: ac campanarum vbique ecclesiarum pulsantium sonitu; nimioque tubarum in clangore, & multarum in modulamine fistularum, necnon vocum in laudem Dei canentium patule laxatarum melodia ingenti sonitu vicinus densabatur æther. Currebant hincinde nuncii huius electionis gaudium his, qui absentes erant deferentes, multisq; muneribus onusti redibant. Postquam autem propinquæ noctis aduenit crepusculũ, ipsa nox in multorum accensione ignium illuditur: & quasi in diem ficticium multa congerie lignorum ardente transmutatur. Dici quidem præsumitur, quod primæuo Hungaricarũ rerum ab origine, alicuius regis electio tanto cum gaudio, tantaq; cum gloria celebrata fuit nunquam.

QVOMODO DOMINVS REX MATTHIAS de captiuitate liberatus in Hungariam extitit reductus.

CAPVT LXIV.

POstquam autem ipsa tam felix electio finem expectatũ sortita est, iam dictus Michael Zylagy vulgi fauore superbus, regalib' Budæ habitis ab atriis abstinere nolens; multorũ Hungariæ dominorum in comitiua lætus intrauit, & principẽ occupauit ad nouum. Ladislaus quoq; Garcsis palatinus: qui antiquo regni de more eisdem præsidebat; & eadem sibi vltroneæ voluntatis sub specie, tristi tamen intrinsecus corde, cessit; seq; inde clam tutiorem sibi ad partem transtulit. Quibus peractis, præfatus Michael Zylagy tumulum dicti comitis Ladislai adiit, funusq; eiusdem exhumari faciẽs: illud simul cum cunctis sibi circũstantibus deplanxit; ac tandẽ Transsiluanẽsem ad Albã transferre faciẽs, idẽ paternũ iuxta sepulchrũ in multis obsequiis cõdere fecit. Eisdẽ in diebus electum regem supra nominati Georgii de Podebrad potẽtia tenebat. Iste .n. Georgius de Podebrad in regno Bohemiæ multarũ possessione ciuitatũ, multaq; cõsanguinitatis

tatis

Matthias Rex.

tatis parentela; cunctis eiusdē terræ optimatibus ditior erat. Et hic dicto quondam rege Ladislao ætate puerili occupato, eiusdem regni Bohemiæ gubernaminis moderatus est officium. post mortem vero eiusdem omnipotens fortuna regno in eodem regio in throno eundem sedere non vetuit. Ad huius Georgii manus electū regem quidā sub hac sorte deuenisse ferunt, quod videlicet, dum adhuc comitis fungeretur nomine: eundē rex Ladislaus, in diebus circa finem regalis suæ pompæ proximis, Wienensi de arce ad se in Pragensem vrbē deferre iussisset. & ea die qua rex Ladislaus obiisset dictæ Pragēsis vrbis intra mœnia deductus extitisset, ipsoq; rege Ladislao vita functo: cum cæteris Bohemicis rebus in potestatem eiusdē Georgii de Podebrad extitisset deuolutus. Alii autem ipsius noui regis liberationem ita factā fuisse mihi persuadebāt: quod videlicet dictus Georgius de Podebrad statim, postquam ipse rex Ladislaus sua vltima clausisset respiramina, obitus eiusdem studiosius celasset famam: ac mortui regis annulare eiusdem de digitis surripuisset sigillum; fecissetq; scribere litteras; quas tandem eodē sigillo cōsignari faciens, ipsius regis Ladislai ficticio sub nomine his, quibus comitis Matthiæ custodia iniuncta erat, mādasset, vt mox eisdem literis visis comitē Matthiam ipsarum litterarū ostensoribus assignarent: ipsiq; simul cum illo Pragensem vsq; ad ciuitatē venirent. Rex enim Ladislaus dum Wienense castrum egressus est; hoc sigillū custodibus prædictis in comitis Matthię reb' indubitali pro signo reliquisse fertur. Credidissent ergo ipsi custodes fictis litteratoriis mandatis, & se eorundē immoratos exhibuissent factores. Nondum aūt comes Matthias in supradictorum ductu nunciorū regni Bohemiæ ad oras venisset, cum Bohemorū plurimi armis muniti tutricib', per Georgium de Podebrad missi occurrissent, quorū in medio ipse comes Matthias Pragā vsq; tutus equitasset. Dū vero ipse Georgius de Podebrad eundem vidit, gauisus est valde. non modicā enim in eiusdē redemptionē auri partē se recipere posse cogitabat. Postquam aūt audiuit eundem comitem Matthiā regni Hūgariæ in regē electū esse; superbus in multis allocutionibus nouū regni Hūgarię regē aggressus est, & eū multa confabulatione victū suæ natæ ad cōnubia inclinauit. nec in posterū repatriantē eum plurimi auri sine solutione abire tulit. Anno tandē electi regis primo, cū scilicet rigidus hiemis algor tepido perflatus zephyro frigidis dissolutis niuibus: excelsis montiū de culminibus profundas defluxerat in valles; verisq; expectata temperies auicularū ora gratos dissoluebat in cātus, ipse nouus rex armato Bohemorum in cōductu ad oppidū Straznycze denominatum in partibus Morauiæ iuxta decursum fluminis Moruæ situatum magna cum lætitia extitit deductus. vbi mox suorum cœtus nobilium immenso perfusus gaudio eum circumdedit: quorum tandem læta inter agmina lætus desideratam ad patriam equitauit. Cum autem Budense ad castrum ventum est, mox multorum confluentia nobilium aduētum desiderati regis præstolantium, curia regis eiusdem magna cum gloria extitit decorata.

SVPER QVIBVSDAM EXERCITIIS DOMINI Matthiæ regis compendium quoddam paruum.

CAPVT LXV.

NVlla homine in hoc est natura, quæ eundem regnare dedignaretur. nam cunctos sui æui Christianos inter principes ipse vnus est, qui alta facinorū cum gloria sui regiminis dirigit officium. Nonne & Cæsar Turcorum Mahumetes, qui hac nostra ætate viuebat, suiq; terrore omnem terrarum orbē quassabat; quiq; suorum præ magnitudine facinorū magnus Mahumetes nominari dignus fuit; rege de isto dixisse fertur; *ego & ipse sumus omnes mūdi inter principes, digne principis nomine qui vocamur.* Nonne est (vt principem esse decet) in cōsiliis peridoneus: in delinquentes clemens atq; permisericors: in rebus regni administrandis solers & prouidus; animo strenuus; magna & ardua aggredi audax; in laboribus tolerandis infatigabilis; in euentibus præcogitandis præueniendisque perspicuus; in periculis euitandis cautus; in hostis insidiis consiliisq; de-

Digitized by Google

nudandis & peruertendis sagax; in omni re militari, ac in cunctis sui regiminis exercitiis miro modo instructus; dissimulãdi magister, gloriæ vsq; ad infinitum auidus; & tãquam regnare natus. Iste rex à suis regnicolis turbata habuit sui regiminis primordia. postquã autem viribus & animi discretione adoleuit; quasi quodam graui aquarum de diluuio emergens omnia moderamine peroptimo complanauit. Hic sui principatus primos circa annos, ingentem Turcorum exercitum, qui comitatus Sirimiensis in depopulationem se ingesserat, castraque Kewlpen & Zenthdemeter ad litus Alueizauæ vi ceperat, potenti Marte fudit. Hic annos circa eosdem, & Frederici Romanorũ imperatoris ambitiosam cupidinem sceptra regni Hungariæ ardentem, regemq; ipsum, quadam opportunitate per barones quosdam sibi attributa, culmine regio spoliare volentẽ, tum vi tum ingenio compescuit & extinxit. Tandem in Bohemos & Polonos, regnum qui maximis, vt supradictum est, premebant rerum direptionibus & incendiis, gladio conuerso eosdem post multam eorundem cædem mira celeritate compressit: fortiaq; illorum domicilia & munitiones paruo admodum fultus milite euertit, à cædeq; residuos per deuia ac siluarũ latebras errare, & extra regnum profugere coegit. Necnon & guerrarum procellas, quæ præfati quondam Vladislai regis à temporibus in regno graui fluctuauerant tumultuositate pulchra quadã discretione compescuit pariter & sedauit: pacemq; peroptimã tot per annos desideratam omnes sui principatus per fines composuit. Post hęc valida militum expeditione conflata, plurimam partem Seruiæ peruagatus est: ac magna vastitate terra in eadem igne & ferro edita felix rediit. Harum demũ rerum post expeditionem nondum equorum suorum sudore desiccato, Boznense regnum, quod & Ramã vocamus, tunc Turcorum dominio subiectum, aggressus est. Castrumq; Iaicza tum loci natura, tum vero mœniorum altitudine munitissimũ vi: alia vero tertæ eiusdem castra deditione cepit. Omnesque Cæsaris Turcorum milites sua de curia ad custodiam eorundẽ castrorum deputatos, quos gladius Hungarorum non consumpserat, ad gratiam & suam ditionem recipiens, purpureis splendidos vestimentis secum deduxit, optimumque & nouum genus victoriæ reportauit.

DE FELICI CORONATIONE DOMINI REGIS Matthiæ, & quibusdam eiusdem expeditionibus.

CAPVT LXVI.

A. C. M.CCCC. LXIV.

INter hæc sacro regni Hungariæ diademate à manibus Frederici Romanorum Cæsaris magna cum difficultate rehabito: rex Matthias sexto sui regni, dominicæ autem incarnationis millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto anno, in die cœnæ domini, totius sui principatus spiritualis secularisve dignitatis dominis, regnique sui proceribus præsentibus, & de eiusdem coronatione gaudentibus, more alias obseruato magna cum solennitate feliciter extitit coronatus.

Post hæc Mahumetem Turcorum Cæsarem supradictum in expugnatione dicti castri Iaicza formidoloso belli cum apparatu insistentem, solo exercitualis suæ expeditionis strepitu territauit, cunctaq; machinarum & tormentorum genera per eundem illuc apportata ibidem relinquere, ac ipsum castro desub eodem victoriæ vacuum fugere coegit. Demum magna exhinc suorũ facinorum gloria subsequẽte, quendam Bohemum Swyhla denominatum, virum in armis præstantem, multo aggregario milite fortem; regni Hungariæ in deprædationem ad opidum Koztholian siue Zenthwyd munitione sibi præparata, nouas res molientem, in forti manu circumuenit, expugnauitque, ac captum pluribus suis cum complicibus in furca suspensum ventorum flatibus exposuit. cæteros etiam eius comites, qui capti fuere, plurimos tabido suorum carcerum fœtore fecit suffocari. Tandem vniuersis partium regni Transsiluanarum nobilibus, omnique vulgo dementia ductrice suum regium contra culmen rebellione moto; dum sibi nouum principem elegissent, multaque conuoluti

uoluti in agmina aciebus ordinatis regiæ maiestatis introitum prohibere niterentur; mox dominus rex ex aduerso, velut turbo quidam vehemens, suis ferratis cum aciebus, licet impar milite, irruit super illos. Illi quidem manibus minime consertis terrore nimio percussi, velut feræ quædam indomitæ viso leone; fugerunt. Quos tandem dominus rex sui arbitrii iuxta libitum domitauit. Propter quod nonnulli illorum ea de causa, quam subierunt, deflent rusticitatẽ vsq; in hunc diem. Abhinc vero milite quiete minime recreato, Moldauiam versus, puta regionem sacræ coronæ regni Hungariæ subiectam; tunc rebellem suorũ flexit habenas equorum. Dum igitur Alpibus transitis magnam terræ eiusdem partem in forti manu peragrasset, & in quodam regionis eiusdẽ oppido Banya vocato, cuncta sua cum gente hospitium accepisset, Stephanus Wayuoda, earundem partiũ dominus, magna vi sui populi coadunata, noctis in cõticinio regium irruit super exercitum, succenditq; oppidum, & Hungaros tum somno tũ vino occupatos ad arma excitauit. Elegerat enim Stephanus Wayuoda nocturna sub vmbra regium adoriri exercitum; vt si in prœlio deficeret, saltẽ temporis obscuritas illi auxilio fieret. Fefellit tamen eum sua opinio. Nã subito rex cuncto suo exercitu in tympanorum tubarumq; sono conuocato; & tum luna; tum vero dicti oppidi incẽdiis radiantibus, furibundo cum impetu irruit super illius agmina; ac post multã vtriusq; partis decertationẽ, postq; maximã in Walahis factam stragem, Stephanus Wayuoda terga dare est coactus. Quapropter rex triumphũ præclarũ atq; memorabilem obtinuit. Vnde & vexilla plurima in signũ inclytę victoriæ suæ Budã vsque adduxit; quæ magna cum celebritate in parochiali gloriosissimæ virginis Mariæ ecclesia locata cernuntur etiam hodie. Hanc tandẽ victoriæ suæ post gloriã, dominus rex ad instantiã sanctæ matris ecclesiæ, tũ ad preces Frederici Romanorũ imperatoris cõtra hæreticos Huzistas in Morauia & in Bohemia septenne cõtinuauit bellũ: ac semper victor euadens, omnẽ Morauiæ marchionatũ cunctãq; Zlesiã, sed & Lusatiã suæ ditionis efficiens, in regẽ Bohemiæ eligi; & illarũ terrarũ dominio & principatu frui dignus fuit. Propter q̃ in tam celeberrimæ electionis eius decorẽ & dignitatẽ in ciuitate Olomucensi hymnus iste infrascriptus noua editione extitit decantatus.

Maximo cultu veneranda cuiq;
Egimus nonis Maii iocunde
Festa victricis crucis & beatæ
Digna repente.

Congredi gentes patria Bohemæ,
Præsules veræ fidei, barones;
Vrbium sanas licuit cohortes
Christicolarum.

Colle constructum prominente templum
Olomucense; laicisq; cleris
Perstrepit votis domino repletum
Relligiose.

Creditur sacrum precibus vocatum
Pneuma: tot rectis animis dedisse:
Publice clamant: placet eligatur
Ecce Mathias.

Clara delectus cito vota sumit.
Cælicis iussis precibusq; terræ:
Mente discussus pie Christe pro te
Flexus obedit:

Laudibus dignus placito Mathias
Addit assensu diadema regni
Præpotens: regno & titulum Bohemi
Pannoniarum.

Xeniis Iesu referamus omnes
Gloriam cantus: strepat & tubarum
Clangor: vt nobis veniat vir æquus
Terror in hostes.

Iste rex nostros animos fideles
Alleuet pressos: reprimatq; mactet
Cum suis sectis hæreses iniquas
Quam vehementer.

Xantius humentem citius liquorem
Linquet: arcturus iaciet & axem:
Quam dei causam populosq; princeps
Deserat ob te.

DE INFIDELITATE QVORVNDAM *dominorum Hungariæ contra dominum regem Matthiam commissa; & de victoriis eiusdem domini regis quibusdam.*

CAPVT LXVII.

Domino rege ea tempestate res suas erga regnum Bohemiæ sorte felici dirigente, quidã dominorũ Hungariæ; hi autẽ maxime, quos sua beneuolẽtia

extulerat in altum, potissime vero domini vterque Iohannes alter Strigoniensis archiepiscopus, alter vero episcopus Quinqueecclesiensis, in Sclauonia humilis sub tecto nobilitatis geniti; regia beneficia ingrata tractantes recordatione: nedum res illius in Bohemia non perturbassent; verum & regem ipsum sceptro regimineq; Hungarico spoliare conati, illustrem Kasimirum Kasimiri regis Poloniæ natum gente & armis Polonicalibus superbum; regium in opprobrium per terram Scepes in regnum induxere; & castrum Nitriense illius tradidere ad manus. Hunc dominus rex Matthias suspecti militis fretus præsidio castro in eodem obsedit: obsessumq; post nimium Polonorum interitum armis & fame adeo fatigauit; vt simul cum suis de salute desperaret; & proprii capitis damnũ magis q̃ rerũ timere cogeretur. Et amplius dominus rex illũ fatigasset: si in suo milite non dubitasset: ipsumq; Kasimirum noctis obscuritas suæ regię obsidionis è medio non subtraxisset. Tali ergo sorte Kasimirus simul cum suis in Hũgaria militans: nedum sceptro potitus fuisset Hungarico: verum suo in reditu suum ad genitorem vix propriam salutem reportauit. Post hanc tandẽ tam solennem suam victoriam, dominus rex super munitiones Polonorum in Zemplemens. & de Saros comitatibus per eosdem earundem partium in molestiam erectas irruit: expugnauitq; easdem, & funditus euertit: ac Polonos, qui illas tutabantur graui calamitatis captiuitate mancipando ad declarandum sui triumphi gloriam Budam vsq; misit. Dehinc ad exigendam suarum iniuriarũ talionem in Poloniam exercitum suæ gentis copiosum in magno armorum strepitu destinauit: infandasq; regno in eodem in flammis direptioneq; rerũ multa, sui opprobrii pœnas exigere fecit. Audiuit demum regem Poloniæ Kasimirum supradictum in Slesianas partes nouas res moliri. Congregato igitur tum aulicorum suorum, tum vero stipendiarii militis exercitu haud simili, quem rex Poloniæ contra eum ducebat: progressusq; intrauit Slesiam: & ciuitatis Vratislauiensis iuxta muros statiua posuit castra. Econuerso vero rex Polonię omnẽ sui dominii ad arma valentem manum; Polonos scilicet, ac Ruthenos, Lithwanos & Tartaros, in vnam redigens expeditionem venit; & à castris Hungaricis per vnum miliare vel citra cunctam suorum castrorum vim locauit. Et quamuis tantus populus domino regi Matthiæ eiusq; genti terrori esset; non ergo in fugam lapsus est: sed quid sibi hostis præsumeret, cogitabundus reuoluebat. Transierunt igitur certi dies, & nec eisdem currentibus, rex Poloniæ aut eius miles Hungarica adoriri vel videre castra ausus fuit. Dominus vero rex non ęqualiter cum illo suæ expeditionis nauauit officium. Nam mox, postquam regem Poloniæ erga arma desidia duci vidit, campo deditus hostilia turbabat castra. Equidem & milites eius de castris velut vespæ quædam egredientes, Polonos victualium quæstui deditos interficiebant & captiuabant. ac glomeratim regia ad castra adeo & in tanta quantitate impellebant, quod captiuati captiuantibus fastidio erant. Commissum fuit ergo per dominum regem, ne captiuarẽtur nisi quos præstantia captiuitate dignos iudicaret. cæteri vero captiui, si qui occurrerent, in altera tantum parte faciei secari, & tandem dimitti deberet: vt cum ad propria redirent, quod Hungaros viderint, cicatrix illis testimonio fieret. Bina præterea dominus rex regis Poloniæ castra eidem opem victualiũ ferentia profligauit pariter & dissipauit. Missoq; inter hæc magnifico viro Stephano de Zapolia comite Scepusiensi perpetuo summo suæ expeditionis capitaneo; sui exercitus quadam cum parte in Poloniam tunc militis custodia orbatam, in illa maximas vastitates ferri & ignis ministerio edere fecit. Talium igitur incursuum procellis dominus rex Matthias regem Poloniæ agitatũ adeo fatigauit, vt ipse rex Poloniæ in populo, & equis prę fame macerie afficeretur; pacemq; potius, quam bellum expeteret. Postea vtrisq; regibus in campo; tentoriorum hanc solum propter causam extentorum sub vmbra; pari cum milite conuenientibus: pax illa peroptima, quæ armis componi nequiuit, regum eorundem præsentia composita est. Vbi & dominus rex Matthias regem Polonię suum in papilionem introductum, cunctis eiusdem regis Poloniæ comitibus,

Polo-

Matthias Rex.

Polonis sed ac Ruthenis, Lithvvanis & Tartaris; domini regis Matthiæ tū dignitatis liberalitatem; tum sui directionem admirantibus & stupentibus: delicata tractauit hospitalitate. Tandem abhinc rediens castrum Turcorū Sabacz denominatum ad litus fluminis Zaue per eosdem ex lignis terraq; multū curiose perforti opere præparatum, turribusq; ac fossatis, & vallibus, nec non milite nōminus munitum diro hyemis sub rigore obsedit & expugnauit. Nec aliquādo Mahumetes ille magnus, cuius framea pepercit nulli; vires regis huius campestrali certamine tentare ausus fuit. Cum & desub castro Iayzca, vt pręmissum est, deq; Moldauia eiusdem ante gladium fugerit vehementer; expersq; sui voti suam redierit in terram; victoriosum quidem hunc hominem, vt secundum Attilam, reddidere fata. Domus tauernicalis & mensa regis huius, tantis ornatibus & clenodiis, tantis apparatibus tantisue aureis & argēteis nitet vasis & poculis; vt nullus regū Hungariæ in his rebus tam gloriosus fuisse credatur. Huic rei testimonio est nobilis illa diæta; inter ipsum regem ac illustrem Vladislaum regis Poloniæ natum: in ciuitate Olomucensi celebrata. Vbi idē dominus rex tantas rerum nouitates in gemmis & lapidibus preciosis, ac in auro & argēto; vasis scil. & poculis, cæterisq; mensarum ac domorum regalium ornamentis in multitudine admiranda & inuisa eiusdem ciuitatis in palatiis & plateis humano visui exhibuit intuendas; vt quondam Persarum Babyloniæq; rex Assuerus in memorabili illo conuiuio suo sui regni principibus vix tantarum gloriam rerū ostendisse cogitetur. Innumeram autem multitudinem ingeniorum, bombardarum, machinarum, cęterorumq; tormentorum, quæ ipse dominus rex in ruinam hostilium munitionum & castrorū in sua expeditione deferre solet: quis enarrare queat? Cum omnia simul vno & eodem in loco visa sint per neminē. Dici tamen potest, quod & in his rebus omnes Christianitatis reges supergrediatur. Multa & varia de hoc rege narranda essent, quæ sui præ magnitudinē prænouitateq; rerum viuacitate sunt digna: sed cum suorum ingentium facinorum gloria singularem stylum & historiam; maioremq; me præter præconē expostulet: ea quæ rege de eodem amplius scribentur; de temeritate, quæ me ad præmissa exaranda coegit, veniam rogitans, meis auctoribus linquo, qui eadem stylo altiori digniorią; persequentur omnia particulatim prout acta fuere.

EPISTOLA MAGISTRI ROGERII IN MISERABILE CARMEN SVPER DESTRVCTIONE regni Hungariæ per Tartaros facta, editum ad Reuerendum dominum Iohannem Pestliensis ecclesiæ episcopum feliciter incipit.

Licet, vt liqueat dominationi vestræ ingressus & processus Tartarorum Hungariam intrantium in ignominia crucifixi; perniciem stragemq; non minimā populi Christiani per præsens opusculum vestrō nomini reddi de gestis ipsorum sine falsitatis admixtione collectum; quod cum diligentia perlegatis. Multa quidem inuenietis in eo, quæ meo subiacuerunt aspectui. plurimaq; propriis palpaui manibus: nonnullaq; à fide dignis didici, in quorum illa fuerunt præsentia perpetrata. Si autē interdum reperietis aliqua, quæ sensui hominum cernantur terribilia & horrenda; me scriptorem & res minime admirentur; sed gratias referant regi regum, qui suæ oblitus misericordiæ suo angariato populo non pepercit. Nam à regalibus sedibus in exterminii terrā prosilientibus, limo eorū oculos nō liniuit: imo exacuit gladiū velut fulgur. Visitauit iniquitates eorum, nō in baculo, sed in virga. & peccata nō fomentis lenib⁹, quibus suos cōsueuerat cōsolari: sed in verberib. & in ira subsannādo eos, cū irriguit calamitas repētina, sic q; Hūgaria plena populo sedet sola. O dira crudelitas. facta est Hūgaria libera sub tributo. Proh dolor, nō fuit in tanto exitio, qui cōsolaretur eā ex omnibus caris eius. Rogo igitur & affectuose deposco, quatenus, cum de vita & ipsorum moribus atque pugna describe-

Digitized by Google

re voluerim veritatem, si de tristi materia & horrenda flebilis inire compulsus sum mœstos modos: vos vel quisque lector rectam conscientiam falsis opinionibus non supponat; quod præsumptuosa temeritas patefecit aditum illicitis ausibus vel nociuis. Quia non ad deprehensionem cuiquam vel derogationem; sed ad instructionem id potius examinaui. vt legentes intelligant & intelligentes credant; credẽtes teneant, & tenentes percipiant; quod prope sunt dies perditionis, & tempora properant ad non esse. Et sciant cuncti hæc me temere non referre; quod quisquis ad manus ipsorum deuenerit Tartarorum, si natus non fuisset, melius esset ei: & sentiet se non à Tartaris, sed in tartaro detineri. Hoc refero vt expertus. Fui enim per tempus & dimidium temporis inter eos, in quo mori solatium extitisset, sicut supplicium fuit vita.

DE INTENTIONE REGIS BELAE,

CAPVT I.

CVm Bela rex Hungariæ inter principes Christianos zelator catholicæ fidei nosceretur; ad instar progenitorum suorum Stephani, Emerici, Ladislai & Colomani regum, qui sanctorum catalogo sunt asscripti; inter alia pietatis opera, quæ ipse in propatulo, vt benefaciendi exemplum præberet; & alia, quę in conclaui, vt ora iniqua loquentium contra eum obstrueret, exercebat; in mẽte gessit assidue, prauas & extraneas nationes ad gremium ecclesiæ matris attrahere, vt animabus deo quam plurimis lucrefactis, suam facilius deduceret lucrifactam ad æterna gaudia beatorum.

QVOMODO REX BELA INTRODVXerit regem Comanorum in Hungariam.

CAPVT II.

A.C. M.CC. XLII.

IGitur anno M.CC.XLII. ab incarnatione domini sic euenit; vt Kuthen Comanorum rex ad dictum regem solennes nuncios destinauerit; asserens se multis annis cum Tartaris pugnauisse, ac obtinuisse duabus vicibus victoriam contra eos; tertia vero vice cum existeret imparatus, terram suam subito intrauerint; ita vt ipso habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuerit Tartaris sceleritatis: & sic magnam partẽ terræ ipsius hominibus interemptis hostiliter destruxerint. propter quod si vellet ipsum suscipere, ac in libertate tenere, se & suos paratus esset ei subdere; ac cum consanguineis, fratribusque & amicis suis, rebusque & bonis mobilibus omnibus, in Hungariam intrare, & ipsum in fide catholica imitari. Quo audito, rex repletus est gaudio magno valde. tum pro eo, quod talis princeps ei quasi par, hactenus eius se volebat subiicere ditioni; tum quia poterat ad effectum ducere præconcepta lucrifaciendo tot animas Iesu Christo. & sic licentiatis nunciis non minimis muneribus honoratis ad dictum Kuthen regem transmisit suos nuncios & fratres prædicatores cum eisdẽ; mandans quod ipsum & suos paratus esset recipere & petita cõcedere iuxta suæ beneplacitum voluntatis. Quid plura? nunciis hincinde sæpius destinatis; prędictus Kuthen cum suis iter arripuit in Hungariam veniendi. Rex vero in potentatu mirabili vsque ad confinium terræ suæ obuius ei fuit; tot eximia, & tot honores ei & suis faciens; vt ab incolis terræ illius à tempore, cuius non extabat memoria, factum non fuerit neque visum. Tandem cum propter multitudinem in loco cõmode morari non possent; pro eo, quod erat gens dura & aspera, subdi nescia; ne offenderent Hungaros vel offenderẽtur ab ipsis, dabat eis de principibus suis vnum, qui eos conduceret; & expensas omnibus, qui pręter ipsorum familias circa quadraginta millia dicebantur, faceret exhiberi vsque ad mediculum terræ suæ.

DE ODIIS INTER REGEM ET HVNgaros; & primo de causa odii prima.

CAPVT III.

CVM autem rex Comanorum cum suis nobilibus & rusticis cepit Hungariam peragrare, quia iumentorum habebant armenta infinita in pascuis, segetibus, hortis, virgultis, vineis, & aliis, Hungaros grauiter offendebãt. Et quod horribilius erat eis; cum essent siluestres homines; virgines pauperum abominabiliter opprimebant, & thorum potentium, quando commode fieri poterat, maculabant: licet mulieres ipsorum tanquam viles ab Hungaris prosternerentur. Et si in rebus vel in persona Comanũ Hungarus offendebat; statim de ipso fiebat iusticiæ complementum, sic vt alius similia facere non auderet. Si vero à Comano Hungarus lędebatur, illi de ipso iusticia non fiebat. & si quando instare volebat, pro verbis interdum verbera reportabat. Et sic inter populares & regem odium est generatum.

DE SECVNDA ODII CAVSA INter regem Belam & Hungaros.

CAPVT IV.

LIcet digressionem faciam aliquam; tamen vt legentes intelligant, & audientes non ignorent destructionis Hungarię fundamentum; reuertar quantocyus ad stylum inceptæ materiæ prosequendum. Bonæ memoriæ rege Andrea genitore istius Belæ regis mortis debitum persoluente; subito rex cum regni principibus & nobilibus venit Albam regiam ciuitatem; & ibi, postquam per manus Strigoniensis archiepiscopi, prout moris est, regali diademate extitit coronatus; quosdam de suis baronibus, qui patri adhæserant contra eum, cõpulit exulare: quosdã carcerali custodiæ, quos habere potuit, mancipauit. quędam de maioribus Dionysium palatinum priuari fecit lumine oculorum. Quędam autem statuta ibidẽ faciens iussit ꝓmulgari; vt terra malis hominibus, qui abundabant plurimum expurgaretur. baronum quoq; præsumptuosam audaciam reprimẽdo præcepit, vt exceptis suis principibus, archiepiscopis & episcopis, si aliquis baronũ sedere in sede aliqua in sua præsentia auderet, debita pœna plecteretur: comburi faciens ibidem ipsorũ sedes, quas potuit inuenire. Quod cognati exulum & captiuorum amici sibi etiam timentes in posterum, pro malo non modico habuerunt. exinde inter eos scandalum est ortum.

DE TERTIA ODII CAVSA.

CAPVT V.

PRæterea nobiles cum cordis amaritudine referebant; quod, cum ipsi vel ꝓgenitores eorum cõtra Ruthenos, Comanos, Polonos, & alios in expeditionem à regibus sæpius essent destinati, & aliqui essent ibidem gladio interempti, aliqui fame mortui, aliqui carceribus mancipati, & aliqui diuersis tormentis afflicti; reges, qui pro tempore fuerant reuertentibus, vel captiuorum propinquis recompensationem & remunerationem congruam faciebant: villas, possessiones, & prædia concedendo eis in perpetuum possidenda. Hic autem non solum eis non addidit aliquid; sed concessa ad ius & proprietatem cuiusq; sine diminutione aliqua reuocauit. Hic est dolor; hic est gladius, qui transfixit animas Hungarorum. Nam qui erant diuites, & potentes, & secum habebant multitudinem effrenatam; vix se solos poterant sustentare.

DE QVARTA ODII CAVSA INter regem Belam & Hungaros.

CAPVT VI.

ITEM, sæpius conquerebantur, quod rex contra regni consuetudinem in depressionem eorum, prout voluit, ordinauit: quod, qualiscunque eminentiæ

fuerint nobiles, in eius curia negocium mouere, aut ei oretenus loqui nequiuerint: nisi supplicationes cancellariis porrigerent: & exinde finem negocii expectarent. Propter quod plerique pro minimo tantum in curia tenebantur, vt equos & res alias pro expensis expendere cogerentur. & multoties non expeditis negociis recederent. Nam cancellarii (vt dicebant) pro eo, quod nisi per ipsos requisitos regi loqui poterant, deprimebant & subleuabant aliquos, vt volebant. propter quod illos suos reges esse generaliter & publice fatebantur; & regem alium non habere se dicebant.

DE QVINTA ODII CAVSA.
CAPVT VII.

HOc aliud referebant, quod præter vel contra eorum consilium, & ad depressionem & confusionem eorum Comanos adduxerat. Quod patebat ex eo, quia quando ipsi vocati vel non vocati ad curiam accedebant, copiam videndi regem non habebant, nisi à remotis: & illi solum per interpretem loquendi habebant facultatem. & si minimus Comanus accederet; statim vt patebat aditus, intrabat. & Comanos tam in sessionibus quam consiliis & in omnibus, Hungaris præferebat. Propter quod tanta indignatio erat eis, vt vix possent tolerare. & licet non exprimerent: ad ipsum tamen bonum cor & animum non habebant, nec pro ipso pacis consilia cogitabant.

DE RESPONSIONE AD PRIMAM *odii causam.*
CAPVT VIII.

FAutores autem & fauentes regi, iustificare ipsum in omnibus nitebantur: sic ad præmissorum singula respondentes. Comanis introductis, cum per fide dignos ad regis notitiam peruenisset; quod per Comanos Hungari grauarētur, principibus, baronibus, comitibus & Comanis omnibus circa monasterium de Kew circa Ticiam conuocatis, deliberatione diligenti communi consilio est sancitum; quod nobiles Comanorum cum suis famulis diuisim per singulas Hungariæ prouincias mitterentur; & moram quilibet in prouincia traheret sibi assignata: & ita cum multi simul non essent, grauamen inferre Hungaris non valerent: & si Comanus Hungarum, vel Hungarus Comanū offenderet; comites, quibus hoc sub pœna gratiæ regis iniunctum fuerat, iusticiam facerent æquiualentem: licet Comanis hoc, quod separari deberent, plurimū displiceret. Et sic ipsi postea sine offensione cuiusquam cum suis tentoriis, filtreis, iumentis, pecoribus, terram vacuam Hungariæ peragrabant. Et cum essent multi & pauperes, inter eos habebant Hungari de eis quasi pro nihilo seruientes. & sic status eorum magis ad commodum, quam incommodum erat eis. Cessare igitur debebat in hoc maleuolentia populorum.

DE RESPONSIONE AD SECVNdam *odii causam.*
CAPVT IX.

SI rex mortuo genitore suscipiens gubernacula regni sui, quosdam de maioribus fecit quæstionibus subiici, & tormentis: sanæ mentis non debet aliquis admirari. Nam iidem inter ipsum regem & patrem eius sæpius seditionem & scandalum procurauerunt. ita quod hincinde sæpius militia congregata, dimicare ad inuicem voluerunt; nisi per tenentes medium inter eos essent pacis fœdera reformata. Cum & ipse rex ad patris curiam accedebat: iidem in nullo ei penitus deferebant: imo, dehonestare ipsum verbis & factis, in quantum poterant, nitebantur. quod celari non potest. Et contra vitam patris & filiorum nequiter conspirauerant. vt illis gladio interemptis, facilius quilibet posset de Hūgaria, quam sibi per partes diuiserant, portionem sibi debitam sine conditione cuiuslibet obtinere. Et cum concepta nequirent effectui mancipare: aliud nequius

quius cogitarunt. duci Austriæ litteras cum certis pactis & conditionibus destinando: domino Frederico Romanorum imperatori coronam regni & Hungariam dare promittebant. Sed nuncius in via captus regi fuit cum litteris præsentatus. Vnde conseruando ipsos ad vitam misericordia, quæ superexaltat iudicium, vsus est contra eos. Si vero statuit, quod terra malis hominibus purgaretur; quam iniquitatem continet hoc statutum? Si sedes baronum cremari fecerit; quæ iniquitas fuit ista? nunquid debent domini subditis esse pares? Igitur non erant iusti Hungari in hac parte.

DE RESPONSIONE AD TERTIAM odii causam.

CAPVT X.

DE tertia causa odii regem taliter excusabant. Est omnibus non ignotum, q̃ LXX. duos habet Hungaria comitatus. hos reges Hungariæ bene meritis conferebant & auferebant sine iniuria possidentis. Ex his comitatibus habebãt delicias, diuitias & honores, potentiam, altitudinem & munimen. Sed per ꝓdigalitatem quorundam progenitorum suorum iura comitatuum erant adeo diminuta; vt meritis & demeritis personarum non discussis, eisdem possessiones, villas, & prædia ad comitatus pertinentia in perpetuum contulissent; ex quo viros comites non haberent; & cum incederent, simplices milites propter diminutionem comitatuũ putarentur. Qui autẽ potentiores erant sicut Thauernicus, qui & camerarius dicitur; ac dapiferorum, pincernarum, nec nõ agasonum magistri, & cæteri, qui habebant in curia dignitates; exinde in tantum incrassati erant; vt reges pro nihilo reputarent. Hic autem cupiens reintegrare coronam, quæ pœne paruæ potentiæ facta erat: licet plurimis displiceret; male tamen alienata studuit reuocare ad ius, & proprietatem comitatuum, tam à sibi contrariis, quam à suis: licet non faciendo iniuriam alicui iure suo in omnibus vteretur. tamen de regalibus bonis bene ac fideliter seruientibus remunerationem congruam faciebat. Vnde, quia vsus fuit iure suo, cessare debebat maleuolentia Hungarorum.

DE RESPONSIONE AD QVARTAM odii causam.

CAPVT XI.

CVm esset propter diuersitates multiplices, & ritus diuersos pæne totum regnum Hungariæ deformatum; & rex ad reformationem eius totis viribus anhelaret; & implicitus rebus arduis nequiret singulis audientiam beneuolam exhibere: duxit deliberatione prouida statuendum, quod negocia suorum regnicolarũ deberẽt ad instar Romanę curiæ per petitiones in sua curia expediri; suis cancellariis ita mandans, quod per se leuia & simplicia negocia expedirent quantocyus possent: ad suum auditorium ardua & grauia perferentes. Hoc ideo faciebat; vt negocia finem debitum velociter sortirentur. Sed maleuoli, quod ad leuamen oppressorum fuerat adinuentum, ad iniquum compendium retorquentes: nodũ in stupa, & pilũ in ouo inuenire mendaciter satagebant.

DE RESPONSIONE AD QVINTAM odii causam.

CAPVT XII.

ILlud asserebant penitus falsum, quod rex introduxisset Comanos ad depressionem & odium Hungarorum; sed solum propter hoc, vt cultus diuini nominis in Hungaria suis temporibus augeretur. & sic, quando ipsum aduersus inimicos coronæ guerram habere contingeret: contra eos cum eis fortius & durius dimicaret. Si autem Comanos plus quam Hungaros honorabat, hoc ipsi ægre ferre non poterant, nec debebant. Nam decebat regiam dignitatẽ introductos hospites honorare. maxime cum hoc eis promiserit iuramento: &

Digitized by Google

ipsum in fide sua ceperint imitari. & cum essent eis Hungari odiosi: solum regē habebant in Hungaria protectorem. Nam Kuthen rex Comanorum per regē; & quam plures alii per maiores & nobiles regni fuerant baptizati; ita quod iam cum Hungaris connubia contrahebant. Et si rex eis fauorabilis non fuisset; ipsi in Hungaria non stetissent. Auditis autem hincinde propositis: scriptor finem huius negocii non imponit: lector si valeat, causam terminet, iusticia mediante.

DE INTERLOQVIO AD CONTInuandam narrationem.

CAPVT XIII.

HIs interpositionibus expeditis: scriptor stylum dirigit ad tractandum inceptæ materiæ prosecutionem. Et si qui ipsum lingua mordere voluerint toxicata, dicentes; quod interpositiones huiusmodi nil ad rem pertinerent, & bene poterat esse sine illis, non est verum: quia hæc discordia potissimus fomes fuit, quare Hungaria sic velociter est destructa.

DE VVLGARI HVNGARORVM opinione.

CAPVT XIV.

ANNO igitur domini euoluto, Hungaria ad regem in maleuolentia existēte, circa natiuitatem domini fama fuit, quod confinia Hungariæ, Rusciæ continua Tartari deuastabant. Et quia rex de hoc per suos nuncios certus erat, ad custodiendum portam Rusciæ, quæ Montana dicitur, per quam in Hungariam patebat aditus, misit maiorem suum comitem cum exercitu palatinum; & fecit per totam Hungariam proclamari; vt tam nobiles, qui seruientes regis dicuntur, quam castrenses & pertinentes ad castra superius nominata, se ad exercitum præpararent: vt essent, quando rex mitteret, præparati. Cum autē hoc per totam Hungariam clamaretur, Hungari præ nimio gaudio non credebant; asserentes, quod de Tartaris multoties insonuerat talis rumor; & sic semper viderant illum esse nullum; vnde dicebant, *multa renascentur quæ iam cecidere.* Alii asserebant, quod quidam de prælatis ecclesiarum rumores huiusmodi procurabant, pro eo quod tunc temporis Romā non irent ad concilium vocati à Romano pontifice celebrandum: & talis opinio erat eis. Fuit tamen omnibus manifestum, quod Vgolinus Colocensis archiepiscopus pro se, ac quibusdam suffraganeis suis Venetias miserat pro galeis: & fuerunt per regem contra voluntatem eorum ab itinere reuocati.

Alii vero quā plurimi fatebantur (vt haberent de rege materiam obloquēdi) quod Comani societatem contraxissent cum Ruthenis: vt simul contra Hungaros, à quibus multa mala perceperant, & sæpius destructi fuissent, dimicarent: & propter hoc plus quā per annum, eos prædictus Kuthen cum suis præuenerat; vt conditiones terræ addisceret, & linguā faceret sibi notam: & cum introitum illorum perciperet, pugnam inciperet contra regem: & sic facilius illi portam possent obtinere: & ad ipsius Kuthen auxilium festinare, & ita citius aliquam partem Hungariæ deuastare; gaudendo & mordendo regem: pro eo, quod Comanos introduxerat, vt superius est expressum, & in hac opinione quam plurimi concordabant.

DE CONSILIO REGIS CONtra Tartaros.

CAPVT XV.

CVm ergo postmodū versus quadragesimā pergeret iter suū; magis ac magis fama huiusmodi crebrescente; rex ad quandā villā, quę Buda dicitur, super ripa Danubii positam, in qua cōsueuerat quadragesimā celebrare, pro eo, quod dicebatur locus cōmunior, properauit. Et archiepis. episcopis & aliis regni maiorib' conuo-

conuocatis; deliberabat assidue; qualiter posset de tanto negocio prouidere: monens & hortans eos sæpius, quod quilibet haberet suos stipendiarios milites præparatos. Kuthen vero, qui cum vxore, filiis, filiabus, & quibusdam suis maioribus tanquam suspectus, & sceleris conscius, à rege fuerant conuocati, communi deliberato consilio curialiter ne possent manus ipsorum effugere, custodię fuerunt mancipati.

QVID FECERIT REX BELA, CVM *per palatinum de introitu Tartarorum certificatus fuit.*

CAPVT XVI.

Circa vero medium quadragesimæ venit ad regem cursitando vnus de militibus palatini, ex parte ipsius referens, quod iam ad portam Rusciæ peruenerant, & indagines destruebant, & non credebant quod palatinus posset eis resistere, nisi rex mitteret ei auxilium festinum. Rex adhuc incredulus secum armatos milites nō habebat. Et dum in anxietate huiusmodi permaneret, quarto die postea venit idē solus, qui nocte dieq; cursitauerat palatinus dicens: quod duodecimo die intrante Martio in porta congressum habuerat cum eisdem: & suis pæne omnibus sagittis & gladiis crudeliter trucidatis cum paucis euaserat: & quæ facta erant sibi, venerat nunciare. Sed licet rex de malis rumoribus non modicum obstuperet, licentiauit tamen archiepiscopos, episcopos & alios suos comites & barones, eis præcipiens firmiter & districte, vt quilibet aggregata sibi militia iuxta posse rediret ad ipsum & sine dilatione temporis festinaret: ꝓut vrgens necessitas & manifesta vtilitas exigebat: & præcepit magistro Stephano episcopo Wacienſi, Orodienſi, & sancti Saluatoris, Chanadienſi præpositis: ꝙ ad reginam festinanter accederent, & ad confinium Austriæ properarent: ibidem finem huius negocii expectantes. Item, per suas litteras rogauit ducē Austriæ, vt ad ipsum accederet festinanter: & iussit Comanis omnibus, vt venire ad ipsum aliquatenus non differrent. Ipse enim de Strigonienſi & Albenſi ciuitatibus, quæ ad vnam tantum diætam distabant, exercitu congregato, cōfestim transiuit Danubium, & in magna & ditissima Theutonica villa, quæ Pesth dicitur, Budæ opposita ex altera parte Danubii moram traxit: suos ibidē cum exercitu expectans principes, comites, & barones.

ALIA INTERLOCVTIO.

CAPVT XVII.

Pater & domine aduertite reuerende: & quia cum multa simul occurrerint nequeunt dici simul, oportet igitur vt vno dimisso negocio in dicendo aliud assumatur.

SEQVITVR RVRSVS INTER-*locutio.*

CAPVT XVIII.

Notate itaq; nomina dominorum Tartarorum; & qualiter intrauerunt in Hungariam; & astutiam eorundem; quia non dimittetur indiscussus articulus, quin quilibet sensus debitus imponatur.

NOMINA REGVM TARTARORVM *in Hungariam intrantium.*

CAPVT XIX.

Rex regum & dominus Tartarorum, qui Hungariam intrauerunt Bathus suo nomine vocabatur. Rector erat sub ipso in militia potentior Bochetor appellatus. Cadan in probitate melior dicebatur. Coacton, Feycan, Peta, Hermeus, Cheb, Ocadar, maiores reges inter Tartaros censebatur: quanquam essent inter eos alii reges quam plurimi principes & potentes: qui cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hungariæ inuaserunt.

Digitized by Google

QVOMODO TARTARI RVSCIAM & Comaniam destruxerint.

CAPVT XX.

HI autem quando Rusciam & Comaniam totaliter & vnanimiter destruxerunt: retrocedentes ad quatuor vel quinq; diætas intacta confinia Hungariæ continua dimiserunt: vt cum reuerterentur tam pro equis quam pro se victualia inuenirent, & rumores ad Hungaros minime peruenirent. Cum quidam victualia dictorum regnorum consumpsissent, & Hungariam proponerét occupare, Bathus maior dominus dimissa tota familia solus cum suis militibus, & non multis, ad dictam portam Rusciæ, quæ propior erat ad locum, in quo rex congregabat exercitum, recto tramite properauit; & expugnato exercitu comitis palatini, eandem portam obtinuit, & intrauit. Peta rex per Poloniam dirigens gressus suos, vno ab ipso de ducibus Poloniæ interfecto & destructa Vratislauia ciuitate nobilissima & strage facta mirabili, ac in terram ducis Morauiæ aliis ducibus præstare sibi auxilium nequeuntibus, simili crudelitate peruadens; ad Portam Hungariæ festinauit. Rex Cadan inter Rusciam & Comaniam per siluas trium dierum habens iter siue viam, peruenit ad diuitem Rudanam, inter magnos montes positam Theutonicorum villam, regis argentifodinam: in qua morabatur innumera populi multitudo. Sed cum essent homines bellicosi, & armorum penuriam non haberent: audito ipsorum aduentu, extra villam, per siluas & montes eis obuiam exierunt. Cadan vero respiciens multitudinem armatorum, terga dedit, fingens fugam ante eos. Tunc populi cum victoria reuertentes, armis depositis inebriari vino, prout Theutonicorum furia exigit, inceperunt. Sed ipsi Tartari subito venientes; cum fossata muros & munitiones aliquas non haberent; villam ex multis partibus intrauerunt. Et licet hincinde fieret magna strages: videns populus quod eis resistere non valebat; se ad fidem eorum totaliter reddiderunt. Sed Cadan sub sua protectione villa recepta, Ariscaldum comitem villæ cum electis sexcentis armatis Theutonicis suis militibus associauit sibi venire cum eis incipiens citra siluas. Bochetor autem cum aliis regibus fluuium, qui Zerech dicitur, transeuntes, peruenerunt ad terram episcopi Comanorum, & expugnatis hominibus, qui ad pugnã conuenerant, ceperunt terram totaliter occupare. Reuertar igitur ad regem Hungariæ, qui erat in dicta villa Pesth; vt processus eius plenius describatur.

QVALITER TARTARI PROCESSErint postquam Portam habuerunt.

CAPVT XXI.

POstquam autem maior dominus Bathus Portam habuit; cepit villas comburere; & gladius eius non parcebat sexui vel ætati; & ad regem quantũ poterat, festinabat. Et cum prope ad Pesth ad mediam diætam ante dominicam de passione domini die Veneris peruenisset; statim quosdam vsq; ad villam misit comburendo, interficiendo, prout eis innata malitia ministrabat. Sequenti die misit alios vel eosdem, qui peragebant similia vel peiora. Sed rex exire ad eos aliquos ad faciendum congressum nullatenus dimittebat. Et illi dum credebantur ire, reuertebantur; & dum putarentur reuerti, iterum ibant; diem in ludo totaliter expendentes. Cumque die dominico facerent illud idem; Vgolinus Colocensis archiepiscopus hoc graue ferens quam plurimum; quod quidẽ quasi prædones tot bonos homines confundebant; & grauius, quod rex sibi & suis pusillanimus videbatur. Propter quod contra mandatum regis cum paucis de suis foras exiens congressum habere voluit cum eisdem. Sed illi terga vertẽtes paulatim retrocedere inceperunt. Hoc archiepiscopus intuens, incepit eos equorum insequi pleno cursu.

Tandem terra paludosa reperta; illi velocius transierunt paludem. Hoc archiepiscopus non aduertens: cum proximus illis esset, festinus intrauit: & cũ esset

esset cum suis armorum pondere pressus transire vel retrocedere nequiuerunt. Sed illi ad eos velocius reuertentes circumdederunt paludem; & in ipsos sagittas velut pluuiam emittentes; eosdem ibidem totaliter necauerunt. Cum tribus autem vel quatuor euadens archiepiscopus sic confusus remeauit ad villã: non modicam iram habens tam de suis perditis: quam de eo, quod rex non fecit aliquem in sui subsidium properare.

Quomodo fuit destructa ciuitas VVazienſis.

Caput XXII.

IN dominica de passione pars exercitus Bathi regis regum accessit ad Waciam ciuitatem positam super ripa Danubii; ad mediam diætam prope ad villã Pesth: in qua rex cum exercitu morabatur. Et capta ciuitate penitus & debellata; qui ad ecclesiam & ad palatia ecclesiæ, quæ erant quasi castrum munita, recursum habuerant, tam de ciuitate, quam de circumpositis villis innumera populi multitudo: eos viriliter expugnauerunt; & thesauro ecclesiæ habito: canonicos & alias personas, dominas & puellas, quas noluerunt interimere gladio, in igne totaliter cremauerunt: & ita in dominica de passione Wacienses passi sunt: vt cum domino Iesu Christo partem habere mererentur.

Quomodo dux Austriae insultum fecerit in Tartaros.

Caput XXIII.

ILlud non est aliqualiter omittendum, quod dux Austriæ rogatus à rege venerat: sed cum paucis tanquã facti nescius & inermis. Et cum aliqui ex Tartaris ad villam Pesth more solito aduenissent; armis & equis sibi assumptis obuius eis fuit. Et cum simul congredi debuissent; illi terga dantes, prout assueuerunt, abibant. Sed dux submisso equo subdens calcaria, quendam attigit, percutiens eum cum lancea taliter, quod lanceæ hasta fracta de equo ipsum prostrauit ad terram. Alteri vero ipsorum canesio, id est, maiori, volenti prostrato succurrere; armato more iuxta sellam confestim arrepto mucrone, vno ictu brachium illius amputauit. Qui statim de sella corruens expirauit. Aliis in fugã conuersis, prostratum ceperunt: ipsum vinctum cum equis ad exercitum adducentes. Propter hoc Hungari assumpta materia; exprobrare regem, ac exaltare ipsum ducem vnanimiter inceperunt.

Quomodo Kuthen rex Comanorum extiterit interfectus.

Caput XXIV.

CVmq; publica fama esset; quod Kuthen, qui cum suis, vt dictũ est, prope ad regẽ in custodia tenebatur: esset tanti sceleris non immunis; & adhuc qui venerant Comani non Tartari crederentur; clamabat totus populus contra eũ: moriatur, moriatur: ipse est qui destructionẽ Hungariæ ꝓcurauit. Et ꝑ ipso regi sepius exprobrantes dicebant: Pugnet rex noster; qui Comanos in nostrũ odiũ introduxit. Alii clamabant: pugnet rex cum illis, quibus nostra prędia sunt collata. Rex exprobrationibus frequenter auditis; misit hominem ad Kuthen, vt ad ipsum accedere non differret. Sed Kuthen, qui crebro acclamationes populi audiebat; timens pœnã: licet esset immunis à culpa, mandauit regi: quod ad ipsum nequaquam accederet: nisi ei talem hominem destinaret, cui esset potentia, ipsum ad eundẽ ducere ac ipsum eruere de manibus populorũ. Hoc regi nũcio referente, clamor factus est magnꝰ in populo, moriatur, moriatur. Ac sic subito Hungari & Theutonici armati intrantes palatiũ, in quo erat, violenter ad ipsum accedere voluerunt: Kuthen vero cum suis arreptis arcubus & sagittis ad se ipsos accedere non sinebant. Sed populorum multitudine accedente, ceperunt eosdem; & cunctis in instanti capitibus amputatis; ea in populos per

Digitized by Google

fenestras de palatio proiecerunt. Quidam autem volunt, hoc facinus duci Austriæ imputare. Ab aliis vero de mandato regis dicitur esse factum. Tamē, postquam pro certo est compertum, quod Kuthen huius nequitiæ est expers; asserunt hoc verisimile non esse: quod rex, qui ipsum de sacro fonte leuauerat; & securitatem ei dederat, præstito iuramento, tantum facinus perpetrasset. Nolo quidem ego, qualiter hoc actum est, diffinire. diffiniat ille qui nouit: & pœnam vel gratiam vnicuiq; iuxta opera sua reddet.

QVID FECERINT COMANI AVdita morte regis ipsorum; & qualiter rex Bela contra Tartaros processerit.

CAPVT XXV.

TArtaris itaq; die noctuq; in circuitu villas comburentibus, instabat Colocēsis archiepiscopus apud regem; vt exiret cum exercitu cōtra eos. Igitur duce Austriæ recedente; maxime cum maior regni exercitus aduenisset; rex cum exercitu motus exiens incepit paulatim procedere contra eos. Cumq; Comani vocati contra Tartaros, vbicunq; essent, in regis subsidium vnanimiter aduenirent; audita morte ipsorum domini Kutheni turbati sunt grauiter & cōmoti, quid deberent agere ignorantes. Cum autem rumor de morte eiusdem increbruisset, Hungari villani odiosi eis, vbiq; contra eos insurgere ceperunt spoliando & interficiendo eosdē sine aliqua pietate. Qui cum taliter inspicerent se perimi; insimul congregati, non solum se defendere inceperunt; sed villas comburere, & rusticos viriliter expugnare.

QVOMODO EVASERIT CHANADIensis episcopus manus Comanorum.

CAPVT XXVI.

SEd cum Bulzo Chanadiensis episcopus; & Nicolaus filius Boræ cum nobilibus multis vxores, filios, & filias, & familias ad partes superiores conducerent; vt postmodum ad regis exercitum festinantes accederent, contra obuiantes Comanos inceperūt pugnam durissimam, qui eis resistere nequeuntes sunt quasi omnes gladio interempti. episcopus tamen cum paucis in curru iacens infirmus, dum pugna fieret, est longius asportatus. Comani vero, vt Tartari terram postmodum destruentes & conuenientes in vnum, ex ista parte Danubiū transierunt, & sic destruendo inceperunt ad Marchiam properare. Illi autem de Marchia hoc scientes, conuenerunt in vnum; eis obuiam exeuntes congressum cum eis in finibus Marchiæ habuerunt: & superati ab eis præueniebant vnus alium fugiendo: & sic Comani ceperunt Marchiam nequiter expugnare, mortem sui domini crudeliter vindicantes. Nam cum interficiebant Hungaros dicebant: *Hunc ictum sufferas pro Kutheno.* Et destructis melioribus villis, scilicet Franka, villa senatoria sancti Martini & aliis: & recepta multa pecunia, equis, & pecoribus, destruendo terram in Bulgariam transierunt.

QVOMODO VVARADIENSIS EPIscopus per Tartaros extitit deceptus.

CAPVT XXVII.

BEnedictus quidē Waradiensis episcopus, p se de mandato regis magno exercitu cōgregato, volens in ipsius subsidium accedere, intellexit, quod Tartari ciuitatem Agriensem destruxerant: hominum de ciuitate & aliorū, qui ad defensionē ipsius conuenerāt, aliis cōbustis, aliis gladio interemptis, spolia, thesaurū episcopi & ecclesiæ exinde asportabāt. Vnde sumēs audaciā p eo, q paucis diebus elapsis congressum cum paucis eorū habuerat, & præualuerat contra eos, incepit post ipsos dimisso exercitu festinare, vt sibi posset fragmenta colligere, ne perirent. Hoc Tartari præscientes, finxerunt se ire longius, & steterunt.

Et

Et cum haberent equos plurimos, & ipsi pauci existerent; figmēta talia ordinauerunt. Fecerunt autē laruas & monstra q̃ plurima: ea super equos vacuos tanquā si essent milites, ordinando: & equos illos sub quodā monticulo paucis cū eis relictis seruientibus dimiserunt: mandantes eisdē: vt cum ipsi cum Hungaris ingrederentur ad pugnā, ipsi exirent acie ordinata; & paulatim procederent versus eos; & ipsi in planicie Hungaros expectabant. Quibus aduenientibus, Boch comes, & quidam alii, qui de melioribus militibus Hungariæ putabātur, qui cum episcopo venerāt, ipsis visis, habenis equorum dimissis cōgressum habuerunt durissimū cum eisdem. Et cum essent Tartari numero pauciores; terga eis dare fingentes, versus monticulū retrocedere inceperunt. Et dum ipsi cum laruis exierunt sub monte, &, vt condictū erat, acie ordinata; Hungari hoc videntes & opinantes eis insidias factas, terga dederunt, & fugam velociter inierunt: Tartari autem mox in illos conuersi, illos sequebantur, eosdem prosternendo & interficiendo, prout nequius crudelitates poterant exercere. Episcopus autem cum paucis reuersus est Waradinum. & aliquantula mora facta collectis aliquibus militibus transiuit Danubium & euasit.

Stratagema Tartarorum.

DE INFELICI BELLO REGIS BELAE cum Tartaris commisso.

CAPVT XXVIII.

CVmq; rex, vt dictum est, egressus de villa Pesth progrederetur cōtra Tartaros cum multitudine armatorum; illi de cōbustionibus villarum reuersi, & subito insimul cōgregati, per viā, per quam venerant, retroibāt; & sicut isti paulatim persequebantur eosdē; sic & illi tantum ante ipsos se fugere simulabāt. Et cum ad quādam aquā, quæ Sayo dicitur, & non multū longe de Agriensi ciuitate fluit, & intrat Ticiā, peruenissent, post aquæ transitū qui fiebat per pontem, castrametati sunt, & steterunt: ponentes in ponte custodes, qui noctis vigilias custodirent. Tartari quidē post transitum eiusdem paludis circa aquā se in planicie posuerunt. Et cum aqua magna existeret & lutosa; nō erat eis credulitas, quod sine ponte transitus alicui esse posset. Rex suos interim hortabatur, vt ad pugnā viriliter se haberent; vexilla nō pauca manu propria maioribus assignando. Hungari autē habebant hęc omnia in derisum de multitudine confidentes. ad pugnā tamen propter rationes superius assignatas cor & animum non habebant. Volebāt quidem q, rex perderet: vt ipsi chariores postmodū haberentur; credentes plagā huiusmodi particularem quibusdam & non omnibus generalem; sicut audierant quandoq; in Hungaria esse factum. Nā intrabant Comani subito, & aliquā partem terræ antequam cōuenirent Hungari destruebāt, festinantes postmodū ad recessum: & interdū Hungari idem de Comania faciebāt. Sed nō sic. quia hæc vltima primis minime responderunt. Tamen mille milites omni nocte ad custodiam exercitus ponebantur. Quid plura? Tartari vadū inuenientes longe ab exercitu, vna nocte vnanimiter transierunt; & in aurora totum regis exercitū circumdantes: sagittas emittere in exercitum sicut grandines inceperunt. Hūgari vero, quia fuerunt taliter occupati, & illorum præuenti astutia, cum armati equos suos ascēdebant, nequibant milites suos dominos; & domini suos milites inuenire. Et cum ad pugnā accedebāt, tepide ac remisse accedebant: tanta enim erat crebrosa emissio sagittarum, quod fere vmbram pugnantibus faciebant: & sagittæ, sicut locustæ & bruchus cōgregatim vadunt, per aera volabant: & sic sagittarum ictus minime sufferre valentes infra circulum exercitus retroibant. Rex vero acies non poterat ordinare. Et si mixtim ex quacunque parte ibant, Hungari ad pugnam; illi eis cum sagittis obuiam venientes, ipsos infra exercitum retrocedere faciebant: ita quod ipsi ex calore nimio & angustia maxima ad tantam lassitudinem venerant; vt rex & Colocensis archiepiscopus, qui anxii formidabant, nec minis neque adulationibus ac monitionibus iam ad pugnam poterant aliquos destinare: ab aurora vsque ad meridiem in tali angustia existentes,

Digitized by Google

Tandem iam cum deficere viderentur: dux Colomanus frater regis, cum suis, quos in tanta pressura habere potuit, cōflictum durissimū ex vna parte exercitus habuit cum eisdem, pugnæ per magnū spacium diei insistendo; & dum crederet se per residuam exercitus partem adiuuari, deceptus est. Nam cum ex altera parte ad pugnam plurimi ire crederentur: ad pugnam non ibant. sed Tartaris vltro parum secedentibus, illis per sui medium viam absque aliquali sagittarum emissione dabant. Quare Hūgari plures & plures tali via potiti: ab exercitu se subtrahebant. Et quanto plures transibant, tanto latior via per Tartaros illis dabatur: & in tanto conflictu non erat rumor vel verbum aliquod inter eos. Et cum rex illos ad conflictum ire crederet; ipsi exibant ad fugam potius quam ad pugnam. Tartari vero expectantes regis exercitum nulla tenus se mouebant. Et cum iam de multis partibus exercitui regio exitus pateret, rex ab illis incognitus cum paucis viam habuit versus siluam. Dux autem Colomanus direxit per aliam partem exercitus suum iter die noctuq; in equis plurimis vsque ad dictam Pesth; non per viam publicam per quam Hungarica natio lubricabat, sed per deuium laxatis equorum habenis ad Portam Danubii festinabat. Et quanquam à Burgensibus rogaretur, vt morulam faceret, quousque saltem pararentur naues ad transitum dominarum vxorum illorum, teneri tamen non potuit nec ad id induci. Dicebat enim, quod de se quilibet cogitaret. Aduētum enim persequentium metuens solus confestim transiuit & fugit in Simigium ad quendam locū, qui dicitur Feguſd. Et licet Burgenses de Pesth cum familia ad transitum festinarent; prius tamē superuenerunt Tartari, & qui non fuerunt in Danubio suffocati, de burgensibus extiterunt gladio interempti.

DE FVGA EPISCOPI QVINQVECCLESIENSIS.
CAPVT XXIX.

INtuens autem Bartholomæus episcop' Quinquecclesiensis destructionem exercitus; & aduertens, quod quidam de Tartaris in exercitum irruentes castra plurima cōburerent; similiter non per viam publicam, sed per campū cum multis militibus fugam iniit. Et cum pauci de Tartaris equos post eos mitterent pleno cursu; Ladislaus comes, qui ad regē multis vexillis extensis cum sua militia veniebat; nil de gestis ipsis præsciens superuenit. Episcopus Hungarica vexilla cognoscens ad comitem declinauit. Tartari vero multitudinem aduertentes abierunt retrorsum, & alios insequi curauerunt. & sic ipse comes cum episcopo abeuntes ab ipsorum manibus euaserunt.

DE EPISCOPIS ET ALIIS CLERICIS IN dicto bello interfectis.
CAPVT XXX.

DE fugientibus quoque per amplam viam versus Pesth, & in exercitu remanentibus facta est tanta strages; totq; millia sunt hominum interempta, q̄ æstimatio fieri non valet; nec referentibus fides propter innumeram cladem leuiter adhibetur. Maiores tamen de clericis cecidere Matthias Strigoniensis archiepiscopus; quem rex tum propter fidelitatē, tum, quia insimul nutriti erant, magis diligebat, & eius consiliis magna sub confidentia in rebus arduis vtebatur. Vgolinus Colocensis archiepiscopus nobilissima ortus prosapia: magna & ardua mundi negocia omissis minimis disponens. Hic erat, sub cuius fiducia nobiles Hungariæ respirabant. hic erat, sub cuius fiducia maiores & mediocres humiles se reddebant. Georgius episcopus Iauriensis; qui & nobilis fuit moribus, & peritus scientia litterarum. Reynoldus Vltrasiluanus episcopus, & ecclesiæ Nitriensis episcopus: qui fuerat laudabilis vitæ & morum honestate præclarus. Nicolaus Scibiniensis præpositus, regis vicecancellarius: nobilibus natalibus ortus: qui vnum de maioribus, antequam se necis necessitati subiiceret, cruentato gladio iugulauit. Eradius archidiaconus Bachiensis. Magister Albertus Strigoniensis archidiaconus; qui circa fluenta iuris prælatus alios meruit

huit edocere. Ipsorũ quoq; corpora diris mucronib' taliter sunt mactata; quod post recessum eorum, quanquã multum exquisita fuerint, nequierũt vllatenus reperiri. De numero vero laicorum maiorum & minorum, qui suffocati fuerũt paludibus & aquis, igne concremati, & gladio interempti, nulli mortaliũ possit fieri certitudo. Nam per campos & vias iacebãt corpora multorum mortuorum: aliqua capite diminuta: aliqua frustatim diuisa in villis & in ecclesiis, ad quas recursum habuerant; plurima concremata. Hoc exitium, hæc pernicies; & hæc strages tenebat duorum dierum itinera occupata: totaq; terra erat sanguine rubricata. & existebant corpora super terra sicut stant ad pascua per deserta greges pecorum ouium & porcorum: & sicut in lapicidinis secti lapides ad structuras. Habuit igitur aqua corpora mortalium suffocata. hæc sunt à piscibus, à vermibus, ab auibus in aquis degentibus deuorata. Terra illorum corporum dominium est adepta, quæ occubuerunt venenatis lanceis, mucronibus & sagittis. hæc sanguine cruentatæ cæli aues & dentatæ bestiæ, tam domesticæ quam siluestres, morsu vsq; ad ossa nequissime corroserunt. Ignis illa tenuit, quæ cremata sunt in ecclesiis & in villis. Interdum ignem ex crematione huiusmodi pingua extinguebant. Hæc cõsumi nequeunt modico temporis interuallo. Nam inueniuntur in locis plurimis vsque ad tempora longiora ossa denigratis pellibus non consumptis inuoluta: pro eo, quod quibusdam bestiis escæ placidæ nõ existunt, nisi aliter destruantur. Cum autem in dominium trium elementorum vniuersa corpora transiuissent; videndum est, quid quarto reliquerint elemento. Ad aerem igitur, qui quartum dicitur elemẽtum alia tria fœtorem omnium corporum transmiserunt: & sic ex fœtore corruptus est & infectus: quod homines, qui per campos, & vias, & siluas, ex vulneribus remanserant semiuiui; ex infectione aeris, qui forte viuere poterant, expirauerunt. & sic aer huius crudelis exitii non est expers. De auro igitur & de argento, equis, armis, vestibus & rebus aliis tot hominum, qui occubuerunt, tam in prœlio, quam in fuga quid dicetur? Equi cum sellis & frenis sine sessoribus per prata & nemora discurrebant: & ex strepitu erant facti adeo furibundi, vt insanire penitus viderentur: & sic eos territos cum nequirent proprios dominos reperire, oportebat aut mori gladio, aut subiicere se dominio exterorum. quorum hinnitus haberi poterat pro gemitu atque fletu. Argentea quoque vasa & aurea, sericæ vestes & alia, hominibus oportuna per campos & siluas à fugientibus proiecta, vt ipsi velociori cursu manus insequentium euaderent, non habebant aliquos collectores. Tartari tantum interfectionibus hominum insistentes de spoliis minime curare videbantur.

QVOMODO TARTARI HABITA VICTORIA spolia diuiserint, & inuento regis sigillo ficticias litteras scripserint.

CAPVT XXXI.

HAbita de tanto exercitu victoria & triumpho; captaque deprædatione huiusmodi cum tumultu; & vestimentis mixtis sanguine, equis, auro & argento effusa rubigine rubricatis tanquam congeriebus lapidum & aceruis frugum in simul adunatis; ad diuisionem & ad partitionem eorum; herus cum elegantioribus de Tartaris ex partitione huiusmodi subsecuta, reperto sigillo regis penes cancellariũ, cuius caput à corpore diro mucrone demerant: iam confisi de terra, & timentes ne populi profligatione regis audita manus per fugam effugerent eorundem: diligenter aduertite astutiam quam fecerunt.

Primo totam Hungariam vltra Danubium dimiserunt, & assignauerunt vnicuique de maioribus Tartarorum regibus, qui adhuc Hungariam non intrauerant, partem suam significando eis rumores, & quod festinarent. quia iam eis obstaculum nullum erat. Et fecerunt scribi per quosdam clericos Hungaros, quos adhuc ad vitam seruauerant maioribus omnibus & popularibus per totam HVNGARIAM existẽtibus sub nomine regis multifaria ficticia lit-

terarum sub hac forma: *Canum feritatē & rabiem nō timeatis: nec vestris de domibus vos mouere audeatis. Licet enim propter quandā improuisionem tum castra tum tentoria reliquerimus: paulatim tamē Deo nobis propicio eadē recuperare intendimus contra illos prœliū virtuosum instaurantes. Vnde tantū orationi vacetis, vt misericors Deus aduersariorū nostrorum capita à nobis permittat malleari.* Hæ fuerunt litteræ per quosdam Hungaros, qui iam eis adhæserant destinatę: qui me ac totam Hungariā destruxerunt. Nam tantam illarum certitudini litterarum fidem dedimus: quod licet omni die contrariū cerneretur: tamen, quia in terra illico guerrarū turbatio superuenit, ob hoc ad sciendū rumores nuncios mittere nullatenus poteramus, contrariumq; credere nequibamus: & sic Hungaria occupata viam non potuit habere fugiendi. Sed quia, processum regis dimisimus indiscussum: reuertamur ad progressum suum, vel, quod verius est, ad egressum.

QVID FECERIT REX BELA POST DEBELLATIONEM SVI exercitus. & qualiter per ducem Austriæ captus fuerit pariter & spoliatus.

CAPVT XXXII.

IPSO itaque rege de exercitu profugato, die noctuque cum paucissimis versus confinia Poloniæ habuit iter suum. & inde directo tramite vt reginam posset attingere, quæ in confinio Austriæ morabatur, quantum poterat properabat. Dux Austriæ hoc audito, iniqua in corde concipiens cōtra eum, sub nomine amicitiæ obuius ei fuit. Sed rex armis exutus, dum prandium pararetur, modico temporis interuallo somnii quietem capescebat iuxta aquam: vtpote, qui solo nutu Dei euaserat inter tot diras sagittas & gladios venenatos, & tam longo fuerat itinere fatigatus. Qui tandem excitatus à somno, cum ducem vidit, lætatus est valde. Dux autem regem inter alia consolatoria verba petiit, vt Danubium transiret, vt ibidem securius quiescere & morari posset. Rex vero his auditis, tanquam innocens, nihil mali suspicatus dictis ducis acquieuit. Dicebat enim dux, se castrum ex altera parte habere: & ibidem regem melius honorare posse: cum tamen in animo non honorare sed confundere illum haberet propositum. Et cum se rex Scyllam vitare crederet incidit in Charybdim. & sicut piscis volēs vitare frixorium ne frigatur; ad assandum proiicit se ad prunas: credens malum effugere inuenit nequius. Nam dux Austriæ astutia excogitata, cum rege suum ad libitum potitus extitit, ab eo quandam pecunię quantitatem, quam dicebat olim à se per ipsum extortam fuisse, repetiit. Quid plura? rex manus illius euadere nequiuit: quousq; partem eiusdem pecuniæ in prompto; partem in vasis aureis & argenteis illi persoluit: pro parte autem tres comitatus sui regni illius terræ contiguos illi obligauit. Et licet ipsa vasa aurea & argentea maioris fuerint æstimationis; tamen dux illa solum in duobus millibus marcarum simul cum lapidibus preciosis recepit. Dux autem ilico castrorum illorum comitatus corporali possessione est adeptus: & illa ex propriis pecuniis contra Tartaros fecit reparare. Si quæratur quanta fuerit pecuniæ quantitas, est ignotum. Nam alii de septem; quidam de nouem; cæteri de decem marcarum millibus referebant. Sed de veritate liquere non poterat: quia secrete cōtractus fecerant & firmauerant propriis iuramentis. Quibus expeditis, ad reginam, quæ non multum distabat, quantum potuit, festinauit: & vna cum ipsa sine tractu morę Stephanum Waciensem episcopum ad imperialem & Romanam curiam pro subsidio destinauit, & interim circa Segesdinū cum illis, quos aggregare potuit, moram traxit.

QVOMODO DVX AVSTRIAE SPOLIAVERIT fugitiuos Hungaros: & de insultu Theutonorum in Hungariam facta.

CAPVT XXXIII.

DVx prospecto iam, quod Hūgari essent vnanimiter in fuga; sibi multos milites aggregauit, eos contra Hungaros in Hungariam transmittendo: & sic

Tarta-

Tartari ex illa parte Danubii destruebãt; & ex ista Theutonici deprędabãtur, & villas prout poterant, cõburebant; ita vt ciuitatẽ Iauriensem intrãtes, castrũ ceperint: & illud moliti sint per violentiã obtinere. Hungari vero de partibus illis cõuenientes in vnũ ad ciuitatem manu armata euntes, ciuitatem ceperunt; & omnes in castro Theutonicos cremauerũt. Dux nimio furore repletus, propter hoc candescens contra Hũgaros fugientes à facie Tartarorum, quos in Austria collegerat, & quibus fidem promiserat; non contentus de eo, quod regi fecerat, petiit ab eis pro castrorum & ciuitatum custodia quandam pecuniæ quantitatem: & sic hac occasione inuenta cum tam Theutonici quam Hungari essent multum diuites in pecunia & rebus, eos vsq; ad extremam exinanitionẽ nequiter spoliauit; & miseri Hungari deuorabantur vbiq; morsu amarissimo à sæuis bestiis dentatis: & postmodũ nudi in aridam proiiciebantur & euomebantur. Sed his expeditis referamus de regibus Tartarorum, qui postmodum Hungariam intrauerunt.

QVOMODO TARTARI VVARADIENSEM CIVItatem expugnauerint: & quomodo amplius ad pontem Thomæ & alios processerint.

CAPVT XXXIV.

CADAN rex, vt in alia parte dictum est, Rudana expugnata, & capto Aristaldo comite; elegantiores sexcentos armatos Theutonicos elegit, qui sub iurisdictione dicti comitis extiterunt. Hi præstantibus ducatum Tartaris per siluas & nemora, rupes & præcipitia, prope Waradinum ciuitatem subito aduenerunt. Et quia ciuitas multum erat in Hungaria nominata, vndique illuc nobiles tam dominæ quam mulieres populares innumerabiles conuenerant. Et licet episcopus cum quibusdam canonicis exinde recessisset: ego tamen cũ remanentibus eram ibi. Et cum castrum ex vna parte dirutum cerneretur, amplo muro illud fecimus reparari: vt si ciuitatem defendere non possemus, ad castrum refugium haberemus. Et cum vno dierum subito aduenissent, & esset in ciuitate sub quodam dubio mora mea; castrum intrare nolui, sed aufugi in siluam, in qua diu, prout potui, latitaui. Ipsi tamen subito ciuitatem capientes, & pro maiori parte comburentes, tandem nihil extra muros castri penitus dimiserunt; & receptis spoliis, tam viros, quam feminas minores & maiores interfecerunt in plateis, domibus & campis. Quid plura? non pepercerunt sexui vel ætati. Quibus peractis subito exinde recesserunt; & omnia in recessu receperunt, & longe à castro se per quinque milliaria posuerunt: & ad castrum per multos dies nullatenus accesserunt; sic, vt illi de castro cogitarent eos propter castri fortitudinem recessisse. Nam magnis munitum erat fossatis & turribus ligneis super muros; & multi loricati milites erant ibi; ita, vt dum Tartari ad respiciendum interdum accederent, milites Hungari velociori cursu eos insequi procurarent. Et cum plurimis diebus ad castrum non accederent, & crederetur, quod ex toto exinde recessissent; milites & alii, qui in castro erant, de recessu eorum habentes fiduciam; castro quam plurimi exierunt; & domos, quæ remanserant extra castrum ceperunt communiter habitare. Et sic in aurora eos Tartari, qui, vbi essent scire non poterant, inuadentes; magnam ipsorum partem, qui nequierunt ad castrum fugere; necauerunt. Et castrum ilico circumdantes, ex opposito ad murum nouum septem machinas posuerunt, & die noctuque cum eis emittere lapides quousque nouus murus dirutus est ex toto, nullatenus cessauerunt, & turribus dirutis atq; muris, congressum dederunt; & castro per violentiam occupato ceperunt milites & canonicos & alios, qui non fuerunt in occupatione castri gladio interempti. Dominæ vero domicellæ & puellæ nobiles se in ecclesiam Cathedralem recipere voluerunt.

Ipsi vero Tartari fecerunt arma à militibus sibi dari; & per tormenta durissima quicquid habuerunt à canonicis extorserunt. Et quia Cathedralem ecclesiam subito intrare nequiuerunt; igne apposito ecclesiam & dominas, & quicquid erat in ecclesia, cõbusserunt. In aliis vero ecclesiis tot scelera de mu-

Digitized by Google

lieribus patrarunt, vt tutius sit, subticere, ne homines ad nequissima instruantur. Nobiles, ciues, milites, & canonici extra ciuitatem in campo fuerunt omnes sine aliqua pietate iugulati. Post hæc sanctorum sepulchra totaliter euerterunt; & pedibus sceleratis reliquias calcauerunt; thuribula, cruces, & calices aureos, & vasa aurea, & alia dedita ad altaris ministeria, comminuerunt. Introducebant in ecclesias mixtim viros & mulieres, & post turpem illorum abusionem eosdem ibidem necabant. Postquam autem omnia euersa sunt, & fœtor intolerabilis procederet ex corporibus defunctorum, exinde recesserunt; & tantum locus solus remansit. Homines qui per siluas circumpositas latitabant, conuenerunt ibidem, vt aliqua comestibilia inuenirent. Et cum verterent lapides & corpora mortuorum, Tartari subito sunt reuersi, & viuum de viuentibus quos ibi reperiebant neminem dimiserunt. Et sic vsque ad extremum fiebant quotidie nouæ strages. Et cum plures interficere non haberent, ex toto abinde recesserunt. Nos vero qui in siluis inter indagines morabamur, de nocte fugam iniuimus versus pontem Thomæ magnam Theutonicorum villam super fluuium Crisii positam. Sed Theutonici nos transire per pontem nullatenus permiserunt: imo, institerunt quam plurimi, vt vna cum eisdem villam eorum bene munitam defenderemus, quod plurimum displicebat. Tamen ad quandam diuertimus insulam; quæ contra Tartaros per homines de Agya & Waydam, de Geroth, & de pluribus aliis circumiacentibus villis fortiter parabatur. Ego, cum vltra procedere non auderem, cepi ad procuratoris, & omnium loci illius instantiam, moram ibidem trahere cum eisdem. Nam nullus in prætactam insulam intrare poterat, nisi per quandam viam arctissimam & minutam, ita vt per milliare in illa via tres portæ cum turribus factæ essent: & præter has ad milliare fortissimæ indagines circumquaque. Et cum ita munitum locum aduerterem: placuit mihi & remansi. Sed consuetudo insulæ illa erat, vt ingressum præberet singulis, sed regressum omnibus denegaret. Et cum aliquibus diebus ibi cum mea familia essem, per exploratores nostros percepimus; quod propius Tartari venirent. Exiui secrete insulam vt viderem, quomodo equos possemus conseruare. & vno ductore conducto, & vno seruiente (quoniam quilibet nostrum tres equos habebat) de nocte versus Chanadinum ciuitatem super fluuium Morisii positam, quæ distabat ab illo loco ad octo milliaria properauimus. Et cum per totam noctem iremus quantum equi poterant nos portare; in aurora peruenimus Chanadinum. Sed præcedenti die à Tartaris, qui per aliam partem intrauerant Hungariam, captum fuerat & destructum; & partes illas totaliter occupauerãt, ita vt fluuium nequiuerimus pertransire. Et cum equi lassi essent, & homines huc & illuc de partibus illis se absconderẽt; retrocedere nullo modo poteramus: & sic in quibusdã domiculis equis dimissis, in quibusdam foueis illo die nos oportuit latitare. Adueniente tãdem nocte, ad locum pristinum nõ sine difficultate nimia cepimus in timore transire per medium Tartarorum; curuatoq; supercilio cum pudore insulam reintrauimus. Et cum in tali periculo moraremur, seruientes mei, qui ad equos exterius vigilabant; & alii, qui mecum erant cum pecunia, quam habebam & vestibus, de insula aufugerũt: & in fuga inuenti per Tartaros sunt gladio interempti: me cum vno seruiente quasi nudo in insula permanente. Post hæc statim inualuere rumores, q; dictum pontem Thomæ Theutonicorũ villam in aurora Tartari occupauerũt; & quos tenere noluerant, horrenda crudelitas acerbitatis gladio dire iugulauit. Quo audito inhorruerunt pili carnis meæ. cepit corpus tremere ac pauere: lingua miserabiliter balbutire; perspiciens, quod diræ mortis articulus, qui iam vitari non poterat, imminebat. trucidatores cordis oculis intuebar: caro sudorem mortis frigidissimum emittebat. Videbam & mortales mortem expectantes assidue, non posse manus ad arma extendere, erigere brachia, pedes ad defensionis loca mouere, oculis terram prospicere. Et quid plura? homines conspiciebam ex timore nimio semiuiuos. Et cum essem in ecstasi positus, affuit mihi misericordia IESV CHRISTI, & tanquam vnus de maiori-

maioribus vt melius muniremur; Insulæ populum conuocaui. Cuius rei occasione cum populo sum egressus insulam; & acceptis duobus pueris procuratoris & hospitis mei filiis & vnico seruiente, qui mihi remanserat; longius ire simulans; in silua inter indagines latitaui; puerorum patri renuncians, quod propter timorem nolebam insulam reintrare. & cogitans, quod si mecum absconsos suos tenerem filios, ipse mihi necessaria transmitteret. Et cum summo diluculo victualia mitterentur, ilico Tartari aduenerunt insulam circumdantes. Et cum darent intelligere, quod vellent per aquam insulam expugnare; populus Insulæ deceptus ad protegendum illas partes flexus est. Tartari vero ex alia parte in portas præsidio nudatas irruẽtes illas expugnarũt, & in insulam intrantes nõ inuenerunt aliquem de nostris, qui sagittam emitteret vel in equo vel pedibus obuius illis foret. Quæ & qualia, quot & quanta iniqua ibi & crudelia perpetrauerũt: non solum visui essent terribilia; sed perhorrescerent homines audire. Et exinde spoliis asportatis, denudata mulierum & hominum corpora quædam frustatim diuisa, quædam integra remanserunt. Et cum plurimi, qui latitauerant, opinarentur eos post diem tertium recessisse; pro acquirendis victualibus recursum ad insulam habuerunt: & occupati à Tartaris, qui se ibi absconderant, paucissimi euaserunt. Ego vero per siluas tanquam profugus omnium destitutus auxilio mendicabam; & cui magna donaueram, vix mihi eleemosynam porrigebat: ita quod necessitate famis & sitis me acrius perurgẽte de nocte compellebar intrare insulam; & corpora euertere mortuorum, vt sepultam farinam & carnes ad esum mihi vel aliud comestibile inuenirẽ; & de nocte quicquid inueniebam id ad siluas longius asportabam. O attendite & videte quam illa pessima vita erat? Post decimum vel vigesimum diem intraui insulam, euertere corpora mortuorum: quantus ibi poterat esse luctus? quantus ibi poterat esse fœtor? quantus poterat esse timor? aduertite. Non est homo, vt opinor; qui tantis in animum reductis pœnarum generibus non terreretur. Oportebat me inuenire cauernas, vel foueas facere, vel arbores quærere perforatas: in quas me possem recipere: cum illi densitatem veprium; opaca nemorum, aquarum profunda, intima solitudinum tanquam canes lepores & apros inuestigantes percurrere videbantur. Siluas has per mensem & amplius quæsierunt. Et cum per ipsa loca populos nequirent interimere vniuersos: se ad nouum genus fraudis taliter conuerterunt.

QVOMODO TARTARI ILLOS, QVI se in siluis absconderant deceperint.

CAPVT XXXV.

CEPERVNT aliquos per siluas latitantes, & eosdem sub hac voce miserũt, quod quisquis vellet ad fidem eorũ se dare, securus reditus infra certum terminum ad propria veniendi daretur ei. Quorum verbis, cum homines iam propter victualium penuriam morerentur, totaliter crediderũt, & sic omnes, qui remanserant, ad domos proprias sunt reuersi. Et cum siluæ magnæ essent; erat adhuc populus infinitus, qui latitabat; ita quod ad tres diætas terra facta est populosa: & quælibet villa elegit sibi regem de Tartaris, quem optauit. Quo facto, cum essent tempora messium; fruges vnanimiter collegerunt; & eas ac stramina, & fænum, & alia ad horrea congregabant. Stabant nobiscum Tartari & Comani simul: videbant quam plurimi & gaudebant; lætabantur, quod patres per filias; mariti per vxores; fratres per sorores pulchras vitam redimebant; illas ad libitum eorum conseruantes; & pro quodam illis fiebat solatio: vt in conspectu patris vel mariti vxor vel filia stuprabatur. Constituerũt canesios, id est, balimos, qui iustitiam facerent, & eis equos, animalia, arma, xenia & vestimenta vtilia procurarent. Et sic procurator meus de istis dominis erat vnus: & pene mille villas regebat. & erant canesii fere centum. Pacem habebamus & fora; iustaq; vnicuiq; iustitia seruabatur. Eis mittebantur

pulcherrimæ puellarum; sed oues, boues, vel equos, ductores pro tali xenio reducebant. Conueniebant canesii pene qualibet septimana. Ego vero sæpius, vt vitam eorum aspicerem, & aliquos de maioribus noscerem; & vt addiscerem, si via redemptionis aliqua se offerret, ad eos cum meo canesio accedebam. Quadam vice præceperunt omnes canesii in mandatis, vt de certis villis viri & mulieres puerique simul cum muneribus in eorum præsentiam venirent. Timebamus de hoc rumore non modicum, causam rei penitus ignorantes. Elegi igitur potius cum ipsis canesiis ad exercitum ire, quam sub tali dubio in villa remanere. Quare nudi & discalceati ad custodiam curruum in quibusdam tentoriis Hungarorum, qui iam Tartari in suis operibus effecti erant, remansimus. Canesii vero ad recipienda munera accesserunt; qui muneribus receptis omnes præsentantes in quandam vallem duxerunt, enormiterque spoliatos & denudatos ibidem interfecerunt.

QVOMODO PRAESENTIS CARMINIS auctor ad manus Tartarorum deuenerit.

CAPVT XXXVI.

ET cum ad me rumores huiusmodi peruenirent, ditioni cuiusdam Hungari, facti, vt dixi, operibus Tartari me submisi, qui in suum seruum admittere pro magna gratia me est dignatus. Et cum per aliquot dies cum ipso permansissem, mortẽ semper præ corde præque oculis habebam. Conspexi inter hæc Comanos infinitos, & Tartaros cum curribus spoliis oneratis, pecoribus, iumentis, & aliis vtensilibus vndique reuertentes. Et cum inquirerem quid hoc esset; responsum est, quod ipsi vna nocte dimissas omnes & singulas villas circumdantes, inebriassent gladios in sanguine occisorum. ita vt in omnibus illis villis paucissimi euasissent qui in siluis & cauernis se abscondere potuissent; ita quod remansit prouincia totaliter desolata. Veruntamen nec fruges, nec stramina, nec domos aliquas combusserunt: sed in præseruationem vitæ omnia hæc induxerunt. Pro eo conieci firmiter, ipsos velle in illis partibus hiemare; vel familias suas dimittere, vt in hieme pro equis domos & victualia inuenirent. Quod totum postmodum didici esse verum. Nam populos viuere ad tempus dimiserant ad cautelam, vt in vnum segetes congregarent, & vindemairent vineas, sed nolebant, vt illi consumerent congregata.

DE DESTRVCTIONE NOVAE VILlæ & monasterii de Egres.

CAPVT XXXVII.

QVID plura? versus Orodinum & Chanadinum procedere inceperunt in medio eorum noua villa dimissa, nomen cuius Perg fuerat: in qua homines septuaginta villarum fuerant congregati, & dimisso monasterio Egres Cisterciensis ordinis; in quo tanquam munito castro se milites & multæ dominę receperant. Nec Tartari loca illa aggredi voluerunt? quousque circumcirca esset terra totaliter desolata. Sed interdũ aliqui accedebant; & ab Hungaris militibus per magnum terræ spacium fugabantur? ita quod credebant firmiter se intactos propter suam potentiam remanere. Tandem post totius terræ illius desolationem, Ruthenorum, Comanorum, Hungarorum captiuorum; paucorum etiam Tartarorum multitudine adunata; villam magnam vndique circumdantes; ad pugnam captiuos Hungaros præmiserunt. & illis interemptis totaliter, Rutheni, Ismahelitæ, Comani postmodum pugnauerunt. Tartari vero retro post omnes stantes ridebant de casu & ruina illorum. & retrocedentes à pugna suorum dabãt quamplurimos voragini gladiorum. ita quod ipsis diebus & noctibus pugnantibus per vnam septimanam, & fossatis impletis, ceperunt villam. Milites igitur & dominas, quę multæ erant extra in campo, in vna parte; & rusticos in alia posuerunt. ac pecunia, armis, vestibus, & aliis bonis receptis ab eis, & quibusdam duabus puellis reseruatis ad

vitam

Digitized by Google

vitam, & ad lusum eorum deductis; cum securibus & gladiis omnes crudeliter interfecerunt. Illi quidem solummodo remanserant, qui inter mortuos repentino casu decidentes alieno sanguine cruentati se occultare valuerunt. O dolor! ô crudelitas & rabies immanis populi immensa! Nam qui tantæ gentis cladem sana mente consideraret; hunc locum agrum sanguinis debitè dicere posset. Tandem post paucos dies dictum claustrum siue monasterium Egres obsederunt, & appositis eidem multis machinis, cum in ipso existentes nequirent resistere, ad manus & fidem ipsorum se, vt vita potirentur, reddiderunt. Sed de ipsis, quod & de aliis factum est; exceptis quibusdam monachis, quos abire libenter permiserunt; & abusum eorum retentis quibusdam dominabus & pulcherrimis puellis. quid amplius? si describerentur singulariter pugnæ singulæ & crudelitates nimiæ, quæ fiebant: legentium corda perterrerent; & terribili sonitu tinnire facerent aures. Si huiusmodi rumores horribiles essent diffusi per orbem mundi, principes aliter cogitarent. Ecce per æstatem illam vsque ad confinia Austriæ Bohemiæ, Morauiæ, Poloniæ, Slesiæ & Comaniæ vsque ad Danubium communiter omnia destruxerunt.

DE ASTVTIA TARTARORVM AD transeundum Danubium exquisita.

CAPVT XXXIIX.

SED cum Strigonium in Hungaria omnes & singulas præcelleret ciuitates; maxime cogitabant transire Danubium, & ibi figere castra sua. Et ecce, in hieme niuis & glaciei abundantia superuenit; ita quod Danubius (quod non acciderat à multis retroactis temporibus) gelabatur. Sed Hungari ex ipsorum parte singulis diebus frangebant glacies & custodiebant Danubium; ita quod assidue fiebat pugna peditum super gelu. Tamen cum diræ glacies aduenerunt, totus Danubius congelatus est. sed isti transire cum equis nullatenus attentabant. Aduertite igitur quid fecerint. Multos equos & animalia super ripam Danubii adduxerunt, & neminem per tres dies ad eorum custodiam dimiserunt; ita quod bestiæ sine custodibus pergere videbantur. nec aliquis eorum in illis partibus apparebat. Tunc Hungari credentes Tartaros recessisse subito transierunt, & omnia illa animalia per glacies transduxerunt. Quod Tartari aduertentes cogitarunt posse in equis transire libere super gelu. quod & factum est. & tot vno impetu transierunt quot ex ista parte Danubii terræ faciem impleuerunt. Rex autem Cadan post regem Hungariæ properauit; qui in Sclauonia, tanquam qui nullum habebat subsidium, morabatur. Sed ipse huius facti præscius fugam iniit. & cum ipse maritima castra acceptare nequiret, ad insulas pertransiuit; ita quod vsque ad recessum eorum eum insulæ tenuerunt. Videns Cadan rex, quod eum habere non posset, destruxit Boznam regnum Rasciæ, & inde in Bulgariam pertransiuit.

QVOMODO TARTARI STRIgonium destruxerint.

CAPVT XXXIX.

ALIA vero pars exercitus versus nominatum Strigonium habuit iter suũ, & vsq; ad illud paucissimi accesserunt; sed se longius posuerunt; & vsque ad lxxx. machinas parauerunt. Strigonienses interim se cum fossatis, muris & turribus ligneis fortissime munierant. Et erat in ciuitate illa populus infinitus, & Burgenses ditissimi, milites nobiles: & Dominæ quæ illic conuenerant, velut ad pręsidium singulare. tantaque eorum erat superbia, quod credebant se resistere posse toti mundo. Ecce vna dierum ciuitatem Tartari circumdederunt. & captiui, qui cum eis erant, tot ramorum fasciculos portauerunt, quot in vna parte ciuitatis supra fossati supercilium altum murum simul & semel de fasciculis construxerunt: & statim post murum illum dictas triginta machinas posuerunt; ita quod die noctuque ad ciuitatem & ad turres ligneas lapides emittebãt. Et propter hoc tantus in ciuitate cepit esse tumul-

tus, & tanta fuerunt caligine obumbrati, quod iam memoriam amiserant se defendendi: & inter se tanquam cæci & fatui vexabantur. Cum vero Tartari munitiones ligneas destruxissent; saccos plenos terra ad implẽdum fossata cũ machinis emittebant. Verum nullus ex Hungaris & aliis audebat in fossati supercilio comparere, propter lapides & sagittas. Hungari vero & Trãcigenę ac Lombardi, qui quasi erant domini ciuitatis, se non posse defendere advertentes; combusserunt suburbia & domos ligneas, quæ multæ erant vsq; ad palatia ciuitatis. Pannos quoq; & vestes combusserunt in domibus infinitas. interfecerunt equos, aurum & argentum ad terram foderunt. & quicquid boni habuerunt, absconderunt. & vt se in palatiis defenderent, in eadem se receperunt. Sed Tartari præscientes, quod combusta erant omnia, de quibus se ditari credebant; contra nos magnam succensi in iram, claudendo ciuitatem cum phalangis ligneis subito circumcirca, vt nullus euaderet, quin per os gladii pertransiret. Cœperunt postmodum palatia expugnare. Quibus velociter expugnatis, non credo, vt verum fatear, quod xv. de tota remanserunt ciuitate, qui non fuissent tam intus quam extra omnes nequiter interfecti. Ibi inebriauerunt gladios suos in sanguine. & ex calore, quem conceperant contra eos, viuos assabant homines sicut porcos.

QVOMODO POSTEA TARTARI DEstructa pene omni Hungaria ad propria redierint.

CAPVT XL.

DOMINAE autem magnæ, sicut melius poterant ornatæ, in vno palatio se collegerant. Et cum capi & interfici deberent, ad audientiam magni principis appellauerunt. Omnes itaq; sunt fere trecentæ extra ciuitatem ad principem adductæ. quæ pro munere petierunt, vt eas vitæ sub suo dominio conseruaret. Qui iratus pro eo, quod nihil lucrati fuerant, præcepit, vt receptis spoliis earum, capite truncarentur. quod subito factum fuit, castro ciuitatis non expugnato. in quo erat comes Symeon Hispanus cum multis balistariis, qui se viriliter defendebat. Et cum ad Albam regiam ciuitatem accederent, quæ est paludibus circumsepta, cum esset in dissolutione niuis & glaciei, nequierunt eam occupare. Et cum castrum sancti Martini de Pannonia expugnarent, abbate se viriliter defendente, fuerunt subito reuocati; ita quod ista tria loca tantum inexpugnata in illis partibus remanserunt. & terram tam vltra Danubium, quam citra, eorum in manibus habuerunt, sed citra non fuit sic funditus desolata; quia ibi sua tentoria non fixerunt. sed transeundo, quicquid inuenerunt, vnanimiter destruxerunt. Auditis itaq; rumoribus, quod Tartari aspernabantur Theutoniam expugnare; quamplurimum dolui, quia ibi manus occidentium euadere opinabar. & gauisus fui non modicum: quia Christianorum excidium vitabatur. Sed maiorum regum de mandato incepimus per depopulatam terram retrocedere cum curribus oneratis spoliis & armamentis; iumentorum & pecorum gregibus; pedetentim latebras & opaca saltuum exquirendo. vt quę reperta in progressibus non fuerant, in regressibus inuenirentur. Et sic retrocedendo paulatim peruenimus vltra siluas. vbi remanserat populi multitudo. & erant ibi post eorum transitum castra plurima præparata. Et quid vltra: exceptis castris quibusdam terram totaliter occuparunt, & eam procedentes desolatam & vacuam reliquerunt. Iam cum exirent Hungariam, Comaniam intrare cœperunt. Non sinebant, vt prius, quod sine delicto interficerentur bestiæ pro captiuis: sed intestina & pedes bestiarum & capita tantum dabant eis. Tunc cepimus cogitare (vt etiam interpretes referebant) quod nobis Hungariam exeuntibus daturi essent nos omnes voragini gladiorum. Et cum iam mihi viuendi fiducia nulla esset; & mors dira & aspera in ianuis haberetur, cogitaui melius ibi mori quam procedendo assiduis morsibus cruciari. Et sic via publica derelicta, ire ad opus naturale simulans, ad densitatem saltus festinis gressibus cum seruiente vnico

perpe-

properaui. & subintrans cuiusdam riuuli concauum, me feci ramis & foliis cooperiri. Absconditq; se seruiens meus remotius? ne vnius inopinata inuentio mœstam operaretur alterius captionem. Et sic iacuimus duobus diebus naturalibus non leuantes capita sicut in sepulchris; audientes voces illorum horribiles, qui propius per saltum post erroneum iter pecorum abibant: captiuos sæpius, qui se abscondebant, acclamantes. Non valentibus autem nobis vlterius famis iustissimum appetitum & edendi anxiam voluntatem infra claustra cordis taciturnitatis nodo perstringere; leuauimus capita; & more serpentium pedibus & manibus reptauimus super terra. Conuenimus tandem; & voce debili ac submissa mæstas querelas importunæ famis alternatim cæpimus referare: ac gemitibus & fletibus explicare; quod gladio mori minoris excidii fuisset, quam per inediam compagines membrorum ac vnionē corporis & animę dissoluere. Et cum pios sermones huiusmodi conferremus; affuit vnus homo, ad quem cum se nostrorum acies extenderet oculorum, fugam innuimus timorosam: nec auertimus oculos fugiendo, vt intueremur: si nobis præuius esse posset, vel foret nobis fugientibus subsequela. Sed non minus ipsum videmus vices assumere precursoris. credebat enim, quod virtus nostra præualida insidias sibi poneret per obliquum. Et cum communis inspector traderet & teneret, quod fugitiui cōspicerent fugitiuum; armorumq; delatio apud illos nulla foret; stetimus aduocantes nos adinuicem nutibus atque signis. Et cum vnus daret de seipso alteri notionem, prolixis sermonibus atq; piis deliberando decreuimus, quid agere deberemus. Sed angustia geminata, videlicet fame execrabili, & timore mortis, anxie torquebamur; ita quod priuari videbamur penitus lumine oculorum. Nam nequibamus succū herbarum syluestrium deglutire; vel ipsas herbas, vti faciunt bestiæ, masticare. Et licet nos tanta fames perurgeret, & stupendæ mortis aculeus immineret; præstabat tamen nobis viuendi fiducia fulcimentum; & euadendi spes fortitudinem ministrabat. Et sic assumpta fiducia in domino confortati ad extrema siluæ peruenimus affectuose, ascendimusq; arborem eminentem & terram conspeximus à Tartaris desolatam, quam non destruxerant veniendo. O dolor, terram depopulatam & vacuam cæpimus peragrare, quam in eundo dimiserant desolatam. Basilicarum siquidem campanilia, de loco ad locū erant nobis signa ducentia; & ipsa viam nobis satis horridā præsignabant. Nam erant viæ & semitæ antiquatæ; & ab herbis & vepribus totaliter occupatæ. Porrum, cępæ & allia, quæ in rusticorum remanserant hortis, quando reperiri poterant, mihi pro maximis deliciis ferebantur. cæteri malua & cicutarum radicibus vtebantur. His ventres famelici replebantur; & spiritus vegetabilis in exangui corpore refocillabatur. Lassis requies non dabatur. vtpote qui absq; tecto, operimentum, quo nostra tegeremus capita, non habentes nocturno tempore quiescebamus. Tandem vix octauo die à siluæ recessu ad Albam venimus ciuitatem, in qua nihil potuit reperiri, præterquam ossa & capita occisorum, basilicarum & palatiorum muros diruptos & subfossos, quos nimia Christiani cruoris effusio maculaurat. Et licet terra innoxium sanguinem, quem inebriata suxerat, non monstraret; ostendebant se lapides adhuc cruore roseo purpuratos: per quos absq; continuato gemitu amaris suspiriis festinus transitus non fiebat. Et erat ibi ad decem milliaria iuxta siluam villa, quæ Frata dicitur in vulgari: & infra siluam ad quatuor milliaria mons mirabilis & excelsus, in cuius summitate lapis & petra fundabatur terribilis, magna eo hominum & mulierum confugerat multitudo, qui nos gratanter cum fletu receperunt, interrogabantq; nos de nostris periculis, quæ nos omnia illis paucis verbis declarare nequibamus. Obtulerunt tandem nobis nigrum panem de farina & contritis corticibus quercuum pistum: sed nobis dulcor illius supra similas quandocunq; per nos comestas suauior videbatur. Mansimus igitur ibidem vno mense, nec fuimus ausi discedere, sed mittebamus semper speculatores ex hominibus leuioribus, videre & rescire, si adhuc ali-

qua pars Tartarorum in Hungaria remansisset: aut si arte deceptoria, vt prius, instructi, pro capiendis reliquiis fuga lapsis reuerterentur. Et quamuis sæpius necessitate quærendi victualia cogente, loca petierimus quondam habitata; nunquam tamen noster tutus fuit descensus; donec rex Bela maritimis de partib. per cruciferos de insula Rodi & dominos de Frangapanibus, multis agminibus militum adiutus; certificatus prius per Hungaros de recessu Tartarorum in Hungariam venit. Scripsi igitur hæc paternitati vestræ absq; admixtione falsitatis, vt eadem vestra paternitas, quæ prosperitatis meæ fit tota, sciat & aduersitatis ac periculi quidditatem. Valeat p. v.

CARMEN ANONYMI CUIUSdam, breuiter docens, quem quis fructum ex hac de Hungaris hostoria percipere queat.

QVANTA *sit inuicti terrena potentia sceptri:*
Gloria, maiestas fama perennis, honor:
Quis fauor in Meritos: terret quæ pœna malignos;
Regnicolas fidos gratia quanta fouet:
Pace sub optata quæ copia deliciarum:
Marte sub aduerso quantus ad arma vigor:
Quam celebres etiam victo super hoste triumphi:
Deniq; funebris quæ quoque pompa fiet:
Cuncta hæc Hunnorum monstrat narratio præsens:
Lectorem alliciens ardua gesta sequi,
Rursus & insinuat fatum si flebile: siue
Murice vestitum solicitudo premat,
Scilicet infidæ prædura rebellio plebis:
Lurida prætendunt sæpe aconita necem.
Insidiæ tristes: mendacia: proditiones:
Purpureum assidue dant trepidare caput.
Lectorem reddent aliena pericula cautum.
Sunt nanque in cunctis tristia mixta iocis.

FINIS.

EPITO-

Digitized by Google

EPITOME RERVM VNGARICARVM PER INDICES DESCRIPTA, AVTORE PETRO RANZANO, apud Mathiam Regem olim triennium Legato.

JOAN: LISTHIVS CÆSAREÆ ET Regiæ Maiestatis, &c. Secretarius.

AVtorum monimenta qui bonorum
Altis abdita noctium tenebris,
Et liuore resecta, vel sepulta
Indagat, satagens vt optimorum
In lucem veniant virum labores,
Laudum præmia promeretur ampla:
Sed maiora meretur, atq; præstat
Istum qui patriæ locat laborem,
Maiorum bene gesta quum suorum
Ætati celebranda dat futuræ.
Claros Pannonii soli triumphos
Bello, paceq; splendide peractos,
In compendia digerens, latebat
Multos Ranzanus hic Petrus per annos:
Dignus secula quem legant in æuum
Laudent, concelebrent, ament, honorent:
Sambucus tamen hunc sua repertum
Cura, restituit, deditq; luci
Illustrare suos volens & ista
Parte Pannonios, Gradiui alumnos:
Hinc grates merito, simulq; laudes
Idem perpetuas habet suorum
Omni posteritate ab Vngarorum.

SERE-

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI MAXIMILIANO, REGI BOHEMIÆ, ARCHIDVcique Austriæ, &c. Domino suo Clementissimo. S. D.

VARIAE apud antiquos rationes colligendarum Historiarum, quibus omnibus res præclare gestas conseruare, atq; memoriam tueri possint, fuisse videntur. Hic vero Author per indices quosdam Regum, à Beatrice sibi Viennæ datos, ex iisdem, vnde Bonfinus sua descripserat, ita deduxit, ac Illustrauit: vt qui de rebus Vngaricis aliquid prodiderunt, nulla ex parte sit illis postponendus. Etenim hac breuitate cuncta eleganter est complexus, ac nihil, quod in Historia requiritur, vspiam omisit. Atq; hoc nomine hic Scriptor vel præcipue cognoscendus: quod aliqua in Bonfino vel interrupta, vel mendosa librariorum incuria cum sint: hinc omnium admoneri, & non parum ad sinceram, & integram veritatis cognitionem iuuari queamus. Taceo, quod animus noster hoc magis acquiescit, quo plurium consentientes sunt narrationes, ac testatæ velut commemorationes. Non iccirco tamen Bonfinus ipse negligendus, qui amplissime res quoq; externas, persecutus est: sed ob breuitatem hic etiam commendabilis, & in quibusdam omnino præferendus. Qui cum diu latuisset (vti adhuc reliqua eius desiderantur, quippe qui annales omnium temporum alios LX. scriptos, & hunc LXI. & vltimum reliquerit) à me, opera quorundam amicorum, deniq; lucem aspicit: dignus qui ante Bonfini natalem apparuisset. Eius indicem vltimum, duobus continenter adiectis, suppleui; atq; tertiũ quoq; inchoatum, addidi; idq; simpliciter, & quam breuissime: donec ea ipsa continuatio vel à me, vel ab aliis copiosius descripta, aliquando prodeat. Tibi autem Maximiliane Rex Potentissime, qualemcunq; hanc meam diligentiam, velim probari: qui, vt aliis in rebus prudenter, & constantissime iudicas: ita in Historiarum lectione, vbi quid ocii nactus es, libenter & iucundissime versaris. Non ignoras, scilicet, cum recentia, tum vetustissima quæq; exempla, ad hanc Imperii dignitatem potius, quam obscuram, & quæstionibus inuolutam Philosophiæ disputationem, pertinere. Plus enim interdum vnicum exemplum Historiarum, quam infinitæ disputandi subtilitates, ad laudem, & victoriam, principibus viris adferre solet. Vnde quum Hannibali apud Prusiam exulanti, pugnare placeret: atque ille, nescio quibus extis, & disciplina de Augurum libris hausta, prohiberi se dixisset, respondisse Hannibalem: An tu caruncula vitulinæ mauis, quam Imperatori veteri credere? Tantum in exemplis & experientia, ad obtinendam rerum summã, & gubernationem positum est. Neq; tamen propterea non beatam Rempublicam dicemus, quia eius Principes quæstionibus Philosophicis, quæ ociosorum sunt, minime acquiescunt. Si quidem in Historiis quoq; Philosophia tractatur, verum ea crassior, & explicata, quæq; magis docet, & ad quosuis casus instruit. Sapientius enim tempore, vt Thales aiebat, nihil inuenitur, quia nihil ipsum lateat, & cuncta in lucem produxerit. Vt, quod ab innumeris retro seculis actum sit, custodiat, atq; posteritati, veluti præsenti, summa cum voluptate atq; commodo exhibeat. Cui veritas ipsa quoniam coniungitur, quæ simplex, ac omnium rerum est princeps sapientia: quis non Historiam, eius interpretem, ac testem, iure amplectatur, & in vsum seuocet suum? Cuius vtilitatis tu non nescius, Historias lectitare, indeq; conatus, & consilia semper communire, laudabiliter consueuisti. Nam, vt paucis de te, tuisq; Regiis animi, & corporis dotibus aliquid, coactus dicam. Quis adeo iniquus, & à iudicio auersus est, qui opinione ingenii, totaq; adeo ista maiestate oris tui, & virtutibus, in admirationem non trahatur, teq; sibi Regem non velit? Quæ pars, quæso, est virtutis, in principe laudabilis, quam tu non solum colas, sed exemplis toti Orbi Terrarum, mirabiliter testeris? Etenim præter singularem in Deum Pietatem, erga doctos, & literarum studia quemadmodum afficiare, quilibet animaduertit, & voluntatem præclaram celebrat. quod literis ipse docte, & iustissime eruditus, de conquirendis antiquitatum monumentis, & instruenda Bibliotheca,

Digitized by Google

theca, dies noctesque cogites, vel potius iam eiusce rei fundamenta regia posueris. Politicæ studia ita diligis, ita meditaris, vt abs te vno leges, si nullæ scriptæ essent, inueniri ac rationes ciuiles exponi, facile possint. Rem vero militarem, ac si perpetuo bella gessisses, intelligis. Etenim haud semel audiui, cum vel à Domino nostro Clementissimo, Cæsare Ferdinando, Christianorum Archigeta, Parente tuo, in Consilium adhiberis, vel seorsum illud conuocas: aliorum sententiis ordine acceptis, ita postremo ad rem propositam loqui solitum, vt cum domino Genitore cuncti pene obmutescant. Quæ cognitio rerum varia, cum iudicio excellenti, quia in te perpetua extat, quis te non amet, quis imperium tuum tanto præsidio ac vsu firmatum detrectarit? sed hæc nunc mitto. Quamobrem Sereniss. Rex Maximiliane, librum hunc de tuo Cliente, quem nuper adeo gratiose alloqui, & in Patrocinium admittere es dignatus, accipito. Non, quod hisce te indigere iudicem, sed vt clementia, & commune literis Patrocinium tuum, huic quoque libro adiungatur: & aliquando maiora, te præsertim auspice, in publicum emittere ipse audeam. Quod si quid forte hic legeris, quod te vel doceat, vel moneat, vel confirmare adeo possit: nauasse operam tanto maiorem publicæ vtilitati, edendo hoc scriptore, me putabo. Vale decus, & seculi nostri, siue domi, siue foris, expectatio. Viennæ XV. Martii.

S. V. M. Clien.

Ioan: Sambucus.

EPITOMES RERVM HVNGARICARVM.

INDEX I. QVO DESCRIbitur Pannonia.

Pannonia.

REGIONEM illam Europæ, quam hodie appellamus Hungariam, Pannoniam veteres nominarunt. Quam autem ob causam, aut per quæ tempora, mutatum sit illud priscũ ac nobile nomen: quo vsi olim sunt vetusti Poetæ, & oratores, atque Historici, Geographiq; clarissimi tum nostri, tum Græci: fiet satis superq; perspicuum ex iis: quæ infrà memorabuntur. Ante tamen, quam ad ea ostendenda me conferam: non Hungariæ, sed Pannoniæ vocabulo vtar. Quæ his clauditur Regionibus: Norico, cuius partem non exiguam hac ætate vocitant Austriã: Magna Germania, quam vulgus cognominat Alemaniam: Iacigibus, quæ Germania natio & ipsa est: sed vulgo verbo corrupto, Iaz seipsi appellant: Dacia, cuius pars ea vna est, quæ dicitur Transyluania, altera quam nuncupant Valachiam. Clauditur præterea superiore Mœsia, cuius quoq; nomen mutatum est, Seruiaq;, atq; aliqua ex parte Rascia ab incolis dicitur. Postremo concluditur alpibus: quę à Caruante monte, incipientibus partim occidẽtem partim meridiẽ versus continuatis iugis, ad fines vsq; Illyrici protendũtur. Talibus itaq; Pannonia conclusa locis, his mundi plagis à Claudio Ptolomęo circumscribitur. Ab occasu limites habet Cæcium montẽ, partemq; Caruantis: qui mons ipse Cæcio continuatur. A Meridie partem Istriæ, partem maximam Illyridis: vtpote ad flexum vsque Danubii, iuxta quem Sauus fluuius scinditur. Ad Septentrionem montes Noricos, decursumq; Danubii, quousq; Sauus in illum irrumpit. Ab oriente similiter habet Danubii partem, vsque ad eandem Saui in eundem amnem irruptionem. Placere equidem mihi fateor eam Ptolomæi descriptionem: propterea quod suis illis nobilibus tabulis ponit ante oculos veterem, hoc est suorum temporum Pannoniam, cuius Regionis, nos non modo iuxta veterum: sed iuxta etiam tempestatis nostræ descriptionem, hoc loco tradere notitiam instituimus. Non prius eam tamen iuxta tanti Geographi ordinem explicabo: quam ea afferam, quæ de Pannonia ipsa mentionem habentes, tradiderunt alii nonnulli terrarum descriptores illustres, illo vetustiores. Id autem facio eo consilio: vt pernoscant qui opus hoc legerint, quantũ sit discriminis inter illa, quæ sunt hodie, & quæ in vsu olim fuerant apud veteres, locorum Pannoniæ nomina. Omnium primus adducatur Strabo: quem constat Tyberii Cæsaris ætate claruisse. Is operis sui de situ orbis libro septimo, facta mentione de locis Illyricis, quæ prodidit esse Istro, Alpibusq; contigua, intraq; Italiam, Germaniamq; iacentia: quæ ait incipere à lacu Vindeliciorum, ac Rhetiorum, aliis deinde nonnullis adiectis ad Thraces & Galatas, Dacosq; pertinentibus: *reliquam,* inquit *plagam Pannonii tenent. Hi autem vsq; ad Sergesticam & Istrum, tum ad Septentrionẽ, tum ad Orientem ampliusq; ad reliquas partes porriguntur.* Pergensq; idem auctor: *Sergesta,* inquit *vrbs est Pannoniorum, vbi amnes plures confluunt, omnes sanè nauigationibus idonei, arxq; in gerendo contra Dacos bello perutilis.* Aliis præterea haud satis à locorum peritis probanda, de Sauo, Drauoq; fluminibus interiectis: *penes* inquit *Sergesticam, castellum est Siscium, & Sirmium, situm in via, quæ ducit in Italiam.* Pannoniorum autem populos, ait esse *Breucos, Andizetios, Pirustas, Mazeos, Desitiatas: quibus Baton imperauit.* Esse, ait, & conuentus alios ignobiles in Dalmatiam vsque distentos. Esse & Sardicos ad meridiem procedenti, præterea multa alia scripsit de plaga Illyrica, tum montana, tum maritima.

Digitized by Google

Pannonia.

In altioribus, inquit, *& amplioribus locis, sunt montanæ planicies, quas Pannonii tenent in austrum vsque ad Dalmatas, Ardieosque porrectæ, quæ à Septentrione Istro terminantur. Ad orientem verò Scordiscis sunt proximæ: qua Macedonum Thracumq́ montes sunt.* Hæc habuit Strabo, quæ describens sui sæculi Pannoniam, diceret, obscurè quidem, & rem ad viuum nosse cupientibus haud satis vtilia. Ostendendum igitur hinc est: quid de eadem Regione, scripserit longe sane melius, magisq; perspicue & plenius. Plinius noster Strabone recentior: cùm constet, ipsum annis post illum duobus ferme & Sexaginta, hoc est, Traiani Romani Principis temporibus floruisse. Tot enim anni à Tyberii morte, cuius ætate claruit Strabo, ad Traiani vsque imperium (ni fallor) colliguntur. Quæ namque naturalis Historiæ libro quarto, postea quam memorauit, ea quæ fuerunt ei demonstranda de *Noricis,* quorum regio est Pannoniæ contermina: *habitantur,* inquit, *inde glandiferæ Ponnoniæ: qua mitescentium alpium iuga per medium Illyricum à Septentrione ad Meridiem versa, molli in dextra ac læua deuexitate considunt.* Pauloque post: *Qua,* inquit, *ad mare spectat Adriaticum, appellatur Illyricum supradictum. Ad Septentrionem Pannonia vergit. Finitur inde Danubio. In ea Coloniæ Mona & Siscia. Amnes clari & nauigabiles in Danubium Influunt, Drauus ex Noricis montibus violenter, & Sauus, ex Carnicis alpibus placidior, Centum & xv. M. P. interuallo. Drauus per Seretes, Serapilos, Iasos, Sandrizetes, Sauus per Colapianos Breucosq́. Populorum hæc capita: Ariuates, Asali, Ariantes, Cathari, Cornacates, Eranisci, Hercuniates, Latonici, Oseriates, Varcicani, Mons clauolius, In cuius fronte Scordisci, In tergo, Taurisci. Insula in Sauo Metubaris amnicarum maxima, præterea amnes memorandi: Colapis,* (quæ Cupa hodie dicitur,) *in Sauum influens, iuxta Sisciam gemino alueo insulam ibi efficiens, quæ Sergestica appellatur. Alter amnis Bacuntius in Sauum, Sirmio oppido influit: vbi Ciuitas Sirmiensium & Amantinorum. Inde ad* XLV. *M. P. Taurinum, vbi Danubio miscetur Sauus. Supra influunt Valdanus, & Vrpanus, & ipsi non ignobiles amnes: Pannoniæ iungitur Prouincia, quæ Misia appellatur, ad Pontum vsque, cum Danubio decurrens,* huc vsque Plinius. At fuerunt ex antiquis Geographis, qui Pannoniæ longè minores terminos, quàm Strabo, Ptolomæusq; tribuerint: quippe qui ipsam, intra Sauum & Danubium claudi prodidere: Appianus autem Alexandrinus sui operis libr. VI. tradit: Pannoniam à Græcis auctoribus, sub Illyrico olim fuisse comprehensam. Quam vero magnum fuerit apud veteres ipsum Illyrium: ostensum mihi fuit supra, Suetonii verbis, libro, quo de regno scripsi Romanorum. Sed afferendum est Appiani testimonium, cuius hæc sunt verba. *Ab Istri ortu ad mare vsq; Ponticum, Illyrii fines esse voluerunt.* Adiectis deinde paucis, quibus de Pannoniæ nomine ac magnitudine habuit mentionem: *Paones,* inquit, *vigens natio, circa Istrum* per longum accolens, ad Iapodum populis supra Dardanos protenditur. Pæones autem à Græcis vocantur, qui à Romanis Pannones dicuntur. Sed de his dicendum mihi est infra, paulo plenius, Vbi de Pannoniæ nomine meminero. Sed redeo ad Ptolomæum, vt detur à me notitia, quo nam ordine per sua tempora Pannonia describebatur. Totam eam Regionem diuisit in duas partes. Vnam superiorem, alteram inferiorem Pannoniam cognominauit. Superiorem, hoc pacto circumscripsit. Habere eam dixit limites illos, quos supra ostendimus, cùm de vniuersa Pannonia loqueremur: hoc est, ab occasu, Cæcium montem, partemq; Caruantis: qui mons disterminat Noricum ab Istria, & a parte quadam Illyridis. A meridie partem & Istriæ, & Illyridis. A Septentrione partem Noricorum montium, partemq; Danubii: quę est à Cęcio monte, vsq; ad locum, vbi Arabò, siue Raba amnis in ipsum influit. Ab ortu solis inferiorem Pannoniam per lineam, quam ipse constituit, ad vtriusq; portionis diuisionem. Teneri dixit superiorem Pannoniam à parte Septentrionis ab Azalis & Citnis, à meridie sub Norico, à Latobicis, & ortum versus, à Vartianis. Intra eos versus occidentem, ait esse Bœos, & sub his, Coletianos. Versus autem orientem, Lasios, & sub eis, Oderiates. Ciuitates has esse sub Danubio sitas: Iuliobonam, Carnum, Phlexum, Chertubalum, Bregactium. Procul autem à Da-

nubio Ciuitates has: Salam, Potobium, Sabariam, Rhispiam, Vinudriam, Bononiã, Andaietonium, Nouidunum, Sactarbantiam, Moroclam, Lentudum, Cotrodunum, Sisciam, Olimacum, Vllinam. Bolentium, Sogoram, Sisopam, Visontium, Prætorium, Magnianam. In littore Italiæ sub Norico, Emona.

Alteram, hoc est, inferiorem Pannoniam, hoc pacto circumscribit. Ab occasu terminari eam, ait, superiore Pannonia, à linea, quam à scissione Arabonis fluuius (vt ante dictum est) ipse constituit, quemadmodum suis ostenditur tabulis. A Meridie partem Illyridis, quæ est à dicto limite, ad flexum vsque Danubii, iuxta quem scinditur Sauus fluuius. A Septentrione & Oriente, partem Danubii, quę est à scissione Arabonis, vsque ad scissionem Saui. Hanc autem Pannoniæ partem, hunc situm habere docuit. Post Arabonem esse, ait, Danubii flexum, qui fit iuxta Curta oppidum. Maxime deinde Septentrionalia Danubii, postea eiusdem amnis conuersionem, iuxta Acumincum oppidum: postea eiusdem conuersionem, iuxta oppidum Rhucium nomine. Eandem Pannoniam teneri, ait, ab his populis. In locis quidem occidentalibus, ab Amãtinis, sub quib. Hercuniatas, post eos, Andiãtes, post quos Breucos. In locis vero Orientalibus maxime Septentrionales esse Arauiscos, maxime autem Meridionales, Scordiscos. Has ciuitates sub Danubio positas. Curtã, Saluã, Carpim, Aquicum, Salinũ, Lussonium, Lugionũ, Tentoburgiũ, Cornacum, Acumincum, Rhitrium, Taurinum. Procul ab eodem amne, has ciuitates, Berbim, Serbinũ, Luollum, Certissam, Mursellam, Bibalim, Morsonam, Vacontium, Musiam, Coloniam, Bassianã, Salim, Tharsium, Sirmium.

Ostensis iam Pannoniæ limitibus, quos ei constituerunt prisci terrarum descriptores, explicatisq; nominibus, situq; vetustarum Ciuitatũ: nostræ tempestatis nihil mihi de eius limitib. dicendum est. Idem enim sunt hodie, qui Ptolomæi sæculo fuerant: quanquã non est ambiguum, Pannonũ Reges suos excessisse fines, atq; ad alias quasdã nationes, eorũ Imperium propagasse, vt infra suis in locis, quantũ satis fuerit, ostendetur. Verum cum aliæ quædã gentes ex Europea Sarmatia profectæ, vtpote Hunni, prius pulsis præsidiis Romanorum, quorũ ditionis tunc erat, subactisq; Pannonibus: Postea Hungari, deletis à Carolo magno Hunnis, (vt infra Deo bene fauente) demonstrabo, Pannonias ipsas postea lõgè lateq; tenuerint, ac propterea ab illis, & mutata sunt multa priscorum locorũ nomina, & perplures conditæ Ciuitates: videtur adhortari locus, vt explicentur nomina nouorũ tum populorũ tum ciuitatum, quas ibi condidere. Fateor, me non ea, vel cura vel diligentia, totas peragrasse Pannonias, vt ea de re, quã hoc loco scripturum me polliceor, nimis exactã possim dare notitiã. Mihi tamen ita ipse consului, vt ex Hungaris hominibus aliquot mihi adhiberẽ, qui essent locorũ periti, à quibus acciperẽ, ac perdiscerẽ nomina situmq; locorũ, de quib. institui meminisse. Hũgarorum hominũ quadruplex omnino ordo est. Pars eorũ Deo dicati viri, vtpote Sacerdotes sunt, quorum Antistites, pręcipua apud nationẽ pollent auctoritate. Alii, rei inseruiunt militari, quorũ qui ex armorũ usu, aliquod egregium facinus ediderunt, ii duces sunt copiarum, sub quibus ingens è vulgo delecta manus, stipendia faciũt. Multi nobilitate generis clari, Barones vulgatissimo nomine dicuntur, qui ex maiorũ successione, suis vel vicis, vel arcibus, & castellis, vel oppidis dominantur. Cæteri in excolendis agris vitam consumunt. Opifices hoc est eos, qui dãt operam mechanicis artibus (si & multitudinem incolarũ, & regionis consideres amplitudinẽ) perpaucos inueneris. Longitudo quippe atq; latitudo terrarum, quas Hungarorum Rex Mathias hodie possidet, tãta est: vt quoquo versum tetenderis, nõ minus octingentis millibus Romanorum passuũ iter confeceris. Cæterum qui sunt, qui aut mercaturã, aut artiũ, quas dixi, vsu viuunt, eorum plæriq; Germanici sunt, non Vngarici generis homines. Nam propter propinquitatem Regionũ, innumeri è Germania mortales (transmisso Danubio) in Hungaria, propter soli eius feracitatem, habitandi sibi locum iam pridem elegerunt. Quo fit, vt Germanus cum Hungaro mixtam vitam degens, habitu,

Hungaria.

habitu,moribusq; magna ex parte conueniat,vtq; alter alterius lingua loquatur. Vniuersam Hungariam in Pagos, conuentusq; diuidũt,quos cum appellent Comitatus,fit,vt & tota ipsa regio,in Comitatus diuisa sit.Ipsi conuentus à ciuitatibus nomen accepere. Sunt autem Comitatus complurimi, numero LXXIII. Eorum multi à dextra, multi à læua Danubij positi sunt. Sed eos primum, qui à dextra,deinde, quæ sunt ad læuam, enumerabo. *Sirmiensis*, dictus à SIRMIO antiquissima, & hodie Episcopalis sedis dignitate, præstanti ciuitate. Patria fuit, & Probi Romani Imperatoris, & Beati Demetrij Martyris. Antiquæ vrbis apparent adhuc multa vestigia, quibus quæ fuerit ipsius magnitudo,satis declaratur.Præest Sirmiensi Ecclesiæ, Stephanus Crispus natione Hungarus, vir bonarum artium studiis apprime deditus, mira præstans humanitate, aliarumque multarum virtutum, excellentia, liberalitate præsertim. In eadem regiuncula Comitatus est *Valconiensis*, vbi est oppidum, Villacum nomine, dignitate & ipsum Episcopali nobile. Eius Antistiti non pauca superioris Mœsiæ, id est, Seruiæ olim paruere. Quæ amissæ sunt propterea, quod nostro sæculo Turcæ, totam eam regionem sibi occupauere.Post eum Comitatus est *Poseganensis*, à Posega appellatus oppido, qui intra Sauum, Drauumque diffunditur. *Baromiensis*, multis fertilibusque exornatus vicis est:& in eo Peuce, Ciuitas opulenta & nobile totius Regionis Emporium, à veterum Peucinorum reliquis ædificata, quam nunc à quinque sacris ædibus, Quinque Ecclesias vrbem cognominant. Eius Antistes est Ioannes, vir doctus,& inprimus humanus, generisque nobilitate præclarus. *Batensis*, à Bata nominatus, qui vicus quidem est, sed nobilis ob situm, in eo monachorum ordinis sancti Benedicti monasterium, quod fama illustrissimum est, propter euidens illud miraculum, quo in sacra hostia, sanguis cum portiuncula quadam Christi carnis videtur, vt affirmant innumeri, qui viderunt. *Simigiensis*, à Simigio dictus: qui pagus est, in cuius agro posita olim fuit Segesta, vetustissima ciuitas, cuius Geographi veteres meminerunt. Estque idem ager frequens vicis, quos tenent accolæ, lacus qui dicitur Balatonis. Est is lacus mire piscosus,tantaque est amplitudine,vt ducentorum. M. P. eius ambitus esse feratur. *Tolnensis*,à Tolna quod oppidum situm est penes Danubium: & illic tria sunt vetusta monasteria, quæ pagis compluribus circumfunduntur. *Albensis*, ab vrbe quam vocant Albam Regalem, nomen accepit, quæ cum in paludosis sit posita locis: redditur expugnatu difficilis. Est illic Basilica,olim à Beato Stephano condita, vt infra suo loco narrabitur, eo nobilissima,quod in ea conditur eiusdem Regis, ac Beati Emerici, filij eius, venerabile corpus. Vbi iacent & alia complura corpora eorum,qui post istum,regnum in Hungaria tenuere. Nobilissima quoque est, quod illic Reges, & Reginæ Hungariæ solent regni Diadema suscipere. Auget eam hoc tempore, Diuus Mathias,opere superbissimo,tanto videlicet erecto artificio,atq; ædificij pulchritudine,vt non satis sit illud semel & iterum, sine admiratione vidisse. Dignum profecto, quod quibusuis totius orbis Basilicis possit iure conferri. Statuit in ea condere pari opere sepulchrum, vbi mortuus sepeliatur. In eodem Comitatu, est Colocia, Archiepiscopali dignitate memoratu digna ciuitas. Nomen Ciuitati inditum est, à Colotianis, qui(Ptolomæo teste)populi intra Sauum,& Danubium,haud procul à Petouio,sedes olim habuere. Huic è cõspectu ad occasum, est *Vesprimiensis* dictus,quæ & ipsa Episcopali dignitate insignis est,eo præterea præclara: quod ad eius antistitẽ spectat, coronare Hungariæ Reginas. *Zaladiensis* quoque Comitatus est, cuius memini, ad Balatonis Lacum: eius ager vinetis abundat,ex quibus fiunt vina laudatissima, vsque ad Drauum fluuium prontenditur is Comitatus. Inde autem via est Zogabriam versus, Episcopali sede ciuitatem nobilem. Illud est hoc loco mentione dignum: quicquid agrorum est inter Drauum & Sauum, cognominari ab incolis Sclauoniam, corrupto tamen à vulgo vocabulo, vt nonnulli autumant: Sauoniam enim absque literis,l & c,pronunciandum fuit, à Sauo fluuio. Id si

Digitized by Google

Hungaria.

verum esset, Sauones non Sclauones, & Sauoniã, non Sclauoniam dicendum nobis esset. Ea autem Regio hoc sibi vendicauit claritudinis: vt ab ipsa nomen acceperit vniuersa Dalmatia, cum ibi conterminis Illyride atq; Liburnia: quæ vno vocabulo ab omnibus pene orbis nationibus vulgo ita vocitantur, qui vero ipsas tenent, Sclauones. Quicquid præterea est agrorum trans Sauum, per quos fit iter Italiam versus, Croatiam nominant. Qua in Regione est Modrusium, cuius ciuitatis Episcopus est, Christophorus natione Ragusiensis, vir Pontificii iuris peritus, & inprimis humanus: Ideoq; diuæ Beatrici, Hungarorum Reginæ incredibiliter charus: mihi autem magna coniunctus beneuolentia. A Madrusio interuallo M. P. XXX. fit iter Seniam Ciuitatem eo nobilẽ, quod caput est Comitatus ab ea dicti, *Seniensis*: & sedem habet Episcopalem, & quod maritima est, quod præterea per eam est ad cæterum Hungariæ Regnum aditus. Hungarũm enim Rex Mathias, tantum habet Imperii, vt hinc Adriaticum, illinc Sarmaticum attingat mare: & ab ortu quidẽ parum distant à mari Pontico terræ, quas possidet. Redeo ad id, vnde excessi. In eodem, de quo dicebam Zaladiensi comitatu, est & Citonii peninsula, vbi mira piscium multiplicis generis abundantia. Est autem illic nobilis Basilica ab Andrea Rege (vti suo loco memoratur) condita. *Pilisiensis* Danubio propinquat. Montana Regio est, & tota vitifera: cum tamen solum eius sit sulphureum, fit, vt vina, quæ fert, sint & ipsa sulphurea. E multis eius agri locis aquæ manant calidæ, quarum nonnullæ humanis ægris corporibus salubres sunt. Ad eum comitatum pertinet vtraq; Buda, vetus & noua, penes Danubium positæ. Dicta fuit illa (vt nonnullis placet) à Bleda, Atilæ Regis fratre, vel (vt malunt alii) à Budinis, vetustissimis Scytharũ populis, qui cũ Atila & Bleda, Pannonias domuere. Illi tamen verius mihi sensisse videntur, qui Bledam nõ ex suo nomine vocasse Budam affirmant, sed ex vocabulo legionis Budinorũ, qui sub ipso militauerunt: & ab illa veteri ea, quæ dicitur noua Buda, nomen accepit. Deleta nãq; illa vel bello, vel alio euentu aduersæ fortunæ, reliquiæ Ciuiũ inde excedentes, cõmigrauerunt ad locum, qui illis est visus natura munitior: vbi posuere sedes, ac paulatim ædificando, eo perducta est res eorum: vt vrbem tandem, & si parum amplam, pulchrã tamen nobilemq; cõdiderint, quã ab antiqua patria nominauerunt. In illa veteri Buda, quæ vicatim hodie habitatur, Basilica quædam est ædificiis, opereq; atq; artificio superba, digna profecto, quæ non in illo loco pene deserto, sed in quauis egregia vrbe fuisset erecta: pręest ei pręposituræ titulo, Franciscus cognominato Mester, natione Hungarus, qui bonarũ artiũ & humanitatis præsertim callet notitiã. Ideoq; & in soluta oratione, & in cõponendis carminibus, eius est elegãs ingeniũ. Nec est prętermittendũ, quod ibidem est Virginũ, ordinis beati Francisci, monasteriũ, cuius magnitudini ędificiorũq; magnificentię, ac pulchritudini multitudiniq; preciosarũ rerum, diuino pertinentiũ cultui, pauca puto esse in orbe Christiano eiuscemodi virginũ cœnobia, quę huic possent anteferri. Supra eandem Budam, in eadem Danubii ripa, extant adhuc vetustissimæ cuiusdam vrbis vestigia, referentia magnum muri ambitum, Sicãbria is locus vocitatur. Sunt, qui credunt, fuisse ei nomen inditum, à Sicambris, Germaniæ olim populis: quorum auxiliaria quædam legio, Romanorũ Imperatorũ temporibus, in Pãnonias profecta, sedes ibi posuerat: sed & Franci ab ipsis quoq; Sicãbris, se habuisse originẽ affirmant: vti supra, habens regni Francorum mentionẽ, ostendi. Haud multo supra, penes quoq; Danubium est Vicegradũ, oppidũ quondã nobile: hodie, vbi situm ante fuerat, ædificata est à diuo Mathia, regia veteribus quibusuis eius generis æquanda ædificiis. Imminet ei loco mons, in cuius vertice posita est arx: vbi asseruatur diadema illud apud Hũgaros sacrum, quo solẽt eorũ Reges coronari. Supra Zaladiensem, est Comitatus, *Castriferrẽsis*, dictus ab oppidulo, quod Castrũ ferreũ nominatur: cũ sit expugnatu difficile. Norici portiuncula est. Illic est Sabaria, vetusta olim ciuitas, cuius apparẽt adhuc multa vestigia: inter quę spectãtur colũnę eximię magnitudinis. Ibi natus est beatus Martinus

vbi &

Hungaria.

vbi & trāsegit pueriles annos: quanquā in Italia suam peregit adolescentiam. Hunc attingit *Sempronienſis*, appellatus est à Sopronio, oppido vt pronunciat vulgus, Semproniū enim dicendū esset, vt credunt doctiores. Nāq; opinantur Sempronium, virum nobilissimum, Romanam illuc eduxisse Coloniā. Conterminus est ei comitatus oppido, quod est in Austria, noua Ciuitas nomine. Sunt in eo aliquot munitissima oppida, & pagi quam plurimi. Comitatus *sancti Georgii*, ad quem pertinet oppidum, nomine Castrum antiquum. Si illinc Danubium versus iter fiat: occurret *Iaurienſis* nominatus, à Iaurio ciuitate: quam alluit Arabon fluuius, ita nominatus à veteribus, sed Raba dicitur hodie, ab accolis, qui eodem in loco Danubium ingreditur. Haud procul ab Iaurio, mons est, quem nonnulli vocant Pannonium, & ab eo cognominatam dicunt fuisse Pannoniam, quod docti viri non probant: quippe qui non Pannonium, sed Pannoniûm, genitiuo casu dicendum malunt, vt sit intellectus. Pannonum hominum esse ipsum montem, non ab eo nomen (quando quidem parui momenti res est) tam amplam regionem assumpsisse. Alii sacrum montem appellant, propterea quod in eius vertice situm est monasterium, in beati Martini honorem, à beato Stephano, Hungarorum olim Rege, conditum. Vinetis is mons vinoque ornatur. Ipsum vero monasterium tenent monachi, ordinis beati Benedicti: Archiabbatia appellatur ab Hungaris: cum eius Abbas dignitate vniuersis, qui sunt in Hungaria abbatibus, antecellat: nec vlli subsit, nisi Romano Pontifici. Conterminus est huic Comitatus *Comarienſis*: cui à Comaro oppido, vocabulum inditum est. In eodem comitatu est Tata, nobile olim oppidum: sed bellorum assiduitate sublatum: non tamen adeo desertum, quin sint hodie pagi pulcherrimi, circa loca vetustæ arci propinqua. Arcem autem ipsam iam solo æquatā, miro opere diuus Mathias, intra paucos annos, iustaurauit: quod suo in loco nos (Deo bene iuuante) attingemus, vbi & memorabimus, à quo is locus acceperit nomen. *Strigonienſis* hunc attingit, dictus à Strigonio, totus Hungarię Metropoli: quam ab Istro & Grono fluuio, qui vrbem præterlabuntur, cognominatum nonnulli putant, prima ex Istro detracta litera.

Hactenus de Comitatibus, qui sunt ab vna Danubii parte, vtpote dextra, ab illius fonte secundo fluuio nauigantibus. Eos qui sunt à læua, hinc enumeremus. Quanquam non comprænhenduntur in descriptionibus illis, quæ supra allatę sunt veterum Pannoniarum, seu mauis veteris Hungarię dicere: ea nāq; à magna Germania, Danubio, magna ex parte olim disterminabatur. Quicquid igitur terrarum trans Danubium possident, Hungarorum Reges, id totum eorum esse constat, aucti postea ab illis fines Imperii. Et iam ab eo, qui nominatur *Peſtenſis*, à Pesto oppido sumamus initium præcipuè: quarum rerum copia, reddituumq; locus abundatissimus. Eo quoq; est is locus apud vniuersos Hungaros fama inclytus: quod in eius agro eligi Reges Hungarię cōsueuerunt. Quo enim tempore eligunt sibi Regē, fieri solet totius regni & optimatum & capitum populorum conuentus adeo frequens, vt numerus conuenientium sępe excedat summā octoginta millium armatorū hominum, quorum pars maxima equis vehuntur. Et quod est admiratione dignū, nihil vlli deest, quod ad victum abunde pertineat. Supra Pestensem ad M. Romanorum passuum ferme centum, abest *Poſonienſis*, nomen habens à vetusta vrbe Pisonium (vt credo) aliquando ab aliquo è Romanorum Pisonum nominata. Sed vulgus postea i mutata in o litera, pronunciauit Posonium. Perpulchrum oppidum est, & fertilitate agri, ob Danubii vicinitatem, insigne. In monte qui ei imminet, sita est Arx munitissima, in qua puteus est, & amplitudine, & altitudine memorabilis, Supra Posoniū est *Nitrienſis*, Episcopali sede pręclarus. Quē sequitur *Barſienſis*, vbi est Reuischiū oppidū. *Trinchinienſis* ei conterminus est, nomen habens ab oppido illic sito. Ibi quoq; est oppidum, quod dicitur Ternauia. Ad *Hontenſienſem* inde venitur, vbi est Satum, non ignobile oppidum. Hūc excipit *Neugradiēſis*, cuius soli vbertas in primis cōmendatur ab Hūgaris.

Hungaria.

Batia illic est, quæ antiquitus clara Ciuitas fuit eo præcipue, quod ei nomẽ inditum est ab Otone, viro apud veteres illustri: qui Pannonibus olim imperauit. Ad Regionem Marmatiam antiquitus dictam, nunc appellatam Marmarusam, *Gemeriensis* Comitatus secedit. Effoditur illic æs, ferrum, & argentum. *Zoliensis* ibidem est, à vico quodam denominationem assecutus, in cuius agro, fodina est ferri laudatissimi. *Zolinensis* quoq; in eadem regione est, qui nomen accepit ab oppido, cuius ager feracitate argenti, & auri insignis est. *Sarosiensis* qui fines spectat Rusiæ, à castello quodam in eo posito nomen accepit. *Scepusiensis* dictus à Scepusio oppido, Poloniæ conterminus est. In montibus prope Marmarusam, est *Vngensis*, quem nonnulli putant accepisse nomen ab Hunnis: sed à vulgo corruptũ fuisse vocabulum, Vngensem pro Hunnensem pronunciante. Id autem ego neq; affirmo, neq; refello. Sub eisdem montibus, in campestribus locis, est *Heuesiensis*, vbi est Agria, Ciuitas Episcopali sede nobilis. Ei præest Vrbanus Antistes, thesauri Mathiæ Regis conseruator fidelissimus, vir acuto ingenio, multis præditus virtutibus, prudentia præsertim, quæ tanta ei inest, vt ob eam idem Rex ipsum & amet incredibiliter, & secretorum suorum det esse participem. *Borsodiensis* deinde, vbi Diosiur castellum non ignobile. Trans Tibiscum fluuium est *Zabolciensis* & *Zolnecensis*. Tibisci autem accolæ, Sales fossiles è Marmarusa, vbi sunt eius rei fodinæ complures, conuehunt in Danubium: vnde ad alia regni Hungariæ loca transportantur. Haud proculul hinc, comitatus est *Pthoriensis*: vbi est Varadinum oppidum, illustre Basilica: in qua Beati Ladislai sacrum corpus sepultum est. Præsidet ei Ecclesiæ Ioannes Boemus, vir acuta ingenio, bonarumq; displinarum studiosus, ac multarum rerum experientia summus. Ideoq; diuo Mathiæ percharus: cuius iussu est compluribus honestissimis legationibus, quarum gratia, magnũ fuit honorem & gloriam consecutus. Struebat Varadini arcem inexpugnabilem, cuius ingens murus turresq;, & idoneæ tanto operi mansiones, satis plane ostendunt magnitudinem animi conditoris. Sacram cuius est Antistes, ædem ditauit preciosis tum sacerdotum vestibus, tum argenteis vasis, libris præterea magnis, quos vocant graduarios, & Antiphonarios, omni ex parte adeo mire exornatos: vt magni ac ditissimi alicuius Regis dicata Deo dona, possint non immerito iudicari *Bekensis* deinde recedit ad Transyluaniã, & cõterminus est *Orodiensis*, qui nomen accepit ab Orodio oppido, vbi est Beli regis, qui fuit cęcus, sepulchrũ. Huic vicini sunt *Zirindiensis*, & *Torantalensis*, & penes Tibiscũ fluuiũ, *Chiongradiensis*, & *Chanadiẽsis*. *Themesiensis* vergit ad superiorẽ Mœsiã, dictus ab oppido Temeso nomine, quod frequentib. circũdatur vicis. *Bacchiensis* huic conterminus est, Episcopali dignitate nobilis. *Bodrgensis* in Danubii ripa nomẽ habet à Castello, quod illic est. *Zagmariensis* fodinarum auri, & argenti maxime abundans, per montes extenditur. Est ibi oppidum, quod Riuulum minerarum vocitant. *Beregensis* habet oppidum Muncacium nomine, in mõte altissimo positũ, Cõterminus ei est *Vgochiensis*, hi aũt Comitatus sunt in Marmatia, quã Regionẽ dixi ego supra vulgum adpellare Marmarusam. In Motauiæ, quæ regio nomẽ accepit à mora fluuio, & Poloniæ finibus, *Liptouiensis* est, dictus ab vrbe Liptouia & *Aruensis*, & *Turocensis*. Cui Regioni conterminus est *Abauiuariensis*, vbi est vrbs Cassouia, & Eperies, sed illa nobilitate huic antecellit: est enim totius regionis fama inclytum emporium. *Zempliniensis* hunc attingit, in cuius agro Hungari in Pãnonias venientes, dicuntur primas sibi sedes posuisse. *Marmarusiensis*, vbi salis fodinæ sunt, & quinq; oppida, compluresq; vici. *Transyluaniensis*, vbi sunt septem Saxonum Ciuitates. Ex his hæ sunt insigniores, Saxonia, Cibinium, Brassouia, Bistricia, Colosuarum: quod Sarmatarum lingua, interpretatur scholasticum oppidũ, quo in loco natus est Diuus Mathias, cui nos librũ hunc dedicauimus. Alba Iulia præterea, vbi fodinæ salis, & Scytulorum patria, quo populos, verbo corrupto, vt nonnulli autumat, appellant Siculos. Aiunt enim eos à Scythis habuisse originem. Sunt nihilominus, qui vetustiora repetentes, putent, Siculos reuera eos dicendos

esse,

esse,non Scythulos. Eius namq; gentis genus referri volunt in Siculos,qui tenent Siciliam insulam,in extremis Italię locis positam. De qua supra,multis in locis, vbi postulare visa res est,habui mentionē. Perhibent igitur eius nationis quādam legionē sub Attila, olim Pannoniarū domitore, militasse:vt enim ex aliis cōplurib. orbis terrarū regionibus: ita ex Sicilia,multi conuenere mortales, ad exercitū Attilę,vt mererēt sub Duce,quo nullus tūc erat toto orbe pręclarior. Illo postea extincto,ingentiq; illius exercitu maxima ex parte,(vt idoneo in loco infra memorabitur) deleto: aliis alio contendentibus,Siculorum legio in hoc, de quo nūc est mētio,loco sedes sibi locauit. Cōmixti deinde ob iuncta matrimonia cū finitimis,mutata nationis suæ lingua,aliā acceperūt, illaq; in hanc diem vsi sunt. Genus hominū ferox: ita mutato patrio solo,imbutiq; alienigenarū gentium moribus,exasperati sunt,qui ex Sicilia fuerant oriundi. Regi nulla pendunt vectigalia, nisi aliquando domitū bouem, nullo eis imperatum edicto,sed à Rege exoratū,quasi id regni aliqua vrgeat vel necessitas,vel vtilitas. Memini iam nō modo Hungariæ,sed totius etiā Regni,Regū Hungarorū,comitatuū:nec ignoro,& alios esse cōplures,quos nō inuitus missos facio. Quāuis enim perquisiuerim perquā diligenter,nunquā tamē nactus fui hominē, qui mihi totū eorū numerū ordine retulisset. Posthæc in laudibus Regionis,quā possident Hungarorū Reges,paucis libet versari. Hūgaria mira soli hubertate,rerumq; humano victui tum vtiliū,tum necessariarū copia,à natura donata est. Multæ illic auri,argenti,æris,ferri,salis,minii fodinæ, In aliquot fluminibus,auri puri ramenta inueniuntur. Et,quod est mirabile,in vinetis in aurifero loco satis,aureæ virgūculæ,& ad digiti, & ad semipedis longitudinē quādoq; leguntur, cuius generis cōplures nos vidisse,fatemur. Boum equorū,porcorū, frumenti, pabuli, leguminis,vini, deniq; aliquot bonorū ad vescendū fructuū mira abundātia. Vnde nōnulli à pane,quo vescuntur homines, ob soli videlicet fœcunditatē,affirmant nominatā. Alii propter eandem causam, vtpote propter soli pecorumq; fœcunditatē appellatam affirmant à Pane,quē vetustas dixit Deū esse Pastorū. Id aūt vero potest esse simile. Cæterum Appiani Alexandrini de eiusdē Regionis vocabulo,sequor ego eam,quā supra attuli,traditionē. Hungarico solo ea inquā à natura donata est hubertas, vt si aliunde alia multa sationi apta cōportarētur,ad ea ferenda esset, haud dubie, accōmodatissima. Sunt multa loca,in quib. scaturiunt calidæ aquæ,ad curandos humanos morbos salubres. Aquarum vero dulciū tum copia tum opportunitas in Regno Hungariæ maxima,quippe cum sit irriguum,non modo maximis,qui supra sunt à me nominati,amnibus,sed quā plurimis etiā modicis,&,sine nomine fluminib. Quo fit, vt maxima abundet copia pisciū amnicorū. Hominū ingenia acuta,& excellētia,cęterū armis,quam liberarū artium studiis, propensiora. Mira hæc regnū habet Hungarorū,haud procul ab vrbe Cassouia. Riuus est,in quem positū ferrum,mutatur in cuprum. Nec longe ab eo loco, est aqua in qua gignitur genus illius metalli, quod vocant vitriolum. Ad aliquot millia passuū, supra Cassouiam,gignitur Cristallum,ac genus illud lapillorū,qui appellantur topacii. Haud procul à Zolio, à quo oppido denominatū Comitatū dixi supra,est locus cōcauus,vnde emanat vapor omnis generis animalib. perniciosus: eo namq; infecta,illico moriuntur. Prope Scepusium sunt rupes,vnde stillantes aquæ guttæ,æstate glaciātur. Sunt loca,in quibus terra superficie tenus abūde euomet Sulphur. Sunt & Salis prærupti mōtes,quem fert natura. Sunt aquæ ferentes pisces, qui cum coquuntur,soluuntur in fumū. In Transyluania sunt Cauernæ in quib. sunt & multa & integra, licet nuda cute capita, cæteraq; ossa mortuorū Draconū. Nec satis reddi potest causa, vel vnde, vel quomodo talia monstra fuerint ad ea loca delata: eo præsertim,quod in ea Regione,eiusce generis animalia nequaquā gignuntur. Quanquā sunt, qui opinantur,per diluuiū,ex Aphrica,aut ex locis aliis,vbi gignūtur Dracones,exūdantiū aquarū impetu,ea corpora illuc fuisse correpta. Ex capitib. aūt illis,vnū mihi dono datū est,quod in rei tū fidē, tum memoriā, meis Italis ostendendum reseruo.

Danubius.

ITA descriptis Pannoniis, cum supra multis in locis meminerim Danubij, qui fluuius est omnium, qui sunt in tota Europa, clarissimus: imo omnium, qui sunt in toto orbe terrarum (præter Gangem & Nilum) vt nõnulli scriptores affirmant, maximus, non erit ab re, si ipsum hoc loco quoque descripsero. Huic amni duo nomina veteres indidere: quod quam paucis expressit, de Ponto libro secundo Ouidius, his verbis: *Vicina binominis Istri.* Namque à loco sui ortus, ad magna multarum regionum, per quas labitur, interualla, Danubium ipsum appellauerunt. A locis autem vicinis mari Pontico, in quod influit, cognominauerunt eum Istrum, ab Istria, quę Regio quidem olim fuit iuxta Pontum, quam tenuerant Coloni Milesiorum, vt proditum est ab Herodoto, Historiarum libro secundo. Fuerunt nihilominus, qui tradiderunt, in quîs est Plinius, ipsum Istri nomen accipere in locis, in quibus incipit Illyricum, attingere, vtpote haud procul à Bebiis montibus: quibus dirimitur inferior Pannonia, ab ipsa Illyride, iuxta Ptolomæi descriptionem. At vero Ptolomæus ipse ait, appellari Istrum à loco, vbi est Axium, ciuitas inferioris Mæsiæ, penes Danubium posita: vnde hic amnis incipit labi in orientem, donec perueniat ad vrbem Dniogetiã: à quo loco conuertitur in meridiẽ, & ad eam plagam in mare exit Põticum. Oritur, teste Plinio, natur. Hist. lib. quarto, idemq; suis Tabulis ostendit Ptolomæus, in Germaniæ iugis, montis Arnobe, ex aduerso Raurici, quod fuit olim Gallorum oppidum. Hodie ab eius fonte XL. ferme M. interuallo, sita tamen ad ipsius fluuij ripam, distat Vlma, nobilis Ciuitas Germanorum. Labitur multis vltra Alpes millibus, sed primum quidem Septentrionem, deinde meridiem versus, per innumeras gentes. Linquit autem à sinistris Germanos, à dextris Teutones, & eas gentes, quos vetustas nominauit Vindelicos & Noricos, Sueuos, Bauaros, Austrienses. Deinde à dextris quidem habens Pannonias, ac totam superiorem, magnamq; partem inferioris Mesię, à sinistris vero Iaziges Metanastas, talibus enim nominibus eos appellauit antiquitas: Daciam præterea & partem quandam Mæsiæ inferioris, quæ hodie dicitur Bulgaria, longissimo peracto cursu, septemque diuisus hostiis, vt Solinus ait, vt autem Plinius, Ptolomæusq; auctores sunt, sex in mare Ponticum defluit. Sed & placet afferre, quæ de eius ortu, atq; vocabulis magnitudineq;, ac decursu Pomponius Mela, paucissimis prodidit his verbis: *Ille fluuius qui Scythiæ populos, à sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio quam desinit nomine, exoritur. Nam per immania multarum gentium diu Danubius est, deinde aliter appellantibus accolis, Ister fit, acceptisq; aliquot amnibus, ingens iam & eorum, qui in nostrum decidunt mare, tantum Nilo minor, totidem ille hostiis, sed tribus tenuibus, cæteris nauigabilibus, in mare Ponticum effluit.* Sed magis particulatim demonstranda res est. Oritur fonte mediocri, accessu multorum amnium exauctus, Brumalem orientem versus, magnis voluminibus spaciatur: patentibus maxima ex parte campis, quoad attingit vrbem Budã, nostro tempore dictam, sed Bledam olim appellatam, à Bleda fratre Atilæ Regis antiquissimi Pannoniæ, conditam, & nunc regni Hungarorum sede clarissimam. Hinc ad Meridiem tendens, labitur semper angustior. At vbi per aliquot passuum millia, infra vrbem, quam vocant Quinq; Ecclesias, Drauum excipit, & ipsum quidem insignem fluuium: iterum cursum ad hyemalem ortum dirigit, Villacumq;, ac Vatiam, & alia nonnulla clara Hungarorum præterlabitur oppida, donec apud Taurinum, Tribalorum olim Emporium, quod hodie dicitur Belgradum, Tybisco amne, ex Scythicis montibus recepto, Sauo flumini commiscetur. Hic relicta Pannonia, Mæsiam dextra (vt ante dictum est) pertingens, paulatim ad æstiuum ortum, instar pelagi, tacitus perfluit, multis in locis flectitur, sæpeq; terras vel perrumpens, vel altius submouens, ad Nicopolim tandem euadit, oppidum Heraclii Imperatoris victoria, & morte filii Cosdrue, Regis Persarum, nobile. Ex eo loco deflectitur in Notum, in vicinum procul dubio, casurus Euxinum Pontum, apud Mesemuriam, ni va-

stis

Digitized by Google

Danubius.

ſtis montium lateribus, prohibitus attingere Thraciã, ab Aſprocaſtro oppido viam in Septentrionem deflectere compelleretur. Quam viam multis millibus paſſuum emenſus, vbi primum obices montium ipſum à pelago arcẽtes, peruincere potuit, in patentes excurrens campos, inter ripenſem Daciam, Vallachia hodie dicitur, & inferiorem Mæſiam, hoſtiis, quorum numerus ſupra explicatus eſt, in Pontum euoluitur. In mare autem ipſum influens, octo efficit ingentes Inſulas, ſeptem in itinere derelinquit: duas videlicet in Germaniæ Pannoniæque finibus: totidem apud Strigonium, Pannoniæ metropolim: vnam infra Budam: alteram apud Belgradum: tertiam, omnium maximam apud ripenſem Daciam. Quanquam aliis multis in locis ſciſſus, alias multas paruulas inſulas efficit. Totus eius decurſus frequentibus vicis, celebriſque nominis oppidis, vtraq; ripa exornatus, 1400. paſſiſibus protenditur. Toto autem eo ſpacio, 64. haud ignobilia flumina in ipſum labuntur. Nec tot ſolum, verum etiam alia omnia parum celebria flumina: quæ ſicut illa nobilia, cadũt & à Noricis, & ab Illyricis montibus: quæq; è Mæſia, ac Dacia, & à Scyticis regionibus, Meridem verſus decurrunt. Patet compluribus in locis latitudine pluſquam millibus paſſibus. Multis in locis, ad ducentos pedes altus. Piſcium varii vt generis, ita & magnitudinis feraciſſimus. Totus fere nauigabilis, hieme excepta. Eo namque tempore, tam alta, tamque potenti glacie perſæpe ſolidatur: vt quam grauiſſimis curribus, maximiſq; exercitibus, tuto tranſire liceat. Ariſtot. Metæoror. libro ſecundo, ait huius amnis ſingula ora tanta eſſe, vt ab ipſis à ſexaginta millia paſſuum longitudine, mare vincatur. Vrbes autem & oppida, quæ ad eius ripas à locis fonti propinquis, vſq; ad hoſtia illa, vel ſex vel ſeptem, de quibus ſupra eſt iam habita mentio, poſita ſunt, enumerare difficile eſt. Quorum tamen eſt fama celebrior, quantum ad meam potuit peruenire notitiam, prout accepi à locorũ peritis, hæc ſunt. Sub *Vlma*, de qua vrbe eſt iam facta mentio, ad XII. ferme, P. millia, eſt oppidum nomine *Lcipham*, vtor enim & vocabulis, & literatura, quibus vtuntur accolæ eorum Germana lingua. Sub eo ad X. M. P. *Gundelfing*: ſub quo ad duo M. P. *Lauuginghe*. Inde ad V M. P. abeſt *Tilinghen*. Poſtea interuallo, V. M. *Hechſtetten*: cuius nominis ſignificatio eſt alta ciuitas. Sub ea ad M. P. X. *Schuebeſchuuerdt*: quæ interpretantur Schueua peninſula Ea omnia loca ab ipſo Danubii fonte, huc vſq; pertinent ad Regionem, quam antiquitas appellauit Vindeliciam. Quæ cũ ſit Rhetiæ contermina, fit, vt vtraq; in vnam coeant prouinciam, quã hodie appellant Sueuiam. Vindeliciam perhibent Germani dictam, à duobus fluuiis in Danubium labentibus: quorum alter, licet nominetur Lycus, vulgo tamen apud eam nationem Lech pronunciatur. Alter amnis dicitur vulgo & Vertach, & Vinda, quod vocabulum gentis lingua, à vulgo Finda profertur. Ex vtroque itaque nomine, hoc eſt, Vinda & Lycus deductum eſt vocabulum, quod eſt Vindelicia. In ea Regione cum ſit *Auguſta*, clariſſima totius prouinciæ Metropolis, fit vt ea ciuitas Auguſta Vindelica cognominetur. Illius nobile nomen ſatis indicat, eam fuiſſe ab aliquo Romanorum Imperatore conditam. Quiſnam autem fuerit ille, ignorare plane me, fateor. Quanquam pleriq; Germanorum, nimium vetera repetentes, in Octauium Auguſtum, illius referant conditionem. Incipit inde regio *Noricum*, à veteribus noſtris vero temporibus cognominata Bauaria. Cæterum nonnulli Germani periti locorum aiunt, Noricam Prouinciam, in duas diuidi portiones, in ſuperiorem, & inferiorem Et in illa quidem eſſe Bauariam, in hac vero Auſtriam. Primum igitur ad ipſum ſuperius Noricum, peneſque Danubium poſitum oppidum, nuncupatur *Nouburgh*: quod abeſt ab ea, cuius eſt mentio facta, peninſula. M. P. XXV. Poſtea XX. M. P. Interuallum eſt *Inghelſtadia*, ſtudiis liberalium diſciplinarum inclyta ciuitas, Auriapolis antiquitus dicta. Inde haud procul abeſt paruula peninſula, nomine *Fogburgh*, vbi eſt Arx munitiſſima, ex quo loco ortum habuere Bauarorũ Marchiones. Modico ab eo interuallo, diſtat oppidum, quod vocitant *kelhem*. Sub quo *Reghensburgh*, quæ ciuitas vul-

Danubius.

tas vulgatissimo nomine dicitur Ratispona, Episcopatu Alberti Magni olim clarissima, propter viri doctrinam, vitæque sanctitatem, & apud Philosophos auctoritatem illustrem. Distat autem ab Ingelstadia, cuius modo meminimus, M. P. ferme, XL. Ratisponæ multa esse indita nomina, indigenæ affirmãt. Quadratam quippe ab eorum maioribus, eo dictam ipsam dicunt, vel quod eius murus quadrato sit structus saxo: vel quod in quadrati forma fuerit à conditore ædificata. Tyberinam à Tyberio, ex quo tempore gessit aduersus Rhetios & Vindelicos bellum. Hiataspolim, ab Hiataso, qui Dux ei ciuitati olim imperauit: Regenopolim à flumine Regen appellato: quod modico ab ea vrbe interuallo, labitur, in Danubium. Præterea Imbripolim, ab eodem flumine, cui Imbri quoq; est nomen. Nomen autem eiusdem Ciuitatis vulgatissimum nonnulli indigenarum scribunt, per p, literam, alii per b scribendum malunt. Duplicem igitur esse volunt eius nominis interpretationem. Namq; Ratisponam dictam volunt, propter lapideum, & eximiæ magnitudinis pontem, supra Danubium, qui vrbem ipsam interfluit, miro structum artificio. Dici itaq; perhibent Ratisponam, quòd eo in loco per pontem non minus, quàm per ratem, tutus ac facilis sit euntium, atq; venientium transitus. Qui vero dicere malunt Ratisbonam, hi vocabulum ipsum, ratem bonam interpretantur. Idq; propterea, quod non mediocris concursus ratum, ac nauium est ad eam vrbem, mercimonii gratia. Ibi vero hominum frequentiam maximam iam olim fuisse, Ratiponenses ferunt: cum esset hic locus nobile totius Regionis Emporium. Sub ea vrbe ad M. P. V, arx est, rebus omnibus munitissima, *Stauf* nomine. Ad M. de hinc passuum XXV. *Strauubingh*. Sub ea ad XX. P. *Tekendorf*. Inde ad totidem millia, *Filzhouen*. Inde ad tot altera millia: *Passau*, quæ Latino verbo dicitur Patauia, ab Italo Patauio (vt perhibẽt accolæ) cognominata: posteri namq; Antenoris, feruntur ipsam condidisse, vt plæriq; Germanorum astruunt. Est totius Austriæ Metropolis clarissima, vetustissimam eam esse asserunt indigenæ. Tres in ipsam influunt amnes: Enus, Ilzt, Danubius, quibus ipsa in tres est diuisa partes. Sub ea ad totidem. M. P. interuallum *Zell*: cuius oppidi agro terminatur Bauaria. Principium deinde est Norici inferioris, quod à nonnullis dicitur Noricum ripense, ab aliis Austria superior, à quibusdam, terra supra Anasum fluuium. Quanquam est & Anasum Archiepiscopali sede insignis ciuitas, quod Laureacum olim appellatum est. Huius Regionis prius occurrens oppidũ dicitur *Lintz*, quod abest ab vrbe Vienna centum ferme, P. M. Intra quod interuallum, sita sunt hæc oppida, in hunc ordinem, *Grain, Ens*, quod & Anasum, de qua ciuitate modo mentio facta est. *Pechlern*, id est præclara, in cuius fronte ex altera Danubii ripa positum est, *Altpechlern*. Cuius vocabuli significantia est, antiquum præclarum. *Melch, Neuburgh, Spitz, Tirenstan, Stan, Crems*, contra quod ex altera fluuii parte, situm est *Mauter*. Sub Crems, Tulna. Postea *Closter*, id est Claustralis Nauburgh: cum ibi sit nobile Canonicorum regularium monasterium, vbi conditum est sancti Leopoldi corpus Ex loci huius conspectu, transeundem amnem, situm est *Cornnauburgh*, id est forensis Nauburgh: ita nominatum, quod is locus sit forum rerum venalium. Inde ad M. P. ferme V, est *Vienna*, totius non modo superioris, verum etiam inferioris Austriæ, clarissimi nominis vrbs, quæ olim Flauionum nuncupata est. Satis sit iam, hæc de ipsa nunc attigisse, suo namque loco, de tanta vrbe multa mentione digna, memoranda mihi sunt. Principium ab ea fit Austriæ inferioris, quæ ibi desinit, vnde superior incipit Pannonia. Sub Vienna ad M. P. octo. *Encisford*. A quo haud procul abest *Fischemünd*. Sub quo ad XII. M. P. *Petronella* quæ ob magnitudinem, appellata olim fuit Troia minor, ab indigenis: appellata quoq; fuit & Celetia, & Celectum: hodie licet iaceat, diruta namq; fuerunt eius ædificia bello gesto à Mathia Hungarorum Rege, aduersus Federicum Romanorum Imperatorem: semper tamen erit illustris, ortu sancti Maximiliani Patauiensis Antistitis. Sub ea ad M. P. VIII. *Humburgh*, quod designat castellũ

Hunno-

Danubius.

Hunnorum. In hoc tantum loco remansit Hunnæ gentis nomen: quod olim fuerat terrori, vniuersis orbis terræ nationibus, Eius autem castelli agro, Austria dirimitur a Pannonia. Illic enim desinunt Norici montes, quibus Pannoniam ipsam ab occidente terminari, nos supra ostendimus. Licet enim mõtes, ad quorum radices situm est id oppidum, non sint nimiæ excelsitatis: protenduntur tamen intra occidentem, & Aquilonem, quo vsq; se coniungant Noricis aliis, qui sunt illis excelsiores. Ex pertinentibus autem ad Pannoniam, seu malueris dicere Hungariam, primum omnium occurrit *Posonium*, à sinistra fluuii positum oppidum, quod pulchritudine, arceq; loci natura, atq; opere munitissima insigne, admodum est, & distat à Humburgh, VIII. M. P. Inde ad M. P. & X. *Altemburgh*, quod Latine interpretatum dicitur, vetus castellũ. Postea ad M. XXX. à fluuii dextra, sita est ciuitas Germanorum lingua appellata, *Rab:* sed vulgatissimo apud Hungaros nomine, dicitur Iaurinum, Iarnum dictũ à veteribus. Præest Episcopali dignitate eius Ecclesiæ Thomas Erdeudy, vir excellenti ingenio, & cum literarum latinarum peritiam callens, tum in cæteris laude dignis disciplinis inprimis eruditus. Spectata eius fide Mathias Coruinus Hungarorum Rex animaduersa, ipsum inter omnes amplissimi Regni sui Ecclesiarum Antistites, elegit, qui apud se Secretarii vteretur officio. Ab eo loco abest *Cumara* vetustum ad huc retinens nomen, quod in Asiatica Scythia olim ei fuerat, M. P. XXV. Sub eo. XX. M. P. interuallo *Labatlan*. Sub quo ad M. XXV. *Strigonium* Istripolis antiquitus dicta, totius Hungariæ præclara Metropolis, cui præest hodie Hippolytus Estẽsis eximię indolis adolescens, Herculis Ferrariensiũ Ducis filius, ac Ferdinandi Siciliæ citra Pharum Regis, ex Dianora filia nepos. Sub ea Ciuitate ad M. P. X. situm est *Vicegradum*, pulcherrima & ornatissima à diuo Mathia structa regia: Sub eo à læua Danubii *Batia*, Episcopali sede illustris ciuitas. In dextra deinde eiusdem, *Pagus sancti Andreæ*, in Romanæ legionis situm vestigiis, vbi complura Romanorum extant Epitaphia. Sub quo M. XLIII. interuallo occurrit *Buda*, Regni Hungariæ caput, & sedes illustris. In eius contraria ripa situm est oppidum, quod *Pestum* appellatur, fama & ipsum, propter Budæ vicinitatem, non ignobile. A Buda abest Nanderalba, qui locus dicitur, alio nomine Belgradum, millia, quibus vtuntur Hungari, quatuor & quadraginta: quæ sunt Romanorum, quibus hoc opere vtimur. M. CCXX. Intra quod interuallum, multa quidem sunt loca culta: sed mentione digniora, hoc sita sunt ordine. *Tolna*, *Sexsart*, *Baia*, *Bata*, *Bodorg*, *Apat*, *Erduit*, *Bore*, *Sata*, *Axia*, *Drassat*, *Bakonostra*. Quibus in locis est ea Regiuncula, quam vocitant *Sirmiam*, ita cognominatam ab oppido vetustissimo, quod Sirmium apud veteres Geographos dicitur. Terra ferax est vini apud Hungaros, quam laudatissimi. Occurrit deinde *Viliac*, in quo oppido Ioannis Capistrani, viri Dei corpus cõditur, quod diuina virtute multis fertur clarere miraculis. Sub eo loco *Xerut*; sub quo *Beiem*. Cõtra quod hoc est, ab aduersa Danubii ripa, situm est *Futach*. Ab altera parte post Beiem, *Chamans*, postea *Petri Varadina*, *Charum*, *Sallamkhemim*, *Zemlim*. Hisq; in locis inferior desinit Pannonia: hic se Sauus Danubio miscet, quibus fluminibus, superior Mæsia, à Pannonia ipsa dirimitur. Dicitur autem vulgo ea Mæsia, *Seruia*. Cuius primam occurrentem, ex his locis partem appellant hodie *Rasciam*. Huius vero primum, contraq; Pannoniam positum oppidum, est *Belgradum*, quod licet sit vltra Hungariæ terminos, tenetur tamen ditione Regum Hungarorum. Est id oppidum natura loci, atq; opere munitissimum, & insigne ea clarissima victoria, qua Ioannes Coruinus, profligauit Mahametum, Turcarum Imperatorem, verso illo in fugam, illiusq; numeroso fuso exercitu: vt libro huius operis primo, & quadragesimo prodidimus, prodemusq; hoc volumine, cum in eiusdem victoriæ prolixam mentionem peruenerimus. Inde ad M. P. ferme, XX. distat, *Smedris*, hoc est, sancti Andreæ nobile Rascianorum oppidum, quod ita loci natura munitum est, vt sit expugnatu difficile. Paret imperio Turcarum, quod nostra memoria, ea gens in suã redegit potestatem.

Danubius. Inde ad locum, vnde est Mæsiæ inferioris, vtpote Regionis Bulgarorum principium, est oppidum *Bdiognum* nomine: partim quidem, sed situm in loco, ita suapte natura idoneo, vt pene sit inexpugnabile, quod & ipsum ditione tenetur Turcarum. A sinistra deinde Danubii in Regione Vallachorum, est oppidum cum arce munitissima, cui *Seuerino* est nomen, estq; ditionis Mathię Regis Hungarorum. Postea ad interuallum supra centum, M. P. à Danubii dextera posita est vrbs, totius Bulgariæ opulentissima *Nicopolis* nomine, ita Græco verbo appellata à victoria, quam adeptus olim fuit Romanorum Imperator Heraclius, deleto ingenti Cosdroæ, Persarū Regis exercitu, illiusq; filio interfecto, vt & ante dictum est: Ea autem ciuitas vna cum tota Regione, in qua est sita, Turcarum paret Imperatori. Postremo ab eiusdem amnis læua, sita est in finibus Europeorum Sarmatarum ciuitas, quam appellant *Dieliam*, à qua interuallo, M. ferme quatuor, Danubius in mare Ponticum, septem hostiis, vt supra ostendimus, irrumpit. Quæ ciuitas Turcarum quoq; ditioni subiicitur. Ita descripta vtraq; Pannonia, atq; Danubio: consequens est, vt iuxta ordinē, qui nobis initio constitutus est Hungarorum Regum seriem ab Hunnis, eorumq; duce Atila, principium facientes, ordiamur.

INDEX III.

POSTVLAT autem res, vt pro dicendarum rerum exactiore notitia, hæc pauca altius repetamus. Romano olim illo amplissimo Imperio paulatim declinante, surrexerunt barbaræ quædam, efferatęq; nationes, diuersis tamē temporibus, quæ Romanas prouincias multis, variisq; vastationibus, & cladibus afflictas, sibi occupauere. Ex illis hæ fuerunt, quæ præ cæteris à rerū scriptoribus maximè celebratæ sunt. Persæ, Gothi, Vandali, Hunni, Quadi, Alani, Marcomani, Eruli, Sueui, Turingi, Hungari, Longobardi, Franci, Burgundi, Saxones, Alemani, Saraceni, Tartari, Turcæ. Qua vero tempestate vna quæq; earum surrexerit, quibusq; è locis earū fuerit origo, atq; profectio, quis præterea, qualesq; fuisse ferantur singularum progressus, ac finis rerum gestarum, suis in locis superioribus libris satis ostendimus. Cæterum eas omnes nationes omissas nunc facimus, de Hunnis tantum habenda est nobis mentio: quæ gens, Valentis Romani principis ætate, duce Atila, subegit suæ ditioni Pannonias, vbi & sedes sibi postea magna cum gloria, rerumq; gestarū fœlicitate, locauit. Quanquam aliquot ante eundem Principem annis, vtpote sub seniore Theodosio, ea natio magnos in quibusdam aliis Europæ locis, motus exciuerat. Sed non erit ab re, si hoc quoq; loco ostendamus, vnde Hūni profecti sint, in ipsas Pannonias: quamuis repetere nos oporteat, perpauca ex eis, quæ supra à nobis sunt explicata prolixius. Memoriæ nobis est, nos libro huius operis VII. quo descripsimus, quæ pertinuerunt ad Scythiam, Regnumq; Scytharum, meminisse, Sarmaticarum Regionum atq; locorum, quæ sunt Riphæis montibus proxima, & haud procul ab illis, Hunnos solum habuisse natale. Docuimusq; eam gentem, ita cognominatam, non à patria, cum nulla sit ibi regio, quæ nominatur Hunnia, sed ab illorum duce, qui Hunnus vocatus est. Cumque ex eo loco fuerit eorum profectio, idcirco eodem libro prodidimus, ipsos nationem fuisse Sarmaticam. Nec tamen ea nostra traditio aduersatur ei, quod Hungari quidam affirmāt perhibentes, Scythici generis se maiores habuisse. Namque Sarmatarum Nationes, quæ duæ sunt, Europæa videlicet, & Asiatica, ex Scytharū genere defluxerunt. Affirmantes itaq; nos, Hungaros exortos fuisse natione Sarmatica, nō propterea inficiamur, ipsos à Scythis habuisse originem. Scribens præterea ego ea, quę obtigerunt
A.C. 373. memoratu digna, anno salutis humanæ CCC. LXXIII. prodidisse me memini: quemadmodum abundante multitudine Sarmatarum, tenentium loca Rhiphæis propinqua montibus: multa millia illorum deseruere patriam, seq; coniunxere exercitui Gothorum, qui & ipsi, aliquot ante annis, suis sedib. excesserant. Ortis deinde inter se capitalibus odiis, alteri ab alteris abalienati inter se con-

se contulerunt arma, sed Gotthis tandem victis, qua via data est, Sarmatæ locis illis excessere: duceq; Hunno, id enim erat viro, vti paulo ante dixi, nomẽ, processerũt vlterius: ac peruastatis, subactisq; mediis Regionibus, peruenerũt tandem vsq; in Pannonias, quas & subegerunt, & in eis sedes posuerunt. Primos, qui ei genti persuasere, vt desererent patriam, fuisse eodem lib. ostendimus, Hunnum prius, à quo genti nomen est datum, post quem, Cottarem & Rhoam fratres, Mundæ Zeturi filios. Quibus mortuis, Atilam & Bledã fratres regio exortos genere, illorum fuisse duces: quorum auspiciis, eam gentem contra alios Europæos Sarmatas, bella fortiter fœliciterq; gessisse. Diximus prçterea eos multa per totam ferè Europam postea gessisse bella, aduersus & Romanos Principes, & populos Christi cultores, quorũ multas prouincias perdomuere. En peruentum est nobis in mentionem Attilæ, qui primus Sarmaticæ gentis, Romanorum Imperium, ac omnes quotquot erant veri Dei cultores, submouit è Pannoniis, primusq; in eis Regnum, post illos obtinuit, regnum præterea Hunnorum ibidem constituit. Satis igitur fuerit nobis, paucis de ipso, deque suis Hunnis ea nunc repetiuisse: quæ supra libro, qui dictus est, ostenderamus. Itaque prætermissis aliis, quæ ibi prodidimus: texere hinc incipiemus Hunnorum Hungarorumq; Regum, ac ducum catologum: quo tandem perueniamus, ad Diuum Mathiam Coruinum, qui per hæc tempora regnat in Hungaria. Sed ante omnia, quinam fuerint Attilæ mores, qualeq; ingenium, doceamus.

INDEX IIII.

De Atila.

IS ingenio fuit feroci, sæuusq, & audax, supra quam explicare quisquam posset. Adeo elato animo, vt non modo se superiorem, sed ne parem quidẽ sibi, toto orbe quempiam & esse, & haberi pateretur. Rei bellicæ, omnium sui temporis ducum, peritissimus. Mire astutus, parandarum in hostem insidiarum egregius excogitator: militarium quorumcũq; laborũ patientissimus: In inueniendis instruendisq; bellicis machinis, ac multorũ generũ armorũ, ingeniosissimus. Fuit exiguo corpore, capite grandiore, paruis glaucisq; oculis, simo naso: rara, sed prolixa barba, lato pectore, colore ad fuscum declinante, vultu horrendo, vtpote qui innatam præ se ferebat immanitatem: auaritia insatiabilis. Quo nihilominus famam sibi apud mortales compararet viri benefici, viros nobilitate insignes, ad se vel visendi studio, vel legationis gratia venientes, egregie donatos, domum persæpe remisit. In re gerenda vt prudens & strenuus, ita & inprimis fortunatus. Maxime præceps in Venerem: vino plus nimio indulgebat: In hominum necem supra modum propensus. Christiani nominis hostis accerrimus, ad quorum memoriam ex orbe delendam, dicebat se à Deo missum fuisse, eamq; ob rem flagellum Dei se cognominari volebat. Fertur supra viginti millia hominum sua ipsius peremisse manu: à suis autem copiis, ad octingenta millia interfecta traduntur. Bledam fratrem dolo occidit. Quam ob causam id scelus admiserit, varie traditur. Perhibet nonnulli causam eam fuisse, quod magna erat vtriusque fratrum, morum diuersitas, Miti erat ingenio Bleda, Atila feroci: pacem amabat Bleda, bellum Atila: humanus ille erat, hic truculentus & sanguinarius: Ille beneficus, hic congerendarum opum cupidissimus. Abstinebat ille alieno, hic nec domesticorum parcebat opibus. Bleda sæpe suadebat fratri, vt abstineret armis, satis enim sibi esse, quod magnam Sarmatiæ Germaniæque partem, vniuersam Thraciam, Macedoniam, duas Misias, duasque Pannonias, Noricum, & Illyricum, Achaiamque suæ ditionis fecissent. Satis iam gloriæ genti Hunnorum comparatum, qui Romanos, rerum olim in orbe potitos, è suis prouinciis pepulissent: In regnis igitur, fuso tanto Hunnorum cruore partis, esse quiescendum. His atque aliis multis, quæ in rem fuerunt visa idonea, Bleda Atilæ fratri longinquiorem diuturnioremque militiam sæpe dissuadebat.

Digitized by Google

Id ille perquam moleste ferens, clam imperat nonnullis è suis, quos ad hoc iudicauit aptissimos, vt cum primum nanciscerētur opportunum tempus, Bledam incautum interficerent. Dum itaq; ille viseret opifices, qui muro circumdabant Bledam, quam vrbē, tunc ipse condebat, & ex se cognominari decreuerat, Budam postea veterem nuncupatam, vt supra ostendimus: satellites improuisi ad eum venientes locum, ipsum, nihil tale sibi metuentē, obtruncauēre. Alii produnt Bledam, quem Atila adsciuerat iam ad regni consortium, bellum ille dum gereret in Gallia, fines sibi Imperii constitutos, fuisse transgressum: Ideoq; vbi rediuit in Pannonias, ipsum in fratrem manū intulisse, illiusq; cadauer iecisse in Danubium, ne vnquam sepulturæ tradendum inueniretur.

INDEX. V.

BLEDA igitur ita mortuo, conuertit Atila cogitationes suas omnes, ad subigendas alias Romanorum Principum prouincias: Contractis itaq;, vndecunq; potuit, copiis, atq; instaurato veteri suorum exercitu: primum inuadit propinquum Pannoniis, Illyricum, deinde conterminas ei Liburniam, atque Dalmatiā. Quicquid agrorum occurrit, ferro, igniq: peruastat. Delet vrbes, & ciuitates quæ statim, hoc est, cum primum fuit profectus eius exercitus, deditionē non fecerūt. In his fuere Tragurium, Sibinicum, Iadira, Senia, Pola. Quæ ciuitates postea progressu temporum prosperiorum restitutæ sunt. Iadira præsertim, quæ pulchritudine, opibus, & auctoritate, cæteris prestat. Italiā postremo versus cōtendit. Delet Aquileiam, capit ac diripit Patauiū, Vicentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, Comum, Ticinum, Bononiam. Breuiter subigit Flaminiam, agrum Picenum, Hetruriam, vrbē Florentiam funditus sustulit, licet vltro deditionē fecerit. Fuit habitatore vacua, vsque ad Caroli Magni tempora, à quo restituta est. Rediit postea in Galliam Cisalpinam, vt illic instaurato exercitu (magnā enim militum partem eo bello amiserat) ad delendam Romam se inde conuerteret. At vero Leo, huius nominis primus, Pontifex maximus, vir vt doctrina, ita vitę sanctitate insignis, diuinitus inspiratus, simul adductus Valentiniani Romani Principis precibus, vrbe cum Clericorum magno numero excedens, ad Atilam proficiscitur. Ille de Pontificis aduentu factus certior, obuiam ei procedit, non plane honoris gratia, sed eo animo, vt ipsum sua manu iugularet. Peruenerat iam Pontifex vsq; locum, à quo haud procul Mintius amnis in Padum influit. Tum illo salutato, *Hoc tibi*, inquit, *iubeo, Atila, in nomine Iesu Christi, Dei omnipotentis filii, cuius ego sum cultor, & Seruus, & in terris Vicarius, siste pedem, ac desine sæuire in Italiam. Auerte animum ab vrbe Roma, quam delere te posse sperasti. Sunt iam te multo potentiores, qui ipsam tueantur: satis superq; flagellum Dei te esse comprobasti. Huc vsq; Romano Imperio, Christianisq; nationibus fuisse te infestum, Deo permittente, licuit. Abi hinc, nemini nociturus, in Pannonias, vbi datum tibi à Deo est, tuorum Hunnorum sedes posuisse. Sin feceris aliter, haud mora in te tuasq; copias, malorum omnium vltor Deus; mihi crede, animaduertet.* Hæc vbi Pontifex dixit, ille omni ferocitate deposita, velle se parere respondit. Petita igitur à Sancto viro excedendi venia, nihil moratus, iubet per preconem vniuerso exercitui, vt innoxius ab Italia abeat. Castris itaq; propere motis, se itineri committit, vt obedienter pontificis pareat imperio. Rediens autem, vt primum peruenit in Noricum, diem suum obiuit. De eius morte duas scio ferri opiniones. Fuerunt qui affirmauerint, ipsum ob morum asperitatem, occisum fuisse suorum militum manu. Ab aliis proditum est, quod pleriq; asserendum malunt, ipsum, dum dormiret suffocatum fuisse sanguinis profluuio, qui ore naribusq; eius plurimus emanauit. Profluuii causam aiunt fuisse, vini crapulam: iacuisse ea nocte cum eo perhibent Ildiconam, cæterarum, quæ ei erant, vxorum pulcherrima, in quā mortis eius causam nonnulli retulere. Fuerunt tamen, qui puellam tuerentur, & quidem non iniuria, propterea quod nulla vel illata vulnera, vel dati veneni indicia, in exanimi corpore visa sunt. Sanguinis autem quem quod dixi profluuium,

fluuium, inficiari nemo potuit, tanta fuit rei euidentia. Illud vero nequaquã prçteriisse volui silentio, cum sit & mentione dignum: mirantibus barbaris, quib. ipse solebat vti familiarius, cur adeo celeriter ac modeste obtemperasset visioni Christiani Sacerdotis: *Vidi*, inquit, *supra caput illius, duos viros, visu terribiles, qui nudatos strictosq; gladios manu tenentes, necem mihi, cunctisq; vobis minitabantur, nisi haud cunctanter illius Imperio paruissem. Ex illius præterea ore, nescio, quid terrificum in me effluxit: quo ita expaui, vt nescirem, quo me verterem. Vt itaque mea vestraq; consulerem saluti, parui vt videtis: & perquam facile, & quam celerrime, ab Italia igitur in nostras omnino Pannonias commigrandum nobis est.* Id vbi resciuere Clerici, & alii, qui fuerant comitati Pontificem, quæsierunt ex eo, quid nam sibi vellet, quod Atila se vidisse supra illius caput fateretur. Respondit Pontifex, Beatos Apostolos, Petrum, & Paulum, Dei voluntate ita apparuisse, qui tanti essent, vt sæuissimi Tyranni vim possent prohibere, ne vrbem Romã, quæ in eorum est tutela, inuadat, ac deleat, vt se facturum decreuerat. Qua autem nocte interiit, Martianus Imperator agens in vrbe Constantinopoli, fertur illius arcum fractum per quietem vidisse: somno vero excussus, dixisse domesticis quod viderat, coniecturaq; se ait assequi, vita illum excessisse. Regnauit in Pannoniis annos quatuor & quadraginta: quãquam Ducis nomine annos quinq; præfuerat exercitui Hunnorũ, antequam in Pannoniis Regni diadema recepisset. Fuit corona donatus Hunnorum omnium vno consensu, anno ab ortu Iesu Christi, cccc. primo. Ab aduentu vero ipsius in Pannonias, anno octauo & vicesimo. Vitam perduxit ad annum ætatis centesimum, & vicesimum quartum, qui fuit post perdomitas, ab ipso Pannonias, annus secundus, & septuagesimus. Sub eo occisa fuisse nonnulli putant, vndecim illa millia Virginum, quarum Dux fuit beata Vrsula, Regis Britonum filia. Ab exercitu namq; Hunnorum, qui per id temporis Agrippinã Coloniam obsidebant, interfectæ fuere. Hunnorum Dux erat Romanus quidam, Iulius nomine, qui alienatus ab patriæ charitate, defecit ad Atilam. Alii perhibent, Hunnos à quibus interemptæ sunt illæ virgines, desciuisse ab Atila, ipsosq; sub duce Iulio postea militasse, atq; ita pro Romanis Coloniam, quæ defecerat ad Atilam, circumsedisse. Propterea traditum esse ab eo, qui scripsit beatæ Vrsulę martyrium, Maximinum Romanum Principem, misisse nuncium ad Iulium Hunnorum ducem, vt educto contra illam virginum multitudinem exercitu eas (cum Roma redeuntes venirent Coloniam (ad vnum interficerent. Memorant ipsum Atilam in exercitu suo ex solis Hunnis, ad decies centena millia armatorum habuisse, ex aliis nationibus supra quingenta millia: curruum, & quibus rerum, quę essent vsui necessaria onera comportaretur, & qui essent ad rem gerendam idonei, decem millia. Arma omnis generis, ac variæ tũ formæ, tum magnitudinis tentoria, quæcunq; præterea essent vsui rei bellicæ, regalisq; luxus splendori, & ornamento, atq; voluptati, precii erat prorsus inæstimabilis. Fuerunt qui arbitrati sunt, ipsum in cunctis, quæ pertinent ad rei militaris scientiam, barbararum gentium omnium duces, qui ante se vnquam in orbe fuerunt, & inprimis Hannibalem superasse. Satis iam de Atila, memoranda hic sunt, quæ ipso mortuo, Hunnorum tam numeroso exercitui acciderint: quemadmodum videlicet mutata fortuna, totus pene deletus sit.

A. C. 401.

INDEX VI.

MVLTI ei fuere liberi, quas ex diuersis susceperat vxoribus. Eorum natu maximi, virtuteq; omnium præstantissimi, Chabas, & Adalarius, cum essent de paterni Regni successione discordes, ad arma venerunt. Nec defuerunt ex Hunnis, atq; ex cæterarum gentium maxima illa multitudine, qui vtriusq; fratris partes sequerentur. Multa atrocissima prælia commissa, multi vtrinq; desiderati. Breuiter intra paucissimos dies, tot millia virorum cæsa sunt, vt ex illo tam numeroso exercitu, vix quinquaginta millia, & nongenti fuerint à cladibus superstites. Ad extremum, Chabas ab Adalario victus, cum

Attilæ liberi.

sexaginta suis fratribus, & quindecim Hunnorum millibus, quæ ipsius fauebant partibus, fugiunt è Pannoniis. Rediit ad eam Sarmatiæ Regionem vnde eam gentem fuisse profectam, supra prodidimus. Ibi autem & ipse, & qui ipsum secuti sunt, reliquum vitæ tempus transegere. Sed multi suis conterraneis, cæterisq; Sarmatarum populis, de Pannoniis narrauerunt: magna videlicet cum laude commendantes Regionum amœnitatem, soliq; eius complurium optimarum rerum feracitatem præcipuam: gigni illic argentum, & aurum, & omnia cæterorum metallorum genera: Vineta ibidem & visu pulcherrima, & quæ vina ferant laudatissima. Ea commendatione, permulti ex illis mire pellecti, persæpe decreuere in Pannoniam, relicta Sarmatia, proficisci. Cæterum eo se domi continuere, quod non facile cogi ab illis potuit, vel ea multitudo, vel id robur iuuentutis, quo vi, si rei necessitas exigeret, penetrarent ad terras, quæ nimium procul ab eorum patria abesset. Atq; ita filii illorum filiorumq; filii, atq; illorũ posteri, incẽsa ea animi cupidine semper fuere, vt peterent Pannonias, quas olim tenuisse suos maiores, accepissent. Turpe namq; ducebant, non reminisci nobilissimæ patrię, quã eorũ patres, armis gloriose quæsitam, olim tenuerant, diuq;, Romanis inuitis, possederant. Ingratã esse nationem Sarmatarum, quam Attilæ cepisset obliuio: quippe cum fuerit vir sempiterna memoria dignus, quo nunquã fuit, vel erit bellica virtute maior: qui nationi, qua fuit exortus, immortale nomen, & quæ nunquam obliteraretur, gloriam comparauit. Reuisendam igitur, ac recuperandam, virtuteq; tenendã patriam, quæ tanti viri corpus sepulchrumq; seruaret. Anno itaq; ab Attilæ morte primo, supra centesimũ, qui fuit Annus, à Iesu Christi ortu, quadragesimus quartus, supra septingentesimum: Sarmatarum ingens multitudo pellecta rebus, quæ mihi commemoratæ sunt: nacta quendam rei militaris haud mediocri peritia, Hungar non proprio, sed à patriæ, vbi natus est, nomine appellatum, quod latine significat, strenuũ, natali excedunt solo. Excedũt, inquam, à parte quadam Europeæ Sarmatiæ, quam hodie quoq; Sarmatæ ipsi vocitant Hungariam: cuius Regionis incolæ magna ex parte loquũtur, vt affirmant cõplures, qui inter eam nationem versati sunt, lingua, qua nostri Hungari vtuntur. Id verum esse, eo etiam confirmari potest, quod Ioannes Sarmatarum Imperator, quem vocitant Moschouiæ Ducem: inter cæteros Principatus sui insignes titulos, Hungariæ quoq; se ducem appellat, vt & libr. 7. rei huius habentes mentionem, ostendimus. Nõ autem nostræ huius Hungariæ, Ducem se dicit: sed illius Sarmaticę, vnde profecti sunt Hungari, qui Pannonias tenent. Duce igitur Hungare, quem ea natio ita à patriæ nomine ad æternam rei memoriam vocari voluit, Sarmaticis finibus Hungari egrediuntur. Quacunq; fuit eis transeundum, ferro sibi aperuere viam. Quid multis moror? ad optatæ tandem terræ peruenerunt fines: quam hostiliter ingressi, atq; aduersus incolas bella gerentes, breui eos perdomuere. Ipsam autem Pannoniam, prisco mutato vocabulo, Hungariam non tantum ab eorũ duce, sed ex se etiam cognominauere. Quod nomen in hanc diem, vt est toti orbi notissimum, permanet. Gloriari planè possunt Hungari, se fuisse consecutos, quod Hunni consequi ante nequaquam potuere: vtpote qui nequiuerunt efficere, vt ipsis regnantibus, antiquissimum Pannoniæ nomen, à vulgi memoria aboleretur. Non tamen me fugit, quendam Hungararum rerum scriptorem prodidisse, nihil esse discriminis inter Hunnorum & Hungarorum appellationẽ: sed latino quidem verbo dici Hungaros, peculiari autẽ Nationis lingua, eandem gentem vocitari, tum Magiaros, tum Hunnos. Ego nihil ea in re disputare ausim, ne hominibus Hungaris, gentis suæ rerum scriptoribus, reluctari videar. Cæterum eius, quod hoc loco affirmo, habeo auctorem, quem sequi nõ vereor, Elinium videlicet, probatum Historicum, natione Francum, quẽ aliquot in locis superiorũ librorum, vbi hortata res est, sum ipse secutus. Is anno Iesu Christi, M. CC. LXXII. scripsit opus egregium, licet rudi sermone, quo explicuit originem gentium omnium barbarum, quæ à Magni Cõstantini temporibus,

A. Chr. 744.

A. Christi 1272.

Attilæ liberi.

poribus, ad ſuam vſque tempeſtatem, varias orbis terræ partes tenuere. Prodidit igitur ſcriptor is diligentiſſimus, operis ſui lib. 5. vbi tradidit, quæ pertinent ad originem Tartarorum, & Gothorum Vandalorumq́; , atque Longobardorum, Hunnorum, & Hungarorum: Hunnos, & Hungaros, eandē quidem fuiſſe gentem, vtpote Scythicam, ſeu mauis dicere Sarmaticā: ſed Hunnos fuiſſe cognominatos, à Duce Hunno nomine, Hungaros vero à Sarmatica quadam regione, vnde in Pannonias venerunt, quam ex patriæ ſuæ vocabulo, nominari voluerunt Hungariam. Hoc habui, quod de Hungarorum, & origine & nomine ſcriberem. At vero nequaquam ego eis reluctor, qui ſentiunt aliter de Hungaris, præſertim quos credendum eſt, multo magis ad viuum res eorum pernoſcere, quam vel me, vel quemuis alium, ab eorum patria vel gente alienum. Ei igitur, quæ magis placuerit, quiſque habeat fidem. Sed ad Adalarium, Chabæ fratrem & Atilæ filium, quem videbamur prætermiſiſſe, redeamus. Ex copiis, quæ partes eius fuerant ſecutæ, haud multo poſt Chabæ fugam, tot interiere, ob accepta in prælíis vulnera, vt nō plures viginti millibus hominum morte erepti ſint. Eam ob rem qui ſuperſtites extiterunt, adducti odio patriæ, in qua ab vniuerſo Hunnorum exercitu eſſet tam infœliciter dimicatum: inde excedunt, aliiq; alio, pro vt ſua quemq; tulit voluntas, ire contendunt. Adalarius itaq; cum eſſet natus matre Germana, nobilitate inclyta perrexit in Germaniam, vbi tandem diem obiit. Ita ob fratrum, quam dixi, diſcordiam, cruentumq; bellum, quo Atilæ ille numeroſiſſimus exercitus, qui fuerat generi humano formidini: fuit partim morte deletus, partim verſus in fugam, partimque ad diuerſa orbis terræ loca diſperſus. At vero Angelus Acciaiolus, Florentinus, vir multarum doctrinarum peritia noſtra ætate inſignis, atque alii, qui ante eum ſcripſerunt Caroli Magni vitam, tradiderūt, Hunnos fuiſſe ab illo deletos, vt i nos ſupra de Francorum Regno ſcribentes, operis huius libro quinto & quadrageſimo oſtendimus. Ibi nos docuiſſe meminimus, ipſum Carolū, poſt ſubactas aliquot barbaras gentes, in extremis magnæ Germaniæ locis habitantes, intuliſſe Hunnis bellum, octoque annos aduerſus eam nationem belligerando conſumpſiſſe, illoſque tandem non modo ſuperaſſe, verumetiam ita omnino deleuiſſe, vt priſtinæ eorum potentiæ, nullum remanſerit veſtigium: nec vnquam alias Carolum cæpiſſe arma, quibus plures hoſtium cecidiſſent. Nunquam præterea vel tot, vel tam precioſa ſpolia aliunde, quam victis Hunnis, in Gallias redeuntes, Francos tranſportaſſe. Eamque eodem libro, dixi fuiſſe cauſam, vt Hūnorum deleta potentia, totius quoq; gentis nomen deleretur. Et idcirco Scythæ in Pannonias, poſt annos trecentos reuerſi, nullam habentem nominis Hunnorum mentionem, ab eorum duce, ac patria, Hungaros ſe, & recuperatam Pannoniam cognominauere. Iā enim Hunnorum nomen etiam apud Scythicas gentes, fuerat multo ante Hungarorum in Pannonias aduentum, extinctum: id omnino habet veritas. Sed ad intermiſſam redeamus Hiſtoriam. Non propterea tamen adeo abſumpta, deſertaque Pannonia fuit, vt inculta prorſus relinqueretur. Fuerunt enim ex illarum copiarum reliquiis, quos tæduit exercitii militiæ diuturnioris, qui neque Scythiam, cum Chaba, neque Germaniam, cum adalario petiuere. Perſtiterunt igitur in Patria, quam non ignorabant abundare copia, complurium optimarum rerum, quæ ſunt vſui humanæ vitæ neceſſariæ: cum indigenis fœminis coniunxere connubia, ex quibus ſuſcepti liberi, mire breui coaluere. Dederunt operam, vt agri diligenti cura colerentur: cum finitimis fuerunt eis benigna commertia, iuncta præterea, quæ inter vicinos eſſe ſolet, amicitia. Acceſſit quod progreſſu poſtea temporū, multi ex vtraque Miſia, & ex Dacia, atque magna Germania, exque propinquis aliis aliquot populis, ſoli feracitate adducti: ad eandem regionem, habitandi illic animo, paulatim conuenerunt, delegerunt ſibi, prout fuit cuique placitum, loca habitatu idonea. Cæterum cum nemo dominatū apud ipſos teneret, perdite, ſine legibus, proq; ſuo quiſque arbitrio, vitā tranſegerunt. Cumq; mire vbiq; per omnem longe lateque

Regionem, populi multiplicarentur, nec sine moderatore possent honeste, iusteque viuere: omnium consensu, præficiunt sibi virum quendam, natione Sarmatam, Suatepolugum nomine, qui apud eos habebatur singulari præditus prudentia, eratq; genere clarissimus. Maroto patri eius fuit nomen, qui & ipse in primis prudens, & consilio, belligerandiq; peritia magnus adeo erat, vt suorum temporum mortales omnes superaret. Eo ita Principatum tenente, Hungarorũ exercitus, de quo mentio facta est, Pannonias ingressus est. Quibus cum incolæ, duce Suatepolugo, armis occurrissent: commissa atrocissima pugna, haud procul à ponte Bomo, id enim est loco nomen, Hungari victoriam adepti sunt. Atq; ita Pannoniis, Sarmatarum seu Scytharum natio, denuo rerum potita est. Ostensis iam causis, quibus est effectum, vt Hunnorum exercitus deletus pene totus esset: ex quarũ narratione, eo vsq; nostram produximus orationem, vt doceremus, alterum in Pannonias Scytharũ, qui Hungari appellati sunt, aduentum: reliquum est, vt demonstremus, quo ordine, ac per quos, post occupatam eam Regionem, eorum Rempublicam Hungari, vsq; ad sancti Stephani Regnum, administrauere.

INDEX VII.

PAVCIS post annis, eorum duce mortuo: cum exercitus tantus esset, vt vnius viri Imperio facile regi non posset: septem sibi viros, ex omni multitudine constituunt, quos vocauere Capitaneos, nos autem latina appellatione, copiarum Duces diceremus: diuisisq; in septem partes copiis, singulis earum, suos Capitaneos præficiunt. Erat inter eos vir, & insigni corpore, & claritudine generis, ac virtute omnium eminentissimus, Arpadus nomine, filius Alomi, viri, apud eam gentem, summa auctoritate, præstantissimi, qui ex Atilę genere ortus fuisse dicebatur. Constans autem fama tunc apud Hungaros erat, fuisse huic viro à matre auspicatum inditum nomen. Ante enim, quã partu ipsum edidisset, vidisse illam per quietem affirmabant, Asturem auem ad illam volasse: seq; insinuasse in illius vterum, ex quo fuisse mox ortum torrentem nimio splendore coruscum, illudq; magna cum luce fluxisse, ad remotissimam quandam orbis terræ partẽ, ibiq; perstitisse quidẽ, sed emisisse ex se vndiq; radios, quib. loca omnia circũiecta, lucem accipere videbantur. Quia vero Hunnorũ lingua, somnus vocabatur Alom: natum ex se filium, illam nominasse Alomum. Eius filius fuit, vt diximus, Arpadus, à quo postea Hungarorũ Regum præclara progenies ordine, quẽ hinc explicabimus, deriuauit. Redeamus ad VII. duces, seu, vt illorũ vtamur vocabulo, capitaneos. Vniuscuiusq; eorũ exercitũ tradunt continuisse, armatorũ triginta millia, & quinquaginta, supra septingentos. Cumq; vnicuiq; exercitui, suus fuisset designatus castrametandi locus, ac propterea VII. locari castra ipsos oportuerit, vsurpauit vulgus, vt locus, vbi septem illa castra posita sunt, Germanorum lingua Sibenburg, id est septem castra, appellaretur, idq; loco nomen in hanc diem permansit. Paulatim postea vel interfectis, vel pulsis, vt nõnulli tradũt, vel, quod est credibilius, in potestatẽ redactis habitatoribus, qui magna ex parte eiusdẽ erant cũ auctorib. generis, vt credendũ est. Arpadius, ante cæteros Duces, peruenit ad montem, qui Noe tunc appellabatur: in qua Hungarię parte, suarũ copiarũ, suæq; habitationis sibi locũ elegit. Ibi interiectis postea tẽporibus, beatus Stephanus Hungarorum, primus huius nominis Rex, qui ex genere defluxit Arpadi, Albam vrbẽ condidit. Cæteri capitanei, prout cuiq; satius est visum, sua & ipsi habitandi loca delegerunt. Ex illorum aũt genere, nobilissima quæq; Hungarorum procerũ familia orta est. Vbi deinde rem eorũ Hungari haud mediocriter & auxerũt, & firmauerunt: selecto è singulis exercitibus, militũ flore, domo egressi, armis propinquas regiones inuadũt, diripiũtq; atq; peruastãt: Ita parta omnis generis præda, domũ regrediuntur. Id aũt ab illis eo factũ est, vt Hũgarorum nomen, quemadmodum & Hunnorũ olim fuerat, terrori esset cunctis Europæ nationibus. Aliquot post annis, cum eis Christiana religio maxime esset inuisa: aduersus Italos, a quibus Christus vbiq; tum colebatur, expeditionem

Toxus Geicha.

nem suscipiunt. Parato igitur exercitu, per forum Iulii, Venetias proficiscuntur: In ea Regione, ferro, atq; igni, omnia absumunt, vrbem Patauium, subiectis multis in locis incendiis, totam comburunt. Excurrunt deinde in Lombardiam, eo namque nomine supra docuimus, seculo nostro vocari Galliam Cisalpinam: eam autem Regionem multipliciter vexant, affliguntque. Diruunt enim complurium nobilissimarũ Vrbiũ ædificia, templa prçsertim Dei, & sanctorũ. Nulli sexui, nulli ætati, ac dignitati hominum parcunt. Obtruncant Vercellensis Ecclesiæ Antistitẽ: illius, ac cæterarũ ecclesiarum thesauros diripiunt. Ita crudelissima clade vbiq; edita, cum inæstimabili præda, eo, vnde venerant, rediere. Deinde interiectis annis, traductis extra Hungariam copiis, aduersus Saxones, à quib. nunquã fuerant antea vel læui lacessiti iniuria, arma suscipiunt. Quibus victis, in Thuringos se conuertunt, mox in Sueuos, postea in Francos, & Burgundiones, inque alios multos, & Galliarum, & Germaniæ populos. Tantus tunc Hungaros fauor fortunæ aspexit, vt nullum vnquã cum hostibus cõmiserint prælium, de quo non fuerint gloriosam adepti victoriam. Ita fiebat, vt omnes Europæ nationes, audito Hungarorũ nomine, exitium sibi metuerent. Gentibus aũt, quas commemoraui, non sine miserabilibus cædib. superatis: patriam, preciosissimis onusti spoliis, petiere. Vicesimo dehinc anno, duce Opourdo, id enim erat viro nomẽ, ingressi vtramq; Misiam, omnia longe, lateq; populantur. Ingrediuntur & Thraciam, perq; eas, excursiones, & varias & infestissimas facientes, perueniunt ad vrbem Cõstantinopolim, quã aliquot diebus circumsederunt. Sed animaduertentes frustra se niti, vasta nãque & populosissima ciuitas, neq; breui, neq; facile expugnari posse videbatur inde, vastato agro, discedunt quidem, sed vniuersæ Græciæ inçstimabili illato detrimento. Hæc & alia permulta, dictuq; audituq; terribilia, atq; admiratione dignissima, feliciter gessere Hungari, non modo sub septem illis copiarum, de quibus est facta mentio, sed sub aliis quoq; ducibus, qui illis successere, quorum imperiis paruerunt, ex quo tempore sibi subegere Pannonias, vsq; ad Toxum, virũ profecto, singulari virtute præstantem, ex Arpadii ductum genere. Eo namq; duce, administrata est res eorũ publica, magna fide, ac summa prudentia, ad tempestatem vsq; Geichæ, patris Stephani Regis, de quo habenda hîc est mihi mentio. Cæterum prius est demonstrandum, qui qualesq. ipsum parentes genuere.

INDEX VIII.

TAXO, cuius modo memini, filius fuit Geicha, dux & ipse Hungarorum. Fuit is vir Deo inprimis acceptus, cœlo, & immortalitate dignissimus. Primus namq; Hungarorum omnium, credidit in Christum, eiusq; obediuit Euangelio. Quod Dei beneficiũ quemadmodũ illi contigerit, ita constat ex eis, quæ scriptores vitç beati Stephani, Hungarorũ olim Regis, tradiderunt. Cum primũ Geicha cæpit res Hungaricas administrare, multa egit seuere, atq; crudeliter, cũ aduersus populares suos, tum præcipue aduersus finitimos, & alios multos homines, qui negociandi gratia, in Hungariæ ciuitatibus cõmorabantur: cum Christianis autem egit mitius. Cum enim pro quadam ingenii sui solertia, quæsiuisset ex multis peregrinis, quæ nam, qualisq; esset religio Christianorum, accepissetq; tandem multa de ipsa, quæ ab eo iudicata sunt probatu veneratuq; digna: non modo non sæuiendum in illos censuit, vt sæuitum ab eius maioribus fuerat: sed transmissis etiam literis, dataq; fide publica, illos, vndecunq; potuit, ad se accersiuit: quibus perhumaniter susceptis, multisque vltro, citroq; de Christi cultu dictis, ad extremũ fecit eis potestatem, vt Christum libere colerent, vtq; illis liceret, vbicunq; vellent, Christianas erigere Ecclesias. Inter hæc quadam nocte, visa est illi per quietem, mulier pulcherrima, miro circumsepta lumine, quam multæ speciosæ virgines comitabantur. Ea his ipsum verbis alloquuta est: *Bono esto animo Geicha, ego sum Maria illa intacta virgo, quam Christiani homines tibi dixerunt esse Iesu Christi, filii Dei matrem. Nosse te volo, filio meo tuum erga eius cultores animum, gratum acceptumq; fuisse: ob honorem*

igitur, quem illis impendisti, præmia ipse tibi reddet cumulatissima. Maiores, quorum genere tu exortus es, in tenebris, id est, mentis oculis capti, versati sunt, quippe qui nulla habita veri Dei cognitione, à via deuiauere veritatis. Pro temporali igitur honore, singulari Dei dono inspiraberis cœlesti lumine, quo effugata omni mentis caligine, Deum, qui te creauit, agnosces. Et, quod nunc te latet, scias, te suscepturum ex vxore filium, qui Regis appellatione dominabitur Hungaris: eritq; veri Dei præcipuus cultor. Ob ingenii vero excellentiam, atq; sui regni administrandi scientiam, atq; ob miram vitæ sanctitatem, suum sæculum Christianamq; Religionem, ac suam patriam, & Hungariæ nationis nomen, haud mediocri apud Deum, & homines laude exornabit. Ego autem ob ipsius excellentia apud meum filium merita, tibi polliceor, fore me regni tui fautricem, patronamque præcipuam. Cæterum hoc tibi est cura intentissima agendũ: Est in Bohemia vir, morũ integritate, Christianaq; doctrina, & Ecclesiastica dignitate insignis, Adelbertus nomine. Huic Deus inspirauit mentem, & animum, vt veniat in Hungariam, tibi, tuæq; genti viam consequendæ veræ salutis ostensurus, hunc tu humane, benigneq; suscipito. Quæcunq; autem docuerit, & audito attente, & agito diligenter. Hæc vbi dicta sunt, imago illa veneranda discessit: somnoq; Geicha solutus, incredibili gaudio, lætitiaq; afficitur. Nec minus lætanter animo sibi proponit, ea se velle exequi obnixissime, quæ ei per quietem, Beata virgo suaserat. Eadem præterea nocte, illius vxori quiescenti, visus est iuuenis, magna luce resplẽdens, amictus veste, qua solent ornari Diacones, quum diebus festis, apud Christianos rei diuinæ, hoc est Missarum mysteria celebrantur, quam alloquutus, *Ego*, inquit, *sum Stephanus, qui ob veritatis testimonium, mortalium omnium primus, mortem corporis pro Iesu Christo, beatæ Mariæ virginis filio, passus sum, quamobrem ab hominibus Christianis protomartyr appellor: Illius imperio tibi, vt per quietem nunc vides, apparui, qui hoc tibi nunciarem. Non multis post hanc horam diebus, Euangelium tibi per Adelbertum, Pragensis Ecclesiæ Antistitem, prædicabitur. Itaq; veri Dei fide, ac religione accepta, tu virq; tuus, ac multi è popularibus vestris, sacrum baptisma suscipient. Ita mente illuminati, Deoq; gratiosi redditi, digni eritis Deo, atq; mortalibus acceptissima sobole. Paries enim filium, quem ex sacro fonte baptismi, ex meo nomine, vocabis Stephanum. Is in hoc erit mihi similis, quod, sicut ego omnium discipulorum Christi fui primus Martirii corona decoratus in cœlis: ita ipse primus erit Hungarorum Principum, qui in terris, & titulo, & diademate Regio decorabitur. Erit autem Deo, hominibusq; dilectus, & ob laude dignam Regni administrationem, atq; ob sanctæ vitæ merita, immortalem sibi memoriam comparabit.* Hæc vbi dicta mulier audiuit, expergefacta, secum volutare mente cœpit, quid sibi vellet eiusmodi somnium, veri ne videlicet aliquid afferret, an aliquid inane, cui nihil esset fidei habẽdum. Cęterũ quum primum illuxit, viro ordine refert, quæ somnians & viderat & audiuerat: nec minus vir coniugi narrauit, quod somniauerat. Læti igitur illi, & prę rei promissæ tum nouitate, tum magnitudine stupefacti: rem eorum qualiscunque esset euentura, diuino commisere consilio. Eis deinde expectantibus, miroq; sperantibus desiderio, vt diuina in ipsis adimpleretur prouidentia: venit in Hungariam, Dei seruus Adelbertus, de quo paulo ante mentionẽ habuimus. Exceptus est ab Geicha perbenigne, & omni, quo decuit, honore, atq; reuerentia. Postea vero, quam inter se communicauerunt, quę rei, cuius causa, diuina iussione, venerat sanctus Antistes, visa sunt vtilia: Geicha eiusq; vxor nihil morati, ad suscipiendæ Christianæ pietatis fidei sacramenta, vehementer inflammantur. Quid multis opus est verbis? constitutus est dies, quo & ipsi, & multi viri nobiles, multiq; alii, tum mediocris, tum humilis generis homines, sacro baptismate in Christo renati sunt. Voto se tunc fecit obnoxium, iureque iurando promisit Geicha, quamprimum daturum se operam, vt omnes ditioni suæ parentes populi, exemplo suo, Christi cultores efficerentur. Omni itaq; via, modo, arte, diligẽtia curat, vt voti fieret compos. Multi ipsum secuti sunt, sed penè innumeri imitari sanctum eius propositum recusauerunt: idolorum enim cultui inseruire malebant. Cum igitur illi, nulla tanti Principis habita ratione, non desinerẽt versari in errore illo tenebrarum: animaduertit pruden-

tissimus

tiſſimus princeps,armis opus eſſe,quorum vi,illorum domaretur & ferocitas, & perdita audacia. Sed cum non eſſent ei tantæ vires,quibus fieret à ſe facile, quod rei exigebat neceſſitas: clam dat literas, ad pleroſq; principes Chriſtianos, per quas aperit laudabile ſuum ſanctumq; conſilium, ac propterea petit,vt in tanta rerum mole,ſua quiſq; idonea mittat auxilia. Mittuntur igitur vndiq; in Hungariam Chriſtianorum principum copiæ. Ex ipſis quoq; Principibus nonnulli confluunt,non ſolum vt ferant viro Chriſtianiſsimo opem: verum etiam vt videant,ſubmitti iugo Chriſti colla ferocis, efferatæq; nationis. Illius namque nomen toti Europę tunc erat inuiſum, ac formidoloſum. Chriſtianis præcipue populis, in quos ſuperioribus temporibus, crudeliſsime ſæuierat. Illud vero noſſe volumus cunctos, qui ſcripta noſtra hæc legerint: multos è Pannonibus illis veteribus, qui fuerunt antiquis temporibus Chriſtianis, non prorſus à Chriſti cultu abhorruiſſe. Ideo potiſſimum poſſumus perfacile coniicere, quod de beato Martino Eccleſiaſticis ſcriptoribus traditur, à Gallo præſertim, & Seuero, qui profecerunt ſub illius diſciplina, & de ſancta vita,miriſq; illius operibus prolixum,egregiumq; volumen condidere. Tradunt hi, natum illum fuiſſe Sabariæ, quod eſt Pannoniorum oppidum extatque adhuc, & vetuſtum eius nomen perſeuerat in hanc diem. Illumque affirmant, cum annum ageret ætatis decimum, ad Eccleſiam, inuitis parentibus, confugiſſe, vt fieret catechumenos. Ea igitur coniectura poſſumus quam facillime aſſequi: fuiſſe iam tunc conſtitutas per Pannoniæ ciuitates, à ſanctis maioribus noſtris, Eccleſias, in quibus Chriſtiani ſacerdotes Sacramenta ſalutis, cunctis, qui ea petiuiſſent conferebant, adulti namque tunc homines, non paruuli baptizabantur. Inuaſis tamen Pannoniis, prius ab Hunnis, poſtea ab Hungaris, quibus erat inuiſa Chriſtiana Religio: deſierunt eſſe in ciuitatibus Eccleſiæ, propterea, quod illæ gentes impiæ, partim trucidatis, partim ad fugam compulſis, partimque à veri Dei cultu, ob metum aduerſis hominibus noſtris: quicquid fuerat in Pannoniis Chriſtianæ pietatis, deleuerunt. Remanſit autem eiuſce nationis impietas vſque ad Geicham, de quo hoc loco nobis eſt mentio. Multi tunc nobilitate generis inclyti viri, è diuerſis orbis locis, Hungariam petiuere. Eorum autem aliquot pellecti amœnitate Regionis,poſteaquam peracta res,cuius cauſa fuerant accerſiti, eo redire, vnde venerant, noluerunt. Namque affinitate indigenis coniuncti, quod reliquum vitæ cuique fuit, egerunt in Hungaria.

Sed redeo ad id, vnde exceſſeram. Intra paucos annos tot milia externorum militum conuenerunt,vt Hungaris,à Chriſti cultu abhorrentibus,eſſent illi armis, ac numero longe ſuperiores. Dum vero ea auxilia comparantur, Geicha ſuſcipit filium ex Sarolta, Giulai viri nobiliſſimi filia,anno ab ortu Domini noſtri, generis humani ſaluatoris, ſexageſimo nono, ſupra nongenteſimum. Hic eſt beatus ille Stephanus, de quo mentionem hoc loco facturum, paulo ante pollicitus ſum: qui poſtea ad Regiæ dignitatis culmen euectus, omne vitæ ſuæ tempus bene ſancteq; peregit,vt infra ſuo loco memorabo. Hũc vir quidam,qui ex Campania cum ſuis venerat auxiliis, Adeotatus nomine, ortus,ex genere clariſſimorum Comitum Sanſeuerini, & Adalbertus, de quo ſupra facta eſt mentio,de ſacro baptiſmi fonte,leuauerunt. Ipſe autem Adeotatus, aliquot poſt annis condidit cœnobium, quod ab eius nomine, Tatta cognominatum eſt. At vero Adalbertus,functus in Hungaria ſuæ legationis officio,Deo quoq; inſpirante. in Pruſſiam proficiſcitur. Eſt ea regio in Europea Sarmatia,cuius tunc incolæ,idolorum erant cultui dediti.Cumq; vir Dei, magnam Prutenorum partem, ad Chriſti fidem conuertiſſet: ad extremũ repugnantibus eius doctrinę aliis,eiuſdẽ patrię populis,interfectus eſt.Eius corpus aliquot ex eis qui per ipſum Euangelio crediderant, religioſe ſepelierunt, quod fertur multis claruiſſe miraculis. Coactas,quas dixi copias,Geicha diuiſit ac per vniuerſam Hũgariã,idoneis in locis diſpoſuit.Itaq; vbi animaduertit

A. Ch. 969.

Stephanus Rex.

aduenisse iam opportunum tempus, quo exequeretur, quod animo conceperat: per preconem suum patefacit animum, commonefacitque Hungaros vniuersos, eisq; imperat, vt ab errore, in quo versabantur, resipiscentes, suscipiant veri Dei Religionem: quam diuina afflatus inspiratione ipse susceperat. Nolle se pati vlterius, vt sui populares vagentur per tenebras, seq; ipsos perdāt, diabolo seruientes, cum quo essent æternis suppliciis cruciandi: qui ea salutifera monita visionesq; despexerint, ii nihil expectent aliud, quam vt ad vnum trucidentur, se iam ad id habere arma. Et si quis ante nesciuerit, sciat nunc ea de causa, tanta ad se à Christianis principibus missa auxilia ita breui effectum est, vt pars metu, pars salubri adducti consilio, in Christum vniuersa Hungaria credens, Christianæ fidei Sacramenta susceperit. Erecta igitur vbiq; Dei, & beatæ Mariæ virginis, & cæterorum sanctorum templa: constituti præcipuarum Ecclesiarum Antistites, & presbyteri, cæterorumq; ordinum Sacerdotes, qui Dei laudibus inseruirent: Christianæ leges ac ritus, sacræq; cæremoniæ inductæ, sanctorum patrum decreta seruari cœpta: Constituta præterea ea, quæ sunt vsui humanæ vitæ necessaria: ex quibus clerici honorifice in suis Ecclesiis viuerent. Inter hæc Stephanus intentissima parentis sui cura, sub educatore sibi adhibito, qui ad id esset idoneus, primam ætatem innocenter agebat. Erat adeo egregiæ indolis, vt specimen quoddam cunctarum virtutum, præ se ferre videretur. Vbi autem adoleuit, ita cœpit exercere vitam virtutum operibus, vt neminem fefellisset ea, quæ de ipso fuerat, futuræ probitatis expectatio. Tanta eius humanitas, vt omnium hominum generi charus esset, & incredibiliter amœnus atq; iucundus. Mira morum, qua pollebat, elegantia perquam facile effecit, vt omnium animos, in sui conuerteret admirationem. Tanta inerat ei vis, ac dexteritas ingenii, tantusq;, ac talis incipientis cuiusdam prudentiæ vigor: vt prudentissimus quisque, natum ipsum ad Regnum arbitraretur, Christianæ pietatis supra, quam dici potest, cultor admirabilis. Cuius rei satis superq; fuerit hoc nunc, & quidem memoratu dignum, exemplum afferre. Adolescentulus cum accepisset, permultos Hungarorum Christum simulate colere, propterea quod sacri baptismatis vndam metu adducti, susceperant: sua ipse diligentia id egit vt plerique illorum in Christum ipsum, omni sublata fictione, crediderint. Quippe sumptis Christianis armis, fide videlicet, ac spe, & ea, quam docuit Euangelium, charitate: nunc hos nunc illos ad se accersiuit. Aperuit eis sensum diuinarum scripturarum, & iuxta beati Apostoli Pauli doctrinam, arguendo obsecrādo, increpando, tandem consecutus est, vt in omni Hungaria perpauci remanserint, qui veri Christi cultores effecti non essent. Itaq; non minus fuit ipse, quàm suus parens adeptus: cum quod ille armis, hic amore & diuinitus ei data sapientia, fecerit. Mortuo postea eius patre, piè, ac religiose, & ea in Deum fide, qua decuit mori Christianissimum principem: ipse in illius opes successit, ducisque nomine, vt & ille, aliiq; ante illū, rem Hungaricam administrauit. Per id temporis, occurrit ei necessitas gerendi belli, aduersus Cupam, Simigiensiū Ducem: cuius tunc magnæ erant & opes, & potentia formidabilis. Suscipiendi autem belli causa iustissima fuit. Tentauit omni cura, matrimonio sibi iungere Saroltā, ipsius matrem, quanquam erat illi consanguinitate propinqua. Id vero tentauit eo animo, vt prætextu execrabilis coniunctionis tenderet insidias, quibus Stephanum adhuc adolescentem interficeret. Quod vbi esset factum, nihil sibi restare arbitrabatur, nisi vt ipse mox Hungaria potiretur. Id vbi resciuit Stephanus, forti animo parata expeditione, cōtra illum profectus, prælio illum vicit. Adeptam autem victoriam tribuit ipse beati Martini meritis, quem dicebat suum apud Deū Patronū esse præcipuum: ideoq; sperare se illius precibus, multa à Deo, quę peteret, facile impetraturū. Haud multo interiecto dein tempore, cum Hungariæ optimatib. placuisset, vt, qui titulo ducis tot pręesset populis, totq; viris generis claritudine, auctoritateq; magna insignibus, vteretur magis honorata appellatione, regiam elegerunt dignitatē.

Cæterum.

Stephanus Rex.

Cæterum ad eam euehendum neminem, nisi Stephanum, quippe cum iure successor fuisset paternarum opum, atque ita duxisset anteactam vitam, vt solus natus ad regnum fuerit, prudentum omnium sententia iudicatus. Omniū igitur miro cōsensu, & applausu eligitur, appellaturq; ipse Rex ac regia corona, Regū more, donatur. Quam diu tenuit regnū, præterquam quod sapienter, & Christiane, hoc est, pie sancteq; vitam instituit: nihil quoq; prætermisit, quod optimi Regis officio cōgrueret. Suscepit gessitq; bellū aduersus Giulā, auunculū suū, nō eo solum, quod infestabat fines Hungariæ: sed ꝙ etiā abhorrebat à Christi cultu. Et licet illū persæpe monuisset, rogassetq;, vt patienter accommodaret aurē documentis salutis, quibus perfacile posset agnoscere veritatē: ille tamē & deridebat Regem, & pia eius monita despiciebat. Erat ille dux Regionis, quam vocitant Transsyluaniam, propterea quod eos qui illam adeunt ex Hungaria, per syluosa loca, perq; arduos mōtes, facere iter oportet. Cumq; Regio ipsa abundet laudatarū rerū maxima copia, argenti præsertim, & auri: fiebat, vt Guilæ opes non essent minimi faciendæ, ac propterea esset adeò potens, vt nouellū Hungarorum Regem, auderet facile, & superbè contemnere. At verò Stephanus primū Christi, deinde temporalibus armis fretus: loca illa aditu difficilia, magno animo penetrat, ac tandē collatis signis, commisso prælio, illum superat, capitq;: & cum vxore, duobusq; filijs, mittit in Hungariam, vt carcere adseruaretur. Ipsam verò Transsyluaniā non modo coegit, vt suo pareret imperio: verum etiam subigi ex eo tempore voluit illis, qui in Regnum Hungariȩ deinceps succederent. Aliud deinde bellum ei fuit contra Ceanum Bulgarorum, & Sclauonum potentissimum ducem, qui ausus hostiliter ingredi Hungariæ fines multorum oppidorum agros populatus est. Prælio illū vicit, & interfecit ne perditæ audaciæ homo, aliquid simile, si vixisset, postea moliretur. Ex thesauris autē, qui illi fuerant preciosissimi, maximā partē dono dedit Ecclesiis, quas ipse in diuersis Regni sui locis, magnifice condiderat, splendideque exornauerat. Inter cæteras vero Ecclesias, Albensem longe pluribus, & magis eximiis, potioribusq; dotauit muneribus: propterea, quod ante eiusce victoriam, in illius consecrari fecerat honorem, quam constat esse sanctorum omnium beatissimam. Multa præterea ex spoliis illis distribuit Christi pauperibus. Egenorum namque & pupillorum, viduarumque & virginum fuit, dum vixit, consolator, patronus, adiutor, præsidium, refugium, leuamen singulare. Eiusmodi hominum generis causa, deferre ipse solebat sacculos nummorum plenos, vt illos haberet in promptu, quotiens ei aliquo procedenti, occurreret quispiam, cui eleemosyna erogaretur. Apud Budam veterem, quod oppidum olim nobile fertur Bleda Atilæ frater, vt ante dictum est, condidisse, struere cœpit amplissimam Basilicam, & ei coniunctum cœnobium, in honorem principum Apostolorum, beatorum Petri, & Pauli. Quod opus, morte præoccupatus, non absoluit: perfectum tamen postea fuit à beato Ladislao Rege & ipso Hungarorum, qui ex sancti huius genere ortus est, vt infra suo loco memorabitur. Vxor ei fuit Ceissa vel Cheila natione Germana, filia Geltrudæ, matronæ suo seculo multis virtutum generibus insignis. Ex qua plures suscepit filios, quos omnes virtutum meritis, Emericus absque vlla controuersia, vicit. Fuit enim excellens, ea vitæ integritate, ac sanctitate, vt in omni virtutum genere esset parenti simillimus. Eam ob rem, beatus Stephanus ea ipsum charitate complectebatur, vt nihil supra facile dici posset. Decreuerat religiosissimus Rex abdicare se Regno, seq; separare ab hominū frequentia, quo diuinarum rerum meditationi posset inseruire liberius, Regni vero curas Emerico demandare instituerat: cæterū dum talia secū mēte volutat, diuino cōsilio aliter decernitur. Repente nāq; Emericus in aduersam incidit valetudinē, eaq; paucis post dieb. correptus, moritur, pie plane, vt credere par est, de viro, qui vitā transegerat sanctissime. Eius obitū adeo moleste Rex tulit, vt morbū & ipse contraxerit quā grauissimū: ex quo perdiu Bienniō sine vitȩ maximo periculo, laborauit. Doloris causa erat, ꝙ animaduer-

Petrus Rex.

tebat, è suis inueniri posse neminem, cui amplissimi regni sui administratio demandaretur. Maxime autem eo angebatur, quod non occurrebat ei via, qua nancisceretur hominem quempiam, à quo Christianus cultus, nuper susceptus ab Hungaris, pertinaci opera conseruaretur. Sed placuit immortali Deo, vt regem ipsum sineret tantisper viuere, ac Regnum tenere, dum nouelli Christiani fide, quam acceperant, satis confirmarentur: quamdiu tamē fuit in vita, multiplicibus morbis vexatus est. Tandem omnibus ægritudinū molestiis, atq; doloribus magno animo miraq; patientia superatis, anno humanæ salutis tricesimo octauo, supra millesimum, piissime mortuus est, XVIII. Calendas Septembris: quo die celebratur ab Ecclesia Christiana, solennitas assumptionis beatæ Mariæ virginis. Sepultus est in Albensi illa Basilica, quam ipse, vt ante dictum est, in eiusdem beatæ virginis honorem erexerat, vbi & beatum Emericum, eius filiū sepeliri fecerat, structo illi regii operis sepulchro, in quo requiescit. Claruit post mortem innumeris miraculis, quæ commemorare non est mei instituti, qui epitomen, non prolixam scribo rerum Hungararum historiam. Ob ipsius obitum omnis Hungaria multis annis incredibili fuit affecta mœstitia. Qui enim sub tanto Rege aurea sæcula rediisse in Hungariam, antequam extingueretur, gloriabantur: in multa postea rerum discrimina inciderunt, quod perfacile intelligere quisq; poterit, ex iis, quæ infra ostendentur. Regnauit annos septem & quadraginta, seu, vt malunt alii, sex & triginta: vixit annos tres, & sexaginta. Agens ætatis annum tertium & tricesimum, vrbem Romam petiuit, vt beatorum Apostolorum Petri & Pauli aliorumque martyrum Christi, sacras reliquias viseret, vtque maximo Pontifici exhiberet reuerentiam, & obedientiam, qua iure illi erat obnoxius. Hactenus de beati Stephani Regis parētibus, ortuq; & baptismo, ac regno, gestisq; ab ipso rebus, deq; vitæ sanctitate, & obitu scripserim. De illis, qui ei in regnum successere, hinc dicendum est.

A. Ch. 1038.

INDEX IX.

TENVIT post eum Regnum Petrus, suus ex sorore, nepos. Huic pater fuit Vilhelmus natione Germanus, frater Sigismundi Burgundorum Ducis: is maxime inuisus Hungarorum populis fuit. Nam cum esset Germanus, seu mauis dicere Teutonicus, non nisi per suæ nationis homines, Regni Magistratus geri voluit. Minitabatur præterea, modo viueret diutius, hoc se obnixe curaturum, vt nullus posthac Hungarorum, sed soli Teutones, ad dignitates, & honores eueherentur. Id permoleste ferentes Hungari, tertio ex quo Regium diadema susceperat anno, vi facta, regno ipsum pepulere: ipse autem in Germaniam ad Henricum Romanorum Imperatorem, confugit. Ecclesiarum vero Antistites, cæteriq; Regni primores, quibus hoc erat curæ abdicato Petro, Regem sibi constituunt Albam, fratrem Cheilæ, quam supra ostendi, beati Stephani vxorem fuisse. Sed hunc quoque Hungari *ingenti odio persecuti sunt, propterea,* quod *despecta nobilitate, erat ei cum humili sordidoq; loco natis hominibus consuetudo.* Admonitus vero, cum non minus inter illos assidue versaretur: indignata nobilitas curat, vt auxiliis Imperatoris, pulso, occisoque Alba, Petro Regnum restitueretur, Id vbi est factum, cum Petrus non solum ad pristinam rediisset insolentiam, sed multo etiam execrabiliora in Deum, hominesque committeret: denuo ei rebellatum est, adeoq; sæuit in ipsum Hungarorum indignatio, vt ad extremum ipsum interfecerint. Cæterum non prius aliquid attingam de successore, quam repetam pauca quædā, scitu ad res, quas sum hinc scripturus, pernecessaria. Vir quidam Hungarica nobilitate preclarus, Andreas nomine, vna cum duobus suis fratribus, Bela, & Leuentio, cū orti essent ex Beati Stephani genere, nec æquo animo perpeti possent Petri Regis Tyrannidem, Hungaria excessere. Modoq; hæc modo illa loca peragrantes, præstolabātur temporis opportunitatem, ac viam, quibus à maligni hominis potestate, patriam eriperent. Cum igitur esset in Regione, quam vocant Comaniā, nec Petrus à sæuitia, superbiaq; illa Germanica desisteret, quotidieque

cumularet

cumularet mala malis: Hungariæ optimates, missis fidelibus nunciis, indicant eis, aduenisse iam rei gerendæ, liberandæq; patriæ tempus maxime opportunum, veniant quam celerrime: non esse expectandum diutius, paratos iam esse, qui cum ipsi affuerint, capiant aduersus truculentum Tyrannum arma. Veniunt illi, quanta maxima celeritate fieri potuit. Cumq; propinqui essent oppido, cuius conditor fuerat Alba, Castrum nouum nomine, ingens multitudo Duce Vata, id namq; nomen illi erat, offert eis, laturum se contra Regem opem, modo permitterent, vt abiecto Christi cultu, ad Idola colenda, quemadmodum fecerant iam pridem, eorum maiores reuerterentur. Erat Vata peritus artium Magicarum, & idcirco diaboli seruitute tenebatur. Eo itaq; adhortante, dicebat multitudo, Christianæ religionis intolerabile iugum, se vlterius ferre neq; posse, neq; velle: si possent: velle se vitam agere liberius, durissimum eis esse clericis quotannis rerum decimas soluere. Ideoq; se velle grassari in persecutione Christianorum, cum nomen atq; religio Christi fuerit patribus, ex quib. orti sunt, semper inuisa. Andreas quanquã erat Christianus, sibi tamen timens, ne ingens illa impiorum hominum manus, in ipsum faceret impetum, simul adductus terreni Regni cupidine, facile permisit, quod illi petiere, ea tamen adiecta lege, vt aduersus Regem, rem fideliter ac strenue gererent. Quod illi se obnixe facturos, iureiurando promiserunt. Ea licentia illi freti, facto agmine in Christianos homines, illico grauissimam mouent persecutionem. Multa tunc nobilia Dei, & sanctorum templa diruta, ac solo æquata: trucidati cuiusq; ordinis, & vtriusq; sexus pene innumeri homines. In his magna fuit multitudo clericorum: aliquot Episcopi, in quib. fuit vir sanctitate insignis, Gerardus Canadiensis Antistes. Dum hæc aguntur, Andreas fretus Albæ, eiusq; sectatorum consiliis, Petrum capit, iubetq; illi erui oculos, ac duci ad vrbem Albam, vbi, haud multo post, vita excessit. Cæterũ curauit Andreas, vt sepeliretur in quinq; Ecclesiis, in quo oppido struxerat ille nobilem Basilicam, in honorem beati Petri Apostoli. Regnauit primum quidem annos tres, postea vero quam fuit restitutus in Regnum, II. & mensibus sex. Enumerandi hinc mihi sunt, qui post ipsum Regnum, vsque ad beatum Ladislaum, ordine tenuerunt.

INDEX X.

PETRO successit Andreas, cuius est modo habita mentio, qui fuit vno Hũgarorum omniũ miro consensu electus, regiaq; donatus corona, Anno salutis humanæ, quadragesimo septimo supra millesimum: qui fuit annus, à beati Stephani obitu, vndecimus. Is vbi omnia diligenter, & fortiter, prudenterq; pacauit: dedit operam, vt multitudo, cui, vt ante dictum est, permiserat idola colere, ad Christi cultum rediret. Interitũ itaq; minatur cunctis, qui non vixerunt ritu atq; cæremoniis, sanctisq; legibus, quib. viuendum suis popularibus, beatus Stephanus constituerat. Eius iussis vniuersi Hungariæ populi, pars metu perculsi, alii adducti errati pœnitentia, illico paruerunt. Ædificauit monasteriũ, haud procul à Lacu Balatini, in loco, quem accolæ vocitant, Thionem, in honorẽ beati Aniani, vbi postea suũ obiens diem, sepultus est. Duxit vxorẽ, filiam magni Ducis Rhutenorũ, qui & dicitur Moscouiæ: ex qua duos suscepit filios, Salomonẽ & Dauid. Anno autẽ, ex quo regnare ceperat, duodecimo cum esset senio confectus, Salomonẽ filium, quintum ætatis annum agentem, declarauit Regni successorem. Quæ res vt haberetur multo firmior, apud nobilitatẽ Hungarorum, hoc per amicos effecit, vt puer, more superiorum Regum, inunctus coronaretur: destinata illi vxore Henrici Imperatoris filia. Id autem fuit supra, quam dici possit, Belæ ipsius Regis fratri molestum, de quo indice superiore meminimus. Quo tempore ea in Hungaria agebantur, erat Bela in Polonia, apud eiusdem Regionis Ducem, cuius filiam matrimonio sibi iunxerat. Soceri igitur adiutus copiis, bellum aduersus Andreã gesturus, in Hungariam proficiscitur. Coactis & Andreas copiis, fratri obuiam procedit: multis deinde commissis prælis, ad extremũ Rex à Bela superatur, & capitur,

A. Ch. 1047.

Bela & Salomon Reges.

traditurq; custodiendus curæ nonnullorum, quos sibi fidissimos ille existimabat. Sed parum diligenter custoditus, fugit quidem Andreas, sed ingressus Syluam, quæ viæ erat proxima, siue quod esset nimium de via defessus, siue ob dolorem, cum esset à plærisq; suorum desertus, mortem obiuit, & in Basilica monasterii, quod dixi ipsum ædificasse, Bela permittente, sepultus est. Iustissimè profecto permisit immortalis Deus, vt Andreę ita Regno pulso, vita eriperetur, qui vt Regnum adipisceretur temporale, passus est tot Christianos à cultu declinasse diuino, vtq; ab hominibus impiis tot millia cultorum Christi occidirentur, & sacrę ædes diruerentur. Bela itaq; victor in vrbe Alba omniũ fauore, Rex appellatur, inungitur, coronatur, magnaq; cum tranquillitate, Regnum administrauit. Cudi fecit Argenteum nummum, constituit mensuras & pondera, quibus in emendis, vendendisq; rebus, sui populares vterentur. Stabiliuit & rerum venalium precia, quę transgredi haudquaquam licęret. Loca præterea diuersa ordinauit in vnaquaq; ciuitate, ad quæ, res quoq; diuersæ venditionibus exponendæ, comportarentur, Salomonem nepotem, quem dixi ab Andrea patre Regem fuisse coronatum, piè seruauit, suaq; ipsius impensa, docuit, aluit: ignouit & eis, qui illius fauebant partibus. Eo Rege, vniuersi Hungariæ populi mire locupletati sunt, tanta pace tantoq; ordine, ac diligenti cura Regni sui rem administrare studuit. Struxit Monasterium in sancti saluatoris honorem, in loco, qui Hungarorũ lingua dicitur Zeuukzardum, vbi postea mortuus sepultus est. Ab eo permulti è vulgo, adducti consilio nonnullorum, quos alias seduxerat Vata, homo ille sacrilegus, quem supra dixi Magicarum Artium calluisse peritiam, petiuerunt vt eis ad colenda Idola regredi liceret, quemadmodum & Andreas ante permiserat. Sed ipse congregatam ad se multitudinem illam, veluti eis, quod petebant, vellet annuere: à militibus, quos ad hoc armis instructos, in locis idoneis latenter disposuerat, ad vnum interfici iussit. Periit morbo, quem contraxit ob ruinam solii, in quo, Ius dicens, sedebat. Omni, qua par fuit, pietate, Deo reddidit animam: præfuit regno annos tres. Licet autem ei fuerint duo magno ingenio, atq; animo filii, Geissa & Ladislaus: neuter tamen illorum succesit in Regnum, sed Salomon, cuius supra mentionem habuimus. Ope nanq; Imperatoris soceri sui, Hungarorum optimatum suffragio, Albæ electus est Rex, ac denuo coronatus. Gessit bellum aduersus Cumanos, gentem ferocem, & à Religione Christiana abhorrentem, quos, auxilio Geissæ patrui sui, perdomuit. Gessit & bellum cum Boemis, quæ & ipsa efferata immanisq; natio est, quæ irrumpens in Hungariam, perq; multa loca habitatoribus frequentia excurrens, ingentem prædam domum reportauit. Contra quam gentẽ, auxilio quoq; ei fuit Geissa, vna & Ladislaus illius frater, quorum armis salubriq; consilio, victoriam assecutus est. Paucis dein interiectis annis, Geissæ parauit insidias, per quas, incautus trucidaretur. Adductus enim prauis quorundam consiliis, quos apud se domi tenebat, à quibus regi se patiebatur, flagitiosè & iniq; vitam agebat. At vero Geissa de insidiis factus certior, omnino sibi proponit, vt eã iniuriam nõ impune abire patiatur. Comparatis igitur copiis, cum Ladislao fratre ire aduersus regem contendit: nec mora, intra paucos dies, absq; multo suo ac suorum discrimine, ipsum prælio superat, cum paucis tamen è suis victus rex fugit, transmissoque Danubio, petit primum Mosonium, deinde Posonium, in quo oppido mater vxorq; eius commorabantur. Eum vbi mater aspexit, animaduertit ingenti affectum dolore, ipsum verbis accusauit asperioribus, quod nimium, & plusquam decuit, hoc est, vsq; ad suum exitium, & ad extrema gentilium suorum pericula, improborum hominum veneniferis auscultasset cõsiliis. Regnauit annos, xv. Eo itaq; fugato, regiam dignitatem Geissa adeptus est. Fuit is vir christianissimus, ideoq; Euangelii zelator præcipuus. Struxit apud Vaciam, nobilem, in honorem beatæ Mariæ virginis, ædem: vbi post obitum sepultus est: dotauit eam donis regia beneficentia dignis. Ecclesiæ quoque Budensi dona, & multa & preciosissima tribuit, Ob virtutes multas quibus fuit

Digitized by Google

Ladislaus Rex.

fuit eximie prædítus, quia præterea fuit ipsius haud contemnenda potentia, Regem Magnum, ipsum Hungari cognominauerunt. Salomoni, quem Regno fugauerat, decreuit partem sui dominatus tradere, ne vitam ille miseram agere compelleretur. Sed nequaquam id permisit immortalis Deus, qui in terris distribuit pro sua voluntate imperia. Ante enim quam exequeretur, quod decreuerat, incidit in grauissimam valetudinem, qua intra paucos dies extinctus est. Regnauit annos tres. Hinc ad beati Ladislai Regnum transeundum est.

INDEX XI.

POST Geisæ mortem, Hungariæ primates se conferunt ad Ladislaum, ipsius fratrem, cuius mentio supra habita est. Quem inuitum, nimiumque renitentem, Regem tandem sibi deligunt. Et electioni quam multis adactus precibus, Christiq; adiuratus nomine, consensit: non tamen est passus se coronari, eo diademate, quod superiorum Regum capitibus imponi consueuerat. Fecit id primum modestiæ causa: quãdoquidem erat vitæ sanctitate adeo excellens, vt in terris agẽs: non vt homo, sed vt cœlestis aliquis angelus, in humana effigie versari, inter mortales putaretur. Deinde quod superesset, adhuc Salomon Andreæ filius, qui non modo semel, sed & iterum consensu senatus omnis Hungariç, fuisset coronæ illius honore donatus. Atq; idcirco dicere persæpe solebat, non suo, sed Salomonis nomine, tenere se Hungariæ regnũ. Consensui autem optimatum eo se acquieuisse, quod diuina reuelatione intellexisset, expedire saluti Hungaricæ reipublicæ, vt ipse gubernandi Regni curam suscepisset. Post acceptum Regiæ sublimitatis fastigium, nihil vnquam egit, quod esset vel leui reprehensione dignum. Vniuscuiusq; virtutis opus, quod bene institutum hominem, piumq; deceret Regem: summa diligentia, & absq; vlla officii intermissione, ad suum vsque piissimum obitum, executus est. Eas ob res, ipsum adhuc in carne viuentem, sanctum Regem vocitabant. Cum vitæ autem maxima integritate, non prætermisit, quin regni sui fines ampliaret.

Rex erat ea tempestate Dalmatiæ, & Croatiæ, Zolomerius nomine. Is moriens cum nullus illi esset hæres, sua regna testamento reliquit vxori, quæ erat Beati Ladislai soror. Cum autem nonnulli, qui fuerant viri sui hostes, arma parassent, quibus Reginæ regna illi relicta vellent adimere: suas & ipse Rex sanctus coegit copias, tulitq; sorori opem, qua fugatis aduersariis, quæ sua erant, illa postea tranquille possedit. Interiecto dein tempore, moriens & illa, eadem regna reliquit Ladislao fratri: quo nemo erat illi cõsanguinitate propinquior. At vero ipse ea regna Hũgarorum Regum iunxit imperio. Quarto ex quo regnare ceperat anno, Salomonem sibi reconciliauit, suaq; pecunia cæpit eum adeo habere liberaliter, vt si prudentem se in vita ille gessisset, fœlix haud dubie vixisse potuisset. Nam non multo post, Rex sanctus instituit aut partem illi regni tradere, aut regno se omnino abdicare, vt illi, quod suum erat, restitueret: ipse vero solo ducis nomine contentus, viueret priuatus. Sed huic eius proposito reluctati sunt optimates: propterea quod eos non latebat, quam malum quamq; prauum esset Salomonis ingenium. Idcirco timuerunt Reipublicæ, quod futurum esse posset exitium, si ille aut adscitus esset in partem dominatus, aut tertio ad regiæ dignitatis culmen fuisset euectus. Inter hæc ille, vt erat in malum omne propensus, cœpit meditari, moliriq; dolos, quibus Regem nihil sibi tale metuentem, interimeret. Quod vt primum ipse resciuit, iussit vt caperetur, coniiceretur q; in carcerem, non plane aut vltionis, aut odii causa: sed ne homo prauus facile exequeretur, animo suo cõceptam malignitatem, neue tentare quicquam posset, quod esset Hungaricis rebus maximo, & quod reparari non facile posset, detrimento. Precabatur nihilominus diuinam benignitatem, vt illi ignosceret, præstaretq; salutiferæ pœnitentiæ viã, qua resipiscens, in se rediret, & ab animi, mentisq; prauitate desisteret. Haud

laus Rex.

multo post, cum ille simularet se malefactorum pœnituisse, pollicitusq; esset, se nihil vnquam doli aduersus Regem machinaturum: libertate donatus est. At paucis post diebus fugit, seq; cōtulit ad Oitescum, Cunorū ducem, quem obsecrauit, vt pararet copias, quibus adeptum Regnum sibi recuperaret. Multa prętereà adiecit, quibus illi maria pollicetur, & montes, properet modo, vt incautus Ladislaus facilius opprimatur. Adductus ille Salomonis precibus, inanibusq; pollicitationibus, Hungariam versus ducit. Ea re cognita, Ladislaus haud segnitur paratis armis, procedit in hostem: commissoq; prælio eum vertit in fugam, atq; ita victor, in suū regnum reuertitur. Salomon igitur dum quid vlterius agat ignorat: nactus ingentē latronū manum, illorum fit socius, Bulgarorumq; ingressus fines, cepit per agros excurrere, multaq; loca populari, & omnis generis prædam agere. At vero Bulgari ad arma ruunt, factoq; impetu, in latrones feruntur, vt insequantur illos fugientes. Et quanquam prædā omnem recuperant: insequi tamen haudquaquā desistunt, quousq; illi ad desertum quoddā castellum peruenere. Eo cum se illi proripuissent, ibiq; se tuerentur, obsidentur quidem à Bulgaris, sed illi, cum essent periti locorum, per noctem castello egressi, obsidentes deceperūt, fugaq; salutem sibi quæsiuerūt. Salomon autem, cuius gratia pauca hæc hoc in loco memorantur, deueniens in planicem quandam, cui proxima erat sylua ingens, rogat eos, quibuscū eo venerat, vt parumper illic demorarentur: syluam enim, ait, velle se adire, necessariæ rei gratia, quamprimum autem se rediturum. Ita expectantib. comitibus, ingreditur syluam, sed neq; est ingressus, neq; vsquam vlterius ab illis est visus. Perhibent ipsum inde clam excessisse, atq; resipiscentem ad Deum fuisse conuersum: deq; à se in Deum, & in homines commissis, vehementer indoluisse, atq; instituisse Deo soli in omni sua vita se famulaturum. Ideoq; se decreuisse, habitu pauperis & abiecti hominis, orbem terrarum peragraturū, agendo dignam suis muneribus vsq; ad mortem in ieiuniis, fletuq; & planctu pœnitentiam. Quod & effecit, pieq; aliquot post annis, Polæ, quod oppidū in Istria est, diem suum obiit. Sunt qui credant beati Ladislai precibus, fuisse illi à Deo eum modum agendæ peccatorum pœnitentiæ præstitum. Suscepit & idem Rex denuo bellum contra Cunos, propterea quod, dum ipse ageret in Dalmatia, illi duce Copulchoi, id enim illi erat nomen, excursionem fecerunt, per aliquot Hungarię loca, vnde ingentem prædam exportauere. Quo agnito, ad eam vlciscendam iniuriam, omnem animū, viresq; conuertit. Cum vniuerso, igitur, exercitu, contra eam gentem, quanta maxima potuit, celeritate, profectus est. Perueniens autem ad locum, vbi commode res geri potuit, in illos fertur, nec multo labore fuit ei opus: primo quippe impetu, hostilem exercitum omnem deleuit. Ita præda omnis recuperata, decreuit & mouere bellum aduersus Rhutenos, quæ magna natio est, illorum namq; consiliis & ope, Cuni Hungariam inuaserant. Cæterum illi Ladislai formidantes potentiam, pacem sibi dari petunt, eamq; à Rege clementissimo impetrant quam facillime. Extruxit Varadiense monasterium, cui contulit multa, regia digna munificentia, vbi postea mortuus sepultus est. Decernentibus Teutonum optimatibus eum eligere Imperatorē, noluit admittere, quam polliciti sunt se facturos, electionem. Actis nihilominus gratiis illis, qui eius rei gratia ad se venerant pro re ipsa, per quam paucis respondit: suo regno se esse satis, superq; contentū. Tantum valuit eius apud Principes Christianos auctoritas, vt omnes pene miserint ad eum oratores, rogantes, vt cum decreuerint suscipere expeditionem in Sarracenos, qua recuperaretur terra sancta, velit ipse suscipere munus ducandi exercitus Christiani: se nāq; eo esse animo, vt non dedignētur sequi piissimi Principis signa, seq; velle cū omni modestia, sancta ipsius iussa capessere. Probauit Christianissimus Rex illorū consiliū, atq; annuit, respondit q; oratoribus: *velle se obnixe efficere, quod principes, à quibus erant missi, efflagitabāt: paret vnusquisq; illorū, quæcunq; fuerint tanto, tamq; honesto bello necessaria. Se habere iā paratas expeditasq; copias, et celerrime se cōparaturū, quicqd aliud suo expediuerit exercitui.*

Illis

Colimanus Rex.

Illis ad suos principes remissis, cœpit dare operam, vt quę essent vsui bello gerendo, compararentur: sed Deo aliter placitum. Dum enim Ladislaus talia curat, in morbum incidit, quo correptus, sanctissime, vt vixerat, migrauit è vita, anno ab ortu Iesu Christi, nonagesimo quinto, supra millesimum, Tertio Calendas Augusti. Regno præfuit annis vndeuiginti.

A. Chr. 1095.

INDEX XII.

HVIC Regi nulli, quod vitam egerit cœlibem, liberi fuere: at Geisa eius frater, duos reliquerat filios, Colimanum, & Almum: eos moriens, paruuli namque tum erant, Ladislai commiserat fidei. Ladislaus autem cum ei mors immineret, quia Colimanus ob nimiam corporis deformitatem, prauitatemq; ingenii, nequaquam fuerat ei visus ad regnum idoneus: cohortatus est eos, quorum curæ res incumbebat, vt, se mortuo, Almum, quam Colimanum, mallent regno præficere: secus si fecerint, hoc habeant, futuras esse cōplurium innoxiorum hominum cædes: inter consanguineos magna dissidia, capitaliaq; odia, sacrilegia, aliaq; permulta impietatis genera diuino se afflatū spiritu, talia vaticinari. Cæterum eo mortuo, Hungari quisq; sua secuti studia, quæ vir sanctus præmonuerat, prorsus neglexere. Colimanus morte regis accepta, ex Polonia, vbi tunc agebat, illico venit in Hungariam, coactoq; paulo post ipsius aduentum, totius regni senatu, vbi satis est agitatum, vter fratrum esset regno præficiendus: Almus, cum esset vir miti ingenio, quod erat natu minor, Colimano cessit. Qui magna omnium lætitia rex appellatus, regium, de more, diadema suscepit. Ante vero omnia, Almum & nomine, & dignitate ducis honorauit Fuit quidem primum inter ipsos summus rerum omnium consensus: deinde vero assentatorum malignitate effectum est, vt dum vixerunt, odiis inter se decertauerint inplacabilibus. Sub eo Hungari multa grauia, Deoq; & mortalibus quam molestissima perpesi sunt: multa enim iniq; atq; crudeliter gesit. Nec euenit aliter, quam quod beatus Ladislaus moriēs, Deo, vt diximus, inspirante, prænunciauerat. Sed prætermissis cæteris, ea solum perstringam scelera, quæ in fratrem, nepotemq; commisit. Post longi temporis dissidia, cum ad pacem iam venissent, cuius cōponendę gratia Romanorum Imperator, è Germania venerat in Hungariam, essetq; ea pax iure iurando firmata: cum primum Imperator domum regressus est, iussit Rex capi, effossosq; vtriusq; oculos illorum, ad se deferri. Huic crudelitati aliud adiecit scelus. Nepotis namq; hoc est, filii Almi, qui tum erat infantulus, Bela nomine, iussit abscindi genitalia, ne ei in Regnum succederet, ad gignendos videlicet filios factus inhabilis. Cæterum ille, cuius curæ demandata res est, sceleratæ iussioni non paruit: dixit nihilominus Regi, executū se diligenter fuisse, quod iusserat. At vero ille abscidit testes catuli, qui eum sequebatur, quos regi ostendens, *En*, inquit, *testes, quos abscidi tibi voluisti.* Cui Colimanus habuit fidem. Eo enim ille Regis noluit obtemperare imperio, quod veritus est, ne si obtemperasset, Regium postea genus omnino extingueretur. Cæterum Almi fratris nec etiam vitæ Colimanus pepercit: struxerat is Demesiense monasterium, quo posteaquam excœcatus ab illo fuit, se contulit, vt ibi vitam & ageret, & decreto à Deo tempore, finiret. Inter hęc Rex incidit in mirum, ac miserabile morbi genus, quo cerebrum paulatim eius fluebat ex auribus. Itaq; intelligens morti se esse propinquum, accersito ad se filio, de quo paulo post fiet mihi mentio: ac aliis multis, quibus fidebat, iubet eis, vt dent operam, qua Almus interficiatur. Id imperium si exequi neglexerint, haudquaquam dubitandum, quin se mortuo, ille sit in regnum successurus. Nec mora, continuo mittitur, qui illum in Ecclesia monasterii, cuius memini, ad sanctæ Margaritæ altare, ad quod salutis causa confugerat, putauerat enim fore, vt ob sacri loci reuerentiam, ille tanto abstineret nefario, interemit. Benedicto erat illi nomen, qui tam grande admisit scelus. At non impune quidem. Namque cum loci sacerdotes fugientem illum insequerentur, equo, quo veheba-

A. Ch. 1113.

tur, delapsus, effracta ceruice, repente extinctus est. Eius autem corpus canes, quos secum ipse duxerat, protinus dilacerarunt, deuoraueruntq;. Rex quoq; laborans ex morbo, quem dixi diem impie, vt vixerat, obiit. Anno ab ortu Iesu Christi, millesimo centesimo decimotertio, tertio nonas Februarii. Regnauit annos quinq; & viginti, mensesq; sex. Duas duxit vxores: ex earum vna duos suscepit filios Ladislaum, & Stephanum, quorum matre mortua, duxit alteram, natione Rhutenam: quam cum deprehendisset in adulterio, remisit ad parentes. Fuit in rebus gerendis admodum prudens, & fortunatus plurimum. Subegit Dalmatas, Petro, eorum Rege, interempto: qui eam Regionem, mortuo beato Ladislao, sibi occupauerat, ipsis Dalmatis non inuitis. Mercede conduxit instructissimam à Venetis classem, quam misit in Apuliam: per quam excurrentes Hungari, magnam eius partem, cæde & incendiis, multorumque generum præda, vastauere. Expugnauerunt, ac diripuerunt Monopolim, & Brundusium, quæ claræ tum erant, suntque hodie in ea regione vrbes. Tenebantur ditione Roberti Guiscardi, cuius viri fortia facta, supra explicata sunt, vbi visus est aptus hortari locus. Ad ipsum vt primum rei perlata est fama, missis terra, mariq; copiis, quas amiserat vrbes recuperauit. Classem præterea iussit proficisci ad oras Dalmaticas: quæ facta per multa loca excursione, non minora Robertus intulit hosti, quam illa, quæ acceperat, detrimenta. Hactenus de Colimano, hinc quisnam illi successerit, ostendamus.

INDEX XIII.

POST eum Stephanus eius filius, adhuc adolescentulus, regno præficitur. Fuit is homo ex eorum numero, qui nimium solent inflari sui opinione. Ac propterea cæteris mortalibus, omni virtutum genere, se ipsum putabat antecellere: quare prudentum virorum consilia nihil semper fecit. In omni autem vita sua, nisi paulo ante, quam moreretur, vt infra memorabo, nihil vnquam egit, quod non esset vitupetatione dignum. Iactator quidem egregius magnarum rerum, at factis nullum vnquam virtutis opus ostendit. Si quid tamen tentauit aliquando, quod esset regia auctoritate dignum; ad extremum nihil fuit gloriæ consecutus. More latrocinantiũ, repentinas excursiones fieri, absq; vlla vel iusta vel honesta causa sæpe iussit, modo in Rascianos, ac Bulgaros, modo in Græcas quasdam nationes: sed à Græcorum copiis eius exercitus, vsq; ad summa rerũ discrimina, profligatus est. Ea tamen non per se gessit, sed per præfectos. Cum autem inter scortorum greges assidue versaretur, eamq; ob rem, nihil de vxore ducenda cogitaret: adactus tandem crebris optimarũ efflagitationibus; duxit filiam Roberti Guiscardi, cuius mentionem paulo ante habui: qui per id temporis imperitabat ei parti Italiæ, quod Neapolitanum regnũ postea appellatum est. Multa fecit iracunde, multa intemperanter & impie, multa crudeliter. Quas ob res, famam sibi vendicauit violenti, formidolosiq; hominis, & truculentissimi Tyranni. A vulgo vero cognominabatur Fulmen, propterea quod non cõsilio, sed subito animi furore cuncta faciebat. Cæterum post magnam male actæ vitæ suæ partem, miro quodã & Deo tantũ cognito modo resipuit, patratorumq; tot scelerũ, pœnituit. Cũque ex vxore nullos suscepisset filios, quorum aliquis Regnum post ipsum teneret, eaq; de causa angeretur vehementer: nonnulli è nobilitate, viri præstantes ei patefecerũt quiddam, quod ipsum perdiu latuerat: viuere videlicet Belam, Almi Patrui sui filium, cuius oculos olim erui iusserat Colimanus. Postea enim quam effossi illi oculi fuerant, Deo hoc suo occulto humano generi cõsilio disponẽte, à probis quibusdam, piisq; viris occultatum seruatumq; fuisse. *Desine igitur te angore afflictare,* ô bone Rex: *cum sit tibi iam inuentus successor, qui non est à tuo genere alienus* Id vbi resciuit Rex, summo gaudio incredibiliq; lætitia affectus est. Itaq; vt primũ animaduertit, moriendi sibi tempus adesse: regno se abdicauit, acceptoq; monachorũ habitu, decessit. Sepultus est in Varadiensi Ecclesia, Anno salutis hum. M.C.XXX. Regnauit annis Duodeuiginti.

A. Ch. 1130.

INDEX

Geissa. Stephan. Bela. Emericus. Ladisla. Andreas. Reges.

INDEX XIIII.

BELA igitur consensu Senatus, Rex constituitur. Fuit is captus quidẽ corporis oculis, mentis vero lumine, quàm acutissimus. Inimicorum namq; & vigilanter euitare sciuit insidias, & regni sui rempublicam prudenter administrauit. Eius vxor, matrona singulari prudentia, Helena dicta est, quam perhibent neptẽ ex sorore fuisse Constantinopolitani Imperatoris. Quatuor ex illa filios suscepit, Geisam, Ladislaum, Stephanum, Almum. Huius Regis probitatem admirati pleriq; atq; præcipui Hungariæ proceres ob rei indignitatem adducti sunt, vt dum apud Albam optimatum conuentus ageretur, facto impetu, interfecerint illos, quorum consiliis, Colimanus sui nepotis, hoc est Belæ, de cuius Regno nunc scripsimus, eruerat oculos. Nefas quippe ducebant, videre cœcum hominum prauitate factum virum, qui suum Regnum prudentissime sanctissimeq; moderaretur. Occisorum postea villas, & cætera quæcunq; in vita illi possederant, Rex vna, & vniuersa in eo conuentu congregata nobilitas, præcipuis per Hungariam constitutis Ecclesiis distribuerunt. Ex eo itaq; tẽpore, Hungariæ Ecclesię opulentæ in hanc diem perseuerauere. Aduersus hũc Borichus, Colimani filius, natus ex pellice, auxiliis Rhutenorũ, ac Polonorum, profectus est ad Hungariæ fines: vt eo paterno regno eiecto, Hungaria ipse postea potiretur. At Rex diuina fretus ope, adiutusq; à proceribus, quorum fideli opera, aliis multis in rebus antea fuerat vsus: illum vertit in fugam, profligauit exercitum illorum, qui illi auxilium tulerant: Hungaros autem, qui illius fauerant partibus, interfecit. Regnũ tenuit annos ferme decem. Decessit Christianissime, sepultus est Albę, Anno ab incarnato Dei filio, primo & quadragesimo, supra millesimum & centesimũ. *A. Chr. 1141.* Successit ei Geissa filius, fratrum suorum natu maximus. Fuit is vir Christiana pietate insignis. Adolescens adhuc, fudit Teutonum ac Saxonum, Austriensiumq;, & Bauarorum copias, quæ Hungariam inuaserant. Albæ mira cum religione, migrauit è vita, anno ab incarnatione saluatoris, centesimo & sexagesimo primo, supra millesimum, *A. Chr. 1161.* regnauit annos viginti, mens. III. D. XV. Post eum, regnum tenuit Stephanus, filius annos ferme duodecim, obiit absq; liberis Albæ, Anno à Iesu Christi orta, septuagesimo secundo, supra millesimum & centesimum. *A. Chr. 1172.* Bela frater eius successit. Hic Regnum suum latronibus, & furibus, quorum ingẽs tum erat in tota Hungaria copia, intentissima cura, purgauit. Diem obiuit, anno salutis, centesimo & nonagesimo, supra millesimũ Calend. Maii. *A. Chr. 1190.* Corpus eius Albæ iacet, vbi & mortuus est. Præfuit Regno annos tres & viginti. Ei successit Emericus filius, qui regnauit annos octo, mens. VII. D. VI. Mortem obiit Agrię, anno humanæ salutis, M. CC. pridie calendas Decemb. *A. Chr. 1200.* Post quem Regno præfuit Ladislaus, eius filius, sex tantum mensibus.

INDEX XV.

REGNVM post eum tenuit Andreas, nominis huius Rex secundus, Belę, de cuius Regno paulo ante memini, filius, annos triginta. Ad terram sanctam hic & voto, & iussus à Pontifice maximo, profectus est. Gerebatur tunc à nostris aliquot Principibus bellum in Syria, aduersus Babyloniorum Sultanum. Voluit itaq; Pontifex, vt is Princeps, cum abundaret diuitiis, essetque rei bellicæ in primis peritus, Christiano præesset exercitui. Paruit igitur ipse, & quantum suppetiuere facultates, rebus, quæ gerebantur, trium mensium spacio & interfuit, & magna cum gloria pręfuit. Nã non prius inde discessit, quam cõmissa atrocissima pugna, victor gloriosus euaderet. Ex Gertrulda vxore, quæ fuit natione Germana, hos suscepit liberos Belam, Colimanum, Andream, Elisabetham, fœminam vitæ sanctitate insignem, quam Romana Ecclesia in sanctorum numerum postea retulit. Excessit è vita, anno ab ortu incarnati filii Dei M. CC. XXXV. *A. Chr. 1235.* Præfuit deinde Regno Bela, eius filius, Rex huius nominis quartus, annos, XXXV. Obiit anno Domini nostri saluatoris, M. CC. LXXV. *A. Chr. 1275.* Nonis Maii, Sepultus est Strigonii, in Ecclesia fratrum minorum, quã

ipse condiderat, in honorem beatæ Mariæ virginis. Fuit is vir miti quidem ingenio, magnoq; animo, & vita integerrimus: sed in rebus gerendis parum fortunatus. Eo regnante, Tartari inuaserunt Hungariam, quam magna ex parte incendiis, ferroq; vastauerunt. Comparauit quidē Rex suas copias, obuiamq; viriliter hosti processit: sed cum ad rem gerendam ventum est: vincitur, cæsa suorum multitudine magna: quanquam non sine ingenti suorum clade, Tartari sunt assecuti victoriam. Ad quinq; namq; & triginta millia, eorū cecidisse feruntur eo prælio. Christianus autem Rex, licet nihil prætermisisset, quod esset officium Ducis fortissimi: animaduertens tamen ad extremum Victoriam esse Tartarorum, diuinæ se dispositioni cōmisit, atq; ita vi facta via, interque densissimos hostes irrumpens, tandem cum aliquot è suis legionib. euasit incolumis. Nec propterea tamē, vbi se in loca tuta recepit, animo deiectus est. Conuertit enim suas omnes cogitationes ad ea tuenda, quæ hostes nondum occupauerant, collocatis videlicet, vbi visum est expediens, idoneis præsidiis. Non enim exigebat res, ut cogerētur ab eo copiæ, quibus cum Tartaris denuo dimicaretur: quippe qui prudenter animaduertebat, illos armis, virib. numeroq; a robore militū longe esse superiores. Commisit aūt se, remq; suam absque vlla intermissione Deo, ac beatæ Mariæ, cuius tutelæ beatus Stephanus Rex, Hungariæ regnum olim cōmiserat. Trienniū Tartari consumpserunt, modoq; huc, ac modo illuc excurrentes, tantisper in Hungaria cōmorati sunt dum nihil pene vlterius diripiendū eis relictum est. Ita inæstimabilibus onusti spoliis, abierunt. Cum aūt ipsa Regio relicta sit ab illis magna ex parte deserta: posteaquam Hungari, qui à tanta fugerant calamitate, domū rediere, miserabili fame afflicti sunt. Id enim consequi necesse fuit, propterea quod hostili vbiq; sæuiente rabie, coli agri non potuere. Nec mirum cuiquam sit, Tartarorum ingentem multitudinem adeo facile populari Hungariam potuisse. Vndiq; enim fere potest ea regio hostium patere excursionibus: paucas namque validas, atq; munitas habent Vrbes: at vero antiquitus nullas habebat. Eius rei locuples testis est Apianus Alexandrinus, in opere ac libro, quorum supra meminimus, quum de Pannoniæ nomine loqueremur. Is quippe de suorum temporum Pannonibus locutus, *Nullas*, inquit, *habent vrbes: agros duntaxat, & Villas possident: Neque iudicia illis communia sunt, neq; Principes, qui præsunt cæteris. Ipse centum millia virorum habent, ætate ad bellum gerendum integra: cæterum imperio vnius carentes, in vnum eos minime congregant.* Huc vsq; Apianus. Cæterum dubitandum non est, quin lacessiti bellis, aliquo eorum Duce, congregati aliquando fuissent, hostiq; in eos venienti, totis occurrissent conatibus. Quod arbitramur illos fecisse, quum Romani Pannoniā subegere. Non enim Tyberius ius meruisset triumphandi de Pannonibus, nisi prostrasset tot millia ex illis, quot millia prostrauisse eos oportebat, quos Romani, cum Triumphi pompa vrbem intrantes, excipiebant. Si quas autem munitas vrbes hodie Pannones habent, eas post occupatam eorum Regionē ab Hunnis, & Hungaris condidere. Et nisi terrori esset finitimis nomen Hungarorū, quæ natio admodum est audens, & armis potens: sæpe eos à multis partibus hostes inuaderent. Redeo ad Belam.

Gessit & bellum aduersus Bohemos, ab illis lacessitus. Sed licet suos diligēter exciuerit ad arma, quibus illis fortiter obsisteretur, collatisq; signis prælii fortunam magno tentasset animo: Deo tamen, aliquo suo iusto quidem, sed nobis occulto, permittente consilio, superatus est. Hungarorū ad tria millia capta, cæsa ad duo millia, & septingenti: Bohemorum quinq; millia, & ducenti interfecti. Rex vero cum esset serum diei, adiutus à suis, facile seruatus est, in sua se castra recipiens. Sed cum cogitaret de instaurando bello, daretq; operam, vt aliæ legiones cogerentur: Bohemi timentes, ne mutaretur belli fortuna, contenti ea victoria, domum regressi sunt. Huius filia fuit beata illa Christi virgo, Margarita: cuius sanctitatis nomine, apud ordinis prædicatorum fratres, magna vbique veneratione celebratur. De qua non pigebit, hoc

enim

enim hortatur hic locus, quædam mentione digna referre. Bello illo, quo modo dictum est, à Tartaris infestatam, vastatamque fuisse Hungariam, grauida erat Regis vxor, quæ & ipsa fuit miti ingenio, & non minus suo viro multis, quæ decuerant Reginam Christianam virtutibus, inclyta. Dum igitur Tartari Barbarica vbique grassantur sæuitia: Deo pollicetur vterque coniūx nascituram prolem diuino se dicaturos seruitio, si detur diuinitus, vt Barbara, Deoq; inimica gens, ipsis incolumibus, ex Hūgaria abeat, Exauditæ sunt piorum principum preces. Haud enim multo post, barbari, relicta Hungaria, eo vnde venerant, rediere. Post quorum abitū, edita ex Regina infantula, Margarita nominata est, regali postea cultu in regia nutritur. At vero vbi compleuit tertium ætatis annum, visa est ea esse indole: qua Dei potius esset mancipanda famulatui, quam delitiis addicanda secularibus. Est in oppido, cui nomen est Vesprimium, monasterium, fama bene beateq; viuentium præclarū: in quo per id tempus erat multitudo fœminarum virginum, Deo caste, sancteq; seruientium, sub regula & institutis, atque habitu fratrum prædicatorū. Is locus est visus præcipue idoneus, vbi regia puella Iesu Christi sacris initiaretur. Eius itaque parentes, Deo factæ promissionis non immemores: eam illuc, honesto comitatu perductam, religioni beati Dominici deuouerunt. Suscepto deinde in tam tenera ætate virginum habitu, adhibita ei fuit quædā ex illarum contubernio, quæ circa omnes seipsam bonorū operum præbebat exemplum. Ab ea voluit monasterii Antistes, quā vocitant Priorissam, educari puellā ita, vt ab ipsa disceret spiritualia cantica, & cætera, quib. Deo cōstitutis horis, ac temporib. psalleret, vt dignis Deo dicatæ Virgini moribus, informaretur: Helenæ illi nomen fuit. Quæ adeo sancte omnē suam egit vitam, vt, dū viueret, non solō multis claruerit miraculis, sed moriens etiā, ac post mortem, vt in hanc etiam diem, sanctitatis ostendere signa nequaquā desierit: Vnde & à Vesprimiensibus hodie quoq; beata Helena nuncupatur. Tali itaque sancta puella vsa magistra, vitæ illius integritatem imitari, quantū pueriles pati poterant anni, adnitebatur: Matrem illam appellabant. Quicquid aūt ei ab illa faciendū constituebatur, siue ieiunandum, siue per noctem vigilandum, orandumq; Deum, siue dandam operā vili alicui seruitio, vt fit in virginū monasteriis: absq; vlla mora exequi humiliter, & alacriter, obediēterq; studebat. Quintum agens annū, oblatum ei ab educatrice cinctoriū cilicinum nō horruit, sed haud cunctanter lumbos tenerrimos suos, ad nudam carnem præcinxit. Fecit id prudens magistra, nō quod ipsam non misereret imbecillis ætatis ac sexus: sed vt sancta puella inciperet assuefieri vti rebus, quibus tradūtur per multi Dei vtriusq; sexus serui, suam carnem contra perniciosas concupiscentias, domuisse. Voluit igitur vt eo cinctorii genere, nō cōtinuatis vteretur diebus, sed quoties ei vtendū illo videretur. Crescente postea ætate, à Deo & ipsa proficiebat de virtute in virtutē, vt nō modo virgines cōtubernales, sancta eius opera mirarētur, sed fama etiā sanctitatis eius, per omnem Hungariam longe lateq; diffunderetur. Inter hæc, cū parentes eius nō medioeri afficerētur gaudio ac lætitia, animaduertētes videlicet, se obtulisse hostiā laudis reddendo altissimo, quod vouerant, votum aūt illi fuisse acceptissimū: decreuerunt eōdere domū, quam eorum filia dum viueret inhabitaret. In quadam itaq; insula, quæ mille ferme passibus abest ab vrbe Buda, erigunt ædem in beatæ Mariæ Dei genitricis honorem: coniunctumq; illi constituunt cœnobium, vbi cum aliquot aliis Deo dicatis virginibus, vitā ageret, vti cæperat, cœlibem. Absoluto igitur opere, accersunt in Hungariā, Vmbertū, Theologum doctissimū, ac religione præstantē virū, qui per illud tēpus erat generalis ordinis prædicatorū Magister. Huic Rex, & Regina à se cōstitutū tradunt monasteriū, petūtque vt ab illo, eorum filia à Vesprimiensi ad hoc in Insula quā dixi structū cœnobiū, trāsferretur, adhiberēturq; ei, ex omni numero selectæ, quot viderētur esse necessariȩ, atq; vtiles virgines: cū quib. Deo beatæq; Mariȩ in S. Dominici religione famularetur. A templo autem in honorem beatæ Virginis condi-

to, indidit Rex loco nomen, vt diceretur Insula sanctæ Mariæ, quæ antea vetusto vocabulo, Insula Leporum cognominabatur: quanquam eam hodie vulgus, beatæ Margaritæ insulam vocitant. Vmbertum, vt talẽ, tantumq; depositum thesaurum diligenter fideliterque seruaret, illi monasterio præfecerunt Antistitem, qui regiam, sanctamque puellam, ac cæteras Christo dicatas virgines regeret, ita vt illæ non quæ sunt mortalis huius vitæ, sed quæ essent cœlestia, ac futura beatis parata bona assidue, & quantum pateretur humana imbecillitas, meditarentur. Quod & illæ mirum in modum exequi studuerunt. Et quanquam inter se bene, sancteq; viuendo, plurimum certarent, quę nam ex ipsis esset, quæ Deo seruiret feruentius: comperit tandem prudens earum Antistes, beatam Margaritam, in cunctis, quæ essent puritatis, sanctitatisq; atque integritatis vitæ, cæteris antecellere. In Hungaria vero tantus vir rogante suadenteq; Rege, tamdiu demoratus est, donec sancta puella peruenit ad duodecimum annum ætatis: quo idonea esset, vt decreto sanctorum Romanæ Ecclesiæ patrum, de more profiteretur religionem, in qua fuisse eã à tenerrimis initiatam annis, ante ostendimus. Ibi cœpit se omni studio exercere in iis, per quæ posset ad consummatæ virtutis cumulum peruenire. Nihil cogitabat, nihilq; vel dicebat, vel faciebat, nisi quod esset charitas & Christianæ perfectionis. Erat paucis contenta verbis, ideoq; laudabilem taciturnitatem mire amabat: Subridere quidem aliquando, sed in cachinnum nunquam laxari, visa est: Laudari se permoleste patiebatur, iactantiæ vel nimium verbũ ex eius ore nemo vnquam audiuit. In oratione adeo feruens erat, & assidua, vt non solum diei, sed maximam quoq; noctis partem, vigilando, Deoq; supplicando, transigeret. Orabat plurimum ante Domini nostri Iesu Christi crucifixi imaginem, perfectaq; oratione, quinq; plagarum loca, profusis lachrymis, osculabatur. Cum per noctem oraret, à virginibus quæ sanctam eius vitam admirabantur, frequenter audita est, in multa ex imo pectore tracta suspiria, & quasi extra se esset posita, in voces diuina quædam sonantes, erumpere. Contenta erat escis, & potu, qui pro cæteris virginibus parabantur. Post corporis refectionem, operabatur manibus, ne vitam ageret ociosam. Ea vero laborabat præcipue, quæ essent vel ad altarium, vel ad reliquarum sanctarũ ornatum. Ferebat per quam moleste, si quando ipsam oporteret aut cepta opera, aut solitas orationes interrumpere, propter vel parentum, vel cognatorum aduentum, qui visendæ eius gratia, ad monasterium se aliquando conferebant. Ieiunia, & quęcunq; alia iuxta regulam, & sancta religionis, quam profitebatur, instituta ei proposita fuerant, per omnem vitam ita seruauit ad vnguem, vt ob laborem, aduersam nonnũquam contraxerit valetudinem. In parasceue nihil omnino cibi, potusq; capiebat, neminemq; alloquebatur, sed totum illum diem passionẽ Saluatoris generis humani meditando, consumebat gemebatq; non sine magna effusione lachrymarum. In vigiliis solemnitatum beatæ Mariæ Virginis, pane tantum, cum aquæ potu vescebatur. Verbi Dei prædicatores, & auide, & mira audiebat attentione. Vacabat plurimũ lectioni operis Ioannis Cassiani, quod inscribitur collationes patrum: Legebat & assidue Vitas sanctorum, & ea, quæ traduntur de miraculis beatæ Mariæ virginis. Ipsi aũt beatę Virgini mira & incredibili veneratione, ita se ab ineũte ætate deuouit, vt quoties sanctum eius nomẽ vel ipsa proferret, vel ab aliis proferri audiret, caput in profundum reuerentissime flecteret. Nec alio ipsam interloquendum appellabat nomine, quam beatã spem, vel spem mundi, vel matrem Dei. Imaginem autem cum illius, tum saluatoris, nunquã, nisi flexis genibus, pteribat: decẽ & octo annos, corporis abstinuit lauacro. Permittebat quidem sibi lauari pedes aliquando, cæterã autẽ supra ipsos carnẽ, à sua pudicitia semper duxit alienũ. Virtute humilitatis adeo enituit, vt ab adolescentia gauisa sit, occupari se semper viliorib. exercitiis. Nam quo magis generis nobilitate, sanctitateq; vitæ præstabat cæteris, eo magis studebat illas humilitatis operib. vincere. Hãc sibi saluberrimã regulã, ad sui cõseruãdã integritatẽ in memoria

habere

habere sibi proposuit, quam à sancto quodam ordinis sui patre didicit: *Deum ante omnia, & præcunctis rebus, post eum, proximum diligere: seipsam despicere, contemnere, ac iudicare neminē.* Quæ adeo diligēter, obnixeq; seruauit, vt taliū virtutū operibus, summā bene Christianeq; viuendi sit adepta perfectionē. In oculis hominū erant quidem ei vestes, nec nimium viles & abiectæ, nec nimiū preciosæ: sub ipsis aūt vtebatur plærunq; cilicio, quod partim laneis filis, partim equinis crinibus, sibi ipsa texuerat. Illud tamen seruauit per annos ante suum obitum, sex: quod à die prima quadragesimæ ad sabbatū vsq; sanctū, cilicinam, ad carnem vestem nunquā omisit. Legebat quam sepissime vitas maiorū suorum, non plane singulorum, sed illorū, quorum fuerat vita Christiana pietate insignis. Qualis fuit vita beati Stephani, beati filii sui Emerici, beati Ladislai, beatæ Elisabethæ, Andreæ II. Hungarorū Regis, aui sui filiæ, quorum omniū supra suis in locis mentionem habuimus. Secum igitur beata Margarita horū sanctorū vitam, & merita corde volutabat: gaudebatq; & maxime lætabatur, tales se habuisse gentiles, quos sancte viuendo posset imitari. Admiransq; virtutū opera, quib. vnusquisq; eorum Deo fuerat acceptissimus: seipsa hortabatur & aptabat, vt quemadmodū illi, ita & ipsa Deo pie sancteq; famularetur, illorumq; ad id à Deo impetrandū efflagitabat auxilia. Ægrotantib. contubernalibus suis Virginibus, animi sedulitate & intentissima cura seruiebat. Faciebat aūt id adeo humiliter, vt vilissima queq; in ipsas officia, suis manib. faceret. Licet ipsa nonnunquā propter crebra ieiunia, assiduasq; vigilias, ac cætera ad domandā carnem à se excogitata virtutū opera, imbecillib. esset imbecillior, sæpeq; dicebat, se in eis pietatis exercitiis adniti, vt S. Elisabetham, parentis sui sororē, de qua supra est facta mentio, imitaretur. E fenestra illa chori, è qua solent sacræ Deo dicatę virgines conspicere Eucharistiæ Sacramentū, quoties conspicabatur pauperes mendicos, claudosq; & cœcos, atq; alios ex aliis morborum generib. laborantes, vehementer ingemebat, & vbertim lachrymabatur. Quærentibus aūt aliquando ex ea sororibus, quæ nam esset causa lachrymarū: his respōdebat verbis: *Miseret me egenorū, quos video, & vehementi afficior dolore, quod opem illis ferre non possum, cæterum ago, habeboq́, dum viuā, conditori meo gratias, quod absq́, vllo membri corporis mei defectu me & fecit, & in hūc diem, pro sua benignitate, seruauit, Quo fit, vt multo magis, quā hi, quas cernimus, sim ego suæ in me charitati obnoxia.* Quicquid pecuniarū, cęterarumq; rerū, quę essent vsui vitæ necessaria ei mittebantur à parentibus, & cognatis: sui ordinis priori prouinciali tradebat, vt ea Christi pauperib. in eleemosynas prout cuiq; opus esset, distribueret. Suadentibus ei persępe nōnullis, è monasterii virginibus, vt omisso nimio domādæ carnis rigore, secū ageret mitius, ne non tā Deo seruire, quam sese tradere morti videretur: quippe quæ viuēdo diutius multo plus meriti apud Deū sibi cōpararet, his respondere solebat verbis: *Quicūq́, se sperant victuros, in hac lachrymarū valle diutius, illi sibi bona facienda opera, seruent in futuros dies. Ego ex numero malo esse eorū, quæ nescio, quanto tēpore sim in hac mortali vita mansura. Illud aūt nosse nos omnes oportet, vanū esse nobis claudi monasterii septis, & moribundi corporis quietem ac seculi huius affectare delitias. Sunt enim monasteriorum claustra, habitacula eorum, qui non præsentia hæc bona quæ fluxa sunt, & labilia, sed sempiterna amant, desiderant, contemplantur.* Quibus ab ea dictis, audientes erubescebant, & eius exemplo, ad seruiendū Deo feruentius incitabātur. Parentē suum, ac fratres & cognatos, quotiens ad eam visendā se conferebāt, ad hoc potissimū cohortari solebat, vt Regnum legitime, non per Tyrannidem administrarent: nec paterentur, vt voluntati militū, quorum animus prædæ plurimum inhiat, exponeretur. Orabat præterea illos, vt si quid apud ipsos valerent eius preces, curarent ante omnia colere iustitiam, cuius virtutis munus maxime Deo placeret. Nec minus precabatur, vt nulla eos caperet obliuio pauperum, orphanorum viduarum, & quorumcunque egenorum. Habita autem ratione sanctæ eius vitæ, in cunctis pene, quæ petiit, ei parentes, non contracta fronte, annuerunt. Huius virginis sanctitati malignus inuidens spiritus, suggessit Ge-

Digitized by Google

orgio Bohemorum Regi, vt vna cum Rege, ac Regina Hungariæ se conferret ad Insulam sanctę Mariæ, vbi situm supra ostendimus, fuisse monasterium, in quo eorũ filiam Dei seruitio deuouerant. Cupiebat enim ille magnopere videre virginem, de cuius sanctitate multa mira circumferebantur. At vero vt primum Bohemus ipsam intuitus est, ob eximiam formam, qua virgo erat insignis, amore eius capitur. Petit igitur, eam sibi matrimonio iungi, dicitq; nihil se dotis à parentibus habere velle, sed Regnum suum, & quicquid ei esset, virgini se dono daturum: modo efficiant eius parentes, vt, quod petit, assequatur. Respondit pater, fieri non facile posse, quod petitur, propterea quod à tenerrimis annis, Virgo esset diuino mancipata seruitio, adeoq; esset in sancto confirmata proposito, vt putet suam filiam malle mori, quam vllis parentum vel suasionibus, vel consiliis acquiescere. Cæterum post multa vltro citroque dicta, quibus Bela Rex considerans, quantum boni ex eo coniugio posset ei euenire filiam adit. Adiens quoq; matrem, rem illi proponit, redditq; causam, qua ipsam assentiri parenti oporteret. Se præterea daturum operam, vt mittat ad Romanum pontificem, cuius potestate possit illa talis matrimonii gratia, sine vlla Dei offensione, ad seculi transire delitias, Deoque adoptionis filios gignere. Cui illa, *Pater,* inquit, *desine, rogo, carnalia mihi coniugia proponere. Tu namque à primis meæ ætatis annis, me Iesu Christo desponsasti. Nunc autem Deo factæ promissionis oblitus, ita mutasti sententiam, vt horteris me, abdicato cœlesti sponso, violataque mentis & corporis puritate, nubam homini peccatori? Religionem quam professa sum, nunquam deseram: corporis mentisque mundiciam, quam Regum Regi dedicaui, nunquam maculabo. Memoria teneo, cum tu, agentem septimum ætatis annum, Polonorum regi sponsam me destinare tentasti: credo equidem te meminisse, quid tunc tibi responderim. Dixi enim illi me, dum viuam, velle seruire, cui me sponsam ab ineunte ætate deuouisti. Quod si tuæ voluntati, quæ aduersabatur iustitiæ, nequaquam gessi morem: assentiam ne tibi nunc, cum ætate sim grandior, atque ideo sum facta cum prudentior, tum præcipue gratiæ diuinæ capacior? Desine igitur pater, me à proposito religionis auertere. Nam regno, & opibus, ac cæteris, quæ pollicetur Bohemus, cœleste regnum, Christique omnis suauitatis delitias antepono. Malo igitur mori, quam tuis mortiferis parere consiliis.* Talia dicenti virgini cum ille dixisset parentem se esse, atque idcirco diuino præcepto, sibi à filia oportere obtemperare: his verbis, & patri & matri, quæ aderat, respondit. *Quotiens mihi iusseritis, quæ Deo placent, vobis, vt meis parentibus, ac Dominis obediam: sin iusseritis, quidpiam à me fieri, quod diuinæ aduersetur iussioni, neque parentes, neque dominos meos vos, nec vnquam fuisse, nec esse cognoscam.* Ita illi constantiam filiæ animaduertentes, ab incœpto destiterunt: virgo autem Christi, reliquum vitæ tempus, omni cum sanctitate consumpsit. Aliquot post annis incidens in grauem corporis morbum, accersitis ad se sororibus, quæ erant cæteris natu grandiores: prædixit illis diem & horam, qua esset vita excessura. Susceptis deinde Christianis de more Sacramentis, momento, quod illa pronunciauerat, pie extincta est: Anno ætatis suæ octauo, & vicesimo, xv. Calendas Februarii, quo die celebrare solet Romana Ecclesia, Beatæ Priscæ virginis, & martyris solennitatem, anno ab ortu saluatoris LXXI. Supra millesimum & ducentesimum. Verba eius nouissima hæc fuerunt: *Domine mi Iesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum:* qua corpore egressa, ex illius facie claritas quædam admirabilis, quam omnes virgines, quæ aderant, manifeste viderunt, effusit. Atq; ita visa est fuisse à dolore mortis extranea, sicut a corruptione carnis extiterat aliena. Ipso autem momento, quo migrauit è vita, ostensus est diuinitus transitus è corpore, mulieri cuidam Deo acceptæ, cuius mansio distabat à monasterio, centum ferme millibus passuum. Visionem vero suam viro illa patefecit. *Scias,* inquiens, *hac nocte beatam Margaritam, Regis nostri filiam, diem suum obiisse: Vidi equidem ipsam gloriosa amictam stola, transferri ab Angelis in cœlum.* Ille cupiens scire verum ne esset, quod ei nunciauerat vxor: ad Insulam profectus est, & Christi virginem eo tempore, quod vxor ei dixerat, fuisse defunctus

A. Chr. 1271.

inuenit. Coniugis autem suæ visionem fratribus ordinis prędicatorum, qui in Insula tunc erant, narrauit. Ostensa quoque est felix eius ad alteram vitam migratio, religiosæ cuidam mulieri, quæ in eadem Insula, circa sancti Michaelis monasterium degens, agensq; suorum peccatorum pœnitentiam, se ieiuniis, & orationibus, aliisq; multis bonorũ operum generibus, affligebat. Nec perpaucis ante mortem beatæ Margaritæ diebus: vidit in somnis, sanctam Dei genetricem, stipante eam magna virginum caterua, è cœlo descendentem, introeuntemque locum, vbi illa ægrotans iacebat. Tenere autem suis manibus videbatur, coronam miro candore coruscam, mireq; variis gemmis, ac margaritis ornatam. Vt autem introgressa est, eam coronam capiti eius imposuit, erectamq; illam inter Virgines, magna cum omnium lętitia coronauit. Mox loco illo egredi visa est, atq; in cœlum, vnde venerat, per gradus quosdã, cum ingenti comitantium eam virginũ applausu, conscendere. Eam visionẽ illa ad monasteriũ se conferens iureiurando vulgauit. Qua ex re iudicatum est ab omnibus, qui vulgari visionem audiuerunt, beatam Christi sponsam Margaritam, haud multo post moriturã: & pro meritis eius, inter fœlices animas collocandam. Claruit & viuens, & post pium ipsius obitum, in hanc vsq; diem, multis variis miraculis, quib. ipsam innocẽter, & religiose sancteq; vixisse manifeste demonstratum est. Ea miracula fide dignissima, non existimaui, vt hoc loco à me cõmemorarentur: cum satis intelligã, me, præter meum institutum, nimium excessisse à narratione rerum, quas perstringere decreuerã. Post Belam, regnũ tenuit Stephanus, eius filius annos duos. Decessit anno Iesu Christi, 1224. fuit in armis plurimum fortunatus. Bella gessit aduersus Bohemos, qui superiore victoria facti insolentiores, Hungaros ad arma multifariam prouocabãt. Sed ipse cohortatis suis, vt rem strenue gerendo, illatas vlciscerentur iniurias: prælium commisit, haud procul à fluuio, quem appellant Rapczam, quo eos cum Othocaro eorum Rege, superauit. Erat illorum exercitus ex variis compositus gentibus, omnes nihilo minus primo pene impetu, Hungari fugauerunt. Multi ex illis capti, interfecti supra decem millia.

INDEX XVI.

EI successit Ladislaus filius, regnauitq; annos, xvi. Fudit & is Bohemorum copias, Ottocaro eorum Rege in Morauia cæso. Fudit & exercitum Comanorũ, qui duce Oldamuro inuasit Hungariam, vt eam illius ditioni subigerent. Sub hoc Rege Tartari infestis armis denuo Hungariã ingressi sunt, qui omnia pene longe, lateq; vsq; ad Pestum, direptionibus, atq; incendiis absumpserunt. Anno deinde ab eorũ ingressu secundo, non sine maxima pręda excessere. Duxerat hic Rex vxorem, filiam Caroli II. Siciliæ Regis, ex qua plures suscepit filios. Sed ipse vxore, liberisq; despectis, cũ Comanis mulieribus, licet essent à Christiana Religione alienæ, omnem suam vitam libidinose viuendo, consumpsit. Quin ea de causa Regni sui curas omnes pene prætermisit, ita vt non modo sui, omnisq; regni decoris, sed suæ quoq; religionis penitus oblitus esse videretur: quæ res causam præbuit suis popularibus, vt ipsum nõ mediocri odio prosequerentur. Percrebuit tanti flagitii rumor, apud sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatum, nec non apud plerosq; sæculares catholicos Principes: qui infamem eius vitam, vti par erat, abominabantur. Itaq; missus est vnus è numero Cardinalium, ab Apostolica sede Legatus, qui re cognita, si Rex perseuerare vellet in scelere: in ipsum sententiam ferret anathematis, priuationisq; Regni iudicio ipsum condemnaret. Quod à legato post inquisitionem, quam diligentissimam effectum est, idq; fieri, petiere cuncti Regni viri primarii. quandoquidem sceleratus Rex maluit noxiæ indulgere libidini, quam & abstinere flagitio, & maximo parere Pontifici. Cæterum vltor scelerum Deus, non est passus, vt impius homo ea execranda facinora impune perpetraret diutius. Haud enim multo post, quam legatus rediit ad vrbem Romam, à Comanis, quibus maxime fidebat, ob morum asperitatem, necatus est. Anno ab incarnato filio Dei. M. CC. XC. *A. Chr. 1290.*

INDEX

INDEX XVII.

REGNAVIT post eum Andreas, eius Nepos, annos XI. Quisnam autem is fuerit, paucis memorandum est. Andreas huius nominis secundus, de quo supra suo loco meminimus: reuersus à terra sancta, duxit vxorem, filiam Marchionis Estensis Itali, ex qua genuit filiũ, cui Stephano nomen fuit. Is cũ fuerat natus, mortuo namq; viro, vxor iam facta grauida, quod Hungariȩ Magnatib. patefecit, ad patriã regressa est, & ibidẽ apud maternũ auum vbi adoleuit, duxit vxorem cuiusdã ciuis Veneti filiam, cuius magnæ tunc erant opes. Ex illa igitur Stephanus suscepit filium, Andream nomine, de cuius Regno nunc loquimur. Is igitur superstite adhuc Ladislao, de quo Rege, paulo ante habita fuit mentio, adiutus Aui, soceriq; opibus: perrexit in Hungariam, propterea quod cum haberet Ducis appellationem, quæ dignitas est Regi proxima, sperabat se adepturum in Regno Dominatum, quem adepti antea fuerãt, quicunq; fungi eiusmodi Ducis dignitate consueuerant. Inter hæc Ladislaus à Comanis occiditur. Accepto igitur necis nuncio, Hungari quos non latebat, quali genere esset Andreas exortus, ipsum electum appellatumq; Regem coronauerunt. Austriam hic in potestatem redegit, obiit Budæ anno salutis humanæ, M. CCC. I. Sepultus est apud fratres minores, in æde beati Ioannis Euangelistæ. Sub eo Hungarorum primores in duas discessere factiones. Earum vna Rege adhuc viuente, impetrauit à Bonifacio, huius nominis octauo, Romano pontifice, mitti puerum quendam vndecim natum annis, qui Hungariȩ regno, Andrea abdicato, præficeretur. Pro rei autem huius notitia, hoc paulo altius repetendum est. Maria Stephani Hungariæ, huius nominis V. Regis, filia, nupsit Carolo, huius nominis primo, Regi Siciliæ. Ex illa natus est ei filius, cui Carolo quoq; fuit nomen, qui & patre extincto, Regnum Siciliæ tenuit. Is ex Clementia Rodolphi Imperatoris, filia, genuit Carolobertum, quem Hungari postea Carolum nominauerunt. Hũc ita Pontifex Maximus, adductus precibus, ac rationibus alterius Hungarorum factionis, quæ sunt visæ iustissimæ, quam Andream regno præficiendum. Eius rei gratia legatus Apostolicæ sedis missus quidem est in Hungariam, sed re infecta, eo, vnde venerat, rediit. Tantæ namq; tunc erant Andreæ opes, vt neq; legati potestas, neq; arma aduersariorum facile ipsum Hungaria pepulissent, qui aduersæ erant factionis. Andrea mortuo, Vinceslaum Bohemorum Regem adiere, cohortatiq; illum sunt, vt peteret Hungariam, sibiq; regnum, quod iure suum esset, acciperet. Iuris autem hanc causam attulere. *Audi,* inquiunt, *Rex inclyte, quam tibi reddimus causam, quod ad te pertinere Hungariæ regnum arbitramur, vt non inani prorsus persuasos consilio, ad te nos venisse intelligas. Ottocarus Bohemorum olim Rex, quem Ladislaus quartus Rex noster interemit ex vxore, cuius fuerat Bela pater, Rex & ipse olim noster huius nominis quartus, genuit te, qui patre tuo mortuo Bohemiæ Regnum nunc tenes.* Non *igitur iniuria sed iure optimo Regem nostrum postulatum te venimus: bono animo esto. Nam & si aduersarii nostri curant Carolum sibi constituere Regem: auxilio potestateq; Pontificis Maximi, nos & cæteri, qui nostris fauent partibus, eis obnixe repugnabimus. Nunquam tibi deerimus. Tibi semper consilio, opera, armis erimus auxilio: celeritate tibi opus est, da operam vt quamprimum te committas itineri, ne opes aduersariorum, dũm tu diem de die trahis, nimium augeantur.* Vinceslaus cum esset senio confectus, quod illi proposuerant, admittere noluit, quanquam post multa vltro citroq; dicta, paucissima hæc tandẽ adiecit: *si quid,* inquiens, *iuris succedendi in regnum Hungariæ mihi est, id totum Vladislao tandem filio meo trado. Curate vos persuadere Iuueni, vt traditum ei ius, per ignauiam non amittat.* Id Hungari audientes, nihil morati, Iuuenem adeunt, facileq; persuasum, ducũt quocunq; volunt. Cum igitur Albam cum illo peruenissent: Regem eum appellauerunt, coronaueruntq;, ac non Vladislaum: sed V, litera detracta, Ladislaum ipsum vocari maluere. Ita Hungarorum discordia effectum est, vt vno, eodemq; tempore, duos haberet Hungaria Reges. Habuit & tertium. Namque alii quidam Regni optimates, Othonem Bauariȩ ducem, introductum

A. Chr. 1301.

 Carolus Rex.

ctum in Hungariam, perductumq; Albam, regem quoq; appellatum coronauerũt: à Ladislao ablato diademate illo, quo legitimi Hungarorum Reges coronari consueuerunt. Sed à Ladislao Vaiuoda non multo post captus, in carcerem coniectus est. Fuit tamen deinde libertate ab illo donatus, ea adiecta lege, vt Hungaria ilico excederet. Sunt nihilominus qui affirment, effugisse illum è carcere, coronamq; secum asportasse. Cumq; ille cui custodienda, portandaq; fuerat tradita, illam amisisset: reperta est à viatoribus, per viam vbi ceciderat, iter facietibus, qui Vaiuodæ ipsam restituerunt. Redeo ad Carolum.

INDEX XVIII.

POST hæc, missus Gentilis sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ presbyter Cardinalis ab Apostolica sede legatus, ita persuasit Hungaris: vt depositis odiis, sublatisque simultatibus, absq; vlla reluctatione, Carolum Regem susciperent. Acto itaq; Albæ omnium optimatum conuentu, summa cum omnium lętitia regni coronã accepit. Magna cum laude regnum hic suum tenuit, annos duos & quadraginta. Tres duxit vxores, Mariam natione Polonam, Cazimerii Ducis filiam, Beatricem, filiam Regis Romanorum, Elisabetham, filiam Ladislai Regis Poloniæ. Illæ absq; vlla sobolis susceptione decesserunt, ex hac vero suscepit filios quatuor. Carolum, Ladislaum, Loyn, qui & Ludouicus nominatus est, & Andream. Quidam è suis domesticis Felicianus nomine, maligno adductus furore, parauit insidias, quibus ipsum vna & Reginam ac eorum liberos interimeret. Sed patrari execrabile facinus nõ est passa diuina benignitas, detectæ namq; insidię fuere. Idcirco debitas, iubente Rege dedit, pro tentato scelere, pœnas. De ipso enim deq; sibi necessitudine coniunctis, suppliciũ sumptum. Bellum gerens aduersus Matthęum Trinchinium hominem genere nobilem, & armis opibusq; potentem, qui Hungariam armis infestabat: illius ingentem exercitum prælio vicit. Regnum suum prudentia, rebusq; fortissime gestis, non conseruauit modo, tutatusq; est, sed auxit etiam plurimum. Copias instructas, atq; expeditas, non solum bello, sed pace quoq; semper habuit: vt quotiens rerum exigeret necessitas, præsto essent: Ita ingens facta est eius, apud cunctas pene orbis terræ nationes, auctoritas. Sua ditione tenuit Dalmatiam, Croatiam, Seruiam, Lodomeriam, Russiam, Cumiam, Bulgariã, Bosnam. Vixit Christianissime, ideoq; multis Christiano homine dignis virtutibus ornatus, inter orbis Principes non mediocriter enituit. Erexit ædem apud Lippam, in honorem sancti Ludouici, ordinis fratrum minorũ, qui eius fuerat frater. Constituit & ibidem Cœnobium, in quo eiusdẽ ordinis sacerdotes Deo famularentur. Albæ beatæ Mariæ virginis ædem, quæ sæpe conflagrare ante solebat, plumbeis texit laminis. Cumq; postea ipso viuente, etiã conflagrasset: plumbo ipsam denuo texit. Obiit anno humanę salutis, M. CCC. XLII. XVII. Calend. Augusti: Albęq; sepultus est. *A. Chr. 1342.*

INDEX XIX.

EI successit Ludouicus filius, quem ex Elisabetha vxore, Poloniæ, vt iam dictum est, Regis filia susceperat. Fuit animi magnitudine, religioneq;, atq; aliis multis Christiano principe dignis virtutibus, parenti non modo simillimus, sed etiam par. Paternum regnum & gloriam conseruauit, & auxit. Bello & terribilis & fortunatissimus, pace mitissimus. Huius frater fuit Andreas ille Sicilię, seu mauis Regni Neapolitani Rex, cui nupsit Ioanna, Roberti Regis filia: quę Andrea ipso non modo despecto, verum etiam abdicato, nupsit Philippo Principi Tarentinorum. Post multas deinde ei illatas iniurias, ipsum interfecit, vt suo loco ostendi, texens cathalogum Regum Neapolitanorum. At vero Ludouicus ea de causa, cum valido exercitu, semel & iterum profectus ad Ioannæ Regnum, fratris necem vltus est, multisq; ibi fortiter, glorioseq; gestis, in suum rediit Regnum. Elisabetha quoq; eius mater, in filii auxilium, antequam illi necis insidiæ, à dira coniuge pararetur, Neapolim vsq; nauigauit. Composita deinde inter filium, & nurum concordia, Romam perrexit, quò

beatorum Apostolorum Petri & Pauli corpora veneraretur. Duxit hic Rex vxorem Margaritam, virginem præstāti forma, Caroli Marchionis Morauiæ filiam. Cæterum ea immatura morte defuncta, duxit Elisabetham, filiam Stephani Bani, viri genere insignis, ex qua tres ei filiæ natę sunt: Catharina, Maria, Aduiga. Misit copias contra Tartarorum exercitum, qui inuaserunt Trāsyluanos, & Siculos, illosq; duce Andrea Laczico, profligauit. Fudit & copias aliquot rebellium, qui in Croatia, & Dalmatia motus magnos exciuerāt. Duxit in Italiā potentem contra Venetos exercitum, qui sibi occupauerant Dalmatiæ partes maritimas, easq; restituere, cum essent ditionis Regum Hungariæ, recusauerant. Aliquot illis vrbes in quîs fuit Taruisium, multaq; castella ademit: Nec destitit ab armis, donec ei, quę occupata ab illis fuerant, restituerentur. Misit & auxiliares copias summis pontificibus, Innocentio, Gregorio, & Vrbano, propterea quod nōnulli Itali Tyranni, multa Romanę Ecclesię oppida, suæ ditionis fecerāt. Expugnauit Bosnenses, & Bulgaros, qui ab ipso desciuerant. Alias multas suscepit expeditiones, in suos aduersarios: in quîs fuit Carolus Imperator, de quibus omnibus magnam fuit gloriam cōsecutus. Lituanos infestantes Russiam, quæ tum ei parebat, vertit in fugam. Deditq; operam vt ea gens, cum abhorreret à pietate Christiana, Christi susciperet cultū. Ipsius præterea cura effectum est, vt Comani, genus hominū ferox, (& Imperium,) qui Tartarorū ritu, absq; vlla Religione ante vitam egerant, ad Christi fidem conuerterentur. Nauauit & operā, vt Patareni, Bosnensis natio, abiecta execrabili illa manicheorum Hæresi, cui perdiu inhæserant, ad fidei veritatē, vnitatemq; redirent. Verum perfidi homines haud multo post ab eorū Hęresiarchis persuasi, ad pristinos redierunt errores. Pepulit ex Hungaria Iudæos, eò præcipue, quod fœnore, multos ad extremā redegerant inopiā. Electus & coronatus fuit Poloniæ Rex: tantū valuit eius apud externos auctoritas. Sub eo beati Pauli, primi Heremitæ, Corpus è Venetiis, in Hungariā translatū est. Constituit autem complura cœnobia, in quib. viuerent Heremitæ, qui ipsius beati Pauli religionē profiteri se dicunt. obiit mortem A. Chr. 1382. 3. Idus Septembr. Sepultus est Albę in facello, quod viuens extruxerat ædem beatæ Mariæ virginis. Regnauit annos XL. Morte eius imminente, crinita apparuit stella, quæ tanti principis è vita exitum, absq; vlla dubitatione, significauit.

A. Chr. 1382.

INDEX XX.

RELIQVIT filias duas, quarum natu grandiorem Mariam nomine puellā adhuc destinauerat, vxorem Sigismundo, qui & ipse erat tum admodum puer, eratq; Marchio Brandeburgensis, & filius Caroli Imperatoris, Regisq; Bohemorum. Illo itaq; mortuo: ea puella totius senatus Hungarorū consensu, Regina coronatur decerniturq;, vt non minus, quam si esset Rex, apud ipsam rerum summa constaret. Cum Elisabetha igitur matre, cuius vsa est cōsilio, cœpit primum magna cum laude, cuncta administrare, prout tāti regni curæ exigebant. Haud tamen multo post, fit Elisabetha [praua consultrix], persuasa videlicet quorundam factiosorum consiliis, dolosisq; suggestionibus. Cœpit namq; multis ex Hungarica nobilitate præstantibus viris, suas adimere, & aliis tribuere facultates, honores, dignitates: quas illis Ludouicus, ob merita ostēsarum ab eis virtutum impenderat. Ob rem itaq; adeo indignam, multæ toto in regno seditiones, ac simultates oriuntur. Quocirca placuit plerisque ex Neapolitano Regno accersendum in Hungariam Carolum cognomēto paruum, qui fuerat filius Andreę eiusdem regni Regis, Ludouici vero nepos: cui regni Hungariæ successio deberi iure videbatur: facile ille persuasus, venit in Hūgariā, & Regni coronā, fautorib. illis, à quib. fuerat accersitus, cōsecutꝰ est. Cęterum Elisabetha graui ob id affecta molestia, dat operā, vt per amicos Carolus obtruncaretur. id vbi est factū, regni administratio denuo ad Reginam peruenit. Ea re Sigismundus Marię sponsus cognita, quā celerrime pergit in Hūgariā Rexq; appellatus, regni corona donatur, agēs ętatis annū 20. Erat aūt is annus ab incarnato filio Dei, 1386. Hic est Sigismundus ille, qui postea fuit Roma-

A. Chr. 1386.

Sigismundus, Albertus, Austriac^9 Reges.

Romanorum ab Octauo Augusto, vigesimus quintus Imperator, de quo suis in locis supra multa, quæ sunt visa relatu digna, prodidimus: Fuit & Rex Bohemorum, quorum regnum adeptus est, mortuo Venceslao eius fratre. Huius regni coronam suscepit anno ortus Domini nostri Iesu Christi, M. CCCC. XX. obiit diem suum in Morauia, quæ Regio ditionis est Regum Hungarorum. Regnauit in Hungaria annos, LV. vixit annos septuaginta. *A. Chr: 1420.*

INDEX XXI.

TENVERAT Sigismundus ex vxore nomine Barbara, Ermandi Ciliæ Comitis filia, Elisabetham, quam viuens Alberto Austriæ Duci, matrimonio iunxerat. Illo itaq; extincto, Albertus & Hungarorum Rex coronatur, & in Bohemiæ Regnum illi succedit: consensu præterea eorum, quibus huiuscemodi res curæ esse consueuit, Imperator eligitur Romanorum. Fuit is magno animo vir, & Christianæ fidei defensor acerrimus. Mouit namq; bellum aduersus Hussitas, id est, cōtra Bohemos illos, qui Ioannis cognomento Huss, errores contra sacro sanctæ Catholicæ Ecclesiæ fidem affirmant, pertinaciterq; tenent, ac prædicant. De quorum damnata hæresi, suo in loco, quæ fuerint cognitu necessaria, perstrinximus. Duxit quidē Christianissimus Princeps in illos numerosum exercitū: sed occurrentib. quibusdam suarum rerum difficultatibus, necesse ei fuit, à suscepta expeditione desistere. Parantem postea bellum aduersus illos denuo gerere, immatura mors rapuit, quippe qui paulo minus duob. annis, Regnum tenuit. Vita excessit anno salutis humanæ, M. CCCC. XXXIX. Albæ sepultus est.

INDEX XXII.

MORIENS Albertus, cum adessent aliquot è Regni optimatibus, Elisabetham reginam grauidam ex se factam asseruit, *Memineritis*, inquiens, *viri Hungari, eum iure futurum Regem vestrum, quem Regina vestra partu ediderit:* Fuerunt ex iis, qui tum aderant qui Regis dicta nihili penderent: Pleriq; verò eius verba memoriæ mandauere: nec plane sine consilio, vt videlicet expectato partus tempore, quod faciendum Rex monuerat, magna cum fide exequerentur. Illi igitur qui morientis Regis verba despexerunt, censuerunt, nequaquam expectandum Reginæ partum: id enim si fieret, actum esse arbitrabantur de Regno Hungariæ. *Nam quid aliud expectaretur, quam quod Hungarorū Respublica, regeretur à fœmina: quæ non suo, sed aliorum consilio regnum moderaretur? Timendum esse regno amplissimo exitium, si tantisper esset expectandum, dum nasciturus infans ad tenendum Regnum esset idoneus. Idcirco malle se accersere virum quempiam externum, quem Regem sibi constituant, quam quod vel fœminæ, vel infantis tutoribus, & educatoribus esset tanti regni credendum imperium.* Itaq; decretum ab illis est, accersendum Vladislaum iuuenem, morum elegantia præclarum, Lituaniæ Ducem, Regisq; Poloniæ fratrem. Is quam celerrime adiit Hungariam, ac fauore illorum, qui ipsum produxere Budam ingressus est, anno Dei, & Domini nostri Iesu Christi, M. CCCC. XL. Alii vero permulti, quos non dum Sigismundi cœperat obliuio, eiuscemodi rem grauissime, atq; iniquissimo animo tulere. Inter hæc Regina peperit, natoq; infanti indidit nomen Vladislaum. Mox adiit Albam, secutaq; est eam haud mediocris pars Hungaricæ nobilitatis. Ibi datur opera, vt infans vix quartum ætatis agens mensem, coronaretur. Affuit tunc magna auctoritate vir. Dionysius, Strigoniensis Antistes, ac S. Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis: qui infantem, de more & inunxit, & coronauit. Is præterea, aliquotq; alii Ecclesiarū prelati, ac multi regni proceres in Reginæ, nouelli tamen Regis nomine, verba iurauerunt. At vero Regina muliebri astu decepit præfectum Arcis Vicegradi: quo in loco Diadema, fidei nāq; illius erat creditum, seruabatur. Cum enim ad reponendū in suo loco coronā itum est, Regina non plane illam, sed aliud quiddam in arca reposuit: arcam autem obserauit claui, deq; more obsignauit sigillo, illudq; simul, & clauē arcis præfecto, cunctis qui aderant spectantibus restituit, nec quisquam fuit ex *A. Chri 1440.*

Vladisla⁹ Polonus Rex.

illis, à quo excogitatus à fœmina dolus deprehenderetur. Ita coronã per dolos retentam, illa subripuit, nec multo post inde excedens, adiit Fredericum Austriæ Ducem, Regemq; Romanorũ, qui Vladislao erat cõsanguinitate propinquus. Non enim dubitabat astutissima mulier, qui apud Fredericum, & nouellus & infans Hungarię Rex, educaretur fidelissime, & delata ad se corona, seruaretur quam diligentissime. Redeo ad Vladislaum. Veniens is in Hungariam miro eorũ, qui alterius erant factionis, fauore, susceptus est: multi quoq; ex plebe, partes eius secuti sunt. Ita paulatim fuerant auctæ eius & opes, & auctoritas: breuiter Rex à plærisq; appellatur. Cumq; coronari ipsum oportere ab amicis acclamaretur, quæsitaq; in solito loco corona, minimè inueniretur: rei supplementum haud indecens excogitandum est. Quodam enim diademate, quod vna cum sacris beati Stephani, olim Hungarorum Regis, reliquiis seruabatur, ipsum coronauerunt. Corona illa, quam dixi à Regina subreptam, est quiddam apud Hungaros inprimis religiosum, atq; venerabile: estq; apud gentem eam, pertinaci quadam cura perdiu seruata consuetudo, vt nemo vel creetur, vel appelletur Rex, qui non eo coronetur diademate. Perhibẽt namq; coronatum illo fuisse beatũ & sempiterna memoria dignũ Regem, Stephanũ, cuius supra regnũ, vitamq; perstrinximus. Subsecuta sunt post hæc procerum magna inter se dissidia, intestinaq; bella moueri, ac parari per vniuersam Hungariam, maximo animorũ ardore cæpere. Nec dubitari pôt, quin tã periculosa bella, sine variis ac miserabilib. stragibus, cædibusq; & cladibus, atq; multiplicib. prędis, & direptionibus, agrorumq; vastationibus, gesta sint. Tot aũt, tantisq; atq; aliis permultis malis, afflictata est Hungaria, annis fermè duo detriginta. Hinc enim arma inter se conferebant Hungari, indeq; Bohemus, hac Polonus infestabat Hungariã, alia ex parte Amoratus Turcarũ Tyrannus, eiusmodi discordiarũ nactus occasiones, Hungariã ipsam inuadere cogitabat. Iam enim paulo post Alberti mortem, cum ingentib. exercitib. suos cæperat egredi fines, vt sibi, quascunq; posset, regiones, gentesq; subigeret Christianas. iã subacta inferiore Misia, penetrauerat in superiorem, cuius portio quædam est Rascia, quam vocitant Seruiam. Eam omnem nationem breui & absq; magno suorum discrimine, in suam ille redegit potestatem. Mox ingredi parabat Hungariam, qua ei regioni est contermina ipsa superior Misia, & nisi ingentib. illius conatib, obuiam itum esset, opera opeq; & armis Ioannis Coruini, cuius multa fortia facta, supra idoneo in loco memorauimus: actum iam prorsus esset, de re Hungarorum, deq; vniuersis Hungariæ propinquis, conterminisq; regionibus, inprimis de nostra Italia. Omnia quippe in ipsis Turcæ fortasse nunc longe, lateq; tenerent, sublatis Christianorũ Principum Imperiis, vti fecisse eos constat, apud Græcas nationes: eiusce nãq; calamitatis est adhuc memoria recens. Ab Hungaris igitur, & à cæteris eis finitimis nationibus Christianis, immortales agendę sunt Ioanni Coruino gratię, qui Hungariam futura, audacissimaq; illa Turcarum irruptione, inuasioneq; seruauit. Ad eas autem intestinorum bellorũ sæuissimas tempestates, discordiasq; placandas, missus est ab Apostolica sede legatus, Iulianus Cæsarinus, natione Romanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis: de quo supra suo loco pauca mẽtione digna prodidimus. Is dum nauat operam, vt pax componeretur inter Elisabetham Reginam, & Vladislaum, Regina ipsa moritur: quamobrem obuenit, vt Vladislai auctoritas apud omnes plurimum augeretur. Ad quod hoc accessit potissimum, quod Ioannes Coruinus, eius partibus maxime fauit. Qui sub eo bellum postea gerens aduersus Turcas, intra paucos menses, multas victorias, magna cum laude assecutus est: quæ supra, vbi est facta de ipso mentio, cõmemoratæ sunt. Postea cum Vladislaus persuasus à Legato, bellũ mouisset aduersus Amoratũ, cõmissoq; cruẽtissimo illo, maximeq; memorabili pręlio, quo Christianus ingẽs exercitus infœliciter dimicauit cũ Turcis, A. Ch. 1444. vt supra quoq; suo loco tradidimus, strenuissime rẽ gerẽs, oppetiit. Agebat aũt eo tempore annum ætatis primum, & vigesimum, regnauit annos quatuor.

A. Chr. 1444.

Ioannes Coruinus Gubernator.

INDEX XXIII.

ERAT per id temporis Vladislaus, Alberti filius, annos natus quinq;, idcirco cum per ętatem non esset idoneus, cui Regni traderetur administratio: habita ratione gestarum rerum, aliarumq; multarum virtutum, spectatæ præsertim multis in rebus fidei Ioannis Coruini: magno totius Hungariæ cōsensu, delectus ipse est, qui Regis loco, Vaiuodæ tamen appellatione, vniuersum Regnum, cum imperio moderaretur: ipsumq; sua illa animi magnitudine illaq; in rebus gerendis ei arridente fortuna, tutaretur. Eam electionem secutus est omnium populorum mirus applausus, gaudiumq; non mediocre, & lætitia incredibilis. Tanta nāq; erat virtutis viri apud omnes Hungaros existimatio. Is ante omnia quæ sunt ei visa factu necessaria, curauit, vt corona, vna & Vladislaus puer Alberti olim Regis filius, quem Fredericus Augustus apud se tenebat, vt ante dictū est, recuperaretur. Sed cū ille restituere recusaret, qđ iure postulabatur: indignitatis rei Ioannes impatiens, infestis armis excurrit per multa loca, quę tenebātur illius ditione, per Carinthiā præsertim, & Carneolam, Stiriamq;. Et præterquā quod multarum ciuitatū, atq; villarū agros, incēdiis ferroq; vastauit: ingentem etiam inde prædā pecorum, atq; hominū traxit. Fecit id vir prudentissimus eo consilio, vt Fredericus ob acceptum tā grande detrimentum, ad restituendū Hungaris, quod suū erat, adduceretur. Sed ille parum id curauit, perinde atq; ad rem suā nihil attineret. Fuere ea tēpestate permulti mortales, qui Fredericū accusarent ignauię, desidiæq;, propterea qđ cum illi non deessent opes, quibus potuisset repugnare hosti: se tamen domi continuit, & violentiæ non restitit, quia cū esset Princeps Christianus, quod sciebat non esse suū, sibi retinuerit tam obstinata pertinacia. Mouit & bellum Ioannes, quod ad extremū confecit fœliciter, aduersus Georgiū, Seruiæ Despotum, à quo fuerat magna & indigna, & quæ non erat æquo animo ferenda, lacessitus iniuria. Confecto namq; bello, quod ei fuerat cū Turcis, rediens per Seruiam in Hungariam, diuersatus est apud ipsum Georgiū, à quo credebat amice se hospicio suscipiendū. At vero ille hospicii iure violato, non amicū, sed hostem Ioāni se exhibuit. Captū .n. ipsum carcere obseruauit, nec inde abire permissus esset, nisi Ladislaū, filium obsidē apud illū reliquisset. Susceptis tamen armis aduersus illū, haud multo post profectus, cum multū agrorum vna prope excursione per Rasciam peruastasset. Suscepit & expeditionem contra Bohemos: qui suis egressi finibus, aliquot Hungarorū Castella expugnauerāt: ipse vero non modo occupata recuperauit, sed & profligato hostium exercitu, multa Castella, multumq; agrorum illis ademit. Posthæc multa parauit in eius nationis exitium, quæ plane cōfecisset fœlicissime, nisi eius cæptis fuissent impedimento nōnullorum ex Hungarica nobilitate, in ipsius caput paratæ proditorū insidiæ. Itaq; adactus est necessitate, vt, quæ cōceperat animo, in tēpus differret opportunius. Deinde cum Amorattus Turcarū Imperator pararet inuadere Rasciam, ideoque Georgius suis diffidens viribus, Ioannis petiuisset auxilia, vt licet in ipsum aliquādo peccasset, cum tamen esset homo Christianus, non esset à Duce Christianissimo, in tanta mole rerum desetendus: nō abnuit ipse, sed & opem illi tulit, & affuit. Cū suis enim copiis Turcis iuit obuiam, cōmissaque pugna, victor euasit. quippe qui plærosq; illorum vertit in fugam, multos occidit, illos autem, qui erant bello meliores, cum Frizebugo, illorum duce, captos, tradidit Georgio, qui pro sua libidine, illos vel trucidaret, vel cōiiceret in vincula, aut traderet suis, à quibus auro redimerentur. Paucis postea interiectis mensibus, cum Fredericus Cęsar ageret in Noua ciuitate: quod oppidum in Austria est, nec vellet restituere Vladislaum Hungaris, qui illū, quod erat eorum Rex, poscebant: ab illis Ioannis consilio, ac iussione obsessus est: perseueratumq; fuit in obsidione, donec affectus ille tædio, Regem illis tradidit. Cur autem tradere illum ante noluerit, hanc reddebat ipse causam: quod timebat adolescentulo, ne videlicet, si in manus venisset Hungarorū, fore fortasse quempiam, qui ad illum necandū, aliquid pararet insidiarum. Cæterum

Rex. post multa vltro, citroq; dictitata, res ita composita est, vt Hungari æquo paterentur animo, vt à Cæsare adhiberetur adolescentulo, vir aliquis natione Germanus, qui illi assisteret, illumq; educaret: donec ad Regnum administrandum esset idoneus. Vbi inter ipsos ita conuentum est, permittente Cæsare: Hungari Vladislaum læti Viennam, honestissima Germanorum nobilium frequentia, comitatum deduxere.

INDEX XXIIII.

IN ea vrbe, vbi de rebus agendis multa dicta, agitataq; sunt: decretum tandem, vt eò conuenirent ex omni Hungaria optimates, à quibus in nouelli Regis verba iuraretur. Itaq; vt primum omnes conuenere, de more à singulis iuratum. Fecit id ante alios, Ioannes Coruinus, qui & sponte sua summo illo Magistratu, quem octo annis magna cum laude gesserat, se coram vniuerso conuentu abdicauit: Rex autem prudentum quorundam consilio vsus, illi & Bistricensem contulit comitatum, & quo se abdicauit, magistratum restituit. Post hæc, eum Rex egregie laudatum, magnificeq; donatum, in Hungariā remisit, vna & omnem Hungarorum illam nobilitatem, quæ Viennam gratia rei, quæ cōmemorata est, conuenerat. Interiecto dein tempore, perrexit Rex ad suum Regnum, ingressusq; est Budam, anno ab ortu saluatoris mundi, M. *A. Chr. 1453.* CCCC. LIII. Illic dum commoratur, accepit Mahametum Turcarum Imperatorem, qui nuper Amoratto patre defuncto, in illius successerat & imperium & opes: expugnata iam vrbe Constantinopoli, parare expeditionem in Hungariam, percrebuisseq; rumorem, illum & iam aduentare, & velle inuadendæ eius principium facere à Taurino, quod oppidum magis vulgato vocabulo Belgradum cognominatur. Nihil itaq; vlterius ibi demoratus, noctu, vna cū Vlrico Ciliæ comite, cuius consilio præcipue regebatur, inde abiit, Viennamque profectus est: in ea quippe vrbe, ab Turcarum impetu arbitrati sunt Germani, qui regebant Regem, se tutiores fore: de Regni vero salute, nihil ab Vlrico, & à cæteris, qui Regem adolescentem regebant, cogitatum. Ideo res ipsa indicauit, quod Budensem arcem, sine vllo præsidio deseruere. Putabant enim eum, qui tam breui temporis interuallo expugnasset Cōstantinopolim, Græcorum adeo facile extinxisset imperium: prima irruptione, primoq; impetu, ac vna tantum excursione, vniuersam sibi subacturum Hungariam, cum ei adiacentibus regionibus. satis superq; de Rege huc vsq; dixerim. De bello à Mahometo suscepto, quemadmodum gestum, finitumq; sit, pauca subiicienda sunt. Id equidem omittendum non censui: ne mihi prætermitteretur immortalitate digna laus, quam Ioannes Coruinus, eo bello sibi comparauit: Suo namq; ductu, atq; auspiciis, causa Dei defensa est: quippe qui sine Regis auxiliis, paucitate autem militum, non solum obstitit potentissimi hostis viribus: sed eo etiam rem vsq; deduxit, vt ille victus, cœptam obmiserit expeditionem, amissaq; magna suarum copiarum parte: in rem malam, eò vnde venerat, hoc est, in Thraciam redierit.

INDEX XXV.

IAM Mahumetus Belgradum, cum ingenti armatorum exercitu peruenit. Ipsum igitur obsidet, & quanta maxima vi potest, oppugnat. Hungarorum autem erat nemo, quanquam omnes maxime formidarent, qui aliquid vel de sua, vel de patriæ salute, cogitandum proponeret. Adducti namq; exemplo Regis, pleriq; ad cogitandum de locis, ad quæ eis esset fugiendum, conuertebant animos. Est Belgradum situm in Rasciæ, seu mauis dicere, Seruiæ, vel superioris Misiæ finibus, hoc est, non à parte Hungariæ, sed penes tamen Danubium, ab vna equidem parte, ab altera vero penes Sauum, qui fluuius ibidem Danubium ipsum ingreditur. Itaq; non à terra tantum, sed à fluuiis quoque, nauigiis aduerso tum Danubio, tum Sauo tractis, oppidum ipsum obsidione longe lateq; cinxerat, quo fiebat, vt nulla ex parte possent obsessis auxilia ferri. Sunt qui dicant in Mahometi exercitu fuisse ad CCCC. hominum, alii ducenta millia, nonnulli millia Centum & Sexaginta, sed ea lectissima fuisse: quan-

quanquam non inficiantur, multa alia millia ad eandem concurrisse expeditionem, spe consequendi prædam inæstimabilem. Namque expugnato Belgrado, quod sperabat fieri posse perfacile: non dubitabant inde apertam eis fore viam, qua breui tota Hungaria perdomaretur. Quatuor & Sexaginta Triremes, & aliorum generum alia permulta nauigia, trahi Mahumetus iussit. aduerso flumine, partim à mari Pontico, partim à locis aliis, Danubio proximis: quibus vecta sunt machinamenta, quę essent bello gerendo necessaria. Quamuis autem inter cætera, vecta sint ænea tormenta, quas vulgo vocitant, vt aliis in locis supra docui, bombardas, & variæ magnitudinis, & pene innumerabilia: fuere tamen duo, & viginti, quæ alia omnia superauere. Fuerunt enim ad os, vnde saxa excuti solent, altitudine pedum septem, trium autem, & viginti longitudine. Hoc vero magna admiratione dignum, non est mihi silentio prætereundum. Excussa Bombardis saxa, quanquam murũ, aliaq; multa dum oppugnaretur oppidum, diruerunt: neminẽ tamen vnquam occiderunt, præter mulierem quandam vetulam, quæ inter oppugnandum, temere domo egressa est. Tentoria sua locauit Mahometus, in ædito quodã loco, vnde circumquaq; cernere posset castra, quæ multũ terræ spacii longe ac late cõplebant. Tumulũ illũ, vbi erant eius locata tentoria, circũstabant tentoriola fidorum militũ, capitis sui custodũ, quos Turcarũ lingua nominãt, Ianizzaros. Disponẽdis bellicis machinis, præerãt magna ex parte Itali, Germaniq; homines. Eorum aũt, quæ erant vsui Bombardis, negotiũ Germanis, Hungaris, Bosnensibus, cæterisq; Dalmaticis datũ. Cęterũ qui erant in exercitu militũ, cura erat vel oppugnare oppidũ, vel ad vastandũ agrũ excurrere. At Ioan. Coruin. cui semper fuit ingẽs cupido dimicandi cũ Christiani nominis hostibus, turpe maximeq; periculosum ducens, Regis & Vlrici, atq; Hungarorũ negligentiam tolerandã diutius: ad hãc solum curã conuertit animũ, vt per se nõ staret, quin summæ totius non tantũ Hungariæ, sed rei quoq; publicæ Christianę calamitati consuleretur, Quippe non eum fugiebat, actum iã esse de re Hungarica, si Belgradũ in Turcarũ redigeretur ditionẽ: inde namq; esse ei genti aditum, vt in Regnũ Hungarię irrũperent. Quatuor sunt huic loco vocabula. Ptolomęus Taurinũ nominat, alii quidã Geographi veteres Albã, recentiorũ alii Belgradum, nonnulli Nanderalbã appellant. Duci igitur prudẽtissimo, nihil fuit potius, quam vt excogitaret viam, ac modũ, quo opem ferret obsessis. Idem enim oppidi murus ac turres vi tormentorũ, quotidie quassabantur, magnaq; eorũ pars conciderat, eorũq; ruinis cõpleri fossæ incipiebãt. Ita paulatim fiebat via, qua oppidũ hostis ingrederetur. Obsessi quanquã erant in extremũ rerum discrimen adducti, & animis turbabãtur, tamen inprimis Deo eorũ causam, quę & Christi erat, Christo cõmendabãt. Hoc nihilominus sperabãt, non defutura sibi in tempore auxilia, modo præstaret Deus, vt Coruinus superesset. Dũ hęc Belgradi geruntur, Coruinus cõparat ex Hungaria quantum põt pro tẽporis angustia, armatorũ manum. Iam .n. Regis vice, Regnũ ipse (vt ante dictũ est) administrabat. Cęterũ cum esset inuisus ob liuorẽ nonnullis illorũ, quorũ consiliis regebatur Rex, Vlrico pſertim Ciliæ Comiti, homini natione Germano, Regi ipsi cõsanguinitate cõiuncto, in inferiori Pãnonia per id temporis vitam trãsigebat, in quodã suæ ditionis Castello, cui Coruino est nomẽ. Auctoritate igitur qua fungebatur, coegit militum quã dixi, manũ. Coegit & illos, qui sub eo ante militauerãt, & idcirco variis bellorũ vsib. cõsuefacti, idonei erãt, qui ad eam militiã accerserẽtur. Venerat sub idẽ tempus in Hungariã, Ioan. Capistranus, ex Italia, vir nostro seculo sanctitatis vitę apud oẽs opinione præclarus, ordinis fratrũ minorũ, missus à Calixto Põtifice Max. qui cõcionando, Alemanos, Polonosq; & Hungaros, aliasq; his vicinas gẽtes, cohortaretur, vt ꝓtuendis Hungariæ finib. cõtra Turcas arma susciperẽt: si qui vero ab ipso persuasi vellẽt in tã piã proficisci militiã: eos cruce de more signatos, eisq; data peccatorum omniũ, iuxta S. Rom. Ecclesię consuetudinẽ venia, cõiungeret exercitui, quem Coruinus coegisset, vt sub tanti Ducis auspiciis, atq; disciplina, Christo

militarent. Paruit Capistranus iussioni tum Pontificis, tum Ioannis, Legati sedis Apostolicæ S. Angeli Diaconi Cardinalis, natione Hispani: quem ad excitandos Christianorum animos, ad eas quarum memini prouincias, pro tuendis à Turcarum impetu Hungariæ finibus, miserat, & Pontifex & sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatus. At quanquam Capistranus multa peragratus loca, nimium laborauit: pauci tamẽ persuasi ab ipso fuere, qui arma suscepissent. Causa fuit, quod etsi Itala lingua erat in concionando facundus, ac desertissimus: quia tamen apud nationes, quas dixi, concionandum ei fuit per interpretes: qui in dicendo, nesciebant apte explicare, quæ ipse sapienter pronunciabat: eius verba, susceptiq; labores ad rem, cuius gratia concionabatur, parum profuerunt. Nam vix quingentorum numerum viri, quos cruce signatos coegit, excessere: illos tamen coniungi copiis Coruinus permisit. Cum ipso autẽ Capistrano, multa cõmunicauit de gerendarum rerum ratione, hoc tandem inter ipsos decretum est, vt alter eorum Deum precando, alter belligerando, rem iuuaret Christianam. Coruinus itaq; quod suum erat, aggressus, celeriter comparat, atq; vt postulare visa est res gerenda, instruit nauigia quotquot haberi potuerunt. Fecit id Dux solertissimus, hoc potissimum consilio, vt vectus ipse instructis nauigiis, secundo flumine se, impetu facto, ferret in hostiles naues: quę haud procul à Belgrado alligatæ catenis, erant impedimento, ne quid opis ferri possit eis, qui obsidebantur. Hanc enim excogitauit viam, qua ad obsessos nostrorum præsidia penetrarent: vt videlicet vi à nostris facta nauibus, hostium triremes, cæteraq; nauigia vel fugarentur, vel caperentur, vel incenderentur. Affuit fortuna solertiæ. Quadraginta solum fuere nauiculæ illius generis, quo vti solent Hungari, cæteriq; homines, qui per Danubium nauigãtes onera, quorum indigent mortalium vsus, ex aliis ad alia loca transportant. Quamuis igitur eiusmodi generis essent numerorũ naues, eis tamen armatorum strenuissima manus sub Duce fortissimo, vecta est. Quocirca nihil prorsus formidantes Turcarum triremes, facto impetu, in illas deferũtur. Initur certamẽ, res magnis animis cominus geritur. Breuiter licet nõ sine cruẽtissimo Marte, quo permulti vtrinq; cecidere: ad extremum tamen vicit Coruinus, partim succensis Turcarum triremibus, aliisq; nauigiis, & ipsorũ defensoribus vel trucidatis, vel submersis in fluuium, partim solutis oris, in fugam deorsum versis. Facta in eum modum via, Coruinus cum vniuersis copiis, castellum ingressus, obsessos, in quîs erat Capistranus, multifariam consolatur. Cõmendat præcipue Capistrani diligentiã, qui non modo suis acceptis Deo precibus, rem adiuuisset Christianam: sed castelli etiam defensores, ad repugnandum, obsistendumq; oppugnantibus hostibus, suis cohortationibus incendisset. Commendat deinde fortem propugnatorum operam, magnamq; virtutem, qui adeo constanter, & strenue tam potenti hosti tamq; numeroso exercitui, multifariam exiguum oppugnanti oppidum restitissent. Adiecit ad hæc fidelitatem illorum sibi commeruisse, vt Deus non deseruerit obsessos Christianos, in tanto vitæ, rerumq; discrimine. Qui vero pugnando cæsi essent à Turcis, eos migrasse è mortali vita ad sempiternam felicitatem: qui item eodem bello fortiter rem defendentes Christianã oppetiuerint, eos haud dubie quoq; euolaturos ad cœlos, quo illi antecesserunt, sedes inter fœlices animas habituri gloriosas. Posteaquam hæc aliaq; his similia, quibus illi mire incensi sunt, ad perseuerantiam locutus est: iussit vniuersis, vt ante omnia curarẽt corpora, deinde vt se ad certamẽ pararent. Arbitrari nãq; se ait, fore, vt Mahametus iniquo ferens animo cladẽ, quã ex incendio, fugaq; nauigiorũ suorum triremiũ præsertim acceperat, omni quã posset vi, oppugnare castellum adniteretur. Quam ad rem existimabat Coruinus eò fuisse illum præcipue adductũ, quod expugnato loco, conuersurus esset suam omnem rabiem, atq; furorem in caput Ducis: cuius virtute, tam solerter obsessis, & iam expugnandis, lata auxilia fuissent. Curatis itaq; vti Coruinus suaserat corporibus, quã celerrime datur opera, qua pararetur quæcunq; essent ad resistendum futuræ oppugnationi

tioni

tioni necessaria. In primis autem curatum est, vt & murus, & propunacula, vi bombardarum magna ex parte diruta, repararentur: deinde vt tormenta, cæteraq; arma, idoneis in locis disponerentur.

INDEX XXVI.

EO, qui insecutus est die, euidenter cognitum est, haud aliter euenisse, quã vt Coruinus arbitrari se asseuerauerat. Nãq;, vt primum illuxit, paratũ iam ad oppugnationem Mahameti exercitũ nostri conspexere. Initur igitur certamen magnis animis. Primũq; Saxis excussis ex tormentis æneis eximiæ magnitudinis, à Turcis muri, absq; vlla intermissione quatiuntur, quassatiq; sæpe, tandem concidunt. Nostri quanquã necessitate coacti, desierunt à defensione muri, tutantur tamen quod intus est, quam validissime. Vt autem quatuor ferme horas acerrime vtrinque pugnatum est: Turcarum ingens manus, facto agmine per murorum ruinas, nostris frustra renitentibus, irrumpunt in oppidum. Id Coruinus videns, qui non solum Ducis, sed militis etiam vtebatur officio: ad suos, qui iam terga vertere cœperant, aduolat: illos increpat, cohortatur, incendit, atq; mox efficit, vt conuersi protinus in hostem, repugnent fortissime. Conuersus ipse deinde nunc ad hos, nunc ad illos, cohortatur omnes ad rem strenue gerendam. Omnia circuit, omnia cõspicit, omnia ordinat: breuiter nihil omittit eorum, quæ Ducẽ eminentissimũ in tanto rerum periculo condecuere. Effecit itaq;, vt instaurato certamine, nostri Turcarũ conatibus fortissime reluctarentur. Miserrima igitur oritur cædes. Superiores erãt Turcæ multitudine nostri virtute: idcirco ex illis longe plures cædebãtur, pugnatum ad serum vsq; diei. Tunc dedit immortalis Deus, vt maximo nostrorũ impetu, qua irrumperent hostes, ex oppido pellerentur: insequũtur nostri, multisq; millib. illorum desideratis, procul à locis, per quæ erant disposita illorum tormenta, & alia, quib. fuerant vsi ad expugnationem, eiiciunt. Inde victores domũ versus redeuntes, quicquid reperiunt, qđ fuerat ab hoste fabricatum, ex materia, vt se tuerentur, incendunt. Tormentorum partem ferro perstringunt, partem proiiciunt in fluuium, partem comportant in arcem. Quod, vt vidit Mahametus, soluta obsidione discessit, timens nequid sibi accideret infelicius. Christianorũ tam gloriosę victorię laus & honor Deo, & Domino nostro Iesu Christo, pro cuius religione tuenda, fuit ea pugna commissa, primum tribuendus est: deinde magnæ virtuti fortissimi Ducis, Ioanni præterea Capistrano, cuius conciones ad concitandos nostrorum animos, haud mediocriter profuere.

INDEX XXVII.

PAVCIS post adeptam victoriam diebus, incidit Coruinus in morbum grauissimum: quem contraxit ob nimium laborem, quẽ in re gerenda susceperat. Iam enim aduenerat tempus, quo pro magnis suis, in Christianam pietatem meritis, esset in cœlo sua præmia consecuturus. Cum autem morbi vis vehementer inualesceret, ipso iubente, delatus est ad oppidum, quod Zemplen Hungarorũ lingua appellatur. Fecisse id se dixit, vt eo in loco Deo spiritũ suum redderet longe quietius. Eo Capistranus profectus, vt amici Religiosiq; viri vteretur officio: adhortari eum cœpit, vt cũ nihil spei de ipsius vitæ salute superesset, ne differat vlterius, quo minus Christianorũ ritu, suscipiat sacramẽta, quæ Christiani homines solẽt, in extremo vitæ constituti, suscipere. *Mirari se ille respondit, religiosi viri prudentiã, qui moneat, monendũ Christianè virum, qui pro Christiana fide dimicando, persæpe sese morti exposuerit. Igitur si nesciuit antehac, sciat nũc, eũ semper dũ fuit in vita, in ætate virili, se & putasse peccatorẽ, & cogitasse moriturũ. Idcirco perdiu se hoc seruasse, vt peccatorũ cõfessionem nunquã vltra mensem distulerit. Non ergo se nũc expectasse moriendi momentũ, sed more Christiani viri, se ordinasse prudenter, quæcũq; vel ad animæ suæ salutẽ, vel ad filios, quos relinquebat, atq; ad facultates, cæterasq; res domesticas suas, vel ad Rẽpublicã totius Hungarici Regni quã multis annis administrauerat, pertinerent. Nec sibi reliquũ esse aliud, quã vt sumat eucharistiã, suoq; deinde tẽpore, vnctionis externa Sacramẽtũ: vbi ita fecerit, se nõ indiguisse mortalis*

Rex:

alicuius: sed solum Dei, & Domini nostri Iesu Christi consilii; cuius nomen & cultum ipse in omni sua vita, aduersus blasphematem illum Turcas, multis bellis, variisq; præliis defendisset: Vt autem cuncta ageret, quæ nunc commemorat, eo mortalem quempiam se noluisse consulere: quod seruanda sibi fuerit sui illa existimatio, & auctoritas, quæ maxime valuisset apud vniuersas pene Christianas nationes: Nequaquam condecuisse virum, qui dum vixit, professus tutatusq; sit catholicam pietatem, alterius eguisse persuasione, quo bene pieq; vita excederet: Satis igitur supraq; fuisse se à seipso persuasum, vt mori velit ritu Christiano. His mox hæc adiecit: *Gratias nihilo minus tibi ago immortales, Ioannes mi pater, in Christo charissime, qui religiosi in me viri officio tāta es vsus humanitate: bono animo esto, domum, vnde huc te contulisti, redi: spero equidem illic te auditurum, Ioannem Coruinum Christiane suum obiuisse diem.* Capistrano dicente, multis qui aderant è regni proceribus, quos secum duxerat, in expeditionem, quæ modo memorata est: patefacit quæcunq; ille disposuerat testamento, à se iam condito priusquā Belgradum, eiusdem belli causa proficisceretur. Vernacula lingua, prolixam tunc habuit orationē, qua omnes est cohortatus, *vt suo exemplo Christianam primum fidem, deinde Hungarici Regni rempublicam à Turcarum rabie, atq; ab omni alio hostili incursu defenderent. Suasit vt procul ab illorum animis esset discordia, cui si studuerint, & se perditum irent, & fore vt omne Regnum eorum, sine vlla dubitatione deleatur.* Cunctis quidem, sed illis præcipue, quibus viuens fuerat vsus familiarius, cōmendauit rem suam domesticam: liberos pręsertim, & coniugem, consanguineos præterea & cæteros, qui ei fuerant beneuolentia coniuncti. Facto dicendi fine, singulos suo appellatos nomine ad se ire voluit, dataq; dextera dextræ, illos exosculatus est. Nemo ex illis fuit, qui nō fleuerit lachrymis vberrimis. Mira profecto, memoratuq; digna illa fuere. At vero non sunt prætereunda silentio duo alia, à se præbita Christianissimi hominis exempla. Vnum quod noluit pati, vt eucharistia ab Ecclesia ad se deferretur, indignū ducens, domum vsq; suam, mundi redemptorē, qui in eo lateret, Sacramento, accedere: quanquā non ignorabat, posse id fieri, pro ægrotantiū necessitate. Licet igitur grauaretur vi maxima morbi: pedib. tamen suis, quāuis illis ægris, sacram adiit ædem, vbi obortis lachrymis, miraq; pietate, Christi corpus veneratus, eucharistiam sumpsit, domumq; dehinc incredibili mentis gaudio, lætitiaq; affectus, regressus est. Alterū hoc fuit. Accepta extrema vnctione, cum primum animaduertit, se iam morti propinquū: portari se voluit ad sacellum, quod ipse cōdiderat, vbi mortuus erat sepeliendus. Ibi iussit se extenso, supinoq; corpore, humi collocari. Succēdi præterea, collocariq; voluit ad caput, ac pedes, aliquot lumina: vt cōsuetum est in defunctorū fieri corporibus, antequā tumulentur. Expectandum aūt ibidem tantisper à quatuor ordinis minorū clericis, à quib. sacri psalmi dicerentur, dum extingueretur. Eo moriēte affuit Capistranus, à quo perfectæ sunt orationes illę, quas S. Christiani patres legi constituerunt, quū Christi fideles mortis horæ propinquāt: vulgata aūt appellatione nūcupatur, *cōmendatio animæ.* Postea vero quā extinctus est, his in eum vsus fuisse verbis, Capistranus fertur: *Vale, cœleste sidus, heu cecidisti defensor Christianorū: Extincta est lucerna Christiani orbis, heu fractū est speculum, in qđ intuentes Christiani propugnatores, nō dubitabāt de assequēda victoria. Cæterū bone Ioannes, tecum bene actum est. Nam superato hoste nominis Christiani, tryumphas cum Angelis, & regnas in cœlo cum Christo. Tu igitur vere felix es, nos infelices, qui relinquimur in hac valle lachymarum: ô bone Ioannes, æternum vale.* Ingenti ob tanti viri obitum dolore, atque mœstitia affecti sunt, non solum vniuersi Hungariæ totius populi: sed omnes quęq; orbis Christiani nationes. Luxit eū Nicolaus V. Pontifex Maximus, omnisq; Romana Curia, quę tā fortem, tamq; fortunatum ac pium Christianæ Religionis defensorē amisit. Pontificis iussu, Cardinalium senatus ei magnifice persoluit inferias. Ei solemnitati ipse interfui. Eius obitum visum est cœlum vniuerso orbi terrarum significasse. Crinitum namq; sydus, quem cometem Græci vocant, aliquot, antequam incideret in aduersam valetudinem, diebus ab orientali apparuit plaga: quem vt ipse vidit, dome-

domesticis dixit, eo indicio multa quidem alia significari, sed obitum præcipue suum: ideoq; non esse sibi morandum diutius, sed dandam operam, vt disponat domui suæ, expectetq; vigilanter diem, & horã, qua ipsum Deus mortali vita eripiat. Nec secus, quam prænunciauerat, euenit. Paucis namq; diebus, postquam euanuit cometes, inuasit eum morbus: quo sublatum ipsum fuisse ostendimus. Paucis autem post diebus, diem suum & Capistranus obiit, vt virum Dei seruum decuit.

INDEX XXVIII.

DVos reliquit filios, Ladislaum, & Mathiam. Horum præclara erat indoles, vt omnes, quibus erãt illi cogniti, sperarent, vt vterq; eorum esset paternas virtutes fœliciter imitaturus. Cæterum cum Ladislaus ea iam esset ætate, qua militaribus exercitiis erat satis idoneus: à parentis latere perquã raro discedebat: quę res causa erat, vt parens ipse haud mediocri illum amore complecteretur. Animi magnitudine nulli ætatis suæ iuuenum erat secundus: humanitate, & liberalitate quantum sua ferebat ætas, absque vlla controuersia, summus. Quibus rebus fiebat, vt à cunctis Hungaricis, paucis tamen ex inuidis exceptis, incredibiliter diligeretur. Mathias vero cum esset adhuc puer, quotiens eius parens versabatur in rebus gerendis, domi apud Elisabethã matrem educabatur: patri nihilominus erat admodum charus, & maxime amœnus: quippe qui in puerili ætate erat tanta corporis dexteritate, tantaq; excellentia ingenii, eratq; adeo ornatus, aliquot aliis virtutibus, quibus bene instituti pueri præditi esse solent: Vt ad quęuis magna natus, omnium prudentum virorum iudicio, putaretur. Turcarum clade, Ioannisq; Coruini morte accepta: Vladislaus Rex, & Vlricus Cilię Comes, quos metu percussos ob Turcarũ aduentũ, supra ostendimus perfugisse Viennam: rediit in Hungariam. Sequenti autem anno, decreto eius, coactus est primatum omnium conuentus, in oppido, qued Futaczhũ nominatur, quo totius Hũgariæ res, quæ ob rei mutationem, turbatæ multifariã superiorib. temporib. fuerant, ordinarentur. Ad eum locũ venit & Ladislaus Coruinus, Ioannis Coruini filius, cuius modo meminimus, magno suorum militũ agmine comitatus. Consulto id fecit iuuenis prudentissimus. Non enim ignorabat vetera odia, quib. parentem suũ ob inuidiam Vlricus Cilię comes fuerat, dum ille viueret, prosecutus: Amici namq; ei consuluerant, vt omni studio caueret ab Vlrico, propterea quod sicut Ioan. Coruino olim aduersatus est, ita & eo animo ipsum esse, vt illius filium capitali odio semper esset habiturus: idq; dicebant se non ignorare. Se namq; haud dubie & animaduertisse, & accepisse Regis aulicis, Vlricum ipsum adniti, non modo apud Regem minuere eius existimationẽ, verum etiam parare ei insidias, per quas necaretur. Eo igitur adductus consilio Ladislaus, armatorũ manu stipatus, ad conuentum, quem diximus, venit. Satis pręterea, superq; erat ei notus inconstantis Regis, quod esset iuuenis animus, qui Vlrici voluntate cuncta administrabat. Soluto conuentu, perrexit Rex Belgradũ seu Nanderalbam, visurus loca illa, vbi Mahametus castra locauerat, quo tempore id castellum obsedit. Nec minus percupiebat ibidem audire, quicquid gestũ fuit, vel à nostris dum rem defenderent Christianam, vel à Turcis, dum nostros & obsidebant, & expugnare nitebantur. Illic animaduertens Ladislaus Vlrici animum nulla placari humanitate, sed magis, magisq; in dies illum niti, vt Regẽ in sui odium & indignationem adduceret: iræ impatiens domum in qua ille diuersabatur, se confert, tanquam eo iret animo, vt illi rem suam apud Regem commendaret. In illius itaq; introductus cubiculũ, *desine* inquit, *posthac, Vlrice, me meosq; iniuriis lacessere. Quod si in sententia perstiteris, efficiam, vt iras in te meas, non plane sine tuo magno malo experiaris.* Posthæc alia quoq; multa vltro citroque dicta, quib. alter alterũ haud tolerandis lacessiuit maledictis: ventum tandem ad arma. Id vbi senserunt Ladislai milites, qui ante domus fores, suum Ducem operiebãtur: ruptis vi postibus, cubiculũ ingrediũtur. Qui vbi cõspexerũt illos

Ladislaus Rex.

strictis ensibus in mutuam irruere necem: impetum faciunt in Vlricum, continuoq; illum interficiunt. Necis fama illico perfertur ad Regẽ: ipsi & omnibus, quorum cõsilio regebatur, ingens terror iniectus. Quisq; enim sibi timuit interitum, quippe qui verebantur, ne quis in ipsos à Ladislai militib. fieret impetus. Ladislaus confestim inde abiens, quam celerrime petit castellũ, Temesuarum nomine, situm in inferiori Pannonia, opere naturaq; & pręsidio inprimis munitũ. Ideo factum ab ipso est, quod illic morabatur Elisabetha eius mater, vna & Mathias, eiusdem natu minor frater. Accedebat quod id castellum eorum erat ditionis, in cuius imperium paterna hæreditate successerant. Rex itaq; eodem & ipse proficiscitur, tentaturus videlicet, an ei illuc eunti Ladislaus reluctaretur. Quod si fecisset, defectionis accusari haud immerito posset, atq; ita indignationem iure se in illum adductum, eam ob rem vi armorum illum debellandum. At vero ei castello propinquanti, Elisabetha cum Mathia filio tum adolescentulo obuiam, quanquã lugubri amicta veste, occurrit, propter coniugis obitum, à cuius tempore, vix tunc annus agebatur. Exceptus est à prudentissima fœmina, magna cum obedientia, & habitus quam liberalissime. Id aũt causa fuit, vt Rex Ladislao suppliciter ad se venienti, perquam facile ignouerit. Quodq; visum est multo clementius, ipsum Mathiamq; eius fratrem, iureiurando promisit, fratrum loco se, dum viueret, habiturum. Cæterum mala mente, maloq; animo, dolos meditabatur, vti postea rei exitus ostendit. Paucis post diebus, cum Budam Rex adiisset, eodem & Ladislaus, & cæteri Hungariæ optimates perrexere. Regi erant acceptissimi complures, quibus Ioannes Coruinus fuerat, dum esset in vita, admodum inuisus. Permoleste quippe illi ferebãt, ipsum ob varias excellentesq; corporis animiq; dotes, de quib. mentio supra facta est, non apud Hungaros modo, verum etiam apud vniuersas orbis terræ nationes, maximã sibi gloriã auctoritatemq; vendicasse. Eo igitur mortuo, decreuerũt nauare operã, ac prorsus hoc omni industria efficere, vt filii eius vita eriperentur, ne quid vel generis, vel memoriæ tanti viri in Hungaria relinqueretur. Eo tamẽ maxime angebantur eorum animi, quod animaduertebant Ladislaum esse iuuenẽ, strenuũ ac manu prõptum, & ad rei militaris vsum natũ: ideoq; non erat eis ambiguũ, quin si vixisset facile paternam gloriã esset tantus iuuenis consecuturus. Mathiæ præterea præclara indoles eos non parum mouebat, ad inuidiam, cum ad rem bellicã, atq; ad quæuis magna natus videretur. His de causis, inuidi multa Regi suggerũt, multaq; fingunt, multa mẽtiuntur, deniq; ea moliuntur, quib. tandẽ Rex datæ fidei iurisque iurandi oblitus, impulsus est ad decernendũ, vt Ioannis Coruini filii vita eripiantur. Cautius tamen agendũ, quo res ex sententia peragatur. Spem itaq; Rex vultu simulãs, Ladislaũ blande sæpe alloquitur. Iubet eũ bono animo esse: *Hortatur vt inter Regios lætus versetur, fratris loco, à se absq; vlla dubitatione ipsum semper habendum. Se iuris iurãdi quam optime reminisci.* His atq; aliis eiuscemodi verbis per sępe à Rege repetitis, effectũ est, vt Ladislaus inter regis domesticos incautius versaretur. Inter hæc, Matthiã ex Themesuaro, simulatis blanditiis Budam accersit. Paucis post diebus, captato tẽpore, quo fieri res cõmode potuit: iubet vtrunq; fratrẽ & comprehendi, & coniici in carcerẽ. Tertio à comprehensione die, lata in Ladislaum, ob necem Vlrici, sententia: eò pręsertim, quod Regi fuerat consanguinitatẽ propinquus, tanquam reus esset læsę Maiestatis, securi percussus est. Quod aũt tunc accidit, maxima dignum admiratione, non est silentio prætereundum. Cum lictor tertio ictum caput amputare non potuisset, Ladislaus quanquã erat manus post tergũ vinctus: virib. se suis erexit, stansq;, *Iure*, inquit, *euasi mortem, quandoquidem tertio percussus ictu, Dei benignitate adhuc supersum.* His ab eo dictis, atq; à multis qui astabant auditis: illico processit per aliquot passus, sed impedimento lõgioris vestis, quã pede calcauit, cõdidit in terrã. Ita nõnulli ex illis, qui ad ipsum necandũ periurũ impulerant Regem, iusserunt, vt quarto ictu à lictore percuteretur, atq; ita exemplo extinctus est. Omnis Hungaria pręter paucos illos, qui fuerãt mali cõscii ipsius

indignam

Digitized by Google

Ladislaus Rex.

indignam mortem tulit quàm molestissimè. Plæriq; profusis lachrymis dolorem ingentem ostenderunt, parumq; abfuit, quin ab iniquo Rege omnes defecissent. *En*, inquiebant, *qualia præmia redduntur Ioanni Coruino, cuius beneficio Hungariæ regnum totiens defensum seruatumq; fuit, ne in Turcarum veniret potestatem.* Defectionem cohibuit armatorum ingens manus, quæ iussu regis supplicii locum, & quæ circa erant, longè lateq; compleuerat. Extincti corporis nulla cura habita: delatum solum est ad sanctæ Mariæ Magdalenæ ædem: ibi Regii milites à Rege iussi, per noctem illud diligenter custodierunt. Vbi autem illuxit in æde corporis Christi, absq; vlla funeris pompa tumulatum est. Tanti sceleris indignitatem hæc subsecuta sunt mala. Ingentia populorum omnium Hungariæ in Regem, ac in illos, quorum consiliis talia facere ipse ausus est, odia. Amici Ioannis Coruini, quorum imperio multa castella & oppida munitissima patebant, à Rege defecere: à quibus vbicunque fieri potuit, permulta Hungariæ loca direpta igni, ferroq; populata sunt. Michaël Zilagius, Ladislai Matthiæq; auunculus, vir domi potens, ac militari virtute insignis, coactis vndecunque potuit copiis, totam eam regionem, quæ Transsyluania dicitur, suæ ditionis fecit. Rex ipse timens, ne Varadiensis Episcopus, Strigoniensisq; Archiepiscopus, atque alii complures è regni optimatibus, qui fuerant Ioanni Coruino amicitia coniuncti, à se deficerent: in carcerem ipsos coniecit. Cæterùm cùm paucis post diebus illi à suis adiuti profugissent: metuens Rex, ne quid hostile in vltionem illatæ iniuriæ illi molirentur: fretus Germanorum quorundam auxiliis, relicta Buda, Viennam, quæ vrbs in Austria est, parens Imperio Frederici Imperatoris Romanorum, profectus est: Matthiam autem carcere eductum, ad eandem vrbem duci voluit, ipsumq; in arce regia iussit mancipari carceri, custodiriq;, quanta fieri potuit diligentia. Fama tunc in Hungaria tota percrebuit, Regem eo fuisse animo, vt Matthiam, sicut & Ladislaum, decreuerit interficere. Id nihilominus Budæ eò noluisse ipsum efficere, quod fuerit veritus, ne qua in Hungaria cooriretur seditio periculosior. Dum ergò Viennæ agens, versat animo exequi, quod cogitauerat: noua occurrentia negotia ipsum compulere, vt intermissis omnibus, quæcunque esset acturus, in Bohemiam quamprimùm proficisceretur. Ita impedita est periuri Regis de Matthiæ morte praua & iniqua voluntas, non planè humano, sed diuino consilio: propterea quod ad Regiæ Maiestatis culmen ipsum fata seruauerant. Haud multo verò, postquam petiuit Bohemiam Pragæ, quæ ciuitas est totius gentis ac regni caput, diem suum obiuit veneno, vti plæriq; credidere necatus, Anno humanæ salutis, quinquagesimo octauo, supra millesimum, & quadringentesimum, ætatis suæ, Anno vndevicesimo. Ex quo verò tempore regnare ceperat in Hungaria, Anno quarto. Visus profectò est immortalis Deus fuisse vltus iniuriam, qua fuerant à Rege lacessiti Ioannis Coruini filii: cum eadem sequentis anni die vita ille excesserit, qua iureiurando promiserat, se fratrum loco ipsos habiturum.

An. Chri. 1458.

INDEX XXIX.

MORTIS Regis fama vulgata, quamprimùm illi, quorum curare hoc intererat, decernunt, vt de more in agro Pestiensi ageretur optimatum conuentus: quò & vniuersi regni res componerentur, & Rex pro veteri Hungarorum consuetudine eligeretur. Diuino id consilio, beatæq; Mariæ virginis precibus, cuius patrocinio res Hungaricas beatus Ladislaus Rex olim commiserat, factum haud dubiè fuit. Animos enim amicorum Ioannis Coruini diuertit, vt longè meliora cogitarent. Decreuerant namq; iam arma sumere in illos omnes, quorum iniquis suggestionibus illius filii affecti fuerant indignis, quas explicuimus, iniuriis. Constituto itaq; tempore ad decretum locum Michael Zilagius, qui, vt ante dictum est, Ladislai Matthiæque erat auunculus, vnà cum Elizabetha, Ioannis Coruini olim coniuge, magna armatorum manu stipatus venit. Comites eis se præbuere complures generis no-

Digitized by Google

Ladislaus Rex.

bilitate, atq; auctoritate præstantes viri, quorum erat non contemptui habenda potentia: fuerantq; Ioanni singulari iuncti beneuolentia. Conuenerunt & eodem Ladislaus Palatinus, & cæteri, quorum consiliis illius filii mala, quorum iam meminimus, passi sunt. Dicto die, quo habenda erat de eligendo rege mentio, cùm nonnulli tunc proposuissent, ac expressissent nomina eorum, quos censebant ad Regiam dignitatem idoneos: vbi est ventum ad Michaëlem, qui exprimeret, quod sentiret: *Ego*, inquit, *non paucis dicam, quod sentio: pace tamen omnium vestrum loquar, cumq; vtilia rei nostræ publicæ sim allaturus in medium, oro, vt omni perturbatione animi sublata, quæ dixero, audiatis. Maximè omnium & eorum, qui propositi sunt, & qui hoc loco proponentur, idoneum ad regnum arbitror Matthiam, Ioannis Coruini filium. Id vobis viri prudentissimi, & quidem iure optimo suadeo. Primùm propter eius egregiam indolem, deinde ob maiorum suorum claritudinem, quæ ne altius ac longius repetam vetera, plerisq; vestrum est, absq; vlla ambiguitate notissima. Postea propter corporis omnifariam dexteritatem, animiq; magnitudinem, ac morum miram, & quæ est supra adolescentis ætatem, elegantiam. Postremò propter parentis eius eminentissimi bello Ducis merita, qui regnum hoc nostrum, id est, patriam nostram amplissimam, nos omnes liberos cæterosq; posteros nostros, Dei præterea & sanctorum eius templa, ipsamq; religionem Christianam à Turcarum inuasione, sua per omnia futura secula commendanda virtute, seruauit. Nisi enim ipse suis armis, tàm truculentis & potentibus hostibus obstitisset, actum esset de regno, pro cuius deligendo Rege ad hunc locum omnes conuenimus: nisi nobis Ioannes tulisset opem, Turcarum hoc esset regnum, quod esse nostrum, nunc affirmamus: nisi Ioannes se variis sæpè exposuisset periculis, vt Turcarum ingentibus viribus iret obuiam, ea impia & Christianæ fidei inimica natio totam Hungariam longè lateq; possideret. Haud vobis ignota loquor, neq; eadem latent exteras, quæ sunt orbe toto, nationes. Ergò quis vnquam erit magis idoneus, quem euehamus ad tenendum regnum Hungariæ, quàm filius eius, per quem aduersus Turcarum impetus sæpè fuit adiuta, defensa, seruata omnis Hungaria? Hoc efficite, viri Hungari, ne Ioanni liberatori patriæ & videamini, & sitis ingrati. Non ero equidem falsus vates, quantum possum assequi coniectura propter illas virtutes, quas Matthiæ inesse diligentissima animaduerti indagine, à paternis virtutibus haudquaquam degenerabit. Quodsi ætas, quò minus fiat, quod suadeo, videatur fortasse esse impedimento, ne dubitate. Est quidem Matthias adolescens ætate, sed prudentia senex. Id ipse fateri possum, qui experimẽto noui, quanto qualiue emineat ingenio, quanta præterea, qualiue animi magnitudine præstet. Cæterùm ne quid dubitationis vestris hæreat animis, eligite eum Regem, & adhibeatis ei è vobis probos prudentesq; viros, quorum consilio cuncta, dum licebit per ætatem, moderetur. Aliquot ex iis, qui ante me de eligendo Rege disseruere, multa quidem in medium attulere probatu dignissima: eis nihilominus ipse reluctor, quod eligendum nobis regem è Germania vel Polonia, aut etiam ex Bohemia censuere. Quid nobis cum Germanis & externis aliis nationibus? Scilicet ignoramus? in quantam perniciem inciderit huius regni Respublica, ob ineptam administrationem complurium, quos ad regendam Hungariam patres nostri ab aliena patria accersiuerunt. Piget, quæ mala passi illi sunt, commemorare: dies quippè me deficeret, si ea vellem nunc non modò referre, sed etiam perstringere: ad id, vnde parum discessi, redeo. Si Matthiam vobis Regem constitueritis, non alienigenam, sed membrum ex corpore regni vestri, sed fratrem, sed filium, sed veluti sanguine coniunctum: deniq; veluti vnum è vobis, qui vos omnes vt conciues & conterraneos incredibili complectetur beneuolentia, Regem habebitis. At verò, si qui præterea vestrum mihi repugnent, dubitantes videlicet, ne si Matthiam Regem vobis deligatis, velit ipse post adeptam regni coronam vlcisci, vel sibi, vel Ladislao fratri illatam iniuriam: desinant hi dubitare. Efficiam ego, vt omnis illorum iniuriarum memoria ex ipsius Matthiæ, atq; ex suorum omnium corde in perpetuum deleatur. Ego, ipseq;, & quicunq; vobis coniuncti sunt, quauis necessitudine, non solum iureiurando, sed alia etiam, quacunq; via excogitari fieriq; possit, promittemus, nos omnia odia inimicitiasq; deposituros, nec vnquam in posterum de vindicta cogitaturos.* His à Michaële dictis, mirè persuasi omnes vno consensu Matthiam Regem, quanquam erat absens, elegerunt. Nec ante solutus est sena-

Digitized by Google

Matthias Rex.

est senatus, quàm fieret, quod faciendum Michaël de deponendis odiis inimicitiisq; promiserat. Fuit ea electio non modò optimatibus, sed plebi etiam acceptissima: concelebrata igitur est omni gaudio, animiq; lætitia & exultatione, atq; applausu, quibus celebrari decuit rem diuino factam consilio. Dei, inquam, consilio ea electio facta est, propterea quod nullo iure successionis maiorum erat Matthias ad Hungariæ regnum euehendus. Idcircò antequam ad eligendum Regem Hungarorum magnates Pestum conuenissent: nemo de eius ad regiam dignitatem exaltatione verba vel minima fecerat. Deo itaque auctore, cùm primùm in Matthiæ mentionem ventum est, tanquam delapsam cœlo vocem audissent: vniuersi non nisi Matthiam se velle Regem habere conclamauerunt. Inspirauit quippe omnibus mentem atq; animum immortalis Dei prouidentia, qui ante rerum conditionem Ioannis Coruini soboli, hoc est, Matthiæ ipsi, Hungariæ regnum destinauerat. Eam ob rem nullus mortalium potuit esse impedimento, quò minus Matthias destinatam sibi diuinitus regni coronam vnanimi totius Hungarici senatus consensu adipisceretur.

INDEX XXX.

DVM ea gerebantur in Hungaria, Matthias captiuus penè tenebatur apud Pragam, quæ est totius Bohemiæ metropolis, à Georgio, cui gentis lingua erat cognomentum de Prodebrad: pro cuius rei notitia pauca memoranda sunt. Paucis ante diebus, quàm Vladislaus Rex incideret in morbum, quo postea fuit extinctus: per literas ad se ex Vienna accersiuit Georgiũ ipsum, propterea quòd in ordinandis Bohemiæ rebus expediret, vt eius arbitrio vteretur: cæterùm non ante ea vrbe excedat, quàm in arce locet tale præsidium, quali opus sit, cùm ad cætera necessaria, tùm præcipuè ad asseruandum carcere Matthiam fidelem diligentemq; custodiam. Bohemus is erat, qui omnis generis opibus nobilitateq; sanguinis, & auctoritate cunctis suis conterraneis antecellebat. Quibus ex rebus fiebat, vt Regi esset incredibiliter charus & acceptissimus, illiusq; consilio maximè fideret: Accedebat, quòd quo tempore per ætatem Rex ipse nondũ erat aptus, vt res Bohemicas consilio regeret suo: ille adolescentulum eum educauit, quæq; attinuerunt ad regni curas, prudenter administrauit. Cùm autem non multò post, quàm profectus est in Bohemiam, Rex contraxisset ægritudinem, qua tandem de eius salute desperatum est: Georgius annulum extraxit è digito morientis, & quamprimùm aliquot è fidissimis cum literis nomine Regis scriptis misit, qui annuli imaginẽ ostenderent Viennensis arcis præfecto, illiq; iuberet, vt absq; vlla temporis protelatione Matthiam mitteret ad se per eosdem, qui literas detulerant, nuntios. Hoc enim Rex Vienna excedens præfecto, arcisq; custodibus dederat signũ, vt nulli hominũ de mittendo ad se Matthia haberent fidem, nisi illis, qui demonstrarent literas sigillo obsignatas suo, cuius imaginis similitudinem illis reliquerat. Fecit id Georgius, quod sperabat, se vim auri ingentem pro Matthiæ liberatione consecuturum. Quippe constanti ferebatur tunc fama, Elizabetham Matthiæ matrem multum sibi auri argentiq;, & cæterarum pretiosarum rerum thesauri congessisse. Quocirca putabat illam, cui nihil erat filio pretiosius, multum auri persoluturam, vt Matthias libertate donaretur. Inter hæc extincto Ladislao Rege, ipse Georgius Bohemorum Rex creatur. Matthias verò in Pragensi arce ab ipso quidem liber carcere: sed adhibitis, qui illũ custodirent, militibus detinebatur. Interiectis deinde paucis diebus, nuntiatur Georgio, Matthiam Hungariæ Regem electum, nihilq; restare aliud, nisi vt detur opera, qua indigna illa captiuitate eripiatur. Ea re cognita, Georgius mirum in modum obstupuit. Ad se itaq; accersito Matthia, cœpit primùm illi gratulari de tam insperato fortunæ beneficio: deinde multis vsus est adhortationibus, quibus induxit illius animũ, vt eius filiam duceret vxorem. Postremò venit ad tractatus, vt videlicet gratitudinis causa ob libertatem, qua esset donandus, efficeret, vt ab Elizabetha sua matre aliquid præmii assequeY 2

Matthias Rex. retur: ne tam ingentis accepti beneficij, mater ac filius viderentur immemores. Egit primum illi Matthias & pro læto nuncio, & pro gratulatione gratias: mox respondens sibi propositis rebus, dixit se & libenter assentire coniugio, & daturum operam, vt tam ipse, quàm mater vtantur gratorum hominum officio. Voti compos Georgius, illum abire permisit, adhibitis eidem compluribus & Bohemiæ optimatibus, qui illum, quo decuit, honore commitarentur. Deductus est Matthias ab illis vsq; Strazniezemũ, quod oppidum est in regione quadam, quæ portio est Regni Hungariæ, Morauiaq; vocitatur ab incolis. Eò conuenerat vniuersa Hungarorum nobilitas, quæ nouellum Regem venientem opperiebatur. Exceptus est ab illis summa lætitia: inde suorũ ingenti stipatus caterua, Budã concessit: ad eam vrbẽ nõ modo permulti Reguli, sed omnes etiam ciuitatum oratores, concesserant, vt Regi & ipsi, vt liceret, congratularentur. Suo igitur quisq; officio vsus, honorem ei, ac reuerentiam magno cum applausu exhibuere. Cæterum cum per ætatẽ nondum haberet Matthias vel vsum, vel experientiam rerum (quintum decimum tunc annũ agebat ætatis) quibus ex se amplissimi Regni rempublicã curare crederetur: placuit procerum senatui, adhibere ei, quousq; adolesceret, Michaelẽ Zelagium, eius auunculum: cuius ductu, atq; auspicijs, regnũ Matthias suum administraret. At verò ipse quamuis auunculi prudentiam, & auctoritatẽ plurimi faceret, illumq; veluti diuinum quoddam numẽ, veneraretur: innata tamen quadã sui excellentis ingenij dexteritate, multa agebat ex se, quæ digna planè erant prudẽtia ætatis grandioris. Accipiendæ more Hungarorum Regũ coronæ solennitas eò aliquanto temporis interuallo dilata est: quod ipsam apud se tunc tenebat Fredericus Romanorum, vt ante dictum est, Imperator. Qua non sine ingenti difficultate recuperata: sexto post electionẽ mense, coronationis solennitas eis, quibus decuit, lætitia & applausu sæculari, Ecclesiasticisq; cæremonijs, Albæ celebrata est, Anno ab incarnato filio Dei, sexagesimo quarto, supra millesimum & quadringentesimum, die quo tunc agebatur sacrosancta Domini nostri Iesu Christi cœnæ memoria. *An. Chr. 1404.*

INDEX XXXI.

PAVCIS post hæc diebus, quieti datis, cœpit Matthias suas omnes cogitationes ad ea cõuertere, quibus omnes cùm præteritarũ discordiarum, tùm futurorum dissidiorũ causæ ex vniuerso Regno tollerentur. Quare comparatis vndiq; copiis, cogit exercitum, qui tantus fuit, vt esset securitati subiectis, & aduersantibus formidini. Præsidia deinde valida collocat in locis, quibus maior est visa necessitas, in Regni præsertim finibus, vt si quid hostile ingrueret: obuiam illi iretur facilius. Curat præterea, vt si quid in Hungaria turbatum esset, propter & Regni mutationem, & nouitatem rerum, reducatur in tranquillitatem. Ita ordinatis Hungariæ rebus, nunciatur Matthiæ Mahammetum Turcarum Imperatorẽ, cum magno bellicarum omnis generis rerum apparatu, venisse in Bosnã, quæ Regio est portio quædã montanæ Dalmatiæ, cuius habitatores colunt Christũ, iuxta orientalis Ecclesiæ ritum. Nec multò post, fama ad Matthiæ peruenit aures: illũ circũ sedisse Iaizzam, quod castellum in eo Regno est & loci natura, & muri cùm altitudine, tùm latitudine munitissimum. Cumq; esset ipsius Matthiæ ditionis, nihil vlterius protelandum ipse ratus, ita, vt erat validè instructus, copias ducit in Bosnã, aduersus Mahammettũ, belli pugnæq; fortunã tẽtaturus. Eius rei vt ille per exploratores certior est factus, sentiens præterea Matthiæ exercitũ esse & iuuentute florentem, & annis, roboreq; militum, ac tormentorũ vi magna, validissimum: ratus non esse tutum, cum instructissimo hoste confligere: perterritus, castra mouere, suosq; omnes è loco discedere, eoq; vnde venerãt, redire iussit. Qua re effectũ est, vt ob repentinã fugam, cõpulsus sit ibidẽ bellicas omnes machinas, æneaq; tormenta in hostis potestatem relinquere. Pro cuius victoriæ fœlici euentu, Matthias egit immortali Deo gratias, cœpitq; inde sperare, fortunam diuino fauore, cæteris in posterum gerendis à se rebus, semper aspiraturam.

Digitized by Google

INDEX XXXII.

Matthias Rex.

ANNO, qui insecutus est, Bohemum quendam Suillam nomine, qui coacta magna prędonum manu res nouas moliri parabat in Hungaria: in oppido, cuius nomen est Coztoliam, circumsessum ac debellatum cepit, deq; eo atq; illis, qui cum eo capti sunt, sumpsit supplicium. Posthæc vertit in fugam exercitum Transsyluanorum. Hi populi, quamquam tenent portionē quandam magnæ Germaniæ, ideoq; magna ex parte lingua loquuntur Germanorum: Hungarorum tamen regibus à multis iam annis antea paruerant. Cæterùm in regni Matthiæ initiis, constituto sibi Principe, qui illis præesset, rebellauere. Adnisi autem sunt ante omnia impedire aditus regionis, ne videlicet in ipsam Transsyluaniam copiæ regiæ ingrederentur: non enim facilis est ad illam accessus. Syluæ namq; multis in locis densissimæ, in aliis autem asperæ alpes, reddunt regionem omni ex parte aditu difficilimam. At verò vrgente Rege, Hungaræ copiæ, vi strenuè facta irrumpunt, viaq; patefacta Transsyluanis inuitis, multisq; illorum interfectis, penetrant circumquaq; loca omnia, tandemq; in eam prouinciam perueniunt. Illi cùm primum Regem equo, armisq; insignem iam introgressum conspiciunt: veluti viso fulmine vertuntur in fugam. Insecuti regii illos profligant, multi illorum vulnerati, multiq; interfecti. Qui verò in vrbibus sese continuerant, audita victoria, nihil morati, deditionem faciunt. Plebibus venia à Rege data: illis autem, qui populis persuaserant defectionē, parum profuit suę pœnituisse infidelitatis: fuerunt enim suis & priuati honoribus, & spoliati dominatibus. Est Transsyluania ferax omnis generis frugum, vini laudatissimi, multorum generum fructuum optimorum, qualia sunt pruna, quæ vocant Damascena, mala, cerasa, & pira: quorum pleraq; eximiæ sunt magnitudinis. Fert linum, crocum, equos & abundè & optimos. Abundat & aliis, & quidem multiplicis generis pecoribus, propter & cœli clementiam, & pascua lætissima. Fodinæ in ea sunt auri, argenti, æris, ferri, salis, plumbi, lapidicinæ multæ, albi præsertim rubriq; marmoris. Gignit alabastrum, cristallumq; inprimis laudatum. Hominum ingenia magna excellentiaq;, ad ea præsertim aptissima, maximeque versatilia, quæ manu fiunt. Pleraque hominum corpora procera sunt statura: multæ in ea pulcherrimæ vrbes. Breuibus multa complectar, quicquid est in regno Hungariæ laude dignum atq; excellens, quod attineat ad nobiles, & honorata appellatione opifices, atq; ad eas artes, quas appellant mechanicas: id totum apud Transsyluanos habetur. Testificari id equidem possum, & cæteri, qui viderunt, videntesq; mirè obstupuerunt.

INDEX XXXIII.

REBELLAVERAT & Moldauia, cuius regionis incolæ Hungarorū quoque Regum antea parebant Imperio. Quo igitur ipsam recuperaret, instructo exercitu, transmittit alpes, trans quas sita est ea regio: quæ & ipsa est quædam magnæ Germaniæ portio. Parui momenti fuit, vt eam redigeret in potestatem. Quod vbi est factū, duxit legiones ad oppidum Bania nomine, in cuius agro castra posuit. Ipse verò cum magna procerum ac militum parte ad oppidum se contulit, vbi aliquot dies quieti se daturum decreuerat. Nominabatur tunc vniuersæ prouinciæ quidam singularis audaciæ homo, cui Stephano erat nomen. Is coacta è suis popularibus magna armatorum multitudine, dedit operā, vt de secunda noctis vigilia per amicos multis in locis oppidi subiicerentur incendia, quibus & Rex & regii omnes somno vinoq; sepulti concremarentur: ipse verò interim regia castra adoriretur, victoriaq; ita adeptus, liber ab Hungarorum Regum imperio fieret. Cæterùm cùm primùm fulgere crepitareq; cœperunt incendia, somno se Rex repentè excussit, animaduersaq; proditione: tubarum clangore suos è stratis subitò correptos, arma in proditorem iussit capere, itidem & in castris factum. Regii itaq; iam patefactis insidiis, magno animo ruunt in Stephanum, & in eos, qui illius iussu scelus admi-

Digitized by Google

Matthias Rex.

ſerant proditionis. Et cum incendiis, quibus conflagrabat oppidũ, tùm præcipuè Lunę adiuti lumine: multos aduerſariorũ occidunt, nec ſegniter illi obſtiterunt. Quatuor fermè horas ancipiti Marte pugnatũ; ad extremum à Rege cohortati Hungari, remq́; incredibili ſtrenuitate gerẽtes, Stephanũ cum ſuis, qui fuerant ex ſtrage relicti, ad fugã compellunt. Multi nihilominus ex illis capti, capta & arma, ſigna ipſa in glorioſæ victoriæ memoriã, Rex Budam reuerſus, in Baſilica beatæ Mariæ virginis locauit. Interiectis deinde paucis annis, cum præclara tot egregiorũ facinorum Matthiæ fama tota Europa vulgaretur: à Põtifice Maximo, ſacriſq́; ſanctæ Romanæ eccleſiæ patribus cohortatus, ac tandẽ perſuaſus, piam ſuſcepit aduerſus Huſſitas expeditionẽ. Quo autem maiore animo bellum tale ſuſciperet, hanc adiecit mercedẽ Pontifex. Quicquid Bohemiæ, etiam ſi totum caperet regnum, ſuæ eſſet ditionis. Sunt Huſſitæ Bohemi illi, qui ſectantur Ioannis Vicleffi damnatiſſimam hæreſin, de qua memoratum mihi ſatis fuit ſupra, libro huius operis, xx. Contra eos hæreticos, ſeptem annos geſſit bellum fortiſſimè, ſæpè cum illis certauit: ac ſemper Dei adiutus auxilio, fuit victoriam aſſecutus. Eo bello ſuo imperio parere coëgit eam Regionem, quam nominant Morauiam, eamq́;, quam vocant Sileſiam, & eam, quæ dicitur Luſatia: quæ non ſunt contemnendæ Bohemici regni portiones. Idcircò gloria virtutis eius adducti Bohemi Catholici, Georgio, illorum Rege hæretico extincto, Regem ſibi ipſum elegerunt, indeq́; ipſi Matthiæ gloriæ titulus acceſſit, vt non modo Hungarorum, & dicatur & ſit Rex, verum etiam Bohemorum.

INDEX XXXIIII.

CÆTERVM dum animum intendit ad res noui regni ordinandas: ſolita rerum humanarum fortunę mobilitas, perturbare omnia cœpit, magnaq́; ex parte eius obfuit conſilio. Nonnulli namq́; ex Hungariæ primoribus, proſperis Matthię inuidentes ſucceſſibus, res moliti ſunt nouas: quę huiuſmodi fuere, vt, dum ipſe moraretur in Bohemia, regnum ei adimeretur Hungarię. Talium cõſiliorũ principes fuere, Ioannes Strigonienſis Archiepiſcopus, & Ioannes Epiſcopus Quinq́; Eccleſienſis. Erãt hi natione Dalmatæ, humillimo loco nati, de quibus erat Matthias benè meritus: quippe qui fuerat auctor, vt illi ad eas præſulatuum dignitates eueherẽtur. Regiam igitur beneficentiam non niſi maxima ingratitudine compenſauere. Hi Poloniæ regis filium, Caſimirum nomine, cum multis Polonorum legionibus, in Hungariam intromiſerunt, ac ante omnia, Nitrienſem arcem loci natura, armiſq́; munitiſſimam, illius poteſtati tradiderũt. Id vbi reſciuit Matthias, relicta Bohemia, aduolat in Hungariam, ipſumq́; Caſimirum manu valida obſidet. Quẽ oppugnando eò ad extremum perduxit, vt deſperans ille locũ ſe poſſe tueri vlterius: nocte inde egreſſus, perfugerit. Ea re cognita Matthias, Polonorum copias, & eas, quæ tutatæ fuerant arcẽ, & alias omnes, quæ alia complura per Hungariæ fines occupauerant loca, adorſus eſt, deq́; ea gente cladem edidit miſerabilem. Ex proceribus qui capti ſunt, multos miſit ad vrbem Budam: quo tam celebrem adeptum ſe fuiſſe victoriã illorum captiuitate, ſuis oſtenderet popularibus. Copiarũ poſtea magnam partem miſit, qui Poloniam omnibus, quibus fieri poſſet modis, popularẽtur. At verò cum ei eſſet nunciatum, Caſimirum Polonorum regẽ in regione, quam appellant Sileſiam, parare multa armatorũ millia, in ſuorum Hungarorum exitium: alterum cogit exercitũ, Sileſiamq́; ingreſſus, quàm celerrimè petit Vratislauiã: nec procul ab ea vrbe caſtrametatur. Quod vt primùm accepit Polonus, dat operam, vt ſuus augeatur exercitus, accerſitis cunctis, qui valere poterãt armis, ex ſubiectis ſuæ ditioni gentibus, non modo Polonis, ſed Rhutenis, Lituaniſq́; ac Tartaris. Omnibus igitur ad rem gerendam comparatis, aduerſus Matthiam Vratislauiam verſus contendit. Ad cuius vrbis agrum vbi peruenit, compoſito agmine, tantũ confecit itineris, quantum fuit ei viſum, non plus mille paſſuum interualli, inter

ſuum,

Digitized by Google

Matthias Rex.

ſuum, & Matthiæ exercitum intereſſe. Itaq; è conſpectu caſtrorum illius, ſua caſtra ipſe locauit. Magna quidē fuit hominis huius audacia, ſed nequaquam rem vel geſſit, vel confecit, eo, quo cœpit animo. Obfuit enim ei hoc maximè quod quamquā eius exercitus abundabat maiore armatorum multitudine: Hungari tamen erant cùm animo tùm virtute longè ſuperiores. Quod vt intellexit Polonus, animo fractus, non auſus eſt cum Hungaro cōſerere manus. Id animaduertens Matthias, curā dat cumpluribus è ſui exercitus copiarum ducibus, vt à diuerſis partibus, hoſtilia caſtra adoriantur. Ea iuſſa vbi illi ſunt executi: Polonos nihil tale ſuſpicantes, ingēs inuaſit formido. Multi namq; ex illis, qui egreſſi caſtris, vim repellere voluerunt, cæſi ſunt: alii acceptis vulneribus, confugerunt ad caſtra, innumeri ferè capti. Ex quorum numero ſingulos, qui obſcuri erant & generis & nominis, iuſſit Matthias ſignari in facie notabili vulnere, indeq; donari libertate, vt reuerſi illi ad ſuos, Hungaræ gentis in Polonos iras teſtificarētur. Conſtituerant Poloni duobus in locis caſtra, foſſa valloq; ac fortium virorum firmata præſidio: hoc conſilio, vt in illis primum exciperentur commeatus, qui ex amicis comportabantur ciuitatibus, deinde verò militum adhibita cuſtodia, ad regia caſtra tutè conueherentur. Prudentum planè virorum id fuiſſet cōſilium, ſi diligentius ab ipſis eſſet prouiſum, quale conſilium, quantæq; eſſent vires hoſtis, aduerſus quem ceperāt arma. Ipſe namq; Matthias excellenti illa, qua præditus erat ingenii vi, illorū ſolertiam irritam fecit. Nactus enim tempus ad hoc idoneum, bina illa caſtra adortus eſt, eaq; diripuit, ac deleuit incendiis: vtq; hoſtem maiore cōcuteret terrore, miſit Stephanum cognomento de Zapolia, totius exercitus ſui Ducē virum bellica virtute inſignē, cum quadam parte copiarum: quæ tendens in Poloniam, omnem regionē popularetur, & quicquid ei fieret obuiam, igni ferroq; abſumeret. Ea re effectum eſt, vt adductus Polonus Rex, in ſumma rerum deſperatione, pacē peteret. Quam nequaquā abnuit Matthias. Ventum igitur ad colloquium. Poſt multa autem vltrò, citroq; dicta, tandem inter vtrumq; Regem, pax benignè, atq; honeſtè compoſita, in hanc perſeuerat diē. Habuit Matthias Polonum, ſuoſq; omnes adeò liberaliter, vt nihil ſupra dici facilè poſſet. Mirificè poſtea Regem ipſum donatum, à ſe Matthias dimiſit. Ita ſummo ille affectus ſtupore, in ſuum ſe regnum recepit.

INDEX XXXV.

POST hæc reuerſus Matthias ab ea expeditione, obſedit atq; expugnauit caſtellū illud, fama æuo noſtro ob rem apud ipſum fortiter geſtam, inclytum, cui nomen eſt Sabacz. Condiderant illud Turcæ, ad ripam Saui fluuii, vt eis eſſet tuta quædam ſedes, locuſq; aptus ad inuadendam Hungariā: ſi quando res exigeret, vt illorū Imperator indicturus eſſet Hungaris bellum. Struxerant illud ex materia, circumdederantq; ligneo muro, quē crebræ turres, magno miroq; erectæ artificio reddiderant tùm viſu pulcherrimum, tùm expugnatu difficillimum: nō deerant defenſores, non omnis generis arma, nō foſſa, non vallum, breuiter non cætera omnia, quibus iudicari potuiſſet, eſſe id caſtellum humanis vel viribus, vel ingeniis inexpugnabile. At Matthias cui non deerāt vel vires, vel animus, neq; oppugnandarum vrbiū experiētia, ſed neq; ſolertia, qua vti plærunq; ſolent eminentiſſimi bello duces: inuenit tandē viam, qua caſtellum illud omnifariā munitiſſimum, in ſuam redegerit ditionē. Poſtremo laceſſitus iniuria, ſuſcepit bellum aduerſus Fredericum tertiū, Romanorum Imperatorē: de quo ſuprà mihi mentio habita eſt. Multa inter eos commiſſa prælia, ſed Matthiā adeò aſpexit fortuna, vt datum ei ſit, vt ſemper fuerit victoriā aſſecutus. Ad vltimū Fredericus, vel quod eſſet hoſti impar viribus, vel quod eſſet affectus deſidia, propter quā tęderet ipſum reluctari aduerſario: ſiue, vt pleriq; affirmāt, adductus auaritiæ vitio, cum noluiſſet effundere auri theſauros, quos in omni ſua vita fertur ingētes cōgeſſiſſe, bello abſtinuit: & tanquam fugere viſus, quæ ſua ſuorumq; fuerunt maiorum, hoſti capienda

Digitized by Google

Matthias Rex.

reliquit. Atq; ita Matthias Ducatum penè totum Austriæ, quam regionē veteres appellauere Noricum, Stiriamq;, atq; Charinthiam, opulentissimas magnæ Germaniæ portiones, per tot retrò Duces Austriæ possessas, ditioni subegit suæ. Restiterunt quidem Matthiæ viribus Austrienses, sui Principis expectantes opem: sed ille, quod ceperat, persecutus, vi tandem ipsos compulit, vt dederentur: victis autem data à Rege clementissimo venia. Multę sunt in Austria perpulchræ nobilesq; ciuitates, multaq; oppida atq; castella miris ædificiis insignia. Sed vrbs Vienna, cui nomen est inditum à paruo fluuiolo, qui ipsam pręterlabitur, & ea quę dicitur Noua ciuitas, cunctis antecellunt puchritudine, amœnitate situs, nobilitate ingenioq; habitantium: mira structura, ornamentisq; sacrarū ædium, copia diuitiarū, deniq; aliarum multarum rerum, quarū indiget mortalium vsus mira abundantia. De vtraq; harum vrbiū meminit Æneas Siluius in Epistolis. Ille, inquā, Æneas, qui posteaquam in Germania apud Imperatorem, de quo mihi est hoc loco mentio, multum suę vitæ consumpsit, ad summum Romanæ Ecclesiæ præsulatum euectus est. Nouam namq; ciuitatē hortos vocat Hesperidum paradisumq; delitiarum: propterea quod ibi omne pomi genus gignitur suapte natura: ibiq; plurimæ aquarum scaturigines prataq; viridantia, quæ verno tempore florū mira varietate veluti ridere videntur. Hęc in loci soliq; laudē vir doctissimus scripsit. Sed vrbis pulchritudinē, quæ planè magna est, prætermisit. Longè plura dixit de vrbe Vienna, de qua neq; ea, quæ digna sunt laude, neq; ea, quę meritò sunt vituperanda, subticuit. At verò ego ex sua illa tam egregia vrbis descriptione ea tantum quæ sunt laudis, non quæ sunt vituperationis, attingam. Sed & ipse adieci suæ descriptioni pauca quædam, quæ omittenda non censui. *Vienna*, inquit, *muri ambitu duorum millium passuum cingitur, sed habet suburbia maxima. Murum ambit fossa, ac vallum aggerq; peraltus. Murus ipse sublimis & amplus, debitisq; interuallis habens turres & expugnacula, veluti ad certamen parata. Ab oriente eam præterfluit Danubius, qui vrbis agrum suo decursu vndiq; reddit amœnissimum. Ciuium ædes amplæ sunt & sublimes, quibus tùm intus, tùm extra suus non deest decor. Parietum domorum firma ac solida, artificiosaq; structura. Quippe cùm vnaquæq; penè aptas habeat fornices & aulas, pro domorum magnitudine latas. Habet vnaquæq; sua æstuaria, quas vocitant Stuphas. Hyemis enim rigorem & asperitatē eo modo mitigant Germani ac cæteræ gentes, quæ longè lateq; tenent regiones glaciali polo propinquiores. Fenestræ domorum vitreæ sunt, ostia verò ferrea. Habitantium multa & munda suppellex. Equorum capacia stabula. Hoc vnum est dedecori vrbi, quòd pleræq; domus non fictili, sed lignea tegula operiuntur. Ingressus priuati cuiuspiam domum, in ædem alicuius Principis te introiuisse putabis. Nobilium priuatorumq; domus liberæ sunt, neq; ciuitatis magistratus in eis aliquid iuris habent. Cellas vinarias sub ædium ædificiis construunt, quæ sunt adeò profundæ & spaciosæ, vt non minus sub terram earum structura tendatur. Viæ vrbis lapide, adeoq; duro stratæ, vt neq; plaustrorum rotis facilè conterantur. Deo ac sanctis eius dicata templa ampla sunt ac splendida, secto erecta lapide vitreisq; & varii coloris, longis latisq; fenestris pellucida, & columnarū mira arte laboratarum ordinibus, altissimis præterea mireq; artificiose testudinatis tectorum culminibus admiranda: Sanctorum plurimæ pretiosæq; reliquiæ, argento & auro, gemmisq; vestitæ. Templorum mirus ac multus ornatus, diuesq; suppellex. Sacerdotes pluribus bonis abundant. Qui clero præest apud S. Stephanum, soli Romano Pontifici subest. Ciuitas Patauiensis est Diocœsis, sed filia est matre maior. Est & Viennæ monasterium, in quo meretrices ad Deum conuersæ recipiuntur, quæ Canonicis horis hymnos Deo Teutonica lingua decantant. Earum si qua deprehensa fuerit redire ad peccatum, in Danubium præcipitatur. Agunt igitur in eo cœnobio pudicam sanctamq; vitam, ita vt rarus de illis sermo malus audiatur. Est & hîc schola nobilis liberalium artium, Theologiæ quoq; ac Iuris Pontificii, noua tamen, & ab Vrbano VI. Romano Pontifice concessa. Ingens scholasticorum numerus eò confluit ex Hungaria atq; ex Almaniæ partibus superioribus. Ciuitatis populus quinquaginta millium communicantium creditur. Consulatus decem & octo virorū eligitur: tum iudex, qui iuri reddendo præest: deinde magister ciuium, qui curam gerit ciuitatis, hos principes assu-*

Digitized by Google

assumit, quos in ciuitate sibi fideliores arbitratur, eosq; adigit ad iusiurandum. Magistratus nulli alii sunt, nisi qui vini exigunt vectigal: ad ipsos autem omnia referuntur: quorum potestas annua est. Incredibile videri potest, quæ nam, & quot, qualiaq; & rebus humano victui pertinentibus, singulis diebus Viennam comportantur. Ouorum atque cancrorum multæ quadrigæ. Panis diuersæ formæ, diuersæq; materiæ, ac magnitudinis. Carnes, pisces, volatilia sine numero afferuntur. Vbi aduesperascit, nihil venale ex his inuenies. Vindemia his ad quadragesimum diem protenditur. Singulis diebus trecenti fermè currus vino onerati, bis terue inferuntur. Supra mille & ducentos equos in singulos etiam dies ad opus vindemiarum Viennenses exercent. Itaq; dictu est incredibile, quanta vini copia in vrbem inducatur: quod intra annum vel Viennæ bibitur, vel ad externos per Danubium contra cursum aquæ magno labore transmittitur. Hactenus de Vienna. Ad nostram redeamus narrationem. *Matthias Rex.*

INDEX XXXVI.

POSTVLAT locus vt ostendantur causæ, quibus adductus Matthias, & gesserit aduersus Fredericum bella, de quibus ante dictum est, & Austriam in suam potestatem redegerit. Prætermitto illam, qua contractũ est aliquid alterius in alterum odij, cùm negatam Hungarorum Regum coronã, armis, vt supra ostendi, à Matthia recuperari oportuit. An autẽ Fredericus eam detinuerit, quod ob inuidiã ægrè tulisset, Matthiã tunc adolescentulũ Hungariæ fuisse creatum Regẽ, vt multi crediderũt, aut alijs de causis, incertũ ego habeo. Hoc nihilò minus satis constat, post restitutam coronam, alterum cum altero rediuisse in gratiã. Aliæ igitur discordiarũ causæ reddẽdæ sunt. Georgius ille Bohemorũ Rex, quem Pius olim Pont. Max. iudicio condemnauit Anathematis, propterea quod declinauerat in hæresim Hussitarũ: graui admodũ bello Fredericũ ipsum, qui nihil tale sibi metuebat, lacessiuit. Misit enim filiũ Victorinũ suum, cum numeroso exercitu, in Austriam: cuius non exiguam partem & quidem non sine variis ac miserabilibus vastationibus suis occupauit. Vrbẽ autem Viennã, vbi tũc Fredericus agebat, circumsedit: ratus eam haud facilè capi à se posse, cum esset muro & armis, validoq; præsidio munitissima. Ille ita obsessus, scribit ad Matthiam, supplex eum orans, vt in tanto rerum discrimine, opportuna ei ferat auxilia: contra præsertim hostẽ, qui Hussitarũ impio infectus dogmate, Catholicæ fidei, veritatiq; aduersaretur. Annuit Matthias, nec diu moratus, sua ipsius impẽsa, coactis instructisq; copijs, quæ posset Bohemo haud dubiè opponi, Viennã versus contẽdit. Ad cuius vrbis agrũ vbi peruenit, primũ composuit agmen, deinde processit ad loca hosti castris ad mille passus propinqua, vel sua castra idoneo in loco positurus, vel se laturus primo impetu in Bohemos, rẽ videlicet gesturus, si id necessitas cõmittẽdi certaminis exigeret. Matthiæ aduentus adeo magnũ Bohemis iniecit terrorẽ, vt non solũ ei aduentanti, eorũq; propinquanti castris nihil obstiterunt: sed soluta obsidione, discesserũt. Ita obsessus Cæsar, ope virtuteq; Matthiæ, à Bohemorũ inuasione, vitæq; periculo ac maximo decoris rerumq; suarũ detrimẽto, ereptus est. Nec tamẽ destitit Rex, quo minus excedẽtes hostes, magno animo fuerit tantisper insecutus, dum peruenerunt ad loca, Bohemiæ finibus proxima. Illic cum sua castra Victorinus posuisset, haud veritus est Rex, non procul ab illo sua castra locare. Decreuit enim non prius inde abire, quam Bohemus vel in suos se reciperet fines, vel si præstare illic mallet: suis ipse deductis copijs, collatis signis prælij fortunã tentaret. Haud ignarus Victorinus, qualis esset Regis animus, sibi timuit: propterea quod satis animaduertebat, se viribus esse inferiorẽ. Nihil igitur sibi potius est visum, quam mittere ad Imperatorem nuncios, qui cum eo de pace agerent. Vbi itaq; inter nuncios, & Imperatorẽ multa, ea præsertim quæ in rem fuere, vltrò citroq; dicta sunt, vtq; leges concordiæ vtrisq; placuere: pax inter ipsos, Matthia inconsulto, penitusq; inscio, cõposita est. Id vbi est factũ, absq; vlla mora, auxiliares copias, quas Matthiæ exercitui coniũxerat, Imperator reuocauit. Id ipsum eò fecisse cõstãti tunc fama percrebuit, quod suis reuocatis copijs, sibi Fredericus persuadebat, Matthiam quasi nihil tulisset

Matthias Rex.

opis, in suum regnum inglorium rediturum. Ita Frederici seu prauitate vel ingratitudine, aut animi leuitate factū est, vt Rex tam ingens bellū frustra suscepisset, vtq; omnis eius labor, diligentia, cura, impensa, quæ grauissima fuit, irrita fieret. Quodq; fuit longè iniquius, cùm primùm Matthias præter spem illius, diuina fretus ope, domū rediit: ille suscepti beneficii immemor, sæuissimum se hostē gessit: quippe qui in Hungariam missis frequenter legionibus, multa illic loca inuasit, diripuit, ferroq; ac crebris vastauit incendiis. Nec satis ea illi fuere, suis suggestionibus effectū est, vt à Casimiro Poloniæ Rege grauibus iniuriis, belloq; perdifficili lacesseretur: quamuis antea magna fuerint cōiuncti beneuolentia. Effecit enim, vt à Bohemis Hussitarum dogma sectantibus, mortuo Georgio, Casimiri natu maior filius, Casimirus & ipse nominatus, Bohemiæ Rex eligeretur. Quæ res eò fuit iniqua, & idcircò Matthiæ perquàm molesta, quod antè fuerat ipse iam ad id regnū euectus: nō modò electione catholicorū Bohemorū, sed decreto quoq; Pauli Rom. Pontif. vt ante dictum est. Ipse præterea Cæsar eam Bohemorum electionē confirmauerat publicis monumentis literarū, ac tradiderat ei regni possessionē, quam vulgò vocitant *inuestituram:* cuius tradendæ Cæsaris consueuit esse potestatis. Ea monumenta firmauerat Fredericus omni vigore, ac robore, iuris etiam iurandi religione. Compulsus igitur fuit Matthias, iura quæsiti sibi regni tueri, obuiamq; ire Poloni conatibus, qui regnum alienum inuasit. De armis autem, quæ inter se contulere, quoue modo & bellum finitum sit, satis meminimus supra, quantū visus est locus exigere. Aliæ deinde bellorum causæ occurrerunt. Aliquot interiectis mensibus Imperator nulla noua à Matthia prouocatus iniuria: permisit Germanorum quasdam copias, fines Hungarorū infestis ingredi armis: qui multas facientes excursiones, multa loca, quorum incolæ nihil hostile metuebant, longè lateq; populati sunt. His malis commotus Matthias, primùm misit & ipse suas copias, quæ Germanorū comprimerent audaciam, omniq; conatu efficerent, vt illi è regni sui finibus pellerentur. Id vbi factū est, non planè sine Germanorum miserabili clade misit Matthias legatos, qui adhortarētur Imperatorē, vt vlteriore abstineret iniuria: satis superq; se tolerasse, fuisse toties ab illo se lacessitum. Tolerantiæ causam fuisse, quod illū semper habuisset parentis loco. At verò si decreuerit perstare in sentētia, vt armis velit secum contendere: nihilò plus agat, quàm expectet potentissimum suorum. Hungarorum exercitum, qui cunctas illatas sibi iniurias libens & forti animo vlciscatur. Cùm verò neq; semel, neq; iterum missis legatis ac nuntiis Fredericus bello desisteret: Matthias cum vniuerso instructoque exercitu mouet ex Hungaria, ducitq; Germaniam versus: cuius ingressus fines cœpit circumquaque excurrere, quicquidue occurrit locorum, inuadit, diripit, vastat, incendit. Ex iis autem, quæ ex direptione habita sunt, militi multa concedit: ingentem enim omnis generis prędam congessit. Cum suis occurrit Fredericus legionibus. Quoties vtriusq; Ducis copię conseruere inter se manus, toties Matthias victor euasit. Inter belligerandū persæpè inter ipsos induciæ factæ: sed semel iterumq;, ac tertio à Frederico violatæ. Tantæ eius inconstantiæ causas, non Hungarorum modò, sed Germanorū etiam plæriq; tribuunt senectæ, qua penè confectus est. Quanquā sunt non pauci, qui affirmant, ea hisq; similia non Frederici voluntate facta, sed consiliis quorundam prauorū hominum, quorum Principes aiunt, fuisse Antistites illos Ecclesiarū, quarum nomina supra expressimus. Factis tandē in aliquot menses induciis, quarum fide vterq; cum suis copiis domum rediit. Inter hæc dum occuparetur Matthias graui bello, quod gerebat aduersus Turcas, quorum ingens multitudo irruperat in Hungariam: nulla induciarum habita ratione misit Fredericus legiones, quæ ingressæ Hungariam omnia infesta facerent, nec sine magna quæsita præda domum reuerterentur. Eam ob rem, oportuit Matthiam desinere à bello illo iustissimo, atque, vtcunque fieri potuit, cum Turcis ad honestas venire inducias, animumque ad rei suæ defensionem conuertere. Eodem anno cùm

opus

Digitized by Google

opus fuisset Matthiæ procedere obuiam Beatrici, destinatæ sibi vxori, puellæ formosissimæ ac sapientissimæ, Ferdinandi Regis filiæ, quam à patria promiscui sexus, nobilissimi generis homines comitabantur, essetq; Matthias ipse obuiandæ honorandæúe nouæ coniugis, variis implicitus curis: Federici copiæ ipso iubente, hostiliter ingressæ Hungariam, omnia turbauere. Et nisi Matthias quamprimùm per præfectos prædictæ illorũ audaciæ potenter prudenterq; restitisset, illosq; vertisset in fugam: parum abfuisset, quin fœdassent omnem illam nuptiarũ celebritatem, luctuq; omnia complessent. Post paucos annos, cùm non esset ambiguum ob tantorũ bellorum furias, Regnorum vtriusq; magnam subsecuturam perniciem: per communes amicos authore Paulo Pontif. Max. qui ad Fredericum misit Forliuiensem Episcopũ, ad Matthiam autẽ Gabrielem Agriensem Cardinalem pax inter ipsos composita est. Paci multæ conditiones adiectæ. Earum hæc fuit præcipua. Quandoquidem Matthias propter tot accepta absque vlla iusta causa, detrimenta, vim auri exhausit non facilè æstimabilẽ: conuenit inter eos, vt Matthiæ à Frederico centum millia auri persoluerentur. Duorum annorũ tempus satisfactioni pecuniæ constitutum est, ita vt anno, qui instabat, traderentur millia quinquaginta, sequenti, alterum dimidium. Quæ omnia firmata, mandataq; sunt, vt & ea, quorum supra memini monumentis literarum. Ei satisfactioni non Fredericus tantum se fecit obnoxiũ, verùm etiam proceres & clariores ciuitatis, quæ illius parebant imperio. Adiectaq; hæc lex est: *Nisi Imperator vtatur debitoris officio, ipsi persoluunto. Quod si neq; Imperator, neq; ipsi iuxta monumenta satisfecerint: Matthias impunè illius regna armis inuadunto.* Ita composita pax, per annum tantũ perseuerauit, propterea quod Imperator persoluit, vti promiserat: Anno verò proximo neglexit. Postulat ius Matthias suum: recusat Fredericus suo vti officio: nec minus proceres ciuitatesq; recusauere. Instat Matthias, Deum hominesq; testatus, inuitum se suscepturum bellum. Cęterùm vbi tandem animaduertisset, sibi dari verba, nihil vlterius protelandum ratus, sumptis armis Austriam, quæ regno est Vngariæ contermina, inuasit, belloq; diuturno perdomuit: & hodie, nemine reluctante, tranquillissimè possidet. Hęc habui, quæ dicerem de causis bellorũ, quę duo potentissimi Christiani Principes, non sine summa multorũ mortalium admiratione, seculo nostro gessere. *Matthias Rex.*

APPENDIX IOAN. SAMB.

Quòd autem pacatam Austriam tùm Matthias tenuerit, septennii fœdere inter ipsum & Cæsarẽ, opera Ducis Saxonię Alberti fiebat: quàm vterq; libenter multis de causis acceptarat. Matthias præcipuè, qui à Cæsare Turcarum, de producendo fœdere sollicitabatur, quod iniuriis Friderici lacessitus, antea non grauatè pepigerat: Fridericus, qui de Maximiliano à Brugensibus capto, vehementer solicitus, quibusuis conditionibus cesserat. Itaq; pacis inter eos leges ad mortem vsq; Matthiæ durarunt, nec ab illis discessum vnquam fuit. Cur autem potissimum fœdus renouarit cum Frederico, affinitatem quoque causam dicunt: quæ iungi per filiũ Ioannem & Austriam quandam debebat. Hinc viribus collatis, in Venetos & alios vt bellum mouerent, nec cœptis absisterent, nisi cuncta Imperio, quæ fraude & artibus erepta essent, sociis armis recuperassent. Tandem se ad Huniadis vestigia, hoc est, paterna rediturum, & vnà cum Frederico in Turcas exercitũ conuersurum: nec vita, nisi Constantinopoli sedem fixisset, decessurum. Tàm præclaræ illius fuere cogitationes, si superuixisset: verùm Anno 89. suprà cccc. omnes cùm domi exortos motus amanter composuisset, ac totius corporis lassitudine & podagra nimis affligeretur: Viennam se deportari iussit. Vbi sequenti anno, ruinis passim quibusdam restitutis, misso etiam paulò antè in Silesiam contra quendã seditiosum exercitu, ex apoplexia moritur. Sunt qui mortis causam fuisse Beatricem, satis deformẽ velint. Quòd hæc cùm negligi se videret, atq; in Italos quiddam cum Frederico parari animaduerteret: à quibusdam Italię principibus corruptam, *An. Chr. 1489.*

Digitized by Google

Ladislaus Rex.

sitienti ex aduerso nuntio Matthiæ, ficus tostas, & eas veneno imbutas, ante frigidæ potum, nimis blandè exhibuisse, deuorandas. Quibus ille comestis, quasi dolum sentiens, Germanos & Vngaros exhortari, atq; orare non destiterit, suum filium ad regnum vt euocarent: *periculosum aliunde accitorum esse imperium:* deinde Beatricem cum sua dote & muneribus expedirent: postremò turmas illas suas nigras, quæ non tumultuario prælio, sed statario vincere consuessent, ne negligerent, quod nisi facerent, euersionem regni, vti accidit, subsecuturam. Hæc vt aliquoties repetiuerit, octauò à veneno exhibito die, hoc est, 4. Aprilis, illum ad regionem sanctorum commigrasse. Alii etiam veru per nates dormienti immisso, necatum à quibusdam suis aiunt, quod affirmare non ausim. Cadauer eius Albam Regiam deductum, inq; Regum conditorio magnificè depositum est. Hic fuit decursus imperii, & fœlicissimè siue domi, siue militiæ gestorum Matthiæ, per annos XXXVII.

INDEX XXXVII.

DEFVNCTO rege Matthia, principes regni de alio sublegendo cogitationem suscipiunt: communicatisq; variè inter se consiliis Ioannem quendam, Matthiæ filium, illegitimo natum thoro, proponunt, quòd in eo virtutis auitæ ac paternæ simul procul dubiò seminaria inessent. Addunt ab ea voluntate non fuisse alienam etiam patris, qui omnem suum thesaurum illi reliquisset. Eodem tempore Maximilianus Cæsar, Reges, Polonus & Bohemus, nuntios expediunt suos ad proceres Vngariæ, beneuolentiæ & regni quisque sibi conciliandi ergò. Sed tum Regina Beatrix, hausto iam in Olomucensi congressu amore: de nuptiis cum Ladislao admodum formoso clandestinè tractans, primates in suam sententiam largitionibus & precibus traduxit: Ladislaum vti regem suum pronuntiarent. Non defuturam illis vnquam Regis gratiam & amicitiam, multò minus regno tuendo custodiam. Quare de communi consensu Ladislaus, frater Sigismundi Poloni eligitur, quiq; hoc illi denuntient, in Bohemiam legatos mittunt. Rex nuntio tàm læto, & nec sperato, accepto ex Bohemis & aliis, quas potest, manus facit: quorum comitatu, quia diuersas adhuc quorundam de spurio Matthiæ sententias audiebat: ad Sempthe, arcem Vago circumfluo, munitissimam consedit, donec quid omnino futurũ esset, certò cognosceret. Fecit etiam id, quia Cæsarem ingentem edixisse exercitũ intellexerat. Maximilianus sub idem tempus Vienna sine difficultate, & quasi annuente Ladislao potitur retenta arce, in qua Stephanus Scepusiensis præsidium abiens reliquerat. Sed subuersis muris, & ad irruptionem aditu patefacto, sese quoq; dedunt. Qua ipsa occasione, Claster-naburgum & vicina loca similiter recuperantur. Ipso hoc anno Alba regalis, quam Paulus Kynisii apto milite & commeatu benè copioso tenebat, Cæsar adiunctis omnibus ferè Germaniæ proceribus circumsedit, eamq; vigesimo quarto die obsidionis non sine cęde suorum expugnat: mox Vesprimium non ita pertinaciter defensum, vnà cum aliis castris fortissimis, & ad quamuis oppugnationem infestis eiusdem Kynisii capitur. Marte satis felici Maximilianus vsus, persequi tamen victoriam Germani haud sciuere. Etenim quòd stipendii solutione milites caruerant. prędа memorabili istic potiti vlterius progredi, Cæsare postulante, nolebant: sed passim relicto præsidio, Viennam suorum inobedientia reuertere coactus est. His ita gestis, Ladislaus anno proximè secuto, Budam immenso exercitu ingressus, conuentum indicit, quo de præsidiis Germanorum eiiciendis, regnoq; eliberando prorsus concludatur. Eo paucis diebus expedito, quæ ad salutem regni & fines purgandos attinebant, decreta seriò fuere. Pauloq; post passim Cæsarianis præmonitis, si se saluos cuperent, liberè discederent: eandem Albam grauissimè obsidet, ac breui cuncta restituit. Qua re factum etiam, vt sine vlla controuersia ibidem diademate Stephani Regis de more confirmaretur. Quem Ladislai successum permolestè quidem Maximilianus tulit: sed ob negotia imperii tum absens rebus vti voluisset, succurrere nequibat.

Tandem

Digitized by Google

Tandem crebra legatione vtrinq; de pace, inter eos perpetua, tractari cœptũ est: certis id legibus, & transactione veteri, qua domus Austria niteretur, cum Vngaris iam inde ab Alberto facta. Ambo dimitterent exercitus, præsidia tollerentur, atque si Ladislao vita functo, hæredes masculi superessent: exigua pensione ius illud ab Austriis quotannis redimeretur, hæcq; conuentio perpetua, & lex firma esset. Sin aptum Regno successorem non relinqueret, pacta valere Austriis debere. Verum Ladislaus Beatrice repudiata, ex nepte sororis Galliarum Regis, Annam, & Lodouicum suscepit. *Ladislaus Rex.*

Sub Annum XIIII. supra M. D. Turca cùm in alias Vngariæ partes hostiliter incursaret: semper eius saluti insidiatus: tum verò in Croatiam, maximo cum impetu, & vi apparatus transit: isticq; oppidum fortissimum, vnde pacis, & bellorum spes illius regni pendebat, Thinninium inuadit. Quod hoc citius adepturum se putabat, quia Regem nonnihil otiosum inopemq;, Cæsarem autem, ac Polonum aliis bellis occupatos, nouerat. Claruit id temporis, consilio, & opibus Illustris Thomas Cardinalis, Archipræsul Strigoniensis. Qui vt periculum impendere Vngaris extremum, nisi aliter prouideretur, sensit: tamen Regem non ita pecuniosum, thesauro vt minus iuuaret: milites se gratuitò mox coacturum promittit. A Leone igitur X. Pontifice (qui Solymum Italiam aggredi prius, quàm Vngariam constituisse intellexerat, ideoq; corruptis quibusdam Vngariæ proceribus, ne cum Solymo perpetua pax fieret, impedierat, totius Christianitatis auxilia pollicitus) diplomata aufert, quibus remissio delictorum & vita sempiterna, qui pro nomine Christi, propriis sumptibus arma capesserent, vulgò denunciaretur. Ex qua demum indulgentia, imperita multitudo iam diu à Nobilibus vexata, eos spiritus, ac licentiã sumpsit, vt, quas cum Turcis manus conserere vellet, primum suorum nobilium cæde, & sanguine imbuendas clamitaret: aliter se, vel Turca repulso, quam speraret, quietem, nunquam habituram. Peruicit opinio confusæ plebis, nec illius mentem quicquam sanare, aut reuocare in memoriam eius potuit, cuius amore, signo crucis vestibus præfixo, ad societatem, & militiam se contulissent. Hinc exortum in Pannonia horrendũ illud rusticanum, & seruile aduersus Nobilitatem bellum. Etenim re variè, & turbatè satis ab illis gesta, optimis quibusq; de medio sublatis: spe interim veniæ perpetuæ retenta, suæ libidini furenter, penè satis, permiserunt. Donec præ cæteris, à Ioanne Vayuoda, magnæ spei iuuene, Georgio, & Luca Sekelis, præfectis eius æstus, & seditionis captis, multoq; maxima parte cæsa rusticorum, paucis dispalatis, & in sua loca dilapsis, incendium extingueretur. Quocirca Rex, animo, & viribus cum nobilitate receptis, omnem cogitationem ad pacem optatam, & salutis conseruationem contulit. Itaq; rebus tunc prosperè gestis, ac vniuersis benè constitutis, Anno M. D. XV. quò Christiana res vigeret, & aduersus Dei hostes magis cresceret: sumptu maximo, inusitato comitatu Cardinalium, Episcoporum, Ducum, & totius ferè Germaniæ nobilitate, studio coniungendarum voluntatum, & præripiendæ occasionis turbarum, de successione Vngarica quæ excitari potuissent: Maximilianus cum Ladislao, eiusq; liberis, ac Sigismundo Polono, ad Oppidum PRVK prope Iaytam fluuiolum, conueniunt. Vbi dextris peramicè iunctis, à Maximiliano Viennam inuitantur: hospitalitatem, & animum se illis declaraturum, inquiens, qua nuptiæ fieri, & affinitas existere possit. Quapropter Viennam imbribus quidem obruti, sed læti ingrediuntur: Ladislao cum liberis in Arce hospitio dato, Polono autem in ædes leporinas, sic vocatas, deducto. Ibidem cuius causa Cæsar istud omne cupiebat, vt ex Nepotibus alteri filiam Regis, nuptiis illigaret, facilè perfecit. Quod XXII. Iulii, concordia principum vulgò recitata, & supplicationibus in Stephani, iustè confirmata: nuptiæ binæ, & illæ vicissim factæ, iunctæ sint. Etenim Maximiliani Neptis, Maria, Lodouico iam tum Regi, datur: huius contrà soror Anna, Cæsaris Nepoti Ferdinando Austriæ, desponsatur. His ita festè peractis, Ladislaus Budam cum Lodouico reuersus, & filia Viennæ relicta:

An. Chr. 1514.

An. Chr. 1515.

Ludouicus Rex.

cùm procerum odia dissimulasset, podagricus, & multa carne, & pinguedine grauis, nono pòst Mense, vita Budæ fungitur. Visus est multis hic Rex ad ocium, & pacem quàm bellum & gubernationem magis aptus. Nam suarum rerum nimis negligens, & profusus, interdum, quod mensæ apponeretur, vix habuit: Cætera sanctissimæ vitæ, perpetuis deditus precationibus adeò fuit, vt quibusdam, vbi procubuit, visus sit interdum diuinitus à terra subleuari. Sed & huic improbitas malorum, quòd linguæ Vngaricæ prorsus expers fuerat, nocuit: & de gloria non parum detraxit. Præfuit imperio annos XXIIII. Sepultus Albæ, vbi cæteri Reges Vngariæ.

INDEX XXXVIII.

LODOVICVS, patre adhuc viuo, in ipsis cunis, Rex Vngariæ creatus, & insignitus corona fuit: Anno verò ætatis suæ quarto, Boemorum etiam Rex dicitur, & coronam consequitur. Fuit is corpore valido, benè sano, colore subfusco, ad quæuis solatia natus, nemini molestus, largus: sed ante tempus adolescens, canos aliquot capillos alebat. Amabilis, & placitus natura, ingenio satis excitato: sed cùm ab ortu, & formatoribus neglectus: tùm perpetua Vngarorum negligentia, & seditionibus factum, quo minus sese exercere, & cum autoritate imperare, fuerit assuetus. Qui enim Antistites & alii, à consiliis aderant: obtinere ius, & summam rerum volentes, læto semper illum animo esse debere, atq; negocia publica in ipsos conferenda, persuaserunt. Ea re factum, quod cùm Turca iam pridem in Vngariam, oblata occasione, penetrare cupiisset (quod satis ostendit septem annos Barnaba Belay Seuerinensium Bano, iam à Ladislao pro pace misso, apud se detento, ac ea denegata, postea remisso) vt cladem à Parthis acceptam, amisso patre, resarciret, regnumq; stabiliret suum: Vngaros *conuiuiis & theatris deditos sentiens:* maximo cum apparatu, expeditionem decreuerit, ac bellum formidabile mouerit. Quod eo felicius vrsit, quia Regem à suis pro puero haberi, & aliorum prorsus niti consilio, intellexerat. Multos præterea æmulos Regni: turbas, & proditiones domesticas vigere: nullum Ducem bonum: deniq; non parum ad rem benè gerendam sibi profuturum, quod omnes penè Christianos principes, intestinis odiis ardere, mutuisq; bellis longè ab Vngariæ finibus distineri, & sese conficere animaduertebat. Ratus nimirum, aut nullum, aut serum nimis externum Vngaris affore subsidium: nec aberrauit. Quare magno in Vngariam furore concepto, per loca, quæ ante annos septem prohibere accessu potuissent, Belgradum receptum, & alia transit, atq; etiam Salankemen, & Varadino Petri captis, & arte sibi communita via, traiecto nostrorum socordia Drauo: Tolnam nemine impediente, subitò applicat. Quo nuntio Rex accepto, & perculsus animo voluptuosis proceribus: statim legatos cum precibus quoquò versus dimittit, per fidem, & religionem obtestans, nisi ciuilia odia, & arma deponant: hac vice de vniuerso nomine Christiano, & salute actum fore: de communi igitur consensu, vndiq; copiis quamprimum coactis, iam succurrant. Verum illi tardius, quam par erat, in animum preces Lodouici admiserunt. Quamobrem denegatis passim thesauris etiam Vngarorum, quæ merito ad communem libertatem exponi debuissent: collecto Rex miserandus exercitu ad 25000. ex pietate ac dolore, furorem hostis reprimere, quamuis omni externa suorum ope destitutus, conatur. Sed vnica spes reliqua fuit, in aduentu Ioannis Vayuodæ, iamdudum non obscure Regnum appetentis: qui validissimas copias de Transylnia mouerat: tamen quorundam etiam Episcoporum siue maleuolentia, siue importunitate, atque conuitiis in Regem, factum: vt non expectato Vayuoda, ingruente autem Thurcorum seuitia, infelix Rex, alienis consiliis affixus, incaute se opponeret, & mox animose præcipitaret. Nam promotis ad Mochacz oppidum castris, æquo in loco, quia hostis valde numerũ exiguum, sine ductoribus, & tormentis vidit nostrum: nihil differendum statuit, sed prælium

Digitized by Google

lium committendum. Cunctis ergo à Rege quoque per Paulum Tomori, hominem tum nonnihil temerarium, confuse ad certamen dispositis: cum aliquandiu nostros procursationibus, & læuibus præliis exercitos, attriuisset: tandem vltimo, nostris quoque etiam in aciem vtcunque deductis, & ordinatis: manus longe impares, & summas adeo copias 30. Augusti conserunt. Sed Regius excercitus facile, & miserabiliter, offuso terrore, cæsus, & fugatus breui est. Vbi Amplissimi quique præsules, & Barones, ignominiose occiderunt. Lodouicus etiam ipse, hostis manus effugere volens, ex media cæde in lacunam quandam, ex stagnatione Danubii, equo delatus, quod armis grauabatur, ibidem submersus, interiit. Cuius tandem cadauer integrum, post duos menses, inditio cuiusdam Cetricz nobilis Boemi, inuentum, ac in Alba Regali perhonorifice, summa cum luctus omnium contestatione, fuit sepultum. Sed illi ipsi authores, ac Regis socii, qui Vngariam cum Rege in exitium deduxerunt, haud impune euasere. Siquidem cum spoliis corporis, ipsorum capitibus præcisis, ouantibus Turcis ludibrio extiterunt, ac solius tantum Regis Cæsar misertus: in caput Vngarorum, qui non aliter sibi resistendum statuissent, suumq; Regem perdidissent, minas periculaq; detestatus. Hic fuit miserabilis exitus Lodouici, hoc imperium nunquam sanum, nullis firmatum vel præsidiis, vel consiliis Baronum. Quisque enim dum sibi clam dominatum, & auaritiam proponebat: neglecto Rege, atque publica tranquillitate postposita, conciderunt. Solymeth victoria celerius, quam forte voluisset, potitus: recta Budam pergit: vbi omnibus in prædam versis, vna cum Pestho eam, oppido mercatu celebri, contra ipsam posito, igni penitus exurit. Regina Maria, onustis aliquot nauibus, comitatu promiscuo ciuium, & suorum, Posonium, non sine molestia, euasit. Non diu tamen Solymeth in Vngaria permansit: Sed Regis Persarum metu, & domestici cuiusdam seditione coactus: vacuum omni præsidio regnum deserit, ac domum festinat.

Ferdinandus Rex.

INDEX XXXIX.

EXCIPIT regnum Ferdinandus, diuinitus omnium voto nunc confirmatus Cæsar, Hispaniarum Infans, iure suo, ac fœdere non solum connubiali: sed etiam maiorum suorum conuentionibus. Sed non sine difficultate, atq; studiis Vngarorum vehementibus & diuersis illud est consecutus. Nam Ioannes Vayuoda, qui flagrans cupidine regni, iam dudum sibi illud propositum habebat: non obscure, quid animi tum aduersus Lodouicum, tum verò Ferdinandum haberet, quidq; semper molitus sit, in interregno ipso demonstrauit. Iam enim à conuentu illo Pesthiensi, vbi omnia loca suis armis obsederat, cùm de confirmanda Lodouici gubernatione tractatum esset: quid ambitio, prehensationes, & id genus artes possint, experiri ausus est: quibus haud parum ipse perfecit. Siquidem mortuo Lodouico, ad præripiendam Ferdinando hæredi coronam Barones subordinauit, & promissis innumeris, vt à multo maxima parte Rex crearetur, obtinuit. Sed infaustus illi dominatus, & semper inconstans, adeoque cladibus sæpè cumulatus exstitit. Etenim Ferdinandus conflato exercitu paratissimo, recta Budam vt obsideat, discessurus: desperatis Vayuoda suis rebus, profugit. Fusisque eius passim, & cæsis copiis, satis Vngarorum societate firmatis: nusquam tutus esse potuit, & diu in Polonia hospes latuit: donec se, suosque vnà cum regno ad extrema deductus, in turpissimam tutelam, siue potius miserandam seruitutem Turcæ abiecerit. Quo tandem variis precibus ad restituendum sibi regnum, euocato: imperium cum ipse suum amisit, omnesq; posteros in tyrannidem dedit, tum verò cunctis Christianis negotium præbuit, & solicitudinem importauit maximam. Sed spes est fore, tametsi mobiles adhuc quorundam Vngarorum animi videantur: vt huius ipsius Ferdinandi, pientissimi Cæsaris, non solum precibus, sed manu quoque, & potestate valida, vis, & furor Turcarum breui repressus penitus cesset: nec amplius Christianorum saluti queat imminere.

Digitized by Google

Sed quod ad hunc Regem attinet, non deerunt, qui memoria & stylo recenti, quid amore Christianorum molitus sit, quid susceperit, atque audeat, fideliter & copiose notabunt. Hæc appendicis loco nunc sufficiant.

FINIS.

DE S. STEPHANO HVNGARORVM REGE.

VITA S. STEPHANI PRIMI REGIS HVNGARORVM, QVI EOS AD CHRISTI RELIGIONEM TRADVXIT: ab Episcopo Chartuitio conscripta, sed stylo mutato per F. Laur. Surium.

Præfatio Authoris ad Colomannum Regem.

DOMINO *suo Colomanno, Regi excellentissimo, Chartuitius Episcopus, spiritale ministerium Dei benignitate adeptus, post huius vitæ terminum illud Euge precatur sempiternum. Aggredior nunc opus, serenißime Rex, iussu tuo mihi demandatum, à quo hactenus ingenioli mei imperitia abhorruit, ob id præsertim, quod Priscianus Grammaticus mihi olim sat benè perspectus & cognitus, procul à me digressus, iam decrepito mihi, tanquam caligine quadam septus, faciem exhibet obscurißimam. Sed cum alia ex parte dignitatis tuæ attenderem authoritatem, vicit tandem anxiæ mentis dubitationem omnem, virtutum omnium lux & gemma, obedientia: cuius forti præsidio fretus, tametsi mihi vires cernerem haudquaquam suppetere, operis inchoandi fiduciam concepi. Cùm sint autem plerumque inuidiæ obnoxia, quæ bona animi fiducia geruntur: supplex oro Regiam sublimitatem tuam, vti opusculi huius suscipere ne grauetur patrocinium: nec offendatur parum commoda dictione, aut ordinis & rerum gestarum confusione. Quod si occurrat quippiam, quod fœdam habeat offensionem, malim codicem ignibus absumi, quam liuoris materiam cuipiam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex diuina misericordia proficiscuntur, ipsius munere sic libet opusculum præsens auspicari.*

VITA

VITA.

OMNE datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Huius quidem Patris datum optimum & donum perfectum ad omnes largiter dimanans (neminem enim spernit, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ad Hungaros vsque, quos olim Christianorum flagellum fuisse constat, sese diffudit. Quod quemadmodum, & quando factum sit, styli officio ad posterorum notitiam transmittere visum est. Ea quidem tempestate, quà Hungarorum gens Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingressuris ducem se præbuit. Is Geisa dicebatur, seuerus sanè & crudelis homo in suos, potenter eis imperans: erga alios verò, præsertim Christianos, humanus, misericors, & liberalis. Etsi autem Paganismi adhuc erroribus esset implicatus, attamen cœlestis gratiæ luce spiritali appropinquante, cum omnibus vicinis, circumquaq; prouinciis de pace cœpit accuratè tractare, vt iam in illo liceret animaduerti, cuius optaret esse filius, dicente in Euangelio Domino Saluatore: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Edicto quoque proposito, iussit Christianis omnibus in ipsius ditionem siue Ducatum ingredi volentibus, hospitalitatis & publicæ fidei studium & curam impendi. Porrò clericis & monachis fecit potestatem in ipsius quoque conspectum veniendi, eosq; propenso animo audiuit: atque ita factum est, vt orthodoxæ fidei semen in pectoris eius horto satum, in fruges erumpere gestiret.

Quid multa? Adest tempus cœlitus dispositum: credit ipse cum familiaribus suis: vndis salutaribus expiatus omnes ditionis suæ homines pollicetur, se ad Christianismum perducturum. Cùm autem multum esset sollicitus de edomandis rebellibus, ritibus sacrilegis abolendis, ad Sanctæ Ecclesiæ profectum pro sua æstimatione statuendis Episcopatibus mira quadam visione nocte eum Dominus consolatus est. Misit enim ad eum iuuenem speciosissimum, qui diceret ei: Pax tibi Christe Electe: facessat cura isthæc, & solicitudo. Non fiet per te id, quod meditaris. Habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autem tibi filius, qui diuinæ prouidentiæ consilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Erit is Rex, & ex eorum Regum numero, quos Dominus elegit, coronam regni temporarii æterna commutaturus. Tu verò hominem spiritali legatione apud te functurum honorificè excipito: Exceptum reuerenter habeto, eius adhortationibus syncerum pii pectoris assensum adhibeto. Experrectus Princeps, stupens ad visionem, prius secum deinde cum Christianis & suis hominibus pertractans humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias agit Deo, seq; Principatumq; suum cum filio nascituro curæ illius, qui non dormit, neq; dormitat, lachrymabundus commendat.

Admirante autem eo de viro diuinitus ipsi prædicto, nuntiatur illi beatum Adalbertum Bohemensis Ecclesiæ antistitem, ad ipsum venire, ad Christianam religionem fidemque non fictam eum traducere, & ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cupientem. Is nuntius nouis Christi tyronibus ineffabilē attulit lætitiam: Dux procedit obuiam seruo Christi cum fidelibus, quibusque honorificè eum excipit, & vt in visione erat admonitus modis omnibus se obedientiæ filium fore demonstrat. Deinde iubente ipso, fit vbique congregatio indomitæ gentis: per Sanctum Episcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi conuertuntur & baptizantur, multis locis Ecclesiæ conduntur. Lux enim illa, quæ illuminat omnem hominem profligatis tenebris, cœpit in Hungariam enitere, & completum est in ea, quod Propheta ait: Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam. Lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentiles videre meruerunt, quando

Digitized by Google

è tenebris reuocati, illum esse & verum DEVM & hominem verum perfectè credidere.

Non est autem silentio prætereundum, vt omnis ambiguitas tolleretur è medio, & ne parum fidei habere videretur visio duci oblata, etiam vxorem eius iam partui propinquam, eiusmodi diuinitus consolatione affectam: Apparuit illi beatus Leuita & protomartyr Stephanus, Leuitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans: Confide mulier in Domino, & certa esto, te filium parituram, cui primo huius gentis, & regnum & corona debetur. Tu verò illi nomen impones meum. Cùm autem fœmina, non sine admiratione sciscitaretur ex eo, quisnam aut esset, aut vocaretur, sic respondit: Ego sum Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obiui, iis dictis, disparuit. Nascitur itaque, vt prædictum erat, filius Principi, notus Domino, secundum Prophetam, priusquam in vtero conciperetur, & per Stephanum protomartyrem à Domino appellatus antè, quàm natus. Eum verò beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizauit, & nomen Stephani ei impositum est, non sine nutu & consilio Dei, vt nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim Latinè coronam significat. Et illum DEVS voluit tum regni temporarii, tum futuræ beatitudinis redimere corona, vt vita & gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidem Strigoniensi natus est, & illic quoque puer præceptis Grammatices ad plenum imbutus est. Interea creuit, accuratè educatus: cumq; iam excessisset pueritiæ metas, patres eius conuocauit Hungariæ proceres & reliquos ordines, communicatoq; cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. Vtq; ea res firmior esset, singulos ad Sacramentum adegit. Deinde iam grandæuus anno à Christo nato, noningentesimo nonagesimo septimo, vitæ huius ærumnas cum cœlestibus gaudiis commutauit. Eodem autem anno beatus Adalbertus, cùm in Prussiam gentis eius conuertendæ causa profectus esset, martyrii palmam adeptus est.

Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, principum & plebis fauore patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. Nam tametsi etiamnum esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat. Scripturarum diuinarum, quarum amore impensè flagrabat, non immemor, iudiciũ & iustitiam semper ob oculos versabat, & pulchrè quadrabat in eum illud Salomonis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Cumq; omnia Dei præcepta sedulò obseruare conaretur, apud se pertractabat, quemadmodum populum suum ad vnius Dei cultum adducere posset. Animaduertens autem sine vicinarum gentium confœderatione id nequaquam fieri posse, cum exteris prouinciis pacem fecit, fidemq; inchoatam egregiè confirmauit, vt posset eò securius id, quod animo constituerat, in nouella plantatione efficere. Sed hostis totius boni & aduersarius Diabolus, malignitate & inuidentia plenus, vt eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitauit. Eius enim instinctu populus gentilis, Christianæ fidei iugo colla supponere noluit, & cum Principibus Domini sui imperio subducere se moliebatur. Itaque depopulabantur eius vrbes, prædia vastabant, possessiones diripiebant, ministros cædebant, & vt cætera taceam, etiam ipsi insultabant. Cumq; ab huiusmodi improbitate reuocare se nollent, nec suo furori & amentiæ modum statuerent, Dux ipse, diuinæ virtuti confidens ad edomandam illorum rabiem, cum sui exercitus copiis sub signis Deo dilecti Pontificis Martini & clarissimi martyris Georgii, mouit in hostes, qui tum fortè vrbem obsidebant, quam vulgò Vesprinum vocant. Quod quidem illi in eius fecere contumeliam, vt quem ad locum ille familiarius consueuisset accedere, ibi ipsi considerent, essetque ex eo loco facilior ipsis aditus ad alia præsidia occupanda. At ille diuina fretus ope & clementia, illos aggressus est: & illis quidem suis armis confidentibus, ipso verò fide armato, vtrinque congressi sunt. Victis tandem

Digitized by Google

tandem hostibus, & partim cœsis, partim captis, Dux victor abscessit: & sapienter quidem de illorum villis & agris siue possessionibus statuens, non quemadmodum olim Saul, qui superatis Amalechitis, contra quam Dominus iusserat, ex eorum spoliis optima quæque seruarat: sed quia Pannonia beatissimum Martinum apud senatum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis, vt iam dictum est, ex hostibus victoriam reportauit, nihil de rebus eorum in suos vsus conuertit: sed ex Dei amantium consilio iuxta eiusdem sancti præsulis fundum eo loco, qui sacer mons dicitur: vbi Sanctus Martinus, cùm in Pannonia degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium construxit, possessiones & redditus sufficientes ei attribuens. Idem verò de Episcopis constituit, ex illorum captiuorum facultatibus decimas persolui volens, idque adeò exactè, vt si quis decem haberet proles, decimam prolem Sancti Martini cœnobio daret.

Ita ergò hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnem ingenii sui vim contulit ad consectandam doctrinam Euangelicam. Itaque dabat operam eleemosynis, vacabat precibus crebrò adhærens Ecclesiæ pauimento, cum lachrymis orabat Dominum, vt animi sui propositum ad effectum perduceret, vt qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante prouidentia bona, quæ facere decreuisset, cùm virtutum incremento etiam re ipsa exequi valeret. Cùm autem facilè intelligeret, ad hæc inchoanda, & consummanda fidelium Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuntios & literas in partes omnes suum declarauit votum & desiderium. Multi igitur presbyteri & clerici sancti Spiritus gratia compuncti, relictis sedibus suis, Christi causa peregrini esse voluere. Abbates & Monachi nihil proprii habere cupientes, sub tam religioso Principe statuerunt ad sui instituti præscriptum viuere: in quibus fuit Astricus Abbas cum discipulis suis: è quibus Bonifacius loco patris Abbas postea creatus, & à beato Rege in inferiores Hungariæ partes causa prædicationis missus, in vertice gladio percussus, etsi superuixit, non est martyrii corona frustratus. Venerunt etiam duo è Polonia eremiticæ vitæ contemplationis causa studiosi. Ex iis alter Andreas dictus, confessionis meritò choris Angelicis est adiunctus, haud obscurè id declarantibus miraculorum signis, quæ per Dominus effecit: alter Benedictus nomine, pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. Porrò Astricus Abbas cum suis honorificè acceptus ad radices montis ferrei cœnobium in sancti Benedicti honorem construxit, vbi hodieque monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens temporalium rerum copiis ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelii præscriptum, suos aliorumque pedes quotidianis precibus & lachrymis lauet. Cum his Dei seruis Princeps Christianissimus modò communiter cum omnibus, modò separatim cum singulis colloquia miscens, vsque adeò diuinis conspectibus gratum & acceptum se præbuit, vt per eum omnes militiæ eius Comites ad veri Dei cultum adducti sint. Quos autem alios Deos colere animaduertit, eos minis & terroribus subiugauit, & conuenienter doctrinæ Ecclesiasticæ illos instituens, in eorum ceruices disciplinæ iugum & legem imposuit, omnesq; Dæmonum spurcitias prorsus eliminauit.

Postea verò prouinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum Metropolim & magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem. Non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem Episcopũ eum Colocensem constituit, canonica electione creatum. Deinde quarto à patris obitu anno diuinitus permotus, eundem Astricum præsulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad S. Apostolorũ limina misit, à Petri Apostolorũ Principis successore petiturum, vt recens conuersæ Pannoniæ largam benedictionẽ impertiret Strigoniensem Ecclesiam, sua authoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Ducẽ regio diademate cohonesta-

ret: vt eo fultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio cœpiſſet, ea magis magiſq; promouere & conſtabilire poſſet. Per idem tempus etiam Mieſca, Polonorum Dux, Chriſtianam complexus fidem, legatos ſuos Romam miſerat, vt Pontificis benedictionem, & Regium ipſi titulum impetrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & iam coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret, ſua benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus, qui ſint eius, qui etiam duobus ab Apoſtolis propoſitis, Matthiam ſocio ſuo prætulit, & cum Apoſtolis annumerandum curauit: illa corona Stephanum ornari voluit, poſtea felicius gloria ſempiterna coronandum. Nocte enim eius diei, quo ſtatuerat Pontifex, coronam Polonorum Principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitq; ad eum: Noueris cras hora diei prima ignotæ gentis nuntios ad te venturos, ſuo Duci coronam Regiam, & Apoſtolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergò coronam, quam parari iuſſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum Ducem eam abſportaturis: nec dubites, illi eam cum regni gloria pro vitæ eius meritis deberi. Itaque craſtina luce ea hora, qua prædictum erat, Præſul Aſtricus ad Pontificem venit, demandatumq; ſibi officium prudenter exequens, ſanctiq; Ducis res geſtas ordine referens, à ſede Apoſtolica regni coronam petiit, oſtendens, dignum eſſe Ducem eo honore & dignitate, quippe qui diuina fretus ope, multos ſibi populos ſubiugaſſet, multosque infideles ſua potentia ad Chriſtum conuertiſſet.

Iis auditis, mirè exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit, crucemq; ante Regem, ſeu Apoſtolatus inſigne geſtandam adiunxit: Ego, inquiens, ſum Apoſtolicus: at ille merito Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cuius opera tantum populum ſibi Chriſtus acquiſiuit. Atque ea cauſa, quemadmodum diuina gratia ipſum docebit, Eccleſias Dei vnà cum populis noſtra vice ei ordinandas reliquimus. Omnibus impetratis, quæ poſtularat antiſtes Aſtricus lætus ad ſuos reuertitur, illud ſecum ferens, cuius cauſa iter illud emenſus erat. Allatis verò Apoſtolicæ benedictionis literis cum corona & cruce. Præſules cum clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpunt, & Deo dilectus Stephanus Princeps vngitur in Regem, & diademate Regio feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam egerit, qua prudentia & moderatione fuerit, illud ſatis declarat edictnm, quod ab illo cum Epiſcopis & Hungariæ primoribus promulgatum eſt: quo ſingulorum vitiis ſingula adhibuit remedia, & vt pacis, qua Chriſtus orbem coadunauit, ſe filium oſtenderet, inter cætera cauit, ne quis alium hoſtiliter inuaderet, ne quis vicinum ſuum abſq; iudicii ſententia læderet, ne quis viduas & pupillos opprimeret. Id verò decretum, perpetui fœderis ſubſcriptione, ad poſteros ſuos tranſmiſit.

Porrò conſortem regni, præcipuè ſobolis propagandæ cauſa ſibi adſciuit Henrici Imperatoris filiam Giſelam: qui Imperator, ob morum comitatem & manſuetudinem, Pius eſt appellatus. Ea autem Giſela, Chriſmate vncta, & corona Regia inſignita, qualem ſe præbuerit erga Dei cultum ornandum, quàm frequens & benigna, ac liberalis erga Chriſto ſeruientium congregationes fuerit multarum Eccleſiarum cruces, vaſa ſacra & vtenſilia, miro opere effecta vel contexta, in hunc vſque diem teſtantur: præcipuè tamen Eccleſia Veſprinienſis, quam illa à fundamentis conſtructam rebus omnibus, quæ ad Dei miniſterium ſufficiant, in auro, argento, multigeniſque veſtibus præclarè ornauit. Ipſe verò Rex nuper inchoatos Epiſcopatus, id eſt, tàm Metropolitanam, quàm cæteras cathedrales Eccleſias, ampliſſima ſingulis aſſignata diœceſi, & idoneo præfecto antiſtite, Abbatis quoque, prædiis, chortibus, familiis & redditibus Regia planè munificentia inſtruxit. Crucibus, vaſis ſacris, aliaq; ſuppellectile ad Dei miniſterium ſpectante, pro cuiuſq; neceſſitate vel indigentia, ſatis exornauit anniſq; ſingulis, quoad vixit, munera & oblationes, ſemper auxit, ne aliquid extrinſecus conquirere cogerentur,

tur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorū quoq; vitam, & conuersationē modò per seipsum, modò per alios accuratè inuestigans, desides arguebat, alacres & vigiles charos habebat. Canonicorum ministerium, Episcoporum moderationi & circumspectioni sub Christi & Ecclesiæ testificatione commendabat, cum Apostolo omnibus omnia factus, vt omnes lucri faceret.

Ea tempestate in monasterio S. Martini erat monachus quidam, Sebastianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religiosa deuotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro cœpit amore complecti (quantò enim quisq; esset religiosior, tantò illi quoq; charior erat) atq; ob vitæ eius merita dignum eum censens, qui Episcopi dignitate polleret, Strigoniensis Ecclesiæ Archiepiscopum eum esse voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium, recipit Sebastianum illum, vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriusq; luminis orbitate afflixit. Ne verò nouellus grex pastoris gubernatione destitutus, à recto itinere deflecteret, & aberraret, Romano Pontif. assentiente, Astricum Colocensem Episcopū, cuius iam crebro est habita mentio in eius locū, Rex substituit. Triennio inde euoluto Sebastianus ex Dei benignitate recuperauit visum, & Pontifice Romano approbante, Astricus cum pallio rediit ad suam Colocensem Ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit.

Erat sanè Rex ille fidelis & integer in omnibus factis suis, Deo toto pectore deditus & addictus: seipsum quoq; & regnū suum per votum & oblationem in perpetuæ virginis Mariæ tutelā assiduis precibus contulit. Cuius sacratissimæ virginis honor & gloria tàm est celebris apud Hungaros, vt festum assumptionis eius tacito proprio nomine sua lingua diē Dominæ appellent. Atq; vt Rex piissimus propensiorē tantæ virginis defensionē & patrociniū posset promereri in ipsa Regię sedis ciuitate, quam Albam vocant in eiusdē perpetuæ virginis laudē & honorem grandem & insignem, atq; inprimis celebrem basilicam condidit, opere sanè mirifico celatis chori parietibus, & pauimento marmore strato. Quam basilicam qui vidit, testimoniū perhibet dictis nostris, innumera illic haberi palliorū & eorum, quę paramenta vocant genera, tabulas altariū non paucas ex auro purissimo pretiosissimorū lapidum ordinibus conspicuas: Eucharistiæ ædiculam, quam ciboriū dicunt, arte mirabili supra Christi mensam exstructam: conclaue omni genere vasorū crystallinorum, onychinorū, aureorū & argenteorū abundè refertum. Tantæ verò elegantiæ Ecclesiā vsq; adeò Rex sibi vni vendicauit, adeoq; immunē esse voluit, vt nullus Episcopus quicquā in ea iuris haberet. Quibus aūt diebus absolutio esset, pœnitentibus impendenda, aut sacrū Chrisma conficiendū, eum Episcopū voluit in ea & absoluere pœnitentes, & Chrisma conficere, quē ipse vel præsens id facere iuberet, vel quē absens eò mitteret. Diuina quoq; Missarū solemnia Rege illic pręsente eum duntaxat Episcopū celebrare, cui Rex consentiente cum fratribus Præposito id demandaret: absente aūt Rege, absq; Præpositi & fratrū bona venia nullum Episcopū illic sibi vel missas celebrandi, vel cuiuslibet Pontificalis ministerii exercendi licentiā vsurpare. Præterea eius Ecclesię populū tanta libertate & immunitate gaudere voluit, vt nulli omnino Episcopo decimas pēderet: sed soli Præposito & fratribus, prout ipse instituisset, seruitiū exhiberet. Quæcunq; autē seruus Dei per id tempus acquirere potuit, eam in Christum refundere studuit, à quo illa profecta non ignoraret, vt qui eum mundi huius gloria & honore dignū fecerat, etiam cœlestis patriæ ciuibus clemēter adscribere dignaretur. Et in Prophetis quidem de Apostolis scriptum legimus, in omnē terram exiuisse sonū eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non debet autē hoc de solis illis duodecim accipi, sed de omnibus à Deo ad euangelizandum missis, quorū fide, verbis, & moribus Ecclesia suis augescit incrementis, Ex eorum autē numero ille, de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, vt qui bonę voluntatis & piorū operum famā, quam Ecclesiis in proprię ditionis amplitudine construendis sibi peperit, in longinquas regiones & vrbes celeberrimas diffuderit ac propagarit. Exstruxit enim in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est,

Digitized by Google

monachorum cœnobium, idemq; prædiis & vineis, vnde eis quotidiani victus copia suppetat, ditauit. Romæ quoq;, quæ est mundi caput, sub protomartyris Stephani titulo 12. Canonicorū collegium condidit, rebus necessariis, & ad eiusmodi collegiū attinentibus abundans: domos quoq; & hospitia Hungarorū, qui orationis causa Romam ad beati Petri Apostolorū principis limina venirent, exædificauit, muro ea lapideo circumdans. Tum quoq; vrbem regiam Constantinopolim noluit suæ libertatis esse expertē mirifici operis in ea condens Ecclesiā rebus omnibus necessariis ei adiunctis. Itaq; non immeritò suæ ditionis Apostolus appellatus est. Etsi verò ille sibi euangelizandi munus non sumpsit, attamen seu quidam concionatorū dux & magister defensionis & sustentationis solatia eis suppeditauit. Inter omnia aūt cœlestis gratiæ munera, beato Regi diuinitus collata, illa vel præcipuè admiranda, & scriptis cōmendanda videntur, quæ etiā ad promerenda æternæ vitæ gaudia primariū locum obtinent, puta misericordia & veritas. In cunctis enim felicibus factis suis, hoc vel maximè sibi consectandū existimabat, q; in Euangelio scriptū, fidelibus interioris hominis oculis contēplatus erat, ipsa veritate ita dicente: Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiam consequētur, & alio loco: Date & dabitur vobis. Tanta igitur misericordia, benignitate, & pietate pauperes Christi, imò in pauperibus ipsum Christū complectebatur, vt nullū vnquam hospitē & peregrinū absq; aliquo solatio à se discedere pateretur, & ad recreandos egenos quotidianas expensas absq; intermissione fieri iuberet. Iam verò etiā nocturnis horis multa alacritate & hilaritate abluebat fideliū pedes, & in sinu pauperū abscondebat eleemosynas, Christū inopē in membris eius consolari in hac vita cupiens, vt cum illo, quandoq; in illa cœlesti domo, bonis omnibus refertissima, æternū exultare mereretur. Quadam aūt nocte, diuino permotus instinctu, nemine sciente, crumenā nummis plenā accipiens, pusillū Christi gregem suo more solus inuisit. Et ecce pauperes cœlestis thesauri distribuendæ pecuniæ nimiū inhiantes beati viri barbam euulserunt, ea improbitate illius meritis testimoniū perhibentes. At ille gaudio perfusus ingēti, ad beatissimā creatoris omniū matrē se confert: humi ꝓstratus, gratias agens, exclamat: Regina cœlestis & mea, in quē tu Regē constituisti, eū sic honorarunt milites tui. Quæ si mihi ab aliquo hoste illata esset iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerē eam inultā abire. At nunc sciens hinc mihi parari ęternā felicitatem, impensè lætor, gratias agēs illis piissimi Saluatoris consolatoriis verbis, quibus discipulos suos confirmauit: Capillus, inquiens, de capite vestro nō peribit. His dictis, cùm se vir Dei cœlesti gratia, & spiritali charismate perfusum sentiret, statuit, nunq̄ pectoris sui hostia opē poscentibus claudere: atq; deinceps per seipsum & alios, præcipuè tamē Christi seruos & familiares, nempe clericos & monachos, cœlitus sibi datas facultates pauperib. impertiit, in æternis thesauris per illorū manus reponendas. Eius rei permulti sunt testes, atq; in iis beatus Guntherus, ex seculari nobilitate cōuersus, & Eremita atq; monachus effectus, cū illo nunc vitę beatæ particeps. Is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus è Behemiæ regione, crebrò ad illū venire solebat. Quoties aūt sua præsentia eius aulā illustraret, curā regni ei demandabat Rex. Tum ille rebus, quas in aula inuenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & Ecclesias erogatis, breui illā exinaniebat. Ad eius quoq; nutū Rex Deo deuotus monasteriū, q; Beel vocant, inchoauit, bonis omnib. illud locupletans: in quo Gerardus monachus, qui Venetiis eò venerat, vitā duxit contēplationi addictā: & postea diuina ordinatione creatus Episcopus post obitū S. Regis, orta Christianorū persecutione, lapidib. oppressus, diuino munere martyrū contubernio dignus effectus est. Nec hic prętermittendū puto, q; diuina virtus in beati viri vita demonstrare voluit, cuius meriti esset. Nam quoties ad aures eius peruenisset, quempiā aduersa laborare valetudine, medicinæ loco, misit ei siue panis, siue pomi, vel herbæ odoriferę particulam, simul mandans, vt sanus surgeret. Mox verò diuinæ misericordiæ fauore eius sermonē prosequēte, incolumis ille efficiebatur.

ciebatur. Post gloriosam in cœlos ascensionẽ, & mirabilem in paterna dextrā concessum, Saluator noster paucis corporaliter apparuisse legitur: per visionẽ aũt multos cõsolans, de rebus futuris eos fecit certiores. Idem verò præstitit et huic S. Regi. Quadã enim nocte ex reuelatione experrectus, veredariũ quendã intra diem & noctẽ iussit properè ire ad Albã Transsyluaniæ, & oẽs ruricolas, vt ad vrbes munitas celerrimè se cõferant admonere, q̃ superuẽturi essent Christianorũ hostes Bessi (qui tum Hungaris infensi & infesti erant) eorumq́; res deprædaturi. Vix nuntius cõpleuerat, quæ iussus erat: & ecce Bessorũ inopinata incursio & impetus, incendiis & rapinis depopulatur omnia, corporib. hominũ illæsis, quod ex beati viri pręmonitione in tutiora loca se recepissent. Defuncto aũt beati Regis amico, Romanorũ Imper. Henrico, Conradus ei in imperio successit. Is pacis tranquillitate interturbatā, totius Germanię viribus & copiis contractis, Pannonię infesta signa inferre conatus est. Tum verò Rex Stephanus Episcoporũ & Principum coacto conuentu in patrię defensionem totius Vngariæ exercitum euocauit. At prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus & corde sursum erectis, Dominæ suæ perpetuæ virgini & Dei genitrici suas iniurias cõmendans, in eiusmodi prorupit voces: Si placet tibi Dña mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationẽ dissipari: ne quæso, sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa pastoris, ipsus luat: oues quæso, insontes ne patiaris affligi. His dictis, tanquã accepta consolatione ab ea, fidenter mouit in hostes. Altera die nuntius venit ad singulos quosq; duces exercitus Germanorũ ab Imper. literas adferens, quibus iubebantur pedem retrò referre. Illis ergò discedentibus. S. Rex diuina misericordia adiutum se sentiens, humi se abiicit, gratiasq́; agit Deo, & sanctissimæ genitrici eius, cuius protectioni seq; regnumq́; suũ assiduis precibus commendare solebat. At Imperator suorũ tam repentina defectione perterritus sciscitatur, quidnã rei ipsis accidisset: audiensq́; de nuntio, qui eos ipsius nomine redire iussisset, sciensq́; illum à se haudquaquã missum fuisse, non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam ob fidelissimi Regis corroborandam spem: seq́; deinceps ab eius inuadendo regno timore illius iudicis æterni cohibuit. Porrò Rex piissimus erga regni sui politicam gubernationem religiosa solicitudine occupatus, diurnum tempus colloquiis & consultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilias, preces, lachrymas, rerum diuinarum contemplationem incumbebat, orans sedulò iustum iudicem, vt ipse sua moderatione quotidie discutiendis rebus & ferendis sententiis adesse dignaretur. Quod quidem cùm ille magno spiritalis desiderii studio frequentaret, nocte quadã procul à templo Dei (descẽderat, quippe cum illo suo magno & nobili comitatu) in loco campestri fixis tentoriis in cordis sui cubiculũ se recepit: & flexis genibus solo labiorũ motu ad sempiternæ misericordiæ fores gemitibus & lachrymis pulsabat. Cumq́; diutius precibus inhæreret, Domini sui Regis æterni ministris ad suscipiendas preces eius aduenientibus, papilio super eum extensus, à terra sublatus est: atq; tamdiu in aëre mansit suspensus, donec vir Dei ad se reuersus ab illa contemplatione, spiritum à precibus relaxauit. Quod licet inuisibiliter illi soli, qui res nouit antè, quam fiant, & secretorũ eius consciis Angelis esset cognitũ: attamẽ etiam cuidam magnæ simplicitatis, & innocentiæ viro, qui tunc fortasſis similis erat operi intentus, innotuit. Quem Rex, Dei spiritu id reuelante, arcana sui conscium sciens, ad se accersitum blandis primũ verbis appellat, rogat, quidnam viderit: deinde seueriter interdicit, ne cui id, dum ipse sit in humanis, reuelet. Fama nominis eius in multas gentes diuulgata, & iudiciis oris eius cum multa laude vbique propalatis, sexaginta Bessi, quorum supra meminimus, cum vniuerso apparatu suo, auri argentiq́; copia, & multiuariis ornamentis curribus onustis, è finibus suis egressi ad Regem venire volebant. Cumque ad Pannoniæ fines accessissent, multi è seruis, quorum animi instar ceræ, facilè

flectuntur in vitium malignitatis suæ facibus inflammati, iis exiere obuiam: & quosdam gladiis cædentes, illorum res omnes abstulerunt, eosq; vacuos & semineces reliquerunt. At illi ea, quæ passi erant, ad Regem relaturi, cœpto pergunt itinere: cumq; in Regis conspectus venissent, ad eius genua prouoluuntur. Rex iis visis, percontatur quid mali perpessi sint. Tum illi: Nos, inquiunt, serui tui, Domine Rex, nihil cuiquã mali machinantes, ad te properabamus, audituri iudiciorum tuorum disciplinam. Quidam autem in nos incurrentes, pecuniam omnem, quam apud nos habebamus, nulla culpa nostra abstulere: atq; insuper quosdam apprehensos è nobis cæciderunt. Deniq; vix compotes vitæ huc accessimus, vt eam rem tibi indicaremus. Rex iis auditis, vt erat prudens, neq; vultu, neq; verbis minatus est eis: sed conuenienter illi sententiæ Salomonis, totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt & reseruat in posterum: misit ocyus ad tribunal, sub quo militabant illi, & ad certũ diem iussit coram se sisti omnes. Factum est ita, & ad eius conspectum adducti sunt, ab illo discutiendi. Eos ergò sic appellat Rex: Cur posthabita & contempta lege diuina non estis vsi misericordia, sed homines innoxios tàm malè mulctastis? Sicut ergò fecistis, ita hodie vobis coram me faciet DEVS. Legis enim transgressores feriri par est. Lata igitur in eos sentẽtia educti sunt, & ad omnes regni aditus bini suspensi. Quod ille credendus est zelo iustitiæ ita iussisse, vt exemplo suo perditi illi homines aliis terrorem adferrent. Cùm enim regnum suum exteris omnibus in illud aduẽtantibus, ceu portum quendam tutissimũ, & asylum esse vellet, liberum quoq; in illud omnibus voluit patere ingressum, ita vt nemo ausus esset quenquam ex iis lædere, aut molestiam ei exhibere, quod etiam sua auctoritate consecutus est, quando illo viuente nullus quencunq; hospitem in aliquo violare ausus fuit.

Nec tamẽ beatus & pius Rex immunis fuit ab eo, quod Apostolus dicit, per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: & quod habetur in Prouerbiis Salomonis: Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Multis enim modis castigauit eum Dominus. Tribus annis perpetuò laborauit aduersa valetudine. Qua cùm tandẽ diuinæ misericordiæ medicina esset liberatus in obitu filiorũ suorum, quos adhuc infantes mors rapuit, æterni iudicis flagella persensit, attamen dolorem, ex ea orbitate conceptum, amore filii superstitis, bonæ indolis pueri Emerici temperauit: quẽ sanè seu vnicum impensius amans, quotidianis precibus Christo & eius genitrici virgini perpetuæ commendabat, eumq; sibi superstitem & regni hæredẽ votis omnibus expetebat. Et vt idoneus ille foret tanti regni tenendis gubernaculis, Catholicorum virorum doctrinis quotidianæ lectionis vsum, & vtrasq; tàm animi quàm corporis aures eum voluit adhibere: atq; insuper paterni amoris impulsus stimulis, libellum ei composuit de morum institutione, in quo illum verbis spiritalis adhortationis fideliter & accuratè compellat: docens eum, quemadmodum ante omnia debeat retinere Catholicam fidem, confirmare statum Ecclesiasticum, honorem habere præsulum dignitati, Principes & milites amare, iudicii tenax esse, in cunctis suis actibus studere patientiæ, hospites benignè recipere, benignius alere & fouere, sine consilio nihil agere, maiores suos semper ob oculos exemplum sibi statuere, precibus crebrò vacare, pietatem & misericordiam, cæterasque virtutes colere & consectari. His & id genus aliis disciplinis præclarus ille iuuenis imbutus ex diuinæ voluntatis moderatione, cui omnia parere necesse est. Dominicæ incarnationis anno millesimo tricesimo, vitam hanc corruptibilem cum sempiterna commutauit, supernorum ciuium choris adiunctus. Eius animam ea ipsa hora, qua decessit, cuidam Græcorum Episcopo, sanctæ conuersationis viro, diuinitus reuelatum est, Angelicis manibus in cœlos deportari. Cùm autem pro sanctitatis suæ meritis summè ab omnibus diligeretur, omnium exstitit luctus ingens, inprimis verò Principum: inter quos pater, tanto accepto orbitatis vulnere, grauiter suspirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat se

omni

omni posteritatis spe destitutam. Attamen sciens scriptum esse. Non est sapientia, non est prudentia, non est cõsilium contra Dominũ: & illud in Canonibus. Neminem propter obitum charorũ nimium debere contristari: posito omni mœrore, totum se contulit ad largã Dei misericordiam promerendam. Cœnobiorum enim & Ecclesiarum ministris monachis & clericis multa elargitus est, multamq; ea beneficentia attulit consolationẽ, quicquid vero ei superfuit, peregrinis, viduis, & Orphanis erogauit. Exterarũ quoq; prouinciarũ monasteriis Regię munificentiæ dona innumera per nuncios suos crebro misit. Eam quam in iuuentute susceperat, morum grauitatem, ad supremũ vsq; vitæ diem præ se tulit. Vix vnquam ridere visus est, sciens scriptum, risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat: semper ita se cõparans, ac si staret ad tribunal Christi, eius potentiam oculis interiorib. sereno vultu contemplans, Christum in ore, Christũ in corde, Christum in cunctis actibus suis circumferebat. Extremum vitæ diem semper ob oculos mentis habebat, & magno cordis desiderio, ad illam superiorum ciuium frequentiam adspirabat, quendam Angelicæ conuersationis, habitum præ se ferens. Deniq; cunctis ornatus virtutibus, in sanctitate & iustitia coram Deo omnib. diebus vitæ suæ viuere constituerat, vt in eo iam quædam futuræ gloriæ species elucere videretur.

Nec diu post in morbum incidit, qui ei postea mortem attulit: diuturnaq; eius morbi molestia increscente, pedibus insistere non potuit. Quod vbi aduerterunt ex Palatinis, nobilissimi quatuor scilicet Regem diu grauiterq; laborantem, cum etiamnum cordis perfidia tenerentur iniquum inter se consilium inierunt, vt eum è medio tollerent. Iam die aduesperascente, antequam in domo Regis lucerna accenderetur, vnus ex iis audacior, cœlo obscuro, ingressus est, nudum ensem sub chlamyde ferens, quo erat Regem piissimum iugulaturus. Sed cum eo inferret pedem, vbi Rex quiescebat, cælesti reuera impulsu gladius ei excidit, & inter cadendum tinnitum quendam edidit: quem Rex statim sentiens, quid is sibi vellet perquisiuit, cum iam diuinitus id prescitet. Tum ille territus corruit, agnoscit consilium amentia plenum, dolet, accedit propius, procumbit in genua, Regis pedes amplexatur, se peccasse confitetur, petit tanti parricidii veniam. Rex pius ab eo faciem non auertit, propenso animo ignoscit. At vero iubet inquiri illos immanes parricidas: inrepertos tanto sceleri congruentem mortis profert sententiam.

Hungari mali volunt occidere regem.

Dignus tandem, qui centuplex cælestis regni brauium cõsequeretur, febre correptus est sentiensq; adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis, & primorib. palatii Christiano nomine gloriantibus, primum tractauit cum eis, de substituendo sibi Rege. Deinde paterne monuit eos, seruare Catholicam fidem, quam accepissent, amare iustitiam, fraternæ charitati studere, humilitati dare operam, ante omnia vero nouellæ Christianismi plantationi curam & solicitudinem adhibere. His dictis, manus & oculos in cœlũ erigens, Regina cœli, inquit, mũdi inclyta reparatrix, tuo patrocinio S. Ecclesiã cũ Clero & Episcopis, regnumq; cum primatib. & populo, tuis precib. cõmendo, quibus ego vlt. nunc vale dicens, animã quoq; meam tuis manibus cõmitto. Instabat tũc præcipua solennitas, celebris Angelis & hominibus, assumptionis beatissimæ Mariæ dies: in cuius gaudiis, vt sui corporis fieret dissolutio, precibus à Domino contendit lachrymis & gemitib. impetrauit, sperans cumulatioris misericordiæ se spem habiturum. Aderat ergo felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam accessionem habiturus, circumstabant cum Clero Episcopi, cum ministris Principes & Comites. Rex in medio iacens, sacram percepit vnctionem sanctamq; animam, corporis & sanguinis Christi recreatam viatico, anno Dominicæ incarnationis, millesimo tricesimo quarto, in manus perpetuę virginis & sanctorũ Angelorum, æternæ quietis beatitudini, inferendam, tradidit. Extitit mox planctus, sanctorum haud vulgaris, Angelis lætantibus: sed planctus ille postea, mutatus est in gaudium perenne tam præsentiũ, quam 1034.

Digitized by Google

futurorum populorum. Ad exequias eius ex omnibus. Pannoniæ plagis concursum est, corpus ad vrbem Regiam, puta Albam perductum: sed cum Ecclesia beatissimæ virginis, ab eo constructa, nec dum consecrata esset, cõmunicato inter se consilio, prius Episcopi statuunt sanctificandam Basilicam, postea in ea corpus humandum. Absoluta igitur dedicationis solẽnitate, sacrum corpus in media æde, sarcophago è candido marmore cõfecto impositum est, vbi cum pluribus annis ob eius merita Dominus, permultis male habentibus, febribus vexatis, afflictionem & miseriam suam fatentibus, innumera pręstitit beneficia. Sæpe quoq; illic noctibus Angelicæ melodiæ auditæ sunt à multis, sæpe odoris suauissimi fragrantia per templum sese diffudit.

Iacuit in eo loco sacrum corpus annis 45. occulta quadam Omnipotentis Dei dispositione, qui est mirabilis in sanctis suis, marmoris pondere pressum, & in puluerem redactum, vt tempore præfinito dignius declararetur, & in resurrectionis die gloriosius renouetur. Id vero quid scẽt quando sine diuina ordinatiòne & diuino affectu, factũ minime putamus, libet oculis interioribus speculari. Fortassis non nihil terreni pulueris, diuinę examinationis igne purgandũ, in illo remanserat, sine quo Reges, magna potentia fulti, vitã præsentẽ vix, aut ne vix quidem transigere possunt. Illis ergo euolutis annis 45. cum ad præstanda per eũ mortalib. suę misericordiæ beneficia, sancti sui iã vellet Deus merita declarare. Romani pontificis literis mandatũ fuit, vt eorũ corpora eleuarentur, qui in Pannonia Christianæ fidei semina iecissent, & sua vel prædicatione, vel institutione ad Dominũ eam conuertissent. Itaq; Ladislaus Rex, qui tum ad Reipub. gubernacula sedebat, omni morum honestate conspicuus, & virtutib. illustris, diuino cultui & laudib. Dei totus addictus, sancto illum spiritu permouente, cõmunicato cum Episcopis & proceribus, totiusq; regni sapientibus, viris cõsilio, triduanum cunctis ieiunium indixit: vt quod communi Catholicorũ vtilitati, spiritus S. muneribus, animarum & corporũ salutẽ efficientibus, profuturum videretur, id cõmuni omniũ deprecatione, ieiuniis & eleemosynis fulcita, per signorũ manifestationẽ expeteretur. Sed vt ostenderet Dominus, quanta misericordia Rex adhuc manens in corpore, præditus fuerit, quam etiã iam cum Christo regnans præ cæteris operibus, se approbare declararet, cũ triduo totis virib. in id incumberent, vt eius sacrum corpus eleuarẽt, nulla id arte loco mouere potuerunt. Eo namq; tempore ob hominũ culpas inter eum, quem diximus, Ladislaum Regem, & fratrẽ eius Salomonem, grauis fuit orta simultas & seditio, cuius nomine captus Salomon, custodia tenebatur. Dum ergo in corpore eleuando frustra sudarent, quædã inclusa apud Ecclesiã S. Saluatoris (charitas ea dicebatur) cuius vitæ tum erat celebris opinio, ex diuina reuelatione mandauit Regi, conatus eorũ omnes irritos & inanes fore, nec posse transferri S. Regis corpus, donec Salomon venia impetrata, liber è custodia dimitteretur. Illo igitur è carcere educto, & rursus triduano exacto ieiunio, cum ad sacras transferendas reliquias 3. die ventum est, grande saxum sarcophago impositum, tanta facilitate sublatum est, ac si nihil ponderis haberet. Absoluto aũt eius diei vespertino officio, cunctis diuinæ benignitatis beneficia per beati viri merita præstolantibus, subito Christo plebẽ suam visitante, per sanctę ædis amplitudinem cælitus miracula coruscant. Quorum multitudo, quoniam ea nocte numerum excessit, libet hic illud ex Euangelio dicere, quod Saluator Ioanni, per nuncios sciscitanti, an ipse esset, qui vẽturus sit, voluit respõderi: Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur. Sed tamen, quando omnia, non possumus, quædam ex eis annotabimus.

Iuuenis quidã, membris omnib. dissolutus, 12. annis mãsit paralyticus, manuum & pedum officio destitutus. Is parentum opera eo perductus totius corporis est incolumitate potitus, atq; ad altare currẽs alacriter, omnium Christi laudes promerentiũ gaudia cumulauit. Fuit hoc eius noctis primũ miraculũ.

Alius septennis puer, ab ipso ortu contractus, genibus & manib. reptabat,

Eum

Digitized by Google

Eum parentes plena fide ad beati Regis sepulchrum adducunt, illicq; prostrati, eius suffragia implorant. Mox voto potiti suo, mirantur contractos neruos in filii corpore laxari. Vident omnes eum solidatis plantis & genibus ambulantem, & Christi nomen in beati viri meritis laudabili clamore concelebrãt. Porro Rex pius, præ nimio gaudio lachrymans, puerum è terra leuatum, ad altare adfert, & in Dei laudes erumpens, pro tanto beneficio, illi puero collato, cum omnibus qui aderãt, profuse gratias agit. Ita totam illam noctẽ Deus, pro famuli sui veneratione, multorum splendore signorum, mirifice illustrauit: & populus, vigiliis & precibus vacans, singula miracula laudis, & prædicationis vocibus prosequi non cessauit.

His vero illud quoq; adiungendum videtur, non solum illic præsentes, sed etiam procul positos, eius suffragantibus meritis, celerem salutis effectum adeptos esse. Cum enim eius eleuandi fama passim increbuisset, variis afflicti morbis, ex cunctis Pannonię finibus, quo quisq; poterat modo ad sanctũ eius tumulum properarunt. Sed cum aliis præcedentibus, alii maiori morbo retardati, simul eo pertingere non possent, eadem tamen misericordia innumeri in ipso itinere sanati sunt. Quamobrem etiam ob perpetuam benefici Regis conseruandam, & ad posteros propagandam memoriam, complures eius meritis salutem adepti, in iis ipsis, quibus curati sunt, itineris sui locis grandes lapidum aceruos effecerunt, qui postea longo illic tempore permanserũt, sed & mulier quędam exanime corpus vnici filii sui, qui interim spiritum exhalarat, apud S. Regis sepulchrum deposuit, Dei & sancti eius opem imploratura. Mira quidem res, & nostris temporibus stupenda: non prius fœmina orare destitit, quam viuentem cerneret filium.

Mane diei, ab assumptione beatissimę virginis quinti, conuenientibus in Ecclesiam cum Rege principibus, cum Clero Episcopis, primum missa pro defunctis celebrata est: deinde sublata tabula marmorea, quæ erat pauimento eminentior. Postquam autem ad Sarcophagum peruentum est, tanta inde suauissimi odoris fragrantia in omnium nares dimanauit, vt sibi in paradysum deliciarum Dei rapti viderentur. Ipse vero sarcophagus plenus fuit aqua aliquantum subrufa, & quasi oleo permixta, atq; in ea, perinde atq; balsami liquore, ossa preciosa quieuere. Quibus in mundissimum linteamen collectis, in ipso liquore diutissime quæsierunt annulum, Sancti Regis dexteræ insertũ. Sed cum non inueniretur, iussu Regis aqua illa in Argentea vasa effusa est, vt posset annulus certius reperiri. Sed modo sane admirabili factum est, vt quo plus exhauriretur aqua eo magis sarcophagus impleretur. Id vbi animaduersum est miraculi aquam haustam suo restituere loco: nec tamen, ea accedente, sarcophagus magis abundare visus est. Tum vero cooperto sepulchro, laudes & gratias egerunt diuinæ pietati. Porro interim dum ex inuento thesauro reparant beatissimę matris Dei & perpetuæ virginis altare, Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, profusis benignitatis suæ muneribus & euidentibus miraculorum signis se præsentem declarauit, in tantum, vt tempus illud, quo Saluator vixit inter homines, rediisse videretur, de quo scriptura diuina ait: Omnes qui habebanr infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum, & curabantur. Hæc vero omnia virtus diuina, non solũ illo die, sed postea quoque longo tempore, ob merita serui sui effecit, ita vt etiam ab exteris regionibus, cognita beati viri fama, salutis recuperandæ causa permulti, variis affecti morbis ad sancti Regis imploranda suffragia, cupidissime aduolarent.

Comitissa Mithildis, eximiæ nobilitatis matrona, tribus annis perpetuo, viscerum dolore laborans, iam morti proxima videbatur. A suis vero ad monumentum beati Regis allata, vbi illud attigit paulatim cæpit habere melius: breuiq; recuperata pristina valetudine magnalia Dei per famuli eius merita in se renouata diuulgauit. Alia miracula cœlitus perpetrata, non idcirco prętermisi, quod ea fastidiam: sed cum non mihi vni pluat Dominus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos: tantam beneficiorum eius copiam, o-

mnium vtilitati consulere cupiens, innumeris sapientibus viris, quos Hungaria fouet & complectitur, stylo prosequendam relinquo.

Illud solum sub libelli finem adiicere libet, miro diuinæ benignitatis munere, diu quæsitum & minime repertum annulum, cum ipsius beati Regis dextera, post eius peractam translationem, inuentum esse. Nam monachus quidam. Mercurius nomine, (qui cum esset Clericus, thesauri beatissimæ semperq; virginis Mariæ custos fuerat & iam amore cœlestis patriæ seculo valefecerat) ea hora, qua S. Regis tumulus, apertus fuit, ne quid sacrarum reliquiarum ad se raperet, obiurgatione Regis, procul inde remotus fuit, Sedenti igitur in Choro, tristi vultu. Iuuenis quidā candido amictus habitu pannū inuolutum tradidit, ita dicens. Hunc pannū tibi seruandum cōmendo, opportuno tempore in lucem proferendum. Sacro inde expleto ministerio, monachus in quodam angulo domus explicat pannum, integramq; pii Regis manū cum annulo mirifici operis cernens, expauescit, nulloq; conscio ad monasterium suum, cui præfectus erat, ea absportabat, tempus à iuuene sibi memoratū præstolaturus. Et diu sane thesauri illius in agro absconditi solus ipse custos peruigil fuit. Deinde monasterii eius fundatoribus rem aperuit. Postremo, appropinquante iam tempore, quo erat illud arcanum in publicum efferendum, ad Regis quoq; notitiam perduxit. Is vero mox accitis Episcopis, & Hungariæ primariæ viris, cum multa interim Christus miraculorum beneficia exhiberet, celebrem præfixit diem, beati Regis dexteræ eleuandæ. Sed quid sibi vult, fratres mei, quod cæteris membris resolutis, & carne in puluerem redacta, solam dexteram manum cum eius cute, ossibus, & neruis, Deus integram conseruauit? Equidem sic sentio, diuini consilii altitudinem id hac re demonstrare voluisse, eleemosynæ studium omnes virtutum gradus transcendere. Quamobrem etiam in Euangelio Dominus ait: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequenter. Itemque, Date & dabitur vobis, & alio loco scripturæ diuinæ: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Merito igitur sancti Regis dextera, corruptionis mansit expers, quæ semper misericordiæ floribus reuiuiscens, ad alendos pauperes, nunquam muneribus distribuendis vacua fuit. Namq; piissimus Rex opem tulit calamitosis & indigis, liberauit oppressos captiuitatis iugo, vestes, & hospitalitatis officia, impendit peregrinis, viduarum & pupillorum miseriam & inopiam, suam putauit. Mandatum Saluatoris de lauandis aliorum pedib. quotidie impleuit, pauperum pedes abluens: eleemosynas præstitit non ex rapinis aut aliorum damnis, sed de suis facultatibus. Vt domos Dei locupletaret, sibi ipsi interdixit habendi voluntatem. Deniq; omnibus pro dignitate prodesse cupiens, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixit. Inde est ergo profecta corporis & dextræ manus eius admiranda & iucunda veneratio: inde suauis & beata sempiternæ vitæ retributio: inde optatissima supernorum ciuium cohabitatio: Vbi cunctos illustrat semper lucens, nec vnquam deficiens splendor vnius summæq; diuinitatis. Patris & Filii & Spiritus sancti, per infinita secula seculorum,

AMEN.

Digitized by Google

VITA S. EMERICI B. STEPHANI HVNGARORVM REGIS FILII, EX QVODAM Ms. CODICE PER F. LAVR. SVRIVM, mutato Stylo deſcripta.

Videat Lector Antonii Bonfinii rerum Hungaricarum Decad. 2. lib. 2. vbi eadem ferè habentur.

BEATVS Emericus parentes nobiliſſimos habuit, Stephanum Hungarorum Regem & Apoſtolum, & Giſelam ſiue Giſlam, ſororem S. Henrici Imperatoris: qui paribus ſtudiis in præſtantiſſimo quoq; virtutum genere certabant. Emericus in tam ardenti charitate Chriſti natus, quid aliud, quam ſuauiſſimum DEO holocauſtum, eſſe poterat? Ab ineunte pueritia, quo ſanctitatis euaſurus eſſet, facile declarauit: quippe qui cum eſſet ſomni parciſſimus, aliis dormientibus, à ſecunda fere vigilia noctis ad lucem vſq; Pſalmos Dauidicos lectitabat lucernis coram ipſo ardentibus, vt Regiam decebat prolem. Ad finem autem cuiuſque Pſalmi, corde contrito & compuncto, à Deo veniam petebat. Quod cũ ſanctus parens eius ſępius clam per rimam parietis eſſet contemplatus, apud ſe tacitum habuit, nec vlli ſuorum voluit indicare, magna interim de filio ſpe concepta.

Cum autem aliquando ſanctus Rex, monaſterium beati Martini, quod ipſe in monte Pannoniæ ingenti ſumptu fundarat, & egregia monachorum ſodalitate impleuerat, orandi cauſa vellet inuiſere, Emericum filium ſuum, eius itineris comitem ſibi adhibuit, non ignorans, quanta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monaſterium propius acceſſit, monachi honoris cauſa inſtituta proceſſione illi obuiam venere, vt ea, qua par erat, reuerentia eum exciperent. Sed Rex ſciens filii præclara merita, eum iuſſit antecedere fratreſq; illos ſalutare, tum vt ea ratione illos honeſtaret, tum vt filio honor, ipſi paratus impenderetur. Venit ergo Emericus ad fratres, accipitur ab illis honorificentiſſime, oſculatur ſingulos non tamen eodem omnes modo, ſed pro ratione meritorum, quæ reuelante ſpiritu Dei cognouerat, aliis duo, aliis tria pleriſq; 4. vel 5. vni Mauro ſeptem oſcula dedit.

Quod cum cerneret pater eius, etſi filium nihil ea in re temere feciſſe exiſtimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari. Itaq; peracto ſacrificio, familiariter & accurate ex eo percontatur, cur non iiſdem omnes patres oſculis impertiiſſet. Reſpondet ille ſe pro ratione temporis, quo ſinguli continenter vixiſſent, aliis plura, aliis pauciora oſcula diſtribuiſſe. Eum autem quem ſepties oſculatus eſſet, virginem permanſiſſe ait: atque ex eo ſeptenario numero virginitatis pręſtantiam intelligi debere, quę virtutes alias antecellat, & ad cordium vſq; intimos receſſus, qui ſoli Deo pateſcant, penetret, & reconditas hominum mentes intueatur.

Profectus inde Rex, cum huius rei certiorem omnino notitiã habere perciperet, & filii ſui virtutem magis exploratam, paucis poſt diebus cum duob. duntaxat comitibus rediit ad illud cœnobium, fratrum vigilias, & preces clam explorat. Abſolutis nocturnis precibus, quas matutinas vocant, cũ alii ad ſuos ſe lectos reciperent, ſoli illi, quibus multa Emericus oſcula libauerat, in templo permanſere, & in angulos ſeſe abdẽtes, Domino preces obtulerunt, & reliquũ noctis tempus in Dei laudibus conſumpſere. Eos igitur ſingulatim accedens S. Rex, comiter ſalutat: eumq; illi, rupto ſilentio, reuerenter reſalutant, Regię Maieſtati deferentes. Tandem vbi ad Maurum venit, cui ſeptem oſcula fixerat beatus Emericus, nec blandiſſima ſalutatione, nec ſeuera comminatione

ab eo responsum extorquere potuit. In sequenti die ad publicum fratrum conuentum Rex accedit. Mauriq; humilitatem & sanctitatem explorare cupiens, coram omnibus multa ei obiicit, quæ hominem religiosum, facere minime conneniret. Maurus sibi satis bene conscius, nihil penitus ad ea respondet, sed ad Deum, quem sciret mentium certissimum inspectorem, confugit, in eoq; spem suam collocat. Ita ergo intelligens Rex vera esse, quæ filius eius dixerat, omnibus explicat, quo animo illuc aduenerit. Maurumq; laudibus in cœlum vehit, nec diu post Quinqueecclesiensem Episcopum instituendum curat.

Emericus autem ætate procedente, simul etiam virtutum capiebat & meritorum incrementa. Nocte quadam cum Vesprinii esset, vno ad se famulo accersito, orationis causa vetustissimam beati Georgii martyris Ecclesiam petiit, ibiq; ante aram in preces incumbens, apud se disquirere cœpit, quodnam posset Deo gratissimum munus offerre. Ecce autem immenso lumine tota repente cõpletur Ecclesia voxq; cælitus auditur eiusmodi: Præclara res est virginitas. Itaq; mentis & corporis virgineam integritatem à te exigo. Hanc offeras Deo, & in ea constanti animi proposito perseueres. Ille vero non suis præfidens viribus, sed ad Dei gratiam confugiens: Domine Deus, inquit, qui inspicis omnia, qui humanam imbecillitatem adiuuas, qui aufers spiritum Principum, & terribilis es apud Reges terræ, perfice in me gratissimam voluntatem tuam, & noxias perniciosasq; concupiscẽtias rore misericordiæ tuę prorsus extingue. Confirma fragilitatem seruuli tui, & vt in tuo seruitio perpetim perduret, ab omnibus carnis illecebris & spurca libidine pro tua benignitate eum tuere: præstaq;, ne vnquam è tua gratia excidat. Porro diuina consolatione confirmatus, rem hanc apud se tacitam habuit, & famulo quoq; eius conscio, ne cuiquam eam indicaret, dum adhuc in humanis ipse esset, interdixit. ita factum est, vt multa eius virtutum insignia, hominum notitiam, ipso celante, effugerint, nec ante, quam decessisset è vita, aliis patefacta sint. Nimirum hac ratione, sapienter declinauit virtutum pestem, inanem gloriam.

Pater autem illius regno consulere volens, virginem & forma corporis & morum integritate spectatissimam, stirpe Regia ortam, ei despondit. Id etsi ille principio multum recusaret, tandem tamen paternis precibus victus, assensit quidem, sed ita tamen, vt non solum ipse virgo permanserit, sed etiam sponsam integram conseruarit. Iam enim virginitatis amore proposito, voluptati omni renunciarat. Præclarũ hoc erat, in Regio adolescente, qui posset omnibus huius mundi bonis circumfluere, non modo se à vitæ huius voluptatibus seruare immunem, sed etiam sponsam tam illustrem ad earum contemptum, atq; etiam ad virtutum studium & vitæ consectandam sanctitatem, adducere. Malebat enim pius adolescens virtutum illam, quam liberorum, fœcunditate pollere. Nec latuit S. eius parentem Stephanum Regem, quemadmodum corpus suum maceraret, ieiuniis, ne forsitan lasciuierit, sponsamq; non alio, quam sororis loco haberet. Sed & sponsa ipsa, cum ille iam in ipso iuuentutis flore vita functus esset, quam caste vixisset, testata est, & famulus ille, quem supra diximus, res eius secretas euulgauit.

Non enim diu superuixit, sed quod cœlo, vita eius dignior esset, quam terra, Dominus eum cito tulit è medio & transtulit in regnum suum. Quidam Archiepiscopus in publicis supplicationibus affirmauit, se eius animam vidisse in cœlos euntem. Pater eius admodum doluit regno tantam spem ereptã: consolabatur autem seipsum, quod filium non dubitaret in cœlis felicissime viuentem, egregium sibi & suis patronum exhibiturum. Die tricesimo ab obitu eius tot & tantis miraculis Deus illustrauit sanctum suum vt cunctis in vrbe Regia, quam Albam Regalem vocant, vbi sacrum corpus eius tumulatum est, non mœroris ille, sed gaudii dies videretur.

Porro autem Ladislao religioso Rege postea regnante, Conradus quidam natione Germanus, homo flagitiosissimus tandem magno Dei munere compunctus,

punctus, cum se ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adiit, Pontifici peccata sua cum ingenti cordis contritione confessus est, animę salutarem ab eo petiit medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obstupescens, hac eum mulctauit pœna, vt loricam ferream ad nudum corpus, quibus cathenis ferreis adstringeret, & chartam, in qua eius peccata enormia scripta erant, Pontificis annulo obsignatam, ad loca in quibus sancti quiescerent, secum circumferret, donec diuinitus cathenæ dissoluerentur, & scriptura chartę penitus obliteraretur. Fecit homo, vt erat iussus (nihil enim arduum videtur ex animo sua peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti) inuisit loca sacra, etiam Hierosolymam & Saluatoris sepulchrum non prætermisit.

Tandem venit in Pannoniam, vbi beati Regis Stephani tum celebre nomen erat, orat ad sepulchrum eius, nec inde recedere constituit, donec ruptis vinculis & charta abolita, se sentiat Domini misericordiam impetrasse. Postquam autem multum delassato inter orandum somnus obrepsit, (à prima enim hora vsq; ad nonam in preces incubuerat) sanctus Rex ei apparens, surge, inquit, amice, & Emerici filii mei monumentum, quod iuxta est, adito. Ille, quod carnis seruanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinauerunt vestimenta sua, sequunturque agnum, quocunq; ierit, & ante thronum Dei cantant canticum nouum. Euigilat homo, ilico ad B. Emerici se sacellum confert fundit ibi preces, atq; opinione celerius dissiliunt ferrei nexus: charta resignata, nullum habet literæ scriptæ vestigium. Ad sonitum cadentium cathenarum accurrunt æditui & complures alii, quibus ille omnia ordine exponit, mirantur omnes, laudant Deum & beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladislaum Regem. Is conuocato consilio, de beato Emerico sanctorum catalogo adscribendo, cum Episcopis, & regni proceribus confert. Iam enim etiam ex remotissimis Regionibus eo aduentabant homines, pro grauissimis rebus vota nuncupantes. Indictum est autem triduanum ieiunium, & IX. Nouemb. honorifice eleuatum est, beati Emerici corpus, multaq; diuinitus miracula eodem eleuationis die atque deinceps edita sunt. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Digitized by Google

PHILIPPI CALLIMACHI DE REBVS GESTIS A Vladislao Polonorum atq; Hungarorum Rege Libri tres.

ILLVSTRISSIMO ATQVE AMPLISSIMO viro Andreæ Sborovvio, in Poloniæ regno, Sacræ Regiæ aulæ præfecto,

IO. MICHAELIS BRVTI IN PHILIPPI Callimachi nouam historiæ editionem Præfatio.

NON nunc primum, Andrea Sboroui, quæri auditi sumus, laudabilem morem pene nobis obsoleuisse, honestandi claros homines tum sua virtute, tum maiorum nobilitate, eorum inscriptione, quæ digna luce posteritatis edimus: & merito quidem, vt nobis videmur, queri auditi sumus. Accidit hoc vero partim eorum culpa, qui genere officii maxime virtuti debito, aut ad gratiam, aut ad quæstum abutuntur, eos appellando, quos nulla insignis virtus illustres reddit: partim eorum ambitione, qui quas ipsi laudes non merentur, assentationib. leuissimorum hominum se assequi posse sperant, quorum scriptis, atq; ingenii monimentis celebrantur. partim genere scriptorum, quæ sæpe de ludicris rebus, vtinam non de flagitiosis, id quod accidit haud raro, non solum eos non ornant. quibus inscribuntur, sed turpi etiam afficiunt nota pudoris: cum quidem verisimile videatur, quibus maxime scriptis delectantur, à studiosis sui hominibus ornari. Ita debitum summis hominibus genus honoris, per obscura nomina peruulgatum, iis vile esse cœpit, quibus maxime erat expetendum, & iis esse dedecori, qui tanquam leonis exsuuio Cumana bestia, inflati inanibus honorum titulis incedunt: quorum luce, nisi indices earum virtutum sint, quæ dignæ magnis hominibus habeantur: insigni cum offensione, si quæ insunt sordes, positas summo loco produnt: quæ in obscura vita, & domesticis tenebris, conscientiam hominum fugissent. Nam de eorum flagitio, qui non merentibus tantum honorem habent, spe compendii, aut commodi profecti: perinde atq; eorum nequitia requirit, dici satis vehementer haud potest. Honorem enim virtutis præmium in terris maximum, iam sibi spondet, si superis placet, non quos bella ornant pro patria gesta, partæ victoriæ, acti triumphi, sed res aucta malis artibus, ac fœnore in immensum exaggeratæ opes: quibus iam, prauo rerum iudicio, nostra memoria principatus, & ditiones maximas, è medio conuentu, & foro negotiatores consecutos videmus: vt si quando mihi in mentem veniat, virum principem hoc genere honoris appellare, verear, ne mihi audiendum sit, quod Augustus olim, coruum salutatorem afferenti, dicitur salutatus respondisse: Satis se multos domi habere salutatores: aut, quod Corinthiis Scipio ille Africanus respondisse fertur, celebri loco statuam pollicentibus, sibi displicere turmales. Nullus enim adeo magnus, atq; insignis est honor, quin vulgatus multis, atque infimis vilescat: vt ne auro quidem, aut gemmis, & vnionibus matronæ vtantur, si sit eorum promiscuus apud omnes ordines vsus, haud ægre ferẽtes eo ornatu carere, qui cum nobilitati sit ornamento, sublato rerum discrimine, fortunæ insigne non minus, quam virtutis conspiciatur: quæ vna inter homines, à multis paucos distinxit, quos cætera natura pares, rerum gestarum gloria, & meritis in genus hominum maximis, superiores reddidit. Sed nunquam tamen vincet hæc tanta scriptorum licentia eorum constantiam, qui ipsi digni laude eos testimonio suo ornant, qui non minus ipsi laudi sint se laudantibus, quam ab illis ipsi laudati dicantur. Vt enim olim Alexander dignus, cuius effigiem Appelles coloribus, Lysippus ære, Pyrgoteles gemma repræsentaret: digni illi, quibus tantum hoc munus, regis maximi edicto permitteretur: ita quos summa virtus loco excelso constituit, æque digni, qui testimonio scriptorum il-

lustri

Digitized by Google

lustri posteritati consecrentur: ac digni illi quorum scriptis, quasi communicatione quadam reciproca honoris; res à summis hominib. gestæ consignentur. Ac de me quidem ne mihi multa dicere necesse sit, qui quasi mihi exprimendi tui animi, atq; ingenii effigiem, partes sumpserim, & maximarum virtutum, quibus & tibi æque, & patriæ es ornamento: facit sapientissimi regis, & fortissimi de me iudicium: qui nisi aliquid in me vidisset, quare me existimaret parem tanto muneri ferendo fore, haud me dignum duxisset, cuius stylo res ab illo gestæ posterorum memoriæ mandarentur. Equidem sentio quam graue mihi onus impositum sit, quamq; tenues meæ sint vires eo sustinendo: quanto illud grauius, tanto in me maior excitata industria, & vis ingenii efficiet: cum nihil vnquam verius dictum sit, quam nihil esse difficile volenti: & nunquam eximia voluntas fuerit in agendo infelix. Nam illud ipsum, Velle præclare, vbiquis minus etiam quo animum intendit, cursu secundo prouehatur, nunquam non consecuta est summa laus, quæ non prius in re ipsa, quam in animi conatu præclaro posita est. Et de me hæc tantum quidem, vel nimis potius multa: de te dicenti latissimum aperit campum, ad tuas persequendas laudes, singularis tua virtus: impedit cursum mea sponte incitato perspecta mihi modestia tua summa, nunquam non magnæ virtutis comes: quæ, cum animum expleat cōscientia rerum cum laude gestarum, non quærit extra se vberius præmium in alienis laudibus: quibus non magis carere potest, quam vmbra corpus. Quid vero esse in te obscurum potest, summo homine non solum generis nobilitate, & familiæ splendore, sed virtute tua, vnde vera nobilitas est, clarissimo, atque amplissimo? Non patitur modestia tua, atque adeo mea, quod facile possim, me ex illustribus annalium monumentis commemorare, quot ex vestris maioribus sint summis reipub. magistratibus, & honoribus functi: hoc vnum, quod vere dici potest, non tacebo, nullum haberi in Poloniæ regno genus honoris, qui maximus, atque amplissimus summæ virtuti habeatur, quo non vestra familia & nunc splendeat, & auorum memoria semper clara, atque illustris floruerit. Est vero ea certa ratio honorum gerendorum, vt cum iis mandantur, quorum similes maiores tui fuerunt, iis testimonium reddant non fortunæ, non gratiæ, non popularis auræ, sed virtutis, iustitiæ, innocentiæ: quæ virtutes maximæ ita magistratus, & dignitates ornant, vt nullum ipsæ accipiant à magistratibus, & dignitatibus ornamentum. Sed vetera illa sunt familiæ vestræ decora, quæ magna virtute parta à maioribus, vobis generosam animis cupiditatem ingenerant, cum iis de magnitudine gloriæ certandi. Quibus quidem si det aliquis deus, vt repente existant, tum vero vos, hoc nomine, vere suam prolem agnoscant, & se à vobis vinci in virtutis contentione pulcherrimum, ac speciosissimum ducant: nemo enim vere parens, quin velit liberos, germanam suam effigiem, atque imaginem, se esse meliores. Illa vestra ornamenta habenda, & quæ vos vestro merito clarißimos non Polonos solum, verum etiam exteros homines, ad quos fama vestri nominis perueniat, cogat amare, colere, suspicere, ornare titulis, elogiis, inscriptionibus: quæ non prius tamen, quam illustris vestra virtus, fidem faciant, vos eo loco natos, qui amplißimus, atque ornatißimus in omni bene constituta repub. habetur. Honores vero illi, quos merita præclara in homines præcurrunt, & vna virtus conciliat: qui vt etiam sint summi, sordent, vbi magis fortunæ testes, quam virtutis conspiciuntur. Quod quidem accidat necesse est, vbi in claro homine, cuius quidem, quasi in magna luce, debent conspici multa iustitiæ, sapientiæ, fortitudinis documenta: nequitiæ atque improbitatis exempla insignia spectantur. Claruit in vestra familia hæc laus, vt cum fortuna contenderit maior semper virtus & magnitudo animi. Nam, vt nimium vetusta omittam, quæ monumentis litterarum sunt à multis consignata, Andreæ Sborouii aui tui, cuius vt nomen, ita animi effigiem refers, Ioannes filius idem senator amplißimus, idem fortißimus belli dux nobilitate quidem maiorum clarus, propria virtute multo clarior, copiarū regiæ aulæ dux, vita cum laude acta, Orsensi prælio illo memorabili, in quo est cū Moscho debellatum, insigni gloria est functus. Cuius virtutis æmulus Nicolaus frater, pietatis in patriam monumentum, cuius nunquam est interitura laus, Obertinensi pugna, aduersus Valachos, gloriosa morte consecrauit. Inde Martini parentis tui beatam, & numerosam sobolem florentem nobilitate, domesticis copiis, bellica gloria, eloquētiæ, atq; ingenii laude, omnib. animi, naturæ, fortunæ bonis ornatißimam. insigne humanarum rerum felicitatis exemplū vestri homines viderūt: fama apud nationes exteras peruagata celebrauit.

Sustulit

Digitized by Google

Sustulit iuuenem Martinum natu maximum immatura suis, acerba patriæ mors, bello Liuonico, sed vt ex vnius occasu, maioris gloriæ ortus nobilissimam familiam clarissima luce illustrarit, cuius est nullus vnquam futurus occasus. Nam Petrum Sborouium fratrem tuum Palatinum eundem, & præfectum Craçouiensem, qui summus semper est habitus honor in Poloniæ regno, eodem tempore vidimus ita amplissimum gerentem magistratum, vt magnitudinem honoris, auctoritate æquarit, parta opinione ingenii, sapientiæ, facultate dicendi summa: Ioannem Gnesnensem castellanum, eundem regiarum copiarum ducem: te summum aulæ regiæ præfectum: Samuelem, Christophorum in spem certam eorum honorum erectos, quos nunquam summa virtus, coniuncta cum pari nobilitate desiderauit. Hoc enim visus est spectasse pater vester, vir sapientissimus, vt cum omnia in vobis insignia essent, fortunæ, corporis, animi bona literarũ & bellica gloriæ decus, nihil esset virtute, & magnitudine animi luculentius. Ac de aliis quidẽ, si est vita superstes par iustis votis futura, quod me iuuat sperare, dabitur alius dicẽdi locus: de te quidem, ob eam causam, agam paucis, quod tuæ virtutes collocatæ excelso, atq; illustri loco, nec prædicatore indigent, nec teste: & ipse semper dedi operam, vt, quos mihi patronos adoptarem, ii mihi essent ornamento: vnum ipsi à me referrent testimoniũ laudis luculentissimum, vt, si quid in me iudicii esse homines existimarent, eos crederent à me delectos, non, quib. ego mea oratione lucem afferrem, sed quorũ ego splendore clarior ornatiorque essem. vt enim qui in tenebris agunt, vnam poscunt lucem, quam qui desiderant, vitã sibi acerbam ducunt, cuius illa vita, atq; anima est: ita qui minus, ipsi è claro loco sua virtute elati conspiciuntur, ad eos confugiunt, quorum auctoritate, & gratia, lux quam à se non habẽt, ea agentibus, quæ sint digna laude, oboriatur. Insigne vero argumentum habet ad virtutem exaggerati animi, vnum deligi è multis, à quo lumen expetatur ad verum gloriæ decus: quod naturæ instituto, est nato homini amabilissimum in vita habendum. Nam, vt ipse de me loquar, nemo ita male de me existimet, vt in eorum delectu habẽdo, quibus me dedam, quos duces, auctores rerum omnium habeam, in quorum tutela, & præsidio acquiescam, patiar à me iudicium desiderari. Quis vero ita est excors, qui cũ luce indigeat, & pateat à sole, claro & sereno die, eam à face, & à funali petat? Neq; ego vero in te prius spectaui fortunam, & quæ aliis sunt prima, nobilitatem, splendorem generis, familiæ amplitudinem, quam quæ tua vere sunt, omni fortunæ munere celsiorem, atque erectiorem animum, earum artium decus, quæ viris fortibus ad res magnas gerendas aditum patefaciunt, gloriæ studium, cuius cupiditate incensus, damnato inerti otio domi, in externam adolescens militiam profectus, clarissimum tuæ virtutis documentum dedisti, grauissimo gerendo bello, quod aduersus potentissimum hostem, pro tuenda Maiestate Christiani nominis esset susceptum. Neq; in te est constantia vnquam desiderata vitæ instituto tuendo: ita enim pacis tempore senator inter principes de repub. sententiam dicis, vt delato tibi munere rectè obeundo, debitam pietatem patriæ præstes: foris apud regem fortissimum gerenda re, aduersus hostem bellicis copiis, militum numero, situ locorum soli, & cæli inclementia creditum inuictum: in expeditionem eundo per syluas squalore horrentes, & vastas solitudines, qua nunquam homines vestigia impresserunt, militem ducendo, nihil tibi reliqui faceres ad summam laudem: cuius monumenta illustria in Polonorum annalibus constituta in omni posterorum memoria exstabunt. Quæ quidem qui intuentur facile intelligunt, neque tibi laudatorem quærendum, qui circumfusus rerum abs te gestarum gloria, cumulate habes, vnde in posteros redundet: & rectè fecisse me, qui, cũ paucis, te tantum mihi patronum statuerim adoptandum. Atque hæc quidem tua ornamenta sunt in omnium oculis posita: illæ sunt tuæ interiores laudes, in conuictu, & sermone cum tuis, cum exteris, facilitatis, commoditatis, obsequii, comitatis, munificentiæ, liberalitatis: quæ virtutes propriæ morum, & ingenii in viro principe quanti faciendæ sint, eorum exempla docent, in quibus, quanquã rerum gestarum gloria clariss. hæc morum elegantia, & ingenii facilitas est desiderata. Cum tu vero es in omnes alios prolixus, tum es maxime effusus in nostros: quos apud te eximios ita in honore habes, vt nemo sit in Italia natus, qui, vbicunque sis, non credat se habere acerrimum paratum patronum. Nam & nunc habes in tuorum numero Sebastianum Criuellium, & patria nobilitate, Mutinæ è clara familia natum, & iis artibus instructum, quæ nisi in eo insignes essent, neque illum rex maximus dignum honore equestris ordinis, quo illum ornauit: neque tu dignum

dignum adeo censuisses, cuius fidei, quæ sunt tibi in vita carissima, & cum iis te ipsum credidisses. Hæ me causæ mouerunt, satis per se graues, vt nihil præterea accederet, qua re te eo loco haberem, quo vir nobilissimus, & multis suis, multis maiorum meritis amplissimus colendus mihi obseruandusq; videretur. Quid cum his accessit eximium tuum de me iudicium, quem vix tibi cognitum fama, in magna principum celebritate, vt nō posset tuum officium obscurum esse, complexus summo amore, ac pari verborum honore prosecutus es? Mei vero ego citius potero, quam eius diei obliuisci: qui non solum mihi illuxit honestissimus, quod illustri loco mihi contigerit vobiscum conuiuium inire, summis hominibus, sed quod licuit abs te referre eius testimonium laudis, quam nunquam ego agnoui: tum ob eam causam tacitus agnoscere visus sum, quod mihi, cui multum in facultate dicendi tribuebas, verba deessent, quibus tibi, pro tuo in me merito, parem gratiam referrem. Cuius mei studii declarandi causa, &, vt simul debitus familiæ tuæ honos habeatur, placuit tuo nomini inscriptam Philippi Callimachi historiam in lucem emittere, cuius exemplar manu scriptum mihi vir illustrissimus P. Sborouius Palatinus Cracouiensis frater tuus dono dedit, paucis ante mortem diebus. Qua de historia cum luculēter, & ornate, tum grauissimis de reb. scripta, multa mihi essent dicenda, si hoc modo vnius epistolæ angustiæ paterentur: vnum hoc dicam, & quidem non sine iustissima querela nostrorum temporum, factum esse, per infinitam quandam scribendi licentiā, qua nostri homines, inanis gloriæ æstu incitati feruntur, vt clarissima monumenta doctorum hominum, in magna scriptorum turba obruantur: qui paulo supra nostram ætatem magna eloquentiæ gloria domi forisq; floruerunt. Nouitate enim fere homines vitio humani ingenii, non magnitudine, & præstantia rerum ducuntur: vt non ea laudent, quæ docet ratio esse laudanda, sed quæ noua, & non antea excogitata, vix venit in mentem credere, cū sint, fieri vlla ratione potuisse: quod à sapientium hominum iudicio lōge alienum est: qui non specie rerum mouentur, sed quam venustæ, concinnæ suis partibus omnib. aptæ, perfectæque sint, siue sint artis, siue naturæ, sibi spectandum existimant. Itaq; ferunt, Zeuxim nobilem pictorem, cum celebrem illam hippocentaurorum tabulam spectandam populo dedisset, & ingenti hominum concursu facto, multorum voces audisset, ita nouum tabulæ argumentum laudibus efferentium, vt de pictoris ingenio, & reconditiore artificio ne verbum quidem facerent: iratum continuo velari tabulam, ac suos referre domum iussisse. Sapientes homines, quibus nihil est nouum, totum hoc populo remittunt: neq; si quod signum è marmore, aut ex ære spectant, illud probant ex argumenti nouitate, sed ex eius arte, atq; ingenio, cuius ex officina prodiit, siue ille priscis temporibus, siue nostra memoria floruerit. Perdiu iacuit politissimus scriptor hac temporum iniuria, quasi in obliuionis tenebris: cuius scripta, si cum multis conferantur, quæ quotidie fere in lucem emittuntur, facile appareat, quantam iacturam: politiores litteræ fecerint, quæ tamdiu huius scriptoris luce caruerunt. De cuius ingenii laudibus ita illustria doctorum hominum testimonia exstant, vt si illius nulla scripta supersint, quæ eorum de se iudicium tueantur, cumulate in primis laudatus videri possit. Itaq; hoc præstitimus, quod nostræ fidei, atque ingenuitatis certum munus visum est: vt ex his omnibus quasi instauratum veræ illius gloriæ monumentū, cuius memoria plane exoleuerat, posteritati consecraremus: magna spe futurum, vt, hoc nomine, studiosi rerum cognoscendarum homines, partem nobis eius fructus, quem, Callimachi historia legenda, sunt relaturi, æquo animo referant acceptam: tibi quidem, quod eam nomine tuo illustrissimo, quasi vallo muniendam statuerimus, facile simus nostrum in te studium, atq; obseruantiam probaturi. Equidem semper in eo elaboraui plurimum, vt illustranda eorum gloria, quorum essem virtutem æmulatus, facerem fidem, ad eandem ingenii laudem mihi comparandam, vires pares, animum certe, qui vnus in rebus omnibus spectandus est, nemini debitam virtuti laudem inuidentem haud defuturum. Ad hoc accessit impositum mihi munus à rege sapientissimo scribendi Pannonicas res, quarum iam iustum volumen confecimus, vt in eodem argumento versatus, in quo plurimum Callimachus præstitit, & quidem in eadem regia, in qua ipse maxime auctoritate, & gratia floruit, videar, quasi vicarius tam præclari operis, hoc fidei, & constantiæ meæ officium haud negligere potuisse. Valeas diu felix, & patriæ, & tuorum eximium decus: qui, non tua malis, quam patriæ & tuorum causa esse felix. Datum è Regia Cracou. CIƆ. IƆ. XXCII. V. Idus Februar.

PHILIP-

Digitized by Google

PHILIPPI CALLIMACHI vitæ breuis descriptio.

PHILIPPVS CALLIMACHVS *ortus dicitur Sangeminiano, nobili Etruriæ oppido, quod à Desiderio conditum, qui vltimus Longobardorum regum in Italia regnauit, olim in Senensium, tum in Florentinorum ditione erat. Quæ caussa nonnullis fuit, vt eum Florentinum appellarent: dignum certe habitum, quem, propter summam eruditionem, & politiorū litterarum elegantiam, adeo nobilis patria sibi ciuem adoptaret. Is inter multos, quos claros litterarum fama Pii Secundi pontificatus Romam exciuit, celebri tum Academiæ Romæ, cuius erat princeps Pomponius Lætus, vir in eloquentiæ studiis illustris nominis, sese addixit, & quidem iis auspiciis, vt breui carus omnibus: apud pontificem, ingeniorū æstimatorem acerrimam, præcipuo in honore fuerit. In cuius demortui locum, Paulus II. suffectus, parum æquus studiosis hominibus ingenuarum artium, magnum eorum numerum ex vrbe eiecit, cum Pii pontificis memoriæ infensus, insigni ærarii iactura quereretur, otiosos, & inertes homines aliquorum industria nulla in re vsui reipub. esset. Auxit Pauli odium in eum ordinem, siue à vero orta fama, siue temere suscepta suscipio, illustres adolescentes ingenii gloria, qui Romanæ Academiæ nomina dedissent, auctore Callimacho, in eum coniurasse, communicatis consiliis cum Pomponio Læto, Baptista Platina, aliis, quos tum litterarum decus, atq; eloquentiæ fama commendabat. E quibus, iam inde ab initio pontificatus, ausus Platina suscipere communem caussam, litteras ad illum dederat querelarum plenas, quarum hæc erat summa: Quando Romano pontifici per imperii potestatem licuisset, doctissimos homines, atque innocentissimos, indicta caussa, damnare, cogere in ordinem, multare stipendiis, ex ea vrbe pellere, in qua sedes, & domicilium Christiani imperii esset: non debere illum ferre iniquo animo, si pulsi, per summā iniuriam, de auctore iniuriæ, id quod permitterent diuina omnia, atq; humana iura, quererentur. Adituros se Christianos reges, liberas ciuitates, nationes exteras omnes, qua coleretur Christi nomen, omnium fidem imploraturos, vt, indicto patrum concilio, ad quos legitime congregatos esset iusta à pontifice prouocatio, reddere caussam, honestissimis hominibus inustæ ignominiæ, atque illatæ iniuriæ cogeretur. Neque hanc scribendi libertatem Platina impune tulit. Nam in carcerem iussu pontificis coniectus, & compedibus vinctus, iussus est caussam dicere, dato ministris negotio, vt de eo tormentis quæreretur. Atque hanc ille ærumnam, se per quatuor menses tulisse ait, sæuissima hieme, cum excelsa turri incluso, & ventis omnibus exposita, ne ignis quidem facultas daretur, quo vi frigoris membra rigentia foueret. Verisimile quidem est, homines suopte ingenio acerrimos, &, vt impotentes contumeliæ, sic iusto dolori vlciscendo pares, quem contumeliæ memoria alebat, de adhortandis regibus ad cogendum concilium cogitasse: id quod tum coram oratione præstare, tum scriptis facile eruditis hominibus, & disertis licebat. Itaque & Pomponius Lætus Venetiis retractus, quo se receperat, pontificis offensionem veritus, &, cum Platina iam semel defuncto vitæ discrimine, adolescētes permulti: quos tormentis subiectos, magnitudine cruciatuum tortores idem fatigasse ait: in his Augustinum Campanum, quem vnicum Italiæ decus appellat, & adolescentem optimum cum vim cruciatus non ferret, mortuum esse dum torqueretur, affirmat. Ergo Callimachus siue conscius consilii, periculum facere suæ constantiæ in tormentis non auderet: siue falsò insimulatus, calumniam etiam sibi timendam statueret, apud eum, qui idem calumniæ auctor, & iudex esset futurus: meliore consilio de medio discedens, ad Casimirum regem in Poloniam confugit, minus pontifici æquum, quod in regni Boemici petitione, Mathiæ Hungarorum regi, aduersus Vladislaum filium competitorem, fauebat. Ita moderator adolescentiæ liberis datus, sic se gessit medius inter parentem, & liberos, vt, regi facile suam grauitatem: liberis moderationem, atque indulgentiam probaret, Ioanni Alberto in primis, apud quem, post patris mortem, potitum regno, hospes, non maiorum nobilitate, non sua, non titulis, non vllis gestis honoribus commendatus, ad summam potentiam est euectus. De quo quidem quid scriptum reliquerit auctor grauissimus Cromerus libr. 30. rerum Polonicarum subiicere libet. Obiit, inquit, etiam eodem anno (hoc est*

496. Kal.

496. Kalend. Nouembr.) Philippus Callimachus: cuius mors non ingrata Polonis accidit. Fuit is natione Thuscus, orator & poeta non inelegans, & acri ingenio praditus; versatus aliquandiu in ministerio Pii II. pontificis max. Deinde vero, cum successor Pii Paulus II. Pamponium Lætum, Platinam, & quosdam alios viros eruditos amicos Callimachi, siue quod de religione male sentirent, siue quod in se conspirasse dicerentur, prehendi iussisset: Callimachus, Casimiro adhuc regnante, in Poloniam profugit, & pro præceptore regiis filiis fuit. Cum autem in familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset: plurimum apud eum gratia & consilio valuit, vsq; adeo, vt cum Ioannes Albertus rex factus esset, Callimachi arbitrio magistratus, & honores mandarentur, & res pleraq; omnes publicæ, & priuatæ regis gererentur. Quare ingentem sibi inuidiam apud Polonos Callimachus conflauit: quæ tamen metu potentiæ eius occulta aliquandiu, quodam tempore, cum is legationem regis nomine, apud Venetos, & Pontificem maximum obiës, rediturus esse in Poloniam non putaretur, in apertum erupit. Sed rursus, eo reuerso, non tam resedit, quam dissimulata est, quo ad ille vixit. Ad tyrannidem incitare regem, & beneficia, decretaq; eius vendere siue creditus, siue insimulatus est. Et ita sane hoc fit, vt ii, qui principem, aut aliquem tamen gratiæ locum apud reges & monarchas obtinent, difficulter inuidiam, & obtrectationes hominum vitare possint: quibus nonnunquam perculsi è summo gradu in imum decidunt. Neq; enim facere possunt, quin multos offendant, dum quibusdam prodesse student. Et illos autem, quos euexerunt, æmulos plerumque experiuntur, præsertim, si vel externi sint, vel genere opibusq; inferiores, vel auari deniq;. Hæc Cromerus: cui magis fides habenda est; quam Iouio, qui temere credita, temere edit hausta è fece vulgi: Apud veterem amicum Vilnæ occultatum semiexulem fato cessisse, ita vt, morte celata, sine funere arefactus tepore clibani in armario seruaretur. Sed Iouius non est audiendus: cuius vna cura fuit, multa scribere: quam recte, atque ex grauis scriptoris fide scriberet, aut perexigua, aut nulla. Scripsit Callimachus amorum librum vnum: Ladislai Iagelonis Vngariæ & Poloniæ regis res gestas: Attilam: ad Innocentium Octauum Epistolam de Polonorum regum laudibus, De Tartarorum moribus librum vnum: & alia nonnulla, quæ eius ingenii, atque eruditionis monumenta apud posteros insigni cum eius nominis laude vigebunt. Conditus est Cracouiæ in Trinitatis æde æreo sepulchro, quod virtutis, ingenii, eruditionis ergo, mortuo exstruendum Ioannes Albertus rex magnifice curauit, hoc, quod infra legitur, carmine inciso:

Hic iacet, heu, patria procul à regione sepultus
  Progenitus Thusco sanguine Callimachus.
Quem vatum rariis aduersum erroribus egit,
  Inuictum his tandem constituitq; locis.
Illius at postquam virtutem regia sensit,
  Vidit florentem Sarmatis ora virum.
Qui memor hospitii tam mitis, contulit isti
  Consiliis regno commoda multa suis.
Quod sentit præsens, & postera sentiet ætas:
  Cuius iudicium sanctius esse solet.
Plura quoq; aggressum, & quædam maiora parantem
  Haud opportuno tempore, mors rapuit.

IANI VITALIS.

Ænea Callimachi, quæ circumplectitur ossa,
  Depositi meritis nobilis vrna sui:
Ænea sit quamuis, multo est preciosior auro
  Etrusci felix hospita Callimachi.
Ipsi etiam, Italia, tantum decus, auspice, adepti,
  Ad sacra conueniunt busta Boristhenides:
Exsultantque mero, & choreis, referuntque vicissim:
  Dedicat hæc Crispo Sarmatis ora suo.

PHILIPPI CALLIMACHI IN LIBROS TRES, DE REBVS GESTIS A VLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNgarorum Rege, ad Casimirum Regem Præfatio.

PETRVM DE BNINO, VLadislauiensem episcopum, Deus nasci, Rex inuictissime, in regno tuo voluit: non solum, vt esset in his, quæ ad rem diuinam attinent, quoddam priscæ sanctitatis specimem, vereque religiosorum pontificum imago: sed etiam, vt haberes in humanis consiliarium, prudentia, fide, constantia, grauitate antiqua præditum. Is aliquando, cum D. Casimiro filio tuo (qui aut omnino nunquam nasci, aut perpetuus esse debuit) sermonem quom haberet de rebus à maioribus tuis, magno animo, excellenterque gestis, descendissetque tandem in mentionem Vladislai illustrissimi fratris tui, quem sibi Hungari præfecerant, post Regis Alberti mortem, & simul multa repeterent, de varietate fortunæ, actionumque, & consiliorum, quibus Hungariam tenuit, vsque ad pugnam illam cum Turcis, postquam in terris minime comparuit: visa est ambobus res dignissima, quæ literis mandaretur: vtpote, quæ legentium animos præcipua quadam voluptate explere posset, propter ancipites, varieque memorabiles euentus rerum, ac temporum in bellis, quæ mira illic casuum vicissitudine, aut extrahi, aut confici contigit. Quandoquidem per id tempus, viribus suis Hungaria, non secum tantummodo per ciuilem dissensionem sæpe conflixit, sed in externos quoque, studio religionis nostræ, arma sub Vladislao mouens, fælicitate pugnandi adeo cæterorum Christianorum, ad Turci nomen fractos, deiectosque iampridem animos erexit, vt pauci admodum in tota Europa tunc fuerint, qui ad Christianæ rei, ac nominis defensionem, vel momenti, vel consilii aliquid non attulerint. Petierunt igitur à me id negocii assumi, & literarum lucem adhiberi dictis, factisque per se quidem splendidis, & magnificis, sed quæ obliuio paulo post obscuratura foret, si scriptorum monumentis non illustrarentur. Itaque ego, qui scirem meum esse, considerare, non quantum possim, sed quantum debeam studii, operæ, facultatisque conferre te, ac tuis omni veneratione, ac laudum genere celebrandis, &, si fieri posset, consecrandis, interque immortales, ac beatos referendis, quippe qui, vltra etiam, quam impudentis votum optare auderet, me adeo extuleris, atque ornaueris, vt ne locum quidem tibi, aut domi, aut foris, augendi mei aliquem reliqueris: id, quod in tuam, tuorumq; laudem, ac gloriam petebatur, pro virili mea, me facturum recepi. Nolui enim, quom referendi aliquando tibi gratiam, facultatem minime sperare possem, videri etiam voluntatem defuisse. Licet igitur intelligerem plus mihi imponi, quam quod aptissime ferrem, quoniam in alterutro peccandum erat, subire inerudititi ingenii, quam ingrati animi notam malui. Nam, etsi scribendo illustrissimi fratris tui sublimia facta, verbis minime æquavero (quom virtutis etiam infælices exitus, laude non careant) non dubito futuros, quos grati animi mei voluntas moueat, vt quare scripserim, potius, quam quomodo, considerent. Tu quoque, qui me in re ista videas plus ausum, quam præstare posse sperarem, minime dubitare debes, non mihi, sed fortunæ meæ, ascribendum esse, quicquid est. quod in tuam, tuorumque gratiam non efficio. Cæterum, priusquam explicandorum seriem aggredior, quom regionum, de quibus habenda est mentio, tempus, pleraque nomina commutarit, quo facilius, vbi, & à quibus nationibus, quidque gestum sit, intelligatur, maxime ad rem pertinere putaui, earum terrarum situs, veteresque appellationes, quantum diligentia, & coniectura consequi potui, nominibus, quibus hodie nuncupantur, accommodare. Vltimi Europæ ad orientem, ac septemtrionem anguli, quem Sarmatiam dixere, meridionale latus, quantum est inter Thyram, Axiacumque amnes, ad Euxinum mare porrectum, & plerisque in locis, maxime circa littus Ponti, etiam vltra Axiacum, Podolia, nunc appellatur. Inde Russia est vsque ad Borysthenem: cuius

cuius vtramq; ripam, vbiq; sursum ad caput ipsius obtinet: deinde inter orientem, ac septemtrionem conuersa supra Tanais ortum, ad Rhiphæos montes porrigitur. A quibus altera demum fronte in Sarmaticum Oceanum vltra Chersinicum ad Furstam fluuium: altera vero in Asiam ad Hyperboreos, Hippofagosq; Sarmatas procurrit. Quicquid vero, velut à tergo Russiæ, inter ipsam Tanaimq;, & Mæotidem remanet, Tartari tenent. Lituania vero, interiora Sarmatiæ ad Venedicos, Bondinosq; montes obtinens, qua meridiem, atq; orientem spectat, Russiæ obtenditur. Eius autem septemtrionalia, Liuonia excipit, ac Prussia, & Pomerania. Quæ regiones à Bondinis, Alanisque montibus, reliqua Sarmatiæ occupant vbique ad Oceani littus. Ab occidente vero ad Lituaniam, iungitur Masouia, circa ripas Istulæ fluminis: qui ab ea parte terminus est Sarmatiæ. At superiora Istulæ ad fontem, tum campos, inter montes, qui Sarmatici dicuntur, atque ortum Istulæ interiectos, præterea montes ipsos Sarmaticos, Poloni tenent: quorum regio in finibus vtriusq; posita, tantundem fere in Germaniam, quantũ in Sarmatiam protenditur, per ea loca, quæ Ombrones, Saboci, Sidones, & Visburgi, ab initio incolebant. Cæterum, qua Germaniam incurrit, coniungitur Slesia: quam subinde Morauiam à tergo, occidentem versus excipit. Slesiam vero, & Morauiam Quadi olim, & Marcomanni tenuere sub rege Morobando, à quo Morauiam mutatis, abiectisque quibusdam literis, dictam crediderim. His duabus regionibus, Boemia ad aquilonem inter montes, qui Sudetæ dicti, & Siluam Semanam adiacet, Hungaria vero, quæ Pannonia dicebatur, non vbique, vt olim, Danubium habet ad septemtrionem, sed superato flumine, hinc in Germaniam, illinc in Iazigas Metanastas se extendit, versus Carpathium montem, sub quo Scepusium à Polonia procurrens, in fines Hungariæ desinit. Reliqua vero, Iazigum Metanastarum, & adiacentia Tibisco amni, Hungari Transyluaniam vocant: cui adiuncta est montana Valachia, inter Danubium, & Carpathum, quæ à maioribus Dacia vocabatur. Huic velut à tergo, ad occidentem apposita est Bossina, quam Rascia, & Seruia contingunt, illis in locis cum ea sita, quibus superior Moesia, & Dardania olim continebatur. At Bulgaria inferioris Moesiæ partem, & vtrumque latus Hemi montis, iugaq; ipsa obtinet, vsq; ad Triballos, in quos Bossinæ orientale latus desinit. Altera vero Valachia, cui Moldauiæ nomen est, à flumine hoc tempore, apud antiquos inferioris Moesiæ pars fuit: protenditur autem inter Danubium, & Thyram, ab Ierasso amne montanæ Valachiæ termino, vsq; ad Euxinum. Harum autem regionum fines omnes, nationesq;, eas incolentes, atq; vrbium situs describere supersedi. Non quia longum fuisset, & laboriosum: sed quia ad historiæ institutum satis quæ dicta sunt, sufficere putaui: eo tantummodo adiecto, Cracouiam scilicet sedem regiam in Polonia, Budam in Hungaria, Vilnam vero in Lituania metropolim esse, ac principis domicilium.

Digitized by Google

P. CALLIMACHI DE REBVS A VLADISLAO Rege Polonorum atq; Hungarorum Gestis.

LIBER I.

SIGISMVNDVS Rex Hungariæ, qui vltro ad imperium accitus, Boemos quoque sibi postea subiecerat, tanta moderatione annos supra quinquaginta regnauit, vt quom sine virili prole tandem mortem obiisset, Hungari nemini subesse maluerint, quam duci Austriæ Alberto, cui iampridem Sigismundus vnicam filiam suam matrimonio coniunxerat. Videbatur leniri posse desiderium mitis, & sancti regis, si eius filiam apud se regnare intuerentur. Quæ persuasio subinde etiam pene profuit illius nepoti nondum nato. Nam quom Albertus quoq; haud multo post delatum ad se regnum, grauida vxore, vita excessisset: optimates Hungariæ frequentes vna cum oratoribus Despoti Rasciæ, ac Ciliæ comite ad reginam Budæ agitantem conuenere, cœptumq; est agi de regni statu constituendo. Et primo quidem nihil exaudiebatur, præter voces felicem faustumq; partum reginæ ominantium, asserentiumq; minime prius de nouo rege referendum, quam illa peperisset: deberi id Sigismundi recentibus meritis, qui paterna in omnes charitate, regnum tenuisset: non tentandam temere fortunam externis regibus experiendis; quom domi iam forsan affuturus esset, qui aui sui eos æquabilitate gubernaret. Valuissetq; publicus fauor, & gratissima omnibus Sigismundi memoria, si Ioannes Huniadianus ante omnes prioris, suæq; ætatis magnos viros, rerum militarium ciuiliumq; artium peritia memorabilis, vrgentium periculorum nõ admonuisset, propter Sindero viam oppidum cum vniuersa pene Rascia, iam tum à Turcis occupatum, sublatumq; veluti murũ, quo illis obiecto, Hungaria satis tuta videbatur. Ea vox quasi frænum à mortui gratificatione curam omnium in præsentes necessitates conuertit. Cœpitque ipsorum animis obuersari regni orbitas, & Turcorum indies maiores vires, iterq; ad se plane illis patefactum. Præterea in partu reginæ, etiam vt votis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum momenti fore cõstabat, ad regni curam, & tutelam, quom interim virorum animi muliebre regimen aspernarentur, propter imbecillitatem plerumq; illi insitam sexui, etsi curatores postumo assignarentur, intelligebant regium fastum, regiasq; cupiditates in paulo ante paribus conditione, vel perferre, vel explere durissimum fore. Sed & regina non mediocriter animo sollicita, haud satis constituebat secum, quidnã maxime in deliberatione tam ancipiti esset expetendũ: quom aut filio, si nasceretur, regnum abrogandũ, aut Turcis prodendum appararet. Sed neq; exploratum habebat marem nasciturum, vel tam beniuola in se, ac suos Hungarorum studia, etiamsi difficultas aliqua ingruisset, ad extremum permansura. Diuersis igitur diuersa probantibus, nihil æque ab omnibus laudabatur, quam si Vladislaus rex Poloniæ paulo ante puberem ætatem ingressus, cuiusq; indoles, ac virtus velut humanum modum supergressa, iam tum magno famæ consensu celebris erat, viduam reginam vxorem duceret, gentis vtriusque rerum summæ præfuturus: id vnicum columen aduersus domi forisque imminentes turbas, si ea affinitate Polonorum inuictum rei Hungariç iungeretur.

Sed nihil æque Vladislai assensum remoraturũ apparebat, quã nascendorũ sibi liberorũ incerta successio, ꝓpter ventrẽ, quẽ regina ferebat. Atq; ideo, nõ aduersante illa, in id cõsensum, si puer nasceretur, vt Austriæ, ac Boemię pæsset.

Liberi

Liberi autem noui regis, si qui procrearentur, in Hungaria regnarent. Eaque conditione regnum, & coniugium perferri ad Vladislaum placuit. Ita tamen, vt non prius de liberorum successione quicquam diceretur, quam ex diuerso eius rei mentio illata foret. Designati ad id munus omnium consensu episcopus Segniensis, Mathico Talaucius, Emericus Marcellus, Ioannes Perenus, Ladislaus Palancius. Quibus Cracouiam venientibus Vladislaus, ad mille passus, obuiam misit fratrem suum Casimirum, à quo mutua gratulatione suscepti, atque in ciuitatem inducti sunt. Postridie verò in curiam acciti, ita ad regem verba fecisse traduntur: Si vicinitas, & rerum variæ occasiones, ac tempora non coniunxisset regnum nostrum cum tuo multis fœderibus officiisque mutuis: virtus tamen, & fœlicitas tua, rex inclyte, nobis dignissima visa foret, quæ, dubiis rebus nostris, imploraretur. Quom enim cordi non fuerit Deo Optimo Maximo, Albertum apud nos regnare, in cuius electione secuti eramus, non quod expediret, sed quod à gratis animis recens, atque eadem acceptissima omnibus Sigismundi memoria exposcebat: quod facturi prius fuerant, si, saluo officio, licuisset, te, qui rex noster sis, vniuersi, quorum interest, vnanimi sententia elegerunt.

Omittimus illa prosequi, quod indoles tua vere regia, quod maiorum tuorum decora illos pellexerint, vt crederent, te vnum amplissimis duobus regnis vtiliter præesse posse. Coniuncta est vtriusque gentis fortuna, & prospera omnia vtriusque semper fuisse animaduertimus, nisi quom mala quæpiam ratio consilia, & res alterius ab altera separauit. Sic olim Gothi, sic Vandali, aliæque gentes pene ignoti terrarum tractus, sic postea Tartari per Poloniam in Hungariam primo, deinde in alias etiam regiones irrupere: sic, nisi eandem mentem tibi ad suscipiendum regnum, quam nostris ad deferendum Deus dederit, prope est, quod ominari animus horret, vt Turci, patefacta sibi Hungaria, in vos inde bellum, vastitatemque conuertant. Dum pro Rascia, & Bulgaria, quæ duo sepimenta regni nostri erant lentius paulo, quam expediret, arma nuper induimus, in discrimen rerum nostrarum venimus, & bellum, quod ab alienis finibus propulsare oportuit, in nostris cogimur sustinere. Si nihil vltra peteretur, quam vt succurreres discrimini nostro, vtique præstaret aliena defendere, quam pati sua in periculum rapi.

Nunc quando non sola tutela, sed ius, & arbitrium opulentissimi regni ad te defertur, quid est, quod maximopere à te deliberandum sit, debeas ne, cum tam ingenti, & gloriosa mercede eam dimicationem etiam geminatis viribus, suscipere, cui nostris copiis, nostrisque armis semper pares fuisse nos scias? Periculum est (arbitramur) ne semiermem, & ex fuga pugnantem hostem, quem, sine vllis externis auxiliis, prope contempsimus, si tu paululum cum tuis anniteris, finibus nostris non submoueas. Nomen, Hercule, tuum, sine vllis armis, ad id suffecerit, vel, si molienda vis erit, haud difficili conatu regni vtriusque rem perpetuo stabilieris. Neque ideo, quod vltro expeteris, reliqua omnia desperata à nobis putes. In maximo multorum ambitu, te iudicio, non necessitate prætulimus, qui scires æque, atque illi, regnum administrare. Sed commodius forsan tueri nos, iunctis vtriusque regni viribus, posses, & imprimis deberes, propter communia vtriusque discrimina. Silemus fœlicitatis cumulum, qui exinde maiestati tuæ accedet. Quantum veræ gloriæ, & in præsens, & ad posteros conciliauerit tibi, tam incliti regni publicus de virtute tua consensus? Quanta laude effereris, quod tam benigne de te sentientes, gratissima voluntate in fidem susceperis? Quod Deus omen auertat, si repudiati in discrimen raperemur (omittimus, quod eadem fortuna res tuas manet) non solum vicinum, ac socium regnum in periculo destituisse dicereris, verum etiam euertisse columen, ac propugnaculum Christiani nominis. Cuius maiestas, viribus, armisque nostris stetit hactenus staturamque confidimus. Sed & fortunam dicunt volubilem deam, nec facile postea comprehendi, si semel oblata contemnitur. Non libet glo-

tiari de benignitate cæli, & terræ, quam regno nostro natura indulsit: neque vicinitas, neque magnitudo rerum gestarum illius, eam te ignorare permittit. Singula illic sunt eiusmodi, vt magnis periculis, etiam bello expeti debeant, nedum sponte oblata suscipi. Atque, vt intelligas quam simul omnia consentiunt ad fœlicitatem tuam: idipsum, quod nos petimus, regina, in qua aliquid momenti in contrariam videri potuit, etiam vna nobiscum petit, pignusque, & stabilimentum tam salubris vtrique genti incepti, matrimonium suum offert. Ea est ipsius nobilitas, & fortuna, vt magnopere probari abs te possit; forma vero, & ætas non contemni. Sed neque, in tanta deliberatione, audienda est mentio de rebus tam caducis, & momentaneis. Neque voluptatis gratia initur matrimonium, maxime inter reges, à quibus nihil aliud quæri solet in vxore, quam dignitas, vt quam illustres successores relinquant: &, si altius attenditur, propterea quod regna non nisi vnum capiunt, illarum coniugia maxime sunt expetenda à regibus, quæ minus fœcunditatis videntur habitura. Tu modo illa, quæ alii per ferrum, atque ignes assequenda non dubitarent, vltro ad te delata non spernas, nec velis esse, aut dici minus fœlix, quam Deus, atque homines velint. Dum hæc agerentur, peterenturque ab Hungaris, aderant & Turci oratores, quos iampridem missos deprehenderat in via mors Alberti, qua seu vere incomperta, seu, ad tentandum dissimulata, peregerant mandata. Offerebat per eam legationem Amoratus Turcorum imperator militem, ac pecuniam Vladislao ad gerendum bellum contra Albertum in Boemia, quæ, mortuo Sigismundo, in duas factiones abierat. Et vna quidem Casimiro Vladislai fratri regnum deferebat: altera, propter vxoriam successionem, Albertum sequebatur. Cæterum fœdus in id sanciri petebat: vt, redacta vniuersa Boemia in potestatem Casimiri, Vladislaus ab amicitia & fœdere Hungarorum abstineret. Itaque quom, defuncto Alberto, res integra non esset: oratores, per varias simulationes, Cracouiæ retinebantur, in expectationem, quo res Hungarica, post regis mortem, inclinaret. Eos, quod ex vultu facile notari potuit, vbi, per interpretem, quæ postulata erant cognouere, ingens mœror cepit, & subita consternatio animorum. Sed neque eodem sensu à Polonis omnibus accipi, prius oculi, & facies, motusque diuersi, deinde etiam verba indicauere: quom essent, qui dicerent, nihil præterquam bellum offerri ab Hungaris. Post cæteros omnes frustra imploratos, ad se iri. Minime id onus assumendum, quod omnes alii ferri posse desperassent. Sed & malæ rationis esse, regem suum dimittere, vt peregre regnaret. Omnia futura in regno turbarum plena, & seditionum, si sine rege agitandum foret. Neminem vnquam censuisse, aut nauem sine rectore, aut exercitum sine duce esse oportere, aut vnumquempiam duabus nauibus, duobusue exercitibus vtiliter, commodeque præesse posse. Non esse exploratum homini quid indies accidere valeat. Infinita pene, quę, absente rege, regnum perturbare queant. Processuram improborum licentiam in infinitum: bonis vero præsidia, & tutelam defuturam.

Sed, vt cætera tolerari possent, perpetuum bellum domi gerendum cum Tartaris: certe nullo modo sine rege, aut sustineri, aut propulsari posse. Quorum sententiam Vladislaus, cuius iuuenilis animus abhorrebat ab eo matrimonio, quod cum regno adeundum erat, quom regina iam grandæua esset, facile sequebatur, aliis multis in contrarium nitentibus, inprimisque Ostrorogeo, Dobrogostio, & Cilonensi Ioanne, cum Gregorio. Hi diuitias viresq; regni, quod offerebatur extollendo, Turcorum vero res deprimendo, magno animo conditionem suscipiendam affirmabant. Quæ de regis absentia dicerentur: nihil ad rem attinere. Iampridem assuefactos homines etiam sine eo agitare, quom sæpe in Lituaniam se recipere solitus esset, viciniorem que esse Budam Cracouiæ, quam Vilnam. De his, quæ timeri sperariue possent, facile esse iam tum, volente rege, statuere.

Quod,

Digitized by Google

Quod, si quid inopinatum casus afferret, regem futurum in propinquo. Coniuncta inter se esse regna, ita vt non quasi duobus, sed tantum vni regno rex esset præfuturus. Et eo magis fore in vtroque venerabilem, quo vtrisque inuicem, cuique alterius vis notior esset, & auctoritas: contra furtiuas Tartarorum incursiones, satis superq; indigenas Podoliæ, ac Russiæ sufficere. Quod si iustum bellum inferretur, multo facilius fore, vtriusque regni viribus illud propulsare. Non esse tantæ gloriæ occasionem omittendam, vt rex Poloniæ etiam in Hungaria regnare diceretur, & vnus præ cæteris principibus visus, qui tantum regnum rite regere, ac tueri posset. Nullam conditionem repudiandam, nullum periculum non subeundum pro tam ingenti laude. Non inferri id bellum Hungariæ, in quo tantummodo libertas foret amittenda (quanquam quid non audendum, subeundumque pro libertate?) sed agi, vt degenerarent omnes à moribus institutisque maiorum: templa, & sacra omnia prophanarentur: sepulchra parentum dirui, & ossa dissipari, coniuges vero sororesque, & liberos aut ad seruitutem, aut ad libidinem rapi intuerentur. Longe præstare, tantam immanitatem submouere in alienis finibus, quam in suis postea sustinere. Nullam vnquam ætatem tacituram immortalem gloriam, quam adipiscerentur, si tam calamitosam necessitatem à ceruicibus regni, inprimis incliti, sed & vicini, & fœderati, & quod non, nisi per summum scelus, deseri posset, propulsassent. Ad hæc, solam famam eo inter se vinculo coniunctarum virium, duarum inuictarum nationum, satis futuram ad Turcum, Tartarumque intra fines suos continendos. Et iam deducta eo res erat, vt, nemine aduersante, Vladislaus conditionem susciperet, quom renuntiatum est, reginam postumum, ex Alberto peperisse. Itaque quom videretur Vladislaus frustra vxorem ducturus, si filii eius ad regni successionem peruenire non possent: ex integro tota res cœpta est repudiari. Sed vbi oratores Hungari, explicatis omnibus, quæ apud suos constituta erant etiam de filio, si nasci contingeret, hanc quoque difficultatem amouerunt: rursus expugnatus est regis animus, vt ad gloriam, & amplitudinem tantarum rerum se potius erigeret, quam deprimi pateretur à breui voluptate: quam ex viridiore vxoris alterius ætate consequi posse arbitraretur. Decreta igitur dies solennis, & templum augustius in arce Cracouiensi, vbi responderetur Hungaris. Ibi quom frequentissimi, ex omni ordine, ad spectaculum conuenissent: vniuersique regni proceres in suggestu ad id præparato considerent: conuersus ad oratores Vladislaus, vbi protulit ea, quæ pro loco, & tempore, ad grati animi testimonium, propter præsens in se beneficium visa sunt attinere: quod bene verteret vtrique genti, quibus conditionibus ad se delata erant, ius, & tutelam Hungarici regni suscipere professus est: quantumque humana ope fieri posset, daturum se operam dixit, ne tam benigni de se iudicii Hungaros pœniteret. Ipsorum iam esse, curare, vt quæ suorum nomine spopondissent, rata permanerent: se in tempore promissis suis affuturum. Sub hanc vocem secutæ acclamationes, fœlicia omnia vtrique genti ominantium, & in publica gratulatione laudes Deo, & grates actæ omnibus in templis.

Turcis subinde responsum, rerum mutationem, quæ mortem Alberti subsecuta esset, eorum legationem irritam reddidisse. Cæterum quando & in Hungaria Vladislaus erat regnaturus, factam exinde maiorē occasionem fœderis amicitiæq; ineundæ, si modo ea res cordi fieret Amorato, etsi finibus suis contentus, pacis consilia complecti vellet. Hungari, responso accepto, constituere inter se illico, vt alii apud Vladislaum remanerent, qui eius in Hungariam profectionem stimularent: alii ad reginam optimatesq; perferrent ea, quæ acta erant, & decreta in Polonia. Mansere episcopus Segniensis, & Ladislaus: cæteri gratulabundi retro iter ad reginam conuertere. Visum est Vladislao mittere cum illis etiam legatos suos, qui tam reginæ, quam optimatib. publice ac priuatim gratias agerent, tempusq; aduentus sui illuc nuntiarent.

Decreti igitur ac missi, ad eam rem obeundam, Sandiuogius Ostrorogeus, & Ioannes Cognecpolensis scriba regius. Cęterum festinantibus Hungaris, vt quæ ad nutum suorum fœliciter transacta putabant, nunciando omnes gaudio opplerent: Poloni in via substitere, paulatimque subsequebantur. Interea regina, seu qui desperasset matrem parere, quom tantarum rerum in spem natum intueretur, crudele nimium, & immane videbatur, si, veluti propter noui mariti charitatem, sacratissimorum affectuum oblita, mater à debita successione regni filium exclusisset: seu adducta persuasionibus quorundam, qui rei Polonæ male affecti erant, præsertimque comitis Ciliç, qui tutorem se postumi fore, ac summam rerum obtenturum credebat, sententiam mutauerat. Atque ideo redeuntes ad se oratores suos in vincula coniecit: moxque voluntatem suam immutatam peruulgauit. Ea res, prout cuiusque animus ad hanc, vel illam persuasionem acclinatus, accipiebatur: nonnullis indignissime ferentibus, tam salutare vtrique regno inceptum, vel vnius mulieris inconstantia, vel comitis Ciliæ cupiditate, in irritum verti: & reginæ, si persuadendo adduci nequiret, vt conuentis staret, afferendam vim censentibus. Apparebat enim spem profligandi externum bellum, in id recidisse, vt si Vladislaus persequi perseueraret euocationem suam, regnum domesticis seditionibus lacerare oporteret: futuros namque, qui omnia extrema paterentur, & facerent, priusquam publicam, & communem consensu datam Vladislao fidem violarent: & qui spe melioris fortunæ, si res tumultuarentur, in contrarium agerent, reginæque assisterent. Multi etiam diuinitus eam mentem reginæ datam interpretabantur, quasi Deo eam regnorum inter se veluti confusionem improbante. In qua vt inficiari nequirent, quædam inesse commoda, submouendo bello, quod à Turco immineret: maiestas tamen, & nomen rei Hungaricæ interitura esset, actionumque omnium gloria domi, atque foris ad Polonos peruentura. Neminem vnum exinde crediturum, ab Hungaris peregrinum regem alia ratione accitum, nisi quod sine Polonis, subsistere desperassent. Vladislaum quoque propensione affectum erga suos futurum. Satis experiendo compertum, prioribus temporibus, Hungariam ad retinendam dignitatem suam, externa ope non indigere. Denique deum ipsum in partu reginæ plane indicasse, quem regem vellet apud eos esse.

Hæc & plura eiusmodi iactabantur non vulgo solum, verum etiam in conciliis optimatum. Sed & ciuitates nonnullæ, inprimisque Cassouia, Bardeiouium, Lubolia, Cremniza, & cæterę finibus Poloniæ obiectæ, iam tum, in tanta voluntatum varietate, imminentium certaminum discrimina intuentes, vt otiosi rei euentum expectarent, comportatis intra mœnia ea, quæ vsui fore credebant seu ferendæ obsidioni, seu vi propulsandæ, si ingruisset, fossas, muros, propugnacula impigre reficiebant, ac firmabant.

Quæ, vt agebantur, vulgo ad legatos Polonos delata, vt retro in patriam iter verterent adegerunt. Et quom ab regina impensius reuocarentur, non ausi sunt se illius fidei committere. Quod si fecissent, fama tenuit, potuisse facile omnia in integrum, re tunc recenti, per ipsos restitui. Non solum vero reginæ voluntas immutata, sed cædes etiam Sigismundi ducis, sub idem tempus, in Lituania commissa, secutæque illam diuersæ ibidem factiones, & fames, qua deperditis frugibus, propter æstatis intemperiem, eousque laborabatur, vt promiscue cum pecoribus, non humanis cibis, sed arborum, cannarumque radicibus, mortales vesci cogerentur, hyems præterea inusitate, constanterque rigens vsque ad perniciem iumentorum hominumque, ad extremum lues, qua insolitis alimentis fluida labefactataque corpora vulgo extabescebant, poterant Vladislaum à transcendendo in Hungariam retinere, si modo fatales necessitates, euitabiles essent. Itaque tam multis aduersis pene inuitum retinentibus, ille nihilo segnius ad transitum equos, arma, militemq; præparabat, indicto conuentu Sandeciam, in quo referretur statueretur que

tam

tam de rebus domesticis constituendis, quam de ordine persequendi susceptam profectionem. Praecesserant Vladislaum ad locum conuentui destinatum mater eius regina Sophia, duxque Masouiae Boleslaus, & praeter paucos, qui regem sequebantur, vniuersi etiam regni proceres, & Lituanorum legatio. Itaque vbi rex cum fratre suo Casimiro aduenit, Lituani prius auditi: qui principatum suum, post caedem Sigismundi, in tumultu esse dicebant, & diuersis factionibus laborare: optimatibus Vladislaum pro principe habendum censentibus, multitudine vero ad Michaelem Sigismundi filium inclinante. Sed & Suidrigalem, qui & ipse ex principum erat progenie, nonnulla oppida occupasse, Ruthenorumque primores, spe nouarum rerum, quotidie ad illum congregari. Praeterea ducis Masouiae copias Droicinum expugnasse: atque ideo, nisi subito succurreretur, prope esse, vt factionibus intestinis Lituanorum res, ac nomen interiret. De quibus quom sententiae cogarentur, complures erant, qui Hungariam omittendam suaderent, amplexandamque consulendi rebus suis domi occasionem oblatam, per inconstantiam reginae. Satisfactum esse foederatae, ac vicinae nationi, tutelam ipsius, quom id efflagitaret, suscipiendo: nunc, quando per illam staret, quo minus conuenta perficerentur, temerarium videri, si, neglectis opportunitatibus suis, cum periculo alienos, etiam inuitos seruare aggrederentur. Tunc demum fuisse gloriosum Polonis in Hungariam proficisci, quom contra Turcos aduocabantur: nunc intestinis ciuilibusque certaminibus immisceri, calamitosum, & turpe fore. Dimittendos esse ad suos legatos Hungaros. Si sensissent illi operae pretium fore, coniungi communis regis vinculo, & societate cum Polonis, inuenturos quomodo id sine controuersia fieret: culpam non seruatae in praesens fidei penes ipsos remansuram: interim rem Lituanam stabiliendam. Quorum sententiam laudabat inprimis regina, tum quod aegre filium à se diuelli, ac peregrè regnatum ire patiebatur: tum quod oriunda, ortaque ex Russia, magnopere angebatur, patriam suam mutuis seditionibus, propter Lituaniae motus, periclitari. Vladislaum quoque, & Casimirum sollicitos habebat res Lituana: vtpote: paternus, & auitus principatus. Sed & dux Boleslaus, cuius intererat, regem non abesse à regno, propter susceptam à se contra Lituanos actionem, quam iure decidi cupiebat, multa in eandem sententiam disseruit. Gregorius vero cum Ioanne Cisonensi, & Creslao Goslubiano caeterisque, qui iam tum à principio, conditionem suscipiendam persuaserant, dicere, Hungaros, aut audiri non oportuisse, aut pacta implenda. Non propter illos tantummodo conditionem susceptam, sed quia commune periculum propulsandum, atque eo constantius in incepto persistendum censuissent, quo illi iam discordes inter se, propiores essent, vt alieno subderentur imperio. Tutius multo fuisse, concordes simul eos, quam in seditione destituere. Si viderent Polonos in incepto perseuerantes, deposituros simultates, redituros que in fidem omnes. Reginam quoque cessuram viribus, vbi eas adesse sensisset. Si res omitteretur, seditionibus intestinis perituros, aut ad alium quempiam se conuersuros, cuius postea vel potentia timenda, vel imbecillitas maiori & sumptu & discrimine fouenda esset. Nihil satius, quam, etiam per bellum, ad institutum peruenire. Si tunc demum abstineretur, & cupide suscepisse, & timide destituisse apparituros. Ad Lituaniam pacandam, Casimirum cum exiguis copiis mitti posse: sed & Lituanos moderatius se habituros, intelligentes, Vladislaum etiã in Hungaria regnare. Ad haec, Hungarorum legati, parum momenti in regina ad resistendũ vniuersorum voluntati asserebant: paucosq; illi affuturos, & eosdem sine auctoritate, aut gratia. Eos autem, quos penes, rei totius arbitrium esset, satis intelligere, nihil posse vtilius vtriq; regno & inprimis suo inueniri. Non passuros ad nutum vnius mulieris summam libertatis salutisque suae periclitari: abunde prius deliberasse statuisseque quod optimum videretur. Sed & reginam facile aut salubrioribus consiliis, aut vi expugnari posse:

reducique in sententiam rectam: prosequerentur modo Poloni ea, quæ cum summa ratione inchoassent. Decretum itaque secundum Gregorii sententiam, vt progrederetur in Hungariam Vladislaus, Casimirus vero cum certo numero copiarum in Lituaniam proficisceretur: adiunctis ei primariis viris, Derslao Rithuianio Iastrembecio, & palatino Lublinensi. Cum Boleslao autem Masouiæ duce inducias seruari placuit, quamdiu à regno Poloniæ Rex abesset. Eaque decreta, ac cætera, quæ dicta sunt, de necessitate, & commodis susceptæ profectionis, pro responso data sunt Lituanis oratoribus. Designati subinde, qui, absente rege, veluti vicarii in locis opportunis præessent, ac ius dicerent. In prætura quidem Cracouiana Ioannes Cisonensis, in Posnaniensi Petro de Bnino, in Podolia Theodoricus Buciascanus. Vladislaus vero, vbi satis constituta prouisaque reliqua apparuere, dimissis cæteris ad munera sibi commissa, cum illis, quos delegerat ad constitutam expeditionem progreditur. Matrem, ac fratrem suum Casimirum biduo se proficiscentem prosecutos, tertia die ab se dimisit, admonito prius fratre, qua ratione, quibusve artibus, cum Lituanis agitare oporteret. Eduxit vero secum, præter militarem multitudinem, viros magnos, & magnis præfecturis honoratos, quos consiliorum actionumque omnium socios adiutoresque haberet: inprimis Andream, & Ioannem Tencinenses, Dobrogostium, & Sandiuogium Ostrorogeos, duos Ioannes Tarnouios, Vincentium, ac Scidouam Sciamatuleos, Lucam Gorcensem, Nicolaum Lassouianum, & Gregorium Sanoceum. Is postea vigintiquinque annos præfuit metropoli Leopoliensi: sed tunc maxime ingenio florens & doctrina, videbatur ad omnia gerenda suadendaque facile idoneus, & de quo rex plurima sibi polliceri posset: ad quæ accedebat cum decora corporis proceritate, præcipua quædam animi sanctitas, & religio: in quibus adeo eminebat, vt nemo regi Deum propitiaturus facilius crederetur: eaque est illi inprimis cura delegata. Cæterum vt diuina per hunc rex procuraturum rite se credebat, ita prœliis conserendis haud minus momenti fore putans in viribus Læsconis Bobricii, cuius robur & audacia maximo consensu vulgo laudabatur: ipsum quoque inter præcipuos educendum delegit. Fuit autem Lesco auus diuæ Fanniæ carminibus nostris celebris: si qua tamen ex illis gloria esse potest. Inter progrediendum autem quotidie cateruatim confluebant ad regem alii multi, ex Polonia, impigri, & magni viri, partim cupiditate ostentandæ virtutis in tam nobil. expeditione, partim, ne velut ignaui repudiati viderentur. Cæterum volente vnoquoque armis, equis, & reliquo apparatu eminere: incredibile memoratu est, quam insignis erat exercitus rerum omnium excellentia, quom fere miles quisque, egregii ducis speciem præ se ferret. Fama etiam, vt in magnis conatibus vsu venit, omnia augebat: copiasque, & apparatum bellicum vix tolerabilem reginæ, ad quam Dionysius archiepiscopus, Ladislausque Gara Banus, & plerique alii defecerant, nuntiabat. Quæ quom edictio iussisset, arceri Vladislaum omnibus munitis in Hungaria locis: vbi receptum audiuit Chesmarcum, sollicita, vt fit, in re trepida, cogitationes in partes omnes cœpit agitare. Cæterum seu desperans, post adeo ingentem belli molem excitam, pacis, aut fœderis audiendam mentionem, seu non inueniens apud se conditiones, quæ vtrinque honeste suscipi possent · ad sustinendam vim cum suis, animum conuertit. Inprimisque, quom haud ignoraret, susceptas vulgo persuasiones cæremoniasque aliquas, in rebus non leue momentum habere, sedandis, concidendisue populorum animis: Visegradum, vbi præerat Ladislaus Gara, propere contendit? coronam, qua vetusta religione, ac more, Hungariç reges initiantur in potestatem suam redactura: ne si eius Vladislaus potiretur, veluti rex legitimus, populos ad se conuerteret. Itaque non aduersante præfecto, penetrale, in quo sanctissime asseruabatur, quom effregisset: illam tantummodo extulit, relictis cæteris induuiis, quæ ad ritum cærimoniamque coronandorum

rum

rum regum pariter adhiberi consueuere: nec mora, cum omnibus, qui palam sibi, ac postumo fauebant, Comarum se recepit. Alii vero, quos aut nouarum rerum studium, aut per legatos data fides Vladislao, aut timor, ne bello cogerentur, sollicitos habebat, quanto quisque poterat comitatu, quotidie ad illum confluebant. In eaque festinatione pleraque hostilia commissa sunt, diuersis in locis contra illos, qui reginæ affuturi videbantur. Inprimisque Simon Rosgonius Agriensis episcopus, quom comperisset Eperiessi non vigiliarum ordinem, non stationes iustas seruari, sed secure, ac solute agitari, per occasionem, noctu id oppidum intercepit: quo subinde firmato munitionibus, ac præsidio, Chesmarcum venit. Ibi Polonorum animi, quos, propter reginæ motus, demissos labefactatosque constabat, rursus erecti sunt, & confirmati: quom viderent conuenisse ad se magnam partem ex primoribus Hungarorum, quorum auctoritatem cæteros secuturos, aut, si qui aduersarentur, minimo negotio cogi posse apparebat. Itaque alacres, renouata spe facile, ac celeriter incepti perficiendi, alteram Lituanorum legatiónem, quæ illuc vsque, ad auertendum in Lituaniam Vladislaum, sollicita aduenerat, dimisere retro ad Casimirum, cui Lituanicæ rei cura delegata esset. Etsi plerique, quos non minus discrimina, & progrediendi difficultas, quam ea, quæ nuntiabantur à Lituanis, mouebant, cum Ioanne Tencinensi, vel illinc regredi in Poloniam suaderent. Sed, ne id fieret, annitentibus Ioanne Iaroslauiensi, & Gregorio Sanoceo, tenuit pudor, famæque verecundia. Constitutum itaque, vt præposito cum valido præsidio ad custodiam Chesmarchi Nicolao Pereno, Budam versus progrederentur, vtriusque regni copiis simul coniunctis.

Inter proficiscendum lente (vt par erat tanto exercitui) visum est mittere, qui regni caput Budam præoccuparent, ne regina, si muniendi se illic facultas spatiumque daretur, conatus Vladislai, ac suorum subinde, aut retardaret, aut irritos redderet. Datum est id negotium Agriensi episcopo, & cum eo missi Vincentius Sciamatuleus, Andreas Tencinensis, & Lesco Boritius. Eos, vbi aduenere, populus in vrbem vltro admisit, ducendisque munitionum operibus, manu, & cætero omni studio frequens affuit: quom interim præfectus arcis Laurentius Hendreuera deliberabundus, neque aduersando, neque obsequendo his, quæ fiebant, videretur in eam partem inclinaturus, ex qua minus perturbationis in regno crederet excitari. Veniebat ex parte altera Fredericus comes Ciliæ cum quingentis equitibus, missus & ipse ab regina eodem consilio præoccupandæ Budæ. Qui vbi à Polonis eam teneri cognouit: nihil vltrà tentandum ratus, demisso animo, statim retro abiit Comarum. Augebantur semper copiæ Vladislai, accurrentibus ad eum in itinere Hungaris. Cæterum quom peruenisset Eperiessum, diemq; vnam ad quietem indulsisset exercitui: secretarius quem charissimũ habuit, dum in fluuiolo ignobili præpropere opitulari pergit accipitri, cum anate periclitanti, submersus est: & prodigiosæ magnitudinis grando, cum ingenti procella, & fragore cæli decidit. Quibus non nihil consternati sunt animi in Polonis, minime referentibus, vel id ad fortunæ casus, vel hoc ad aeris intemperiem, sed vtrumque velut in prodigium auertentibus, &, prout cuiusque vel mens erat, vel religio diuersis in diuersum interpretantibus. Regina vero, vbi ad Polonos Budam defecisse intellexit, & Vladislaum, qui Agrium iam attigisset, hilari consensu illic à populo expectari: ad cæteras ciuitates in officio retinendas, festinato itinere, Albam Regalem se contulit, cui præerat tunc partium suarum fautor Nicolaus Fristatski. Ibique suadentibus, qui illam sequebantur filium suum iam trimestrem, in templo consueto, regio titulo, & corona solenniter insignitum augustiorem, & veluti sacrosanctum populis ciuitatibusq; Hungariæ reddidit, putans futuros plures, qui veri, ac legitimi domini partes sequerentur, quam qui contaminare se vellent nota defectionis. Affuere coronationi eiusmodi, ex illis, qui paulo ante Vladislaum

Digitized by Google

accersendum censuerant, archiepiscopus Strigoniensis, Iaurinensisq; episcopus Benedictus, tum Ciliæ comes, Nicolaus Fristatski, Stephanus Rosgonius, & pleriq; alii: omnesq; mox cum regina contulere se Iaurinum. Res ipsa tum etiam auctores magnopere Polonos conturbauit. Sed eo ventum erat, vnde regredi, nisi re perfecta, turpitudo non patiebatur. Itaque mouens ab Agria Vladislaus per commoda interualla tandem Budam peruenit. Quem appropinquaret, factus est ei obuiam præfectus arcis, Laurentius Hendreuera cum liberis duobus, & populus effusus, quom ipse, instructis copiis, ne quid subesset insidiarum, ingrederetur. Post mutuam gratulationem, visum est, ea die ab ingressu vrbis abstinere, placuitque subsistere ad Pestum. Interim regina, per nuntios maria montesque pollicendo Hendreueræ, enixe conabatur persuadere, vt in fide, atque officio maneret: parumque abfuit, quin impetraret, magis in gratiam memoriæ Sigismundi, quam sponsione ditissimarum conditionum, quas proponebat: præualuit tamen in animo bene instituto ea sententia, quæ tutior videbatur ad stabiliendum naufragans regnum. Itaque ille Vladislaum, & suos liberaliter in arcem admisit. Pro quo beneficio Vladislaus, vt præfecturam, in qua erat continuaret, edixit satis confidens, mansurum ipsum constantissime in ea parte, ad quam, patriæ incolumitate suadente, non impetu animi, sed iudicio accesserat. Super omnia insigne fuit spectaculum, quom Budam Vladislaus ingrederetur: nam præter magnificentiam ornamentorum nauium, quibus cum instructo exercitu per Danubium transuectus est, maxime eminebant vbique studia procerum regni vtriusque, certantium inter se officii sedulitate, ad inducendum ipsum quam maxime fieri poterat solenni, ac omni genere ornatus instructissima pompa. Sed & milites cum ducibus suis, qui præmissi huc fuerant armati obuiam prodierant. Præterea sacerdotes cum sacris, & religioso apparatu, populiq; promiscue omnis ordinis turba innumerabilis. Procedebat ergo militibus stipatus inter voces gratulantium, fœlicemque, & faustum regi sibique ac regno ingressum eiusmodi exoptantium: subsequebantur proceres regni vtriusque, pro dignitate, ac meritis, vt quisque eminebat ita ordine antecedentes. Vbi ad templum augustius peruentum, laudes, gratesque deo immortali actę. Subinde in regiam perducto Vladislao, populus quidem gratulationem suam in multam noctem produxit, variis discursibus per ciuitatem cum cantu tripudiisque, & hilari saltatione. Proceres vero, cum crederent suscepti negotii partem maximam transegisse, recepta Buda, quieti se dedere, mox consultaturi quibus tandem rationibus reliqua sine contentione, vel mora perfici possent. Vbi Budam teneri à Vladislao vulgatum est, non solum qui aperte partibus ipsius fauebant, sed multi etiam alii, qui ad id temporis dissimulauerant, fidem, atq; obsequium pollicentes cum gratulatione ad eum confluxere, inprimisque Mathico Talaucius, iisdem diebus cura, atque opera consoris sui elapsus custodia, in qua reginæ iussu asseruabatur, tum Nicolaus Fristatski, Stephanus Rosgonius, Ioannes maior Perenus, & in quo plurimum in vtramque partem momenti, Ioannes Huniadianus, præterea episcopi Vesprimiensis, Quinqueeclesiensis, Transiluanensis, Nitriensis, Sirmiensis, Vacciensis, Varadiensisq;, & Colocensis archiepiscopus: paucique iam præter Cassouiam, reliquasq; ciuitates, quæ cum illa in euentum à principio se communierant, in regno toto supererant, quæ non profiterentur, se in fide Vladislai esse, ac fore. Venit & à rege Bossinæ legatio, apparatu, virisque insignis: quæ, repetito gentis suæ primordio, eosdem, cum Polonis, auctores generis, & communem linguam Bossinenses habere quom dixisset, & ob eam linguę, atque originum veluti cognationem, regem suum magnopere gaudere, propterea quod cœptis Vladislai, fœlicitatem adesse vulgabatur: multa disseruit de commodis, quibus se mutuo, propter cognationem, vicinitatemque releuare possent, ac deberent, communicatis viribus, & consiliis, aduersus imminentem Turcorum crudelissimam tyrannidem: fœdus præterea, &

amici-

amicitiam sanctissime cultam, seruatamque inter Bossinæ,& Hungariæ, ad id locorum, reges, vel iniri, vel renouari postulauit. Quibus benigne responsum, incrementa, successusq; Vladislai merito regi placere, tum propter eam, quam repetissent linguæ,atq; originum coniunctionem, tum quia vtriusque pene tantundem interesset, vt quam celerrime pacata omni Hungaria, contra communes hostes, integris viribus expeditio susciperetur. Gratiæ subinde actæ, quod in tempore affuturum se contra Turcos communicando actiones & consilia rex vltro polliceretur: & vt sic animatus ad extremum perseueraret adhortationes adhibitæ. Fœdus deniq; inter reges, & regna confirmatum. Aduenerant etiam oratores Despoti, cuius demissior gratulatio fuit, vt par erat. Quippe quod è principatu suo per Turcos eiectus, priorum Hungariæ regum munificentia alebatur: qui casum tanti viri miserati, collocauerant eum in finibus regni assignatis illi nonnullorum oppidorum vectigalibus, & iurisdictione, quibus haud indecore, præsentis fortunæ statum ferret, & præteritæ desiderium leniret. Itaq; ante omnia oratores eius, magno verborum ambitu commemoratis prope eisdem, quæ Bossinensis de cognatione originum, ac linguæ cum Polonis, purgauere Despoti factum, quod per nuntios id munus esset agressus- quod obire ipsum oportuerat: sed accinctum iam itineri Turcos auertisse, ne coram veniret. Cæterum ambigere ipsum, spei ne suæ, quæ, post ademptum sibi principatum, abductosque in seruitutem liberos, tum primum reuiuiscere incipiebat, an fœlicitati Vladislai prius, magisque gratulandum foret: accessisse quidem, accessurumq; indies benignitate Dei ad gloriam, dignitatemque Vladislai multum, quom nihilominus in summa gloria summaque dignitate existeret: sibi omnibus patriis, & auitis ornamentis spoliato, nec solum principatu, & patria, sed domo, ac lare eiecto, extorri, indigno, alienaque viuenti misericordia, tum primum oriri lucem aliquam, non solum melioris conditionis, sed pristinæ etiam dignitatis, & fortunæ recuperandæ. Id fœlicitatem inceptorum polliceri, tum geminatas vires duarum inuictarum nationum, quarum neutri vlla, præter alteram, disciplina militari, & alacritate pugnandi par foret in terris. Obuersari iam tum oculis suis fugam formidinemq; conuersas in Turcos, agrumq; illorum igne, ferro, vastitate infestum, se vero ad maiorum suorum sedem restitutum. Atque ideo vltra omnem humanam lætitiam gaudere sibi, Vladislao autem gratulari, qui tam magnarum actionum gloria non modo præsentis æui reges, sed vetustos omnes esset superaturus. Si pristina fortuna adesset, oblaturum fuisse se comitem, atq; adiutorem: nunc quando integrum non esset sibi, maiora polliceri, voluntarium regis ad omnia periculosa, & difficilia obeunda ministrum se offerre, ac dedere. Mouit tum Vladislaum tum cæteros & fortuna viri, & tam submissa oratio. Itaq; responsum legatis, vt Despotum bono animo esse iuberent: satis multas affuturas occasiones ad mutuam, præsentemque gratulationem. Interim cum ratione ab eo factum, quod loca, in quibus regi gratulari posset, ab hostili incursu tuenda sibi in tempore putauisset. Perseueraret modo strenue: Vladislaum primoquoque tempore annixurum, vt expectationem spemq; de se conceptam adimpleret. Interea Strigoniensis archiepiscopus, & Ladislaus Gara, qui coronandi postumi inprimis auctores, adiutoresq; fuerant, seu, desperatis reginæ rebus, propter successus Vladislai, seu rati per transitionem suam, quam reliquos dignitate inferiores secuturos credi par erat, reginæ animos infringi, & ad concordiam conuerti posse, cœperunt cum Vladislao clam per internuntios agere, vt impune ad eum transire liceret; acceptaq; in id fide, Budam properabant. Vladislaus vero qui sciret magnā esse talium virorum, apud populares suos auctoritatem, multumq; huc, vel illuc mouere animos vulgarium pariter, & nobilium posse: vbi appropinquasse ciuitati percepit, obuiam progressus, benigne complexos bene de se sperare iussit. Die insequenti quom ex composito, vtriusq; gentis primores quam magnificentissimo apparatu ad regem cōuenissent: missi sunt, qui illos

Digitized by Google

in curiam inducerent: vbi archiepiscopum in hanc sententiam locutum tradunt. Intelligo, rex inclyte, purgandum esse, quod, in rebus fere omnium maximis, consilium ter variasse videmur. Primum, quom te, qui apud nos regnares, accersendum censuimus: deinde, quom reginam filium suum coronantem contra te sumus secuti: nouissime, quando, illius partibus omissis, nunc ad te reuertimur: vt verendum sit ne aut spernendi à te velut imbecillitate animorum laborantes, aut cum suspicione accipiendi, ceu parum fideles his, ad quos inclinauerimus existimemur. Non enim sententiam, fidemve mutando toties, velut in contrarium acti sumus: sed quom ageretur de conseruando augendoq; regno nostro, idq; quantũ magnitudo rei postulat, nos sollicitos haberet, seu nimia cupiditate, seu humana ignoratione, quod optimum foret nõ satis constituebamus. Atq; ideo nunc hoc, nunc illud approbantes, minime mutato proposito, ad id, quod efficacissimum videbatur confugimus, non studio partium, sed charitate patriæ; cuius salutẽ dignitatemq; periclitari intuebamur: neque enim, vt de me fatear, quod de aliis etiam sentio, quom à nobis accitus es regnatum, ideo tãtum consensi, quod, ob virtutem tuam, maiorũq; tuorum gloriam, dignissimus videreris. Inuitabant ea quidem, vt consentirem: verum non de ornando, augendo ve te consultatio erat: sed quom, post mortem Alberti, regnum nostrum in orbitate velut prædæ Turcis expositum appareret: inuictum regni tui robur inprimis occurrebat, quod, per vicinitatem, & fœdera nobis cõiunctum velle deberet, per amplitudinem autem facile posset nos tueri, & conseruare: videbatur & tua, tuorumq; interesse, vt quæ nobis imminebant pericula propulsarentur. Atq; ideo freti viribus, & amplitudine regni tui, quom de fide dubitare non possemus, quãdo in rebus vestris idem exitus, quem in nostris pateremini, foret à vobis expectandus: vnanimi consensu ad te confugimus, rati fore, vt in ditione, & tutela tua, res nostrę domi, forisq; maxime florerent. Postquam vero regina seu mala ratione, seu malo fato percita, cœpit à communibus cõsiliis resilire (quanquam & ego, & qui illam mecum secuti intelligebamus, ad publicas necessitates parum momenti illinc esse) accessimus tamen: tum quia nefarium apparebat, reginam nostrã, & eandem Sigismundi regis nostri filiam deserere, prius quam patriæ periclitatio nos cogeret, tum, vt in viam rectam (si fieri posset) reuocaretur, & tu defectionem nostram veritus, tantisper deliberabũdus subsisteres, dum iniretur ratio sedandi ciuiles discordias; quas celer aduentus tuus, tumultuante adhuc regina, videbatur excitaturus. Cruciabamur enim animo, intuentes exarsurũ bellum intestinum, euocatione tua, per quam externum extinguere volueramus. Atq; ideo omnia prius experiri certi, quam patriam suo se gladio conficiẽtem intueri, tam diu in parte altera perseuerauimus, quoad ratio officii erga reginam, & gratissima nostris animis memoria Sigismundi, charitati patrię non concessit. Vbi vero ambitione reginam elatiorem vidimus, quam quę adduci posset, vt periculis suorum parceret, & in illis angustiis essemus, vt aut patriæ, aut officii iacturam facere oporteret; maluimus boni ciues, quam officiosi clientes dici, &, relicta illa, quæ, nisi per summas omnium nostrorum calamitates nec regnum assequi, nec adeptũ tueri posset, rursus ad te conuersi sumus, in cuius auctoritate pacem domesticam, in armis vero foris victoriam intuemur. Idem patriæ salutis studium, quod ad te vocandum, quod ad secedendũ paulisper ad reginam nos compulit, nunc ad te reducit. Debet probari abs te tam propensa, constansq; in patriam fides nostra, quom intelligas, propter illam, nos etiam famæ subiisse discrimen. Maluissemus quidem vt prima consilia nostra processissent, & vt sic apud nos regnasses, vt officiosi erga reginam, eiusque parentis memoriam immortalem mansissemus, & vt quieti inter nos, tua, tuorumq; auctoritate accedente, non solum finib. nostris hostem submouere, verum etiam agrum illi suum infestum reddere potuissemus. Nunc quãdo vtrumq; assequi non licuit, incolumitatẽ patrię cum fœlicitate tua sequentes petimus, vt quemadmodum verecundiæ nostrę indulgeri debet, quod aliquandiu

quandiu

Digitized by Google

quandiu cum regina fuimus, præsertim vt reconciliaretur tibi, ita nobis fraudi non sit, quod ab ea quieta consilia contemnente, salus, & pax regni nos abstraxit. In futuro quales experieris nos habeto. Vladislaus contra minime daturum fuisse fidem vt se accederent, nisi bonos fortesq; viros iudicasset. Satis scire tranquillitatem patriæ vnicuiq; charissimam esse debere, sed ante omnes illis, qui ab ea in summis ornamentis, summaq; dignitate essent collocati. Quę egissent omnia sic accipere, tanquam pro pace, ac firmamento regni gesta essent, non contra se: neq; enim quicquam commisisse, propter quod hostilem animum aduersus se gerere deberent: nisi propterea sibi irasci vellent, quod, relicto florentissimo regno suo, & omissa cura pacandæ Lituaniæ, in qua, propter cædem principis perpetratam, bellum exardesceret, vires animumq; suũ conuerterat ad tutelam stabilimentumq; regni eorum. Quod ad reginam attineret, minime reprehendi posse, si ad extremum voluntati illius publicam salutem prætulissent: nec enim regibus fidem obligari euertendis regnis, sed conseruandis. Hortari vt adessent animis, ac viribus ad cætera, quæ superessent expedienda. Breui affuturam tranquillitatem illam, quam optassent, modo ipsi factis, & consiliis opportunis orationi suæ fidem facerent. Regina, quãuis, vbi suorum fidem labefactari vidit, & ad Vladislai fœlicitatem deficere, male esset animo affecta, tamen, dissimulata muliebri trepidatione, ne, si, quãtum metuebat, indicasset, reliqui in desperationem adducerentur, Ciliæ comitem ad se vocauit, communicatoq; cum eo consilio, nuntios cũ literis Cassouiam, & ad cæteras ciuitates, quæ Vladislaum, aut suos, sub ipsum belli initium, excluserant, circummisit, iubens vt essent bono animo: propere affutura auxilia, quibus tueri ipsæ commode se possent, & Vladislaus toto regno excluderetur. Moxq; conductitium militem ex Boemia acciuit, &, consentiente in id Episcopo, Iaurinum diligentissime communiuit: collocatisq; illic copiis suis, velut in loco opportuno incursionibus faciendis aduersus Vladislaũ, & suos, cum filio transtulit se Posonium. Id vbi à Polonis compertum, misit Vladislaus ex gente vtraq; numerosum exercitum ad Iaurinum obsidendum, ducibus Huniadiano, & Sandiuogeo Ostrorogeo. Forte ita euenit, vt comes Ciliæ, qui illuc accesserat, inspecturus, an satis omnia firma munitaq; essent, & an constantes, consentientesq; inter se, perseuerarent omnes tuendis reginæ partibus, cœptus sit cum aliis, qui illic erant, obsideri, superuenientibus qui à Vladislao missi fuerant. At ille, vt erat vir acri, & elato ingenio, ante omnia, confirmatis suorum animis tolerandæ obsidioni, factaq; spe affuturi propere subsidii ex Austria, & Boemia: ne cui deesset occasioni retinendæ reginæ in sententia, si forte, propter efficaces conatus Vladislai, animus eius demitti cœpisset: quom videret, se cum suis imparem apertæ eruptioni: constituit clam euadere Posonium. Cum paucis igitur silentio noctis profectus, per hostium stationes, moxq; Rauo superato, in insulam, quam non procul, Danubius circumplectitur, quam occultissime se transtulit, ratus illic commode se elapsurum ad reginam. Qua re ab hostium speculatoribus comperta, missi sunt illico cum Lescone Bobritio, impigri, & expediti aliquot milites, qui insequerẽtur, comprehenderentq; fugientem. Sensit & comes patefactam fugã suam, & sequi à tergo hostes. Itaq; diffidens euadendi celeritati, latendo illos fallere instituit. Edixit ergo suis vt ab insequentibus, se facile capi paterentur, subindeq; à domino suo, qui in oppido remansisset, missos se cum mandatis ad reginam profiterentur: nec mora, in siluam, qua profundissima erat, ipse se immisit. Captis è familiaribus nonnullis, quom singulorum asseueratio in vnum congruens fere persuaderet: inquisitio à Polonis propemodũ omittebatur. Tũ Saniscia quidã haud rei militaris rudis, eos callido commento, atq; argutia increpuit, tanquã desertores domini sui: qui per imprudentiam minime noscitantium eum, haud procul in silua foret interfectus. Ad eam vocem bene simulatum mendacium aperuere humani affectus. Itaq; instaurata diligẽtius inquisitione, lustratisq; hinc inde omnibus latebris, tandẽ à Lescone ipso

comes inuentus est & ceptus, moxq; cum ingenti militum gaudio ad exercitum, subindeq; ad Vladislaum Budam perductus est. Quom exhiberetur in conspectum, non solum vtriusq; gentis principes conuenerant, sed promiscua etiam omnium ordinum multitudo, partim miserantium præsentem viri cõditionem, memoria pristinæ dignitatis, partim asseuerantium vere iustũ humanarum rerum inspectorem Deum esse, qui debitas ab eo perfidiæ pœnas expetisset. Ille nihil purgans, oblitusq; insitæ ingenio ferociæ, submissa, & effracta nimium voce, ac gestu veniam precatus est. Vladislaus autem minime duro vultu supplicem alleuans: Maluissem, inquit, vt fides tua te amicum huc adduxisset, quam fœlicitas mea captiuum: idq; factum foret procul dubio, si ambitio, expugnata animi tui fide, & constantia, non extorsisset, vt debiti mihi principatus, vicarium te potius, quam socium esse velles. Nunc quando fortunam meam potius, quam beneuolentiam experiri, & vana spe, beneficii in me tui gratiam corrumpere placuit, impugnando iudiciũ, quod de me feceras, quom vnanimi omnium consensu electus sum, qui apud vos regnarem: placide feres, si ego vicissim erga te magis factorum tuorum præsentium, quã electionis, à qua, nulla mea culpa, defecisti memor esse cogor. Moxq; in custodiam tradi iussit. Postridie Vladislaus seu periclitantis ciuili tumultu Lituaniæ discrimen sollicitum haberet, seu patrii regni desiderium male ferret, seu abhorrens ab immanitate intestini belli, quod gerendum illic videbat, seu cupidus denuo coramq; experiri qua tandẽ mente Hungari erga se forent: conuocatis in arcem omnibus quorum auctoritas aut publice, aut priuatim eminebat, huiuscemodi orationem habuit: Satis intelligebam, quũ me apud vos regnatum vocaretis, non mihi sed necessitatibus vestris id tribui: sed neq; id oratores ad me missi dissimulauerũt, & pleriq; ingenue subinde professi estis. Quom tamen benignitate Dei, maiorumq; meorum virtute, longe lateq; haberem, vbi fœliciter regnarem: stabiliendi res vestras curam susceperam, magis ne fidem meam in periculo suo implorantib. vicinis, fœderatisq; deessem, quam quod amplitudini meæ necessarium putarem. Sed & quieta omnia domi, consentientesq; inter se voluntates vestras nuntiabatis: quicquid vero laboris, ac periculi bellicis actionibus exhauriendum esset, ab eo hoste imminere, cuius impetus frangere, ac retundere longe pulcherrimum, & gloriosum foret apud omnes populos, & nationes, quæ religionem nostram profiteantur quę (sine inuidia loqui liceat) multo secus se habent: quippe quod ex vobis multos inter vos video dissidentes, & longe maior dimicatio domi proposita apparet, quam timeri foris potuerit. Itaq; distrahitur sæpe animus in diuersum, quom vel desistendum ab incepto, vel præbendũ me ducem in ea acie, quæ propemodum ad parricidium sit armata, considero. Cæterum ex vestra simul, & mea re magis esse videtur abstinere, quam, per intestinum bellum, ad propositam mihi per vos spem peruenire. Occurrit enim iam nunc animo totius belli species: video vos gentem vnam non, vt multæ aliæ, ex conuenarum multitudine casu congregatam, sed vnius linguæ stirpisq;, ac propemodũ familiæ. Circumspicite vos singulos, & vniuersos: adeo estis inter vos iuncti sanguine, & affinitatibus, vt verius domus vna, quã natio dici possitis. Nemo ex vobis vnus violari potest, quin eius iniuria pene ad omnes pertineat, atq; in illum ipsum, qui intulerit, per quendam veluti circuitum cognationum redeat. Hanc vnitatem coniunctionemq; sanguinis inter vos, quã vobis semper profuisse, mihi vero inprimis profuturam externo bello submouendo existimabam, distrahi in diuersum violariq; mutuo, non aliud mihi quidem videtur, quã naturã ipsam, & quidquid in ea venerabile sanctũq; est, euertere. Dubius est, vt aiunt, euentus belli: sed blandiamur vobis, & succubituros armis nostris aduersarios concedamus. Post fratrum parentumq;, ac cæterorũ propinquorum exhaustum sanguinem, restat, vt si Turcus lacessierit aduersus illum vos producam, ante omnia, intestinis cladibus debilitatos, sed & plerosq; cognati, aut propinqui cuiusq; cæde imbutos. Quam spem victoriæ mihi proponitis

tam

tam nefarie cruentum agmen,& suorum strage,ac vulneribus conscelératum educenti? Deus meliora velit: non ætas,non fortuna mea est, vt per tam abominandam dimicationem properandum mihi censeam ad spem maioris amplitudinis: nec tempus,nec virtus,aut animus deerunt gerendis honestiorib. bellis. Nunc antequam mutuis sceleribus coinquinetis manus; dum integræ adhuc regni vires, & animi,nondum cruentatis armis, inter se conciliari possunt vel ad retinendam simul pristinam dignitatem, vel ad patronum concordi voto deligendum; tum grato erga vos animo meo dignissimum, tum rebus meis vestrisq;,conducere arbitror,vt ego, propter quem tumultuari cœpistis, retro iter flectam. Facile,vbi ego abfuero,in gratiā mutuo redieritis,&,quod in magnis discriminibus alias sæpe fecistis, minime difficulter rationē inieritis publicæ salutis expediendę. Quod si ad me rursus confugiendū censueritis; tam primæ,quā secundæ euocationis vestræ memor, enitar, vt in cessione hac mea,nihil aliud à me quæsitum intelligatis,quā salutis vestræ remedium. Interim assequar,vt haud perpeti potuisse dicar,in gratiā meam periclitari fœderatū,ac bene de me meritum regnum,& rem Lituanam sic constituā,vt multo liberius si opportunū duxeritis,incolumitatis vestræ curam denuo subire possim. Verba Vladislai cum summa laude moderatissimi animi accepta, plerisq; etiam lacrymas excussere. Quom vero,vt liberius consultarent,è conspectu abiturus assurgeret: voces vndiq; auditæ asseuerantium,neminē magis interesse oportere: quandoquidem eo vsq; afficeretur rebus ipsorum, vt amplitudinis,& gloriæ suæ videretur oblitus. Vel ex eo dignissimum esse,quem regem apud se vellet, quod salutem regni anteferret cupiditati regnandi. Non tantū sperasse,quando elegerant. Nunc veram in eo fidem regiamq; virtutē experti non cōmissuros,vt prudentiores in eligendo,quam constantes in conseruādo sibi rege fuisse dicerentur. Et iam rursus Vladislaus assederat, cū cæteris haud sane ciuiliter,neq; in consultantium morem studia sua efferentibus silentium fecit exaudita vox Huniadiani. Ille peregrini regis euocationem contra imminētia discrimina,velut in necessitatem reiiciens; ne prius, quam postumus coalesceret,aut externo bello, aut domesticis seditionib. regnum succumberet: quicquid in eo eligendo,actum dictumue esset, consilia tempori accommodando, liberate factum: si quid contra ab aliquo tentatum; aut humano errori,aut superuacuę fidei erga regiam stirpem ascribendū prius asseuerauit. Tum satis se scire,inquit,supra muliebrem sexum,constantem reginā esse: verum haud facile desciscere ex toto à naturalibus affectibus. Nata sibi, præter spem,virili prole,indulgendū,vt matri,si pro filio sollicita foret: si quæ saluberrima sibi,ac regno essent non prospiceret,tolerandū in fœmina. Non alios ad eam conuenisse quā quibus tanti incepti vtilitas, nondū satis intellecta foret: quos publicæ opportunitatis ratio ad Vladislaum congregasset,explotatā iam virtutem eius in fide retenturā. Eosq; etiam ipsos,licet haud sane multos, errore iudicandi,aut officio erga reginam in diuersum abstractos,plurimorum consensum reuocaturū: facileq;,vbi noui regis tam singularis animi corporisque dotes vulgarentur,sese illi dedituros. Longe maxima difficilioraq; transacta. Teneri iam Budam sedem regiam: tum comitem Ciliæ,cuius vnius spē maxime regina elata ad tumultuandū foret, fœlicitate publica in potestatem datum. Reliqua sine armis,sine cęde,ac sanguine in ditionem ventura: nō futuros qui vim potius,quam clementiam regis vellet experiri, prętertim quod longe impares viribus, nedum victoriæ,sed ne tuendi quidem se, spem concipere possent. Non facturum regem ex instituto grati animi,si adeo de se bene meritos, in eo tumultu destitueret. Præsertim quod longe plus periculi,ex discessu suo immineret. Nam & reginæ partes quosdam pertinacius subinde defensuros & quos ratio publicæ salutis ab illa abduxisset,acrius in ꝓposito permansuros. Facile Turco fore, mutuis seditionibus occupatos,& à defensore destitutos aggredi,& expugnare. Sed vt cum regina in gratiam omnes rediissent: sine duce,sine capite, tam grauis belli impetum minime laturos. Fieri

Digitized by Google

posse, vt aut tædio, aut pudore muliebris dominatus, se ad alium quempiam conuerterent, in cuius potestatem venisse Hungariæ regnum, Poloni postmodum grauiter ferrent. Sed neq; honestum regi apud suos, alienosue talem reditum fore. Nemini verisimile appariturum, ob aliam causam tam inclitū regnum omissum, nisi quod aut regere, aut tueri posse desperasset. Rogare per salutem vtriusq; gentis, & regni, vt in proposito perseueraret, & bene initum solium vtriusque nationis constanter expediret. Omnia breui, & quieta sibi, & libera fore. Qui adessent scire satis paratos iam tum præsentem ipsum denuo regem dicere, ac constituere, & iureiurando fidem, atque obsequium despondere. Non altius verba, quam auctor in animum descenderant Vladislai, propter insitam eminentemq; in viro animi indolem. Sed & subsecutæ vniuersorum acclamationes, flagitantiū, ne se in tam discriminosa conditione desereret, & cum dicto, vnanimi consensu cōmittūt, deduntq; se, ac sua omnia illius fidei & auctoritati, decernuntq; ipsum regem iterum, & cooptant. Nec mora, cœpta est eius coronandi cōsultatio. Sed occurrebat difficultas vetustæ consuetudinis, & ad id temporis religiose obseruatæ, quod sacra, ad eam rem, corona in potestate reginæ erat. Nec placebat committere, vt videretur, ad eiusmodi solenne, in qualibet corona tantundem momenti inesse. Itaq; quom neq; spes foret, persuaderi, aut cogi subito reginam posse; nec vellent cærimoniam coronādorum regum vulgari per nouas coronas: ad illam, quæ maxime propria sacræ apparebat, confugere: cōstitueruntq;, pro temporis, ac rerū necessitate, vti ad eam rem corona, qua S. Stephani primi Hungariæ regis caput exornatum religiosissime seruatur, ceu veræ virtutis exemplar, atq; incitamētū post ipsum regnaturis. In ea disceptatione multa probra iactata in Ladislaū Garam, cuius maxime permissu regina coronam sacram interceperat, ægreq; à vulneribus, & cæde temperatum, intercedente rege, propter fidē accedendi se libere obligatam: captus tamen est & custodiæ traditus. Cumq; rex deprecaretur, & fortunæ se, quam fidei iacturā facere satius diceret, vix, post triduū, vt liberaretur impetrauit. Amotus est tamen præfectura Visegradi, subrogatusque in eius locum Vincentius Sciamatuleus. Reginam interea, quom se orbatam consilio, actionesq; suas magna ex parte debilitatas videret, capto abductoq; in custodiam comite Ciliæ, & labante iam suorum fide post defectionem Strigoniensis, id quod minime in tanta muliere suspicandum arbitror, sunt qui insimulent ad fraudem animum adiecisse, propositaq; ingenti mercede, si facinus transigeret, adegisse quēdam ex suis, quem sibi inprimis fidum credebat, vt Budam se conferret, & Vladislaum quoquo modo veneno extingui curaret. Sed cupiditas eadem, quæ leue ingenium ad partes suscipiendi facinoris adegerat, compulit etiam, vt rem Vladislao aperiret, spe cumulatioris remunerationis, quam foret pretium, quod pro scelere contempsisse videri volebat. Id seu non crediderit, seu credere dissimulauerit, ne, si veneno in se grassatam reginam affirmasset, spem omnem recōciliationis in posterum excluderet, Vladislaus hominem execratus tanquā scelestum, & falsa indicantē è conspectu suo abire iussit. Verum primores procerum, vbi nefas, quod attulerat agnouere, per omnes cruciatus excarnificandum, robustissimorumque deinde equorum caudis alligandum, distrahendumq; in partes quatuor tradidere, iustissimas ab eo pœnas exigentes, siue vera, siue falsa detulisset. Itum deinde Albam Regalem, vt Vladislaus coronaretur. Quo perlata iam erat, ex Visegrado arcula, in qua custodiūtur ornamenta ad cærimoniam coronationis religiosa. Quibus in medium prolatis, adiecta est, prout conuentum statutumq; erat, S. Stephani corona. Proditum memoriæ est, quom primum Hungaria regni nomen accepit, sacram coronam induuiasq; initiandis regibus, religiosas S. Stephano primo regi à Romano pontifice cælitus monito destinatas, seruatasq; deinde solenni custodia, veluti faustum auspicium futuris regibus, eadem qua ille regni fœlicitate coronādis. Ordinem vero ritumq; initiādi illic reges talē vetusto more seruari: Sacrificante, qui in Hungaria summus est pon-

Digitized by Google

ēst pōtificum,circumsistētibusq; omnibus,ad quos regis pertinet nominatio, in templo,quod augustius est,in Alba Regali ad altare sistitur.qui est rex futurus. Statimq; à canonicis exuitur, deinde pontifex precationes solennes præit quibus regno regiq;,cuius caput dextra tenet, Deum propitiet, veniamq;, & pacē impetret,vt publice, ac priuatim sibi, oppidis, vicis, ciuitatibus,populis, nationib.fauste,ac fœliciter ineat,geratq; regnum,facultates,fructusq; multiplicet,fines & imperiū propaget,auctoritatem deniq;,& gloriam augeat. Tū manus eius,dorsumq; arcano,oleo perungit,& mox vestiri iubet. Ornato deinde sacris induuiis,crucem inprimis tradit,per quam significari volunt, ius apostolicæ legationis in designandis episcopis ab ipso initio regibus Hungariæ permissum ab Romano pōtifice. Deinde sceptrū,pomūq; aureū,& vexillū regia insignia exhibet,& vniuscuiusq; inter tradendū sacris verbis interpretationem prosecutus,tandē prolatis in mediū regni legibus,institutisq;,exigit,vt in verba ipsorū iuret. Ille vbi in quæ concepit pontifex verba iurauit, illico coronatus,suggestū ad id præparatum conscendit,& plerosq; in equestrē ordinem cooptat,vt intelligatur regnum ab armis auspicari,nihilq; prius,maiusue apud reges esse oportere,quam rationē incrementumq; militaris disciplinæ: cætera ornare,illam tueri,& augere imperia. In eodem apparatu postea procedit ad templum diuis Petro,& Paulo consecratū: ibi in tribunal se recipit,& controuersias aliquot audit,& decidit,vt secundū rem militarem,iustitiā, præ omnibus,colendā & sciat,& doceat. Tandem sublatus in equū postquam ciuitatem lustrauerit,progreditur extra portam ad diui Martini ædem, turrimq; illic altissimā conscendit,& quam maxime potest,protenso extra turrim brachio,ad quatuor mundi partes nudatū ensem porrigit,quasi vndiq; regnum tutaturus aut certe illius fines,& ditionem propagaturus. Vbi vero in ciuitatem rediit: solennia conuiuia celebrantur,strepuntq; publica gratulatione viæ,ac domus omnes. Quibus omnibus,vbi archiepiscopus Vladislaū de more coronauit,rite,atq; ordine seruatis,postridie,ex vniuersorum,qui conuenerant sententia, cōstitutum,vt corona S. Stephani cum sacris induuiis reconderetur, asseruareturq; ad futuros reges initiandos,si non contingeret recuperari sacram. Abrogata deinde postumi coronatio,&,ne quis eum pro rege duceret, edictum. Agriensi episcopo,cuius, vsq; ad inuidiam, auctoritas, apud Vladislaum,eminebat,nouum sigillum regni commissum,& in qua fraus,errorue cōmitti posset,veteris sigilli fides exauctorata: pronunciatumq; ad populum,ne literis vllis prȩterquam nouo sigillo signatis crederetur: præterea, vt omnes immunitates,priuilegiaq; à priorib. regibus concessa,eiusdem sigilli fide confirmarētur: multorum,qui de regno,aut de rege benemeriti,dignitas,& conditio adaucta: cæteris spes facta,modo se dignos exhiberent, in quos liberalitatem suā rex exerceret. Paulopost,quom haud magni discriminis negotium superesset, pacandis reliquiis tumultus ab regina concitati: satisq;,sine externa ope,viriū affuturū constaret: plurimi Polonorū cum bona regis venia retro in patriam abiere. Regina vero,cognita Vladislai coronatione, multis, dirisq; imprecationib. Hūgaros execrata,quod in re simili longe dispares se Polonis exhibuissent. Ab illis namq; impuberem regem,cum summa fide educatum,nec solum intra paternū regnum cultū sanctissime, verum etiā cum suarū rerū discrimine,strenue productum ad possidendum aliena: ipsos vero legitimum dominū paulo ante ab se coronatum, Alberti regis filium, & eundē Sigismundi nepotem,per summum scelus,paterno,& auito regno exturbare,peregrinūq; apud se,præter ius,fasq; regnaturum admittere. Et quia virium plus haberent, pro libidine sua, tum fœminæ sibi, tum infanti regi, quos, cum maiorum meritis & sexum,& ætatem tutari oportuit,insultare, oblitos vindicem Deum longe magis,quam ipsos posse,ac pollere: submissisq; deinde,qui clam circumeundo ciuitates,quoad fieri posset,populorum in fide manentium animos confirmarent, consiliumque suum illis aperirent,in Austriam cōmigrauit,& Friderico imperatori paruulum filium sacramque Hungariæ coronam commendauit.

Qui, vtpote patruelis, curam postumi, & coronam haud grauatim suscepit. Ipsa deinde freta nonnullarum vrbium constantia & fide, non destitit procerũ quoq; voluntates clandestinis nuntiis ad se acclinare; cum Australibus vero, ac Boemis congregandi exercitum consilia inire; vt quoquo modo Vladislaus ex Hungariæ regno exturbaretur. Interea Turcus, per occasionem intestini belli, Hungariam facile ab se occupari posse ratus, Belgradum oppugnare adoritur, & quom parum vno, atque altero impetu profecisset, obsidendo in potestatem redigere volebat. Id oppidum inter Danubium Sauumque vbi commiscentur, sic est situm in cliuo vt ab vtroque amne inferiora eius abluantur : siquidem qua Eurum spectat in ripam vsque late proneque deuexum, desinit in Danubium; qua Austrum excipit Sauus allabitur : reliqua ipsius per cliuum extensa, muro, & fossa velut diuiduntur à continenti. Itaque fabricatis nauibus, quibus, in vtroq; flumine, adhibita custodia, tam subsidia, quam commeatus arcerentur, interciperenturq;, Turcus castra ex diuerso sic metatus est, vt nemo omnino ab obsessis emitti, induciue posset: sibi vero, quoties libuisset, murum aggredi, ac tentare facultas foret. Nec subinde destitit aut opplere fossas, aut machinis quassare muros; coædificatis etiã ligneis turribus è regione propugnaculorum arcis, ad defensores è muro exturbandos: quom interim sui quoq; inopia commeatuũ afficerentur, neq; appareret diuturnam moram obsidionis toleraturos: quandoquidẽ passim in exercitu exaudiebantur querelę fame extabescentium; solumq; id, ne iam tum oppugnatio intermitteretur, retinebat, quod desperato suorum auxilio, propter intrinseca certamina, quibus regnum agitabatur, minime credibile erat, oppidanos diutius se defensuros. Præfectus iampridem cum valido illic præsidio erat Ioannes Vranus vir audax, & rei bellicæ peritus: quippe qui Florentia ortus, Tusco ingenio Hungaricam ferociam adiunxerat: & constabat, strenue oppidũ defendi vndiq; Sed quũ veluti de porta regni, ea in oppugnatione agi omnes sentirent: Vladislaus, quom censuisset Turci conatus retundendos: dum copias colligeret, instrueretq; memor expetitæ paulo ante ab se amicitiæ, oblatique sibi sponte in rebus suis difficilibus auxilii, ante omnia per legatos de dissoluenda obsidione agendum putauit. Missi igitur Dobrogostius Ostrorogeus, & Lucas Gorcensis, qui, renouata memoria legationis vltro Cracouiam missæ petitum fœdus, atq; amicitiam, cum asseueratione submittendę opis ad Boemiam expugnandam, si ex vsu suo Polonus esse censuisset: profiterentur, meritum adeo benignæ in se voluntatis tam alte in animum Vladislai descendisse, vt bellum, quod inferebatur non prius armis propulsare voluisset, quam vicissim pacis, & beneuolentiæ mutuæ consilia proponeret. Itaq; si Turcus abstinere vellet ab infestanda Hungaria, quæ, Deo, atq; hominibus volentibus, iam Vladislai facta esset, facile fore, vt de fœdere conuenirent: in quo ineundo seruandoq; daturum Vladislaum operam, ne pacis studio, aut officiorum commutatione inferior deprehenderetur: qui si arma mallet, & vires experiri, annixurum, ne illis etiam quoquo modo se vinci cõtingeret. Turcus vbi ea audiuit, legatos, quasi subducerentur ab omni occasione iniuriæ inter tot armatos infestosq;, & commodius, dum deliberaretur, habitarent, Sinderouiã perduci commisit, certus secum omnia prius experiri, & tentare, quam illis responderet. Itaq; deditionis spem prius aggrediens, captatis colloquiis, maiore, quam aliquando ambitu, ad defectionem sollicitare cœpit: sed & literæ ingentia defectionis præmia continẽtes sagittis illigatæ à militibus, passim supra murũ in oppidũ excutiebantur. Verum, vbi nihil pacati ab vllo respondebatur, aduocata concione : Pax, inquit, cuius ab hoste mentio illata est, detur, nec nelicet in me situm intelligam, placet tamen & sententiam vestram, milites, cognoscere, quandoquidem id bellum gerimus, in quo cum fœlicitate humana, cuius ego principatum apud vos teneo, periclitatur etiam religio, sanctitasq;; quarum tutela, & cura ex æquo ad omnes pertinet, quippe quod, vt multum fortuna viuendo differimus, sic eandem, post obitum

omnes

omnes beatitudinem speramus, Itaq; velim cuncta, quæ dixero sic à vobis accipi, vt quæ, non à mea, sed ab vniuersorum publica opportunitate proficiscũtur. Nam, quod ad me priuatim attinet, tantum in Asia, tantũ in Europa possideo, vt, quod abominor dicere, pars altera minime pudendum regnum videri queat: conseruandisq; meis plus curæ, quam operæ subigendis alienis, fortunam meam fortasse insumere decet: vestrum magis est, videre, an sua cuiq; sufficiant, & quam rata ea diuturnaq; sentiatis: præter id, quod, cum humanis fortunis, sacra & diuina omnia sunt à vobis aliquando omittenda, si vltro nunc arma depoluerimus. Petit enim hostis à bello absisti, & tum demum de pace conueniendum censet. Omitto indignitatem, quod obsidentibus, armatisq;, obsessi, & inermes, fortibus, & exercitatis, imbelles, ac desides pacem pollicẽtur. Omitto quantum laboris molienda obsidione, construendisq; operibus, quantum deducendis, fabricandisq; nauibus sit exhaustum: quæ omnia hostis quasi vinctos nos, inclusosq; iã teneat, deseri iubet. Bulgaria omnis, & Rasciæ pars maior armis nostris iam pridem paret. In Seruia etiam pleraq; ditionis nostræ fecimus. Quæ omnia vel retinenda sunt, vel vna cum illis cætera quoq; in Europa possessa relinquenda. Quicunq; (quod plane etiam hostis intelligit) habuerit in potestate oppidum, quod obsidemus, habet non solum veluti quoddam pignus, & stabilimentum rerum suarum, sed arcem etiam, & munimentum efficacissimum alienis subigendis. Scissum est inter se nunc regnũ, laboratq; domesticis seditionibus: nec tantum virium adiecit res Polona illi coniuncta, quantum detrahunt intestinæ factiones. Hac pacis mentione, facultas tempusq; illis sedandis quæritur: vt nos, integris geminatisque subinde viribus aggrediantur: si, re infecta, obsidionem dissoluemus, facile nectendo causas, tamdiu de pace non consentient, quoad certaminibus domesticis, aut Vladislai fœlicitas, aut Hungarorum voluntas, & ratio sanior finem imponet. Quas fœderis conditiones demum inter se cõciliati, & contra nos armati exigent, quando nunc, mutuis discordiis periclitantes, & armis nostris pene oppressi, tanquam acie vicissent, oppugnationem prius omitti, quam de pace agi æquum censent? Aures nunc obtundunt superbæ petitiones de restituendis Bulgaria, & Rascia: tum de cæterarum regionum vrbibus, labore, ac periculo nostro expugnatis. Quod si facere noluerimus, bellum, quod aduersus discordantes inter se, mutuisq; certaminib. occupatos, per occasionem nostrã nunc gerimus, inferent nobis non solum vnanimes tunc Hungari, sed adiecti etiam illis Poloni. Quod etiam si, pacis studio, tam pudendas, & miseras restituendo rum omnium quæ repetent conditiones suscipere possemus: nunquid contentũ suis Despotum quieturum postea putamus? cuius animus (certum habeo) elatus coniunctione inter se virium duorum adeo præpotentium regnorum, non solum recuperandis amissis imminet, sed quicquid vbiq; in Europa nostrum est, iã nunc spirat. Non prius sibi satis factum putabit, quam, adducto contra nos Hungarorum Polonorumq; impetu eandem, ferro, atq; igne sæuiente, in agro nostro vastitatem intueatur, quam à nobis in suum illatam prius vidit. Quod si belli fortuna (omen auertat Deus sed tamen fieri potest) consiliis eius affuerit, præter omnia fœda, & indigna, quę ab irato victore timeri debent; pium, sanctumq; apud eos est, dira infandaq; in gentem nostram exercere, nisi à sacris religionibusq; nobis à maioribus nostris traditis desciscamus, in nouos incredibilesque ritus degenerando: neq; vllo sacrificii genere, aut obsequio Deum conciliare sibi facilius, efficaciusque arbitrantur, quam si templa, quæ colimus diruant, & profanent: si sacrosanctis arcanis, & cęremoniis illudant: si numinibus, & sacerdotibus nostris insultent. Atq; vt omnem rabiem, qua in nos, & nostra sacra grassantur deprehendatis, inter sanctos referunt omnes, qui nobiscum pugnando trucidantur. Non est, milites, quod per vanam spem pacis expectemus, dum colligit vndiq; vires, dum se armat is hostis, qui non prædã, aut humanam laudem, sed immortalitatem ipsam præmium victoriæ ponit. Longe plus laboris exhaustum est, quam superfit.

Digitized by Google

Foueas tumultuario opere oppleuimus, & propugnacula ereximus, quæ muro imminent: cuius etiam partem machinæ solo æquauere: vt semicaptum iam oppidum esse videatis. Et id sane oppidum, per quod nostra omnia tuta, pacataq; nobis reddantur, hostibus vero sua infesta, prædæq;, ac populationibus nostris exposita remaneant. Si parumper annitimini, si fœlicitatis virtutisq; vestræ memores, cogitabitis, delubra, sacra, religiones, cæteraq; diuina, & humana fundare vobis, quando cras hostilis muri fundamenta demoliemini, vicimus, milites, non in præsens modo, sed in perpetuum. Quod si nihil aliud, quam certissimam rerum nostrarum securitatem hoc certamen esset nobis pariturum: satis dignum præmium esset, pro quo pericula omnia subire alacriter, mortemq; etiam ipsam fortiter lacessere deberemus. Sed vt victoria hæc, nostra omnia, velut septo quodam, & muro nobis munit, sic hostilia ad prædam patefacit, ac denudat. Hactenus cum natura luctati sumus, in confragosis præruptisq; Bulgariæ & Rasciæ montibus: fames, sitis, labor, desperatio vincenda fuit: vicimus, non alia mercede illecti, quam vt beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingeremus. Hinc iam militiæ nostræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruentum est: quibus patefactis, non saxa inaccessa, non inuiæ solitudines emetiendæ nobis, sed per loca, natura ipsa, & humano cultu longe amœnissima ingrediemur. Hominum iumentorumq; omnis generis alimenta passim, non ad necessitatem, sed ad luxuriam, cum vbertate soli temperies cœli, aquarumque abundantia suppeditat. Quicquid alibi operosa cura vix educat, illic sponte sua fert terræ benignitas: vt credi possit, naturam colendi agri cæteris regionibus exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluisse. Sed neq; vsquam liberaliorem indulgendis diuitiis fuisse constat. Aurum enim, quod alii mortales rarissimis in locis laboriosissime effodiunt, Hungari, velut quoddam virgulti genus, etiam pullulans decerpunt. Vestrum est, milites, an ad ea omnia perpetuum vobis aditum cras aperire, an hostibus, ad vestra patefactum relinquere velitis. Memineritis subeundo murum, omnem beatissimæ fortunæ opulentiam sine alio munimento, sine præsidio, sine custode, post illum, vobis ad prædam expositam: à tergo vero esse liberos, coniuges, lares vestros, delubraque, & religiones, simul & victoriarum vestrarum præmia. Quibus, nisi oppidum transcendatis, ira, & libido, quantum victoribus licet, per omnia dira, & nefanda mox sit insultatura: ego, prout vos pugnantes videro, quam mentem vel ad imperandum vel ad seruiendum habeatis, simul quid superbissimis legatorum postulatis respondendum sit, intelligam. Vos interim curate corpora, &, quæ ex vsu sint, cum armis expedite, vt simul cum luce cras murum aggrediamur. Digressi milites à concione, non secus, ac si, cum victoria, propositam quoq; eis prædam iam tenerent, alacres epulati, quod noctis superfuit, vt ad certamen vegetiores assurgerent, quieti dedere. Vbi illuxit, ad murũ producti, malleolos, cratesque æquando itineri, per fossas, ligno, ac cespite coniecto, iampridem tumultuarie oppletas, nec minus scalas, & vectes, cæterumque exscindendarum vrbium apparatum ferentes procedebant, quom interim qui ex turribus ligneis pugnabant, haudquaquã defensores in muro consistere permitterent, & crebris sagittis hostẽ impetendo, prope ociosum accessum suis exhiberent. Quod haud sane omnino ægre ferebant, oppidani. Certi enim fore, vt Turcus vim experiretur, si deditionis spes non succederet, dum ille ad defectionem allicit, ipsi partes oppidi ad flumina porrectas contra naualem impetum, hominibus propugnaculisq;, & machinis ignem, aut lapides excutientibus, tacite firmauerant. Ex parte vero altera quantum muri tormentorum vis aperuerat, rudere simul, & gleba strenue prope ad iustam altitudinem coædificauerant. Et per noctis silentiũ, pice, oleo, sulfure, incendiarioque puluere, quantum copia fuit, ligna imbuerant: quæ temere in fossas prouoluta erant. Tũc cætera omnia, quæ aut res, aut cogitatio subiecit adminicula defensionis, prouiderant parauerantque, nec in armis modo, & missilibus, sed in

obsequiis

obsequiis quoq;, & parendi studio. Itaque quom eo incautius, quo licentius Turci ad murum properantes constitissent in cratibus, quibus iter substrauerant: coorti repente è muro oppidani faculas, aliumq; multipliciter paratum missilem ignem contorquendo, terrorem ingentem prius, mox haud minorem stragem intulere. Excitato pluribus in locis incendio, & vno veluti momento, per omnem, quam calcabant materiam sic propagato, vt neq; in eodẽ vestigio impune perseuerandi, neq; progrediendi neq; regrediendi facultas esset: tetra ibi luctatio formidoq;. Nam turres etiam ignem conceperant, trepidabaturq; in castris, in quæ fumum flammamq; conuoluebat aura, quã matutinis temporibus flumina exhalant. Quæ res ab incendio oppidum immune seruauit. Ruptis igitur conturbatisque ordinibus, quisq; saluti suæ expediendæ intentus circumspectare vndiq;, arma abiicere, & qua propius liberiusque effugium in tanto malo apparebat, excursare. Sed ignis tam suo, quam auræ impetu temere, per materiã incendio præparatam, volitans, aut fugientes perstrictis in cursu neruis, retinebat, aut exitum, per quem effugere properabant, præueniendo occupabat. Sed & quibusdam fumus prospectum ad fugã, quibusdam conturbatio etiam mentem abstulerat. Absumebanturq; passim ab igne, quasi subitum nouæ rei discrimen immobiles reddidisset. Pauci ex vltimis ordinibus, & iidem ambusti, debilitatiq; in castra refugere. Cæteros ingenti numero consumpsit incendium, cum reliquo totius oppugnationis apparatu. Neq; vero à nauibus fœlicius pugnatum: quarum nonnullas vis lapidum tormentis emissa dissipauit, nonnullas ignis implicuit, reliquas fere aut remigum gubernatorumq; consternatio, aut conatus recipientium se, à periclitantibus ad integras naues, quam longissime ab oppido naufragas exegit. Ea clade perculsus Turcus, quasi non ope, aut consilio humano, sed ab numine aliquo suis inflicta esset, grassanteq; etiam fama supra quam sine tumultu, atq; adeo seditione in exercitu ferri iam spes esset, obsidionem dissoluere cõstituit: Sed & fama erat, exercitum satis validum congregatum iam à rege ad Segedinum, accursurumq; propediem. Tamen ne animandis hostibus signũ aliquod trepidationis ostẽderet, legatos in castra reuocatos minime benigne allocutus est, asseuerans, se tum demum pacis mentionem auditurum, si Vladislaus cessisset ea particula Rasciæ, quam tenebat, & Belgradum sibi, velut obsidem pignusq; fœderis vacuum tradidisset. Abscessurum se tum quidem ab obsidione, vt consultandi spatium Vladislao exhiberet. Suadere, vt mallet ea conditione in amicitiam recipi, quam negando pauca, quæ postulabantur, de summa vtriusq; regni disceptare. Petere se ea, quæ iure belli sibi deberentur, priusquam Vladislaus foret in Hungariã accitus. Non potuisse Hungaros, quod ipsi non habebant, ius in alium transfundere. Si Vladislaus perseueraret malle de alienis contendere, quam sua quiete possidere, affuturum se in tempore, & secum vna inspectorem vindicemq; iustitiæ Deum. Ea denuntiatione, tum etiam, quia domi haudquaquam otium ab regina fore apparebat, rex adactus est mittere in Poloniam, nuntiatum, quo in statu res Hungarica esset, & quæ belli moles à Turco immineret, petitumq; vt miles, & pecunia in stipendium mitteretur. Decretus est ad eam legationẽ Sanoceus, cuius eloquentia non minus, quam rei necessitas persuadebat, facile posse postulata impetrari. Polonorũ primores, sub aduentũ ipsius cõuenerãt Corcinũ: quos ita allocutus perhibetur: Referre vobis, quæ in Hungaria fœliciter transacta sunt, & quã non lõge absumus, vt difficilibus omnib. superatis, nostra ociose, aliena vero vtiliter, ac tute possideamus, intelligo esse hominis, qui sit oblitus, quanta animi magnitudine, etiam per omnia discrimina, regnum illud obtinendum censueritis, simul putantis apud animum vestrum plus consequendæ dignitatis cõmoditatem posse, quã gloriam. Nunc quando adhuc insonãt auribus meis magnifica decreta vestra, nullius vel laboris, vel periculi habendam rationẽ; non modo fortunis, sed sanguine etiã, ac vita, adiunctæ rebus vestris Hungariæ laudem paciscendam; non dicam prope esse, vt regis vestri

Digitized by Google

virtus,& fœlicitas voti cōpotes vos fecerit: Eperiessum interceptum, & Budam caput regni obtineri, tum comitem Ciliæ, à quo omnes actiones consiliaque reginæ in primis pendebant, captum, vinctumq; sub custodia esse; à Despoto autem, & rege Bossinæ legationes aduenisse petentes amicitiam, & obsequium pollicentes; præterea omnes pene Hungaros optimates fortunæ regiæ se dedidisse imperata facturos; archiepiscopūq;, & cæteros, qui in primo tumultu reginam secuti, rursus ad nos defecisse, & mox eorum omnium, quorum maxime interest, consensu, cum solenni cærimonia illic quoq; regem nostrum coronatum, iam eo vsq; formidabilem omnibus, vt ad primam eius denuntiationem Turcus ab obsidendo Belgrado discesserit; reginam vero, desperatis iampridem rebus, trepide cum filio in Austriam profugisse, relicto modico præsidio Iaurini, & ipsum à nostris obsideri: pauculas deniq; alias ciuitates, quæ se in euentum muniuere, magis vestrum, quam reginæ nutum respicere, & iam minimo conatu illic debellari posse. Ista & alii prosperæ fortunæ successus iactentur apud illos, quibus non decus, non gloria, sed cupiditas bellum suscipere persuaserit. At vobiscum sic agam. Peruulgata est non in Europa solum, verum etiam in Asia fama susceptæ à vobis conditionis, conseruādi tuendiq; Hungariæ regnum; & tam illi, qui inceptis vestris fauent, quā qui aduersantur, suspenso animo sunt in euentum. Vident omnes qui religionem nostram profitentur, in manu vestra situm esse, stabiliatur ne in perpetuum, an paulo post intereat Christianum nomen. Contra fore sentiunt profani, vt eorum superstitio aliquando deleatur, ipsi vero Europa omnino exterminentur, si tanta constantia suscepto negotio affueritis, quanta animi magnitudine suscepistis. Nolite committere, vt aut hi timuisse, aut illi sperasse frustra videantur. Quom sententiam de iis, quæ rex postulat dicetis, cogitabitis, vos esse velut in theatro humani generis. Innumerabiles populos, infinitas nationes vos circumstare, expectantes, quam fortunam, quam cōditionem sibi liberis, coniugibus parentibus, rebusq; charis aliis, tum aris, templis, religionibus, & sacris ab hodierna die repromittant. Cogitabitis à decreto, quod feceritis, nō Hungariæ statum, sed totius pene terrarum orbis pendere: prout hoc, vel illud decernetis, ita, his aut illis regionibus, & gentibus diuina omnia, & humana rata esse permansura. Licuerit fortasse vobis recusare, quom postularemini. Nunc haud liberum est, non perpeti, & facere omnia extrema, priusquam ingenti animo susceptam tantarum rerum curam deseratis. Antequam in Hungariam regem vestrum mitteretis, consentiens ipsa inter se suis viribus, suis opibus multos annos, veluti murus, ab aliis Christianis regnis. Turcorum impetum submouit. In eius vicem vos successistis, & cum ipsius tuendæ negotio, Christianæ quoq; reipublicæ tuitionem subiistis. Pedem referre neq; fas est, neq; expedit, quando eo peruentum est, vt cum Hungaria etiam vniuersa res Christiana aut prodenda sit, aut conseruanda. Non vacat referre, quam multi pro dignitate patriæ vel augenda, vel retinenda vltro se morti obtulere: quam multi etiā, vnius à se seruati ciuis gloriam, quam vitā maluerunt. Quod si pro vnius aut ciuitatis maiestate, aut ciuis salute, bene impenditur vita, estque id gloriosissimum: quanto comparanda est laus, qua vos omnis mortalitas efferat necesse est, non vna ciuitate, sed multis regionibus, ac regnis, non vno ciue, sed innumerabilibus gentibus, ac nationibus conseruatis? Longe, vt sentio, minus præmium vobis proponebatis, quom de mittendo illuc rege ageretur. Et tamen, quū difficilia multa domi forisq; obiicerentur, maluistis cum omni periculo, eam, quā tunc videbatis gloriā quærere, quā tuto necessitatibus vestris incūbere. Quod si tantū sperassetis: exiguum, me hercule, tam immortalis gloriæ pretiū visum foret, nō sua cuiusq; salus, sed cum fortunis omnibus, liberorū quoq;, ac parentum vel vita, vel libertas. Sed, Deo propitio, non capitis, non libertatis à vobis subeunda dimicatio. Paucis militibus, & haud magno stipendio, tam diuinam laudem consequi potestis, modo regem vestrum iuueritis. Id ab eo expetitur, non fortunæ suæ, non virium

non gratiæ, non auctoritatis eorum, qui se sequuntur diffidentia, sed, vt sine ciuili sanguine, aut cæde potestati suæ illic se tradat, quicquid hominum ciuitatumve magis adhuc deliberat, quam repugnat. Intelligit quam immortale odium intestina bella sequatur; quantum vel virium, vel consilii domesticæ factiones, vbi gladium cruentauerint, detrahant ad externas actiones. Videt, se sola fama subsidiorum vestrorum posse, illic debellare, & mauult beneficiis vestris integram iam nunc Hungariam debere, quam paulòpost armis suis dilaceratam possidere. Sed neque in re vestra est, regnum illud sic subigi, vt viribus prius suis conficiatur. Lacessitus est Turcus denuntiatione regis, & sic ab obsidione discessit, vt qui mox, multiplicatis viribus, & numero copiarum, sit affuturus. Si aut tum etiam discordans, aut iam tum mutuis seditionibus confectum regnũ inuenerit: maiori conatu repellatis oportebit, quàm opus sit nunc in potestatẽ redigere ciuitates paucas, quæ de se inter reginam, regemq; deliberantes, propiores sunt, vt illius res profligatas deserant, quàm vt huius fœlicitati aduersentur. Præsertim, quod earum validiores, finibus vestris obiectę, & illinc à rege, hinc à vobis prope circumsessę fiduciam defensionis habere non possunt. Quod si integris membris suis, ac viribus regnum id obtinebimus: præter quam quod, vobis securis otiosisq;, vt semper antea, & Turci impetus refringi, & res Christiana defendi poterit; licebit, coniunctis viribus, id quod Christianum nomen ab initio huius expeditionis sibi de nobis polliceri cœpit; vltro bellum inferre, & diræ gentis nefandam superstitionem non solum Europa exterminare, verumetiam in Asiam persequi, ac delere. Proponite nunc vobis, ex parte altera, regnum celeberrimum, ac ditissimum, non solum vicinum vobis, & fœderatum, sed tutelam etiam, & munimentum vestrum: addite in vos ipsius recentissimum beneficium, quod regi vestro sponte se subiecerit: coniungite cum illo Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Græciam, reliquasq; omnes prouincias Christiani nominis: cogitate vobiscum, quot in illis nationes sint, quot populi, ciuitates, vrbes, quæ publica, quæ priuata ornamenta, quot delubra, quot sacra, quot sacerdotia, quæ ciuitatum mœnia, quæ priuatorum ædificia, quam multi principes, ac reges maximi, quàm innumerabiles, illustresq; virorum, ac fœminarum ordines, quæ omnia cum rege vestro periclitentur: ex parte altera sint non multæ copiæ militum, & mediocres pecuniæ vestræ, quas rex à vobis postulet, vt suam, & eorum, quæ dixi omnium salutem libertatemq; expediat: nonne malitis, sine spe aliqua, milites ac pecunias tales perire, quàm tot, tamq; insignes res, atq; homines in discrimine versari? Quod si non ad periculum, aut iacturam expetuntur, sed ad societatem partæ iam victoriæ, laudisq; tantæ, quanta debetur tot regionum gentiumq;, ac ciuitatum seruatoribus: non videretur ex grauitate, ac sapientia vestra, nunc tandem prope partam gloriam omittere, pro qua assequenda, necessitatum vestrarum obliti, aliena tuenda vobis suscepistis. Atq; ideo in decernendo, iterum, atq; iterum cogitate, velitis ne, non solum vos, & vestra, sed vniuersam quoq; rem Christianam in tuto collocare, stipendio, ac supplemento exercitus minime multo, respectu magnitudinis gloriæ, qua immortaliter celebrabimini, conseruata, cum regno de vobis benemerito, vniuersa Europa, &, quæ in ea sunt, humanis diuinisq; rebus; an per ignauiam, & auaritiam, discedendo ab expectatione de vobis excitata, cum rege nostro, socios, & fœderatos in periculo suo nunc destituere, & mox, tanquam publici Christiani nominis desertores, ab omnibus aliis despecti, ac derelicti, à vobis vero proditi, ac desperati cum potentissimo hoste vitæ, & libertatis vestræ dimicationem subire. Vbi ille obticuit, mittenda esse auxilia omnes quidem pari asseueratione censuerunt: sed quo numero, aut pecunia, aut miles mitteretur, ea fuit disceptatio. Erant enim qui vniuersas regni vires in expeditionem decernerent, &, pacata Hungaria, statim contra Turcũ prodeundum dicerent, dum trepidus adhuc imparatusq; hæsitaret, exercitu à Belgrado, velut è naufragio ingentis tempestatis redu-

cto. Cæteri negantes oportere regnum vacuum dimitti, propter Tartaros, & tumultuantem Lituaniam, milites, & pecuniam definiebant, sed numero minime eodem. Nam qui plurimum duodecim, qui minimum, duo millia submittenda dicebant. Decretum tandem, vt his, qui sponte vellent, sine fraude esset ad regem priuatim proficisci, &, vt publicitus quinq; millia militum, cum annuo stipendio, mitterentur. Eum numerum satis tunc regi ad pacandam Hungariam fore: facileq; augeri posse, si alia necessitas ingruisset; se vero, haud quaquam exinde regni viribus exhaustis, non securos solum ab externis interim certaminibus, verumetiam paratos in omnes occasiones fore.

PHILIPPI CALLIMACHI DE REBVS GESTIS A VLADISLAO Polonorum atq; Hungarorum Rege

LIBER II.

DVM hæc apud Hungaros Polonosque aguntur, regina interim, Cassouiano, reliquisq; populis, qui vrbes suas ab initio intestinæ dissensionis communiuerant in euentum, persuaserat, vt præsidia sua contra Vladislaum admitterent: nec minus, modo suppliciter rogando, modo maxima quæq; pollicendo, principium Hungarorum animos aggressa, interdum etiam iurgando, quod immemores pristini decoris, quo dudum apud patrem, mox apud se, & maritum suum refulsissent, vni Agriensi episcopo à Vladislao posthaberi paterentur, quasi aut nobilitas, aut recte facta illius tanti essent, pellexerat, vt archiepiscopus, & Ladislaus Gara, cum plerisque aliis, rursus ad se deficerent. Itaque communicatis consiliis, vt eodem tempore Vladislaum, quem suos in patriam dimisisse sciebant, diuersis locis anceps trepidatio circumsisteret, in id conueniunt, vt regina, copiis, quas ex Austria Morauiaque, & Bohemia exciuerat, destinatis ad Cassouiam, illiusque appendices vrbes firmandas, exercendasque illinc populationes in eos, qui Vladislaum sequebantur, adauctoque præsidio Iaurini, ipsa se Strigonium reciperet; Ladislaus autem, adiunctis sibi, quotcunque ad deficiendum allicere potuisset, ex parte altera bellum excitaret, &, si fortuna cœpto suo affuisset, se ad Iaurinum cum reginæ copiis coniungeret, vt Budam simul aut expugnarent, aut obsiderent. Impigrè omnia, vt conuenerat, transacta. Et bello quidem, quod per Bohemos, Australesque conductitios, ex Cassouia geri volebant, præfectus est Ioannes Iscra acerrimi vir ingenii, ducumque illius temporis, militaribus artibus, & robore virium facile princeps, raptor, largitor, &, vt bello optimus, ita in pace haud aspernandus. Reliquum autem, quod fuit copiarum, regina Strigonii se continens Iaurinum submisit. Ladislaus igitur apud suos criminando indignandoque, quod gratia, quæ vniuersis debebatur, vni tantum Agriensi episcopo referretur; ad defectionem Hungaros incitabat. Non illius tantummodo opibus, & auctoritate accitum coronatumque Vladislaum esse; plusque in id valuisse gratiam, & auctoritatem plerorumque aliorum, qui nobilitate, ac fortunis, multisque priuatis, ac publicis ornamentis longè ante illum eminerent. Si ad Agriensis nutum spectandum, si ab illius voluntate dependendum, frustra peregrinum regem accersitum. Potuisse sine sumptu, sine tanta molitione, domi vltro ad eum summam rerum deferri. Quid euitatum in postumo, nisi curatorum, inter pares, dispar licentia, & auctoritas? Quam si vtique tolerare oporteret, multo esse officiosius, id fieri in gratiam aui patrisque postumi, quàm, pro augenda nobilitandaque re Polona. Sed & plura eiusmodi ad

inuidiam

inuidiam regis, Agriensisque sæpe, ac multum vulgo iactando, attraxit ad defectionem secum pene vniuersam eam regni partem, quæ Dalmatia continetur, tanto populorum consensu, vt paucis diebus prope iustum exercitum in armis habuerit. Vladislaum tot vndique simul oborta discrimina minime sane, pro rerum difficultate, conturbauere, sed consilio singula dimetiens, dum ex Polonia pecunia, milesq; adueniret, dum vires contraheret, quibus in omnes partes hosti par occurreret; instituit motus, in quibus minus periculi apparebat, in præsens artibus eludere, viresque illuc conuertere vnde maius discrimen (si negligeretur) affore sentiebat. Itaque belli, quod à Cassouia ostendebatur, quia confici quum voluisset, admotis ex parte altera Polonis, in arbitrio suo situm credebat, interea sustinendi curam Ioanni Pereno præfecto Chesmarchii delegauit, assignato ei milite, qui in opportuna præsidia distribueretur. Ipse, ne cui, dum abesset, nouandarum rerum occasionem daret, propter copias reginæ, quæ in propinquo erant, simul vt ad omnes suorum opportunitates, velut in medio intentus esset, Budæ se continuit. Aduersus autem Ladislaum, in cuius conatu prope coercendo, antequam aut dux imperio, aut tumultuaria turba militaribus obsequiis assuesceret, rerum omnium summam plane verti constabat, misit Huniadianum, quem, præter singularem peritiam rerum bellicarum, manu etiam strenuum, ac sermone promptum sciebat, ad eaque accedere naturalem quandam dexteritatem conciliandis sibi animis hominum, populorumque studiis promerendis; vt de concordia prius ageret, auctorque illis fieret, si forte, citra ferri discrimen, cum suis Ladislaus ab instituto se retrahi permitteret. Cæterum vt, si parum persuadendo proficeret, vires adhibere posset, adiunxit illi Nicolaum Fristatsci, & ad milites, qui sub vtroque militabant adiecit curiales suos, & quicquid copiarum, Iaurinũ, ad id locorum magis infestauerat, quam obsedisset. Profectus Huniadianus non secus, ac si omnia infesta circa essent, composito agmine, itineribusq; exploratis ingrediebatur, edicto suis proposito, quamdiu ab aduersa parte spes tota reconciliationis non excluderetur, quisq; præda populationibusq; abstinendo, sedulo operam daret, vt beneficio ad concordiam potius, quam vi ad certamen, gentis suæ homines prouocaret. Non amplius iam quinque millibus passuum aberat ab oppido Batta, quo Ladislaus se cum suis receperat. Tum vero impensius circumiens, vniuersos, & singulos monendo, hortandoq;, dextra, læuaq;, nec minus à fronte, & à tergo aciem firmauit, ne quid per occasionem ex diuerso committeretur, quod pacis consilia in irritum verteret. Tandem haud amplius, quam mille passus ab hoste se muniuit idoneo loco, vnde castra opposita minime conspici possent, veritus ne humanorum affectuum lubrica vis, prospectu suæ gentis, militum animos remolliret. Misit deinde, qui, accepta dataq; fide, Ladislaum ad colloquium inuitarent, designato loco, in quo pariter conuenirent. Ea postulatio negligenter audita, superbeque responsum: Eò ventum esse, vbi gladio, non lingua esset decertandum. Satis intellectum, antequam arma induerent, quid sibi, quid regno expediret. Si nihil vltra sibi quam se, suosq; alloquendos destinasset: inanem laborẽ regem sumpsisse. Ea, prout referebantur, productis ad concionem nunciis, Huniadianus recitari fecit. Et subinde intulit: Maluisse se laudem promereri reconciliatarum voluntatum publicæ saluti, quam reportare victoriam de hominibus ad interitum patriæ obstinatis. Nunc quando non facinoris, ad quod accincti starent, conscientia, non periclitantis patriæ discrimine, non Dei, non hominum verecundia commouerentur: stringendum esse gladium, & salutem patriæ ferro expediendam, non aduersus suæ gentis homines, sed contra immanes parricidas. Nec enim corpora, vestitum, ora, habitum, suos ab hoste secernere, sed mentes, consilia, facta, dicta: quæ omnia in illis non hostilia modo, sed etiam parricidalia essent. Ac proinde cauerent, vbi ad manum venissent, ne hebetarentur animi, & pugnandi ardor refrigesceret aspectu patrii

habitus, atq; habitudinis in hominibus equisque. Vestimenta tantummodo, & arma Hungarica apud illos esse: cætera minimè à sæuissimo hoste differre: sed & plerumq; animis æquioribus aduersus externos impetus prodeundum. Iustas belli causas multas subesse posse, & eorum, qui pro imperio, & gloria decertarent, cupiditates longe tolerabiliores. Agi enim tunc non de interitu, sed de maiestate populorum. Illos non solum, sine iusta causa, sed contra etiam fidem, & iusiurandum suum, non ad augendam dignitatem, sed ad exterminandum funditus, ac delendum nomen gentis suæ, arma sumpsisse, Quanto igitur odio stringendum ferrum putarent aduersus eos, qui temeritatem paucorum secuti, non oppugnatum, sed euersum charissimam patriam, per cupiditatem, atq; ambitionē venirent, tanto ipsi in aciem prodirent. Eripiendam ex vltimo discrimine patriam, indicandumq; sceleratis hominibus, Deum perfidiæ vltorem esse, fidem deniq; publicè, ac priuatim Vladislao datam pro salute regni, peruidorum sanguine stabiliendam. Haud magni conatus eam rem fore: tumultuariam, ac semiermem turbam ex diuerso stare non illam ducibus, non ordinibus assuetam, nec quicquam aliud in prœlium afferentem, quam malæ causæ conscientiam. Si interrogarentur, quid armis peterent, non habituros quid responderent. Eadem qua prosiliissent temeritate, ad primum statim congressum, fugam omnes molituros. Productis subinde copiis, instructisque in hostem aciem direxit. Nec Ladislaus certamen detrectauit, sed eadem ferocia, qua pridem legatis responderat, castris egressus sequentes se suos, vt quisq; primum se offerebat, ita in ordinem collocabat, magis temere tumultuantium more, quam ex instituto militari. Itaque armorum quidem genus par vtrinque erat, ordo vero, & disciplina longe dispar. In altera enim acie omnia instructa, prouisaque non ad pugnam modo, sed ad subitos etiam fortunæ casus: in altera nulla fere species militaris disciplinæ. Cæterum hos ira, illos conscientia stimulante, magno vtrinque ardore concursum, & à principio quidem aliquandiu ancipiti fortuna pugnatum: accurrentibus vbiq; ducibus, suosque, per omnia spei metusque extrema, cohortantibus. Sed quum, seruatis ordinibus, recentes fessis, integri sauciis ab Huniadiano vbique substituerentur, Ladislaiani aliquandiu extracto certamine, quum, sine intermissione pugnarent, vulneribus, & lassitudine confecti tandem referre pedem sensim cœpere. Quod animaduertens Huniadianus, Nicolao, quem ad fortuitos casus in subsidiis locauerat, signum dedit, & totis viribus adortus iam tum nutantem aciem, vtpote collectorum temere, nec castra, nec ducem satis noscitantium, quibusque tam ignotum vincendi decus, quam fugiendi flagitium esset, in fugam vertit. Multi & in prœlio, & in fuga cæsi. Inter quos plerique auctoritate, atque opibus insignes: sed nec pauciores, aut inter fugiendum, aut in castris capti. Ladislaus vero multis in locis effusam suorum fugam cohibere frustra conatus, tandem cum paucis elapsus, quum magis quæ vitanda essent, quam quibus fideret, animo succurrerent: nullibi prius se credere ausus est, quam Strigonium ad reginam, magnis obliquisque itineribus peruenit. Huniadianus vero à re bene gesta, retro qua venerat, ad Vladislaum cum captiuis, & præda rediit. Ille captiuos haud sane duriter increpitos, fideiq; & iurisiurandi admonitos, præterea cognationis, quæ, propter communia vetustæ originis primordia, inter Polonos Croatiæque, & Dalmatiæ cultores esset, quasi contra sanguinem suum arma sumpsissent, in custodiam tradi iussit. Deinde ad laudes, & munera quibus Huniadianum, Nicolaumque affecit, dignitatem etiam adiecit, declarato vtroque Transiluaniæ duce. Cæterum quia in Huniadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potissimū oppida, quæ Turcis obiecta erant illi commisit, & copiarum, quantum res tunc sinebant, assignauit; vt non solum sua defendere, sed per occasionem etiam, fines hostium transcendere, atq; operæ pretium facere posset: quod postea sæpissime fecit. Et Turcis quidem magnum de se terrorem incussit, apud suos vero ingentem

gentem spem excitauit. Multa tum prudenter tum feliciter à Vladislao constituta: virum quidem ad id negotium diuinitus delegisse, euentus tandem indicauit, vt esset, qui rem Christianam prolapsuram sustineret. Post paucos dies captiui omnes liberaliter dimissi, plerique etiam viatico aliisque rebus necessariis adiuti: qui grato animo fidelem subinde operā regi, multis gerendis rebus præstitere. Quumque pollicerentur, ex ea parte, ad quam acie debellatum fuerat, reconciliaturos se Vladislao quoscunque victoria non attraxisset: missi sunt cum primoribus eorum Nicolaus Lassouianus, & Sanoceus, vt ciuitates vna circuirent, & populorum animos à regina auertendo ad Vladislaum traducerent. Breui fere omnibus persuasum, non alia re magis, quam repetitione communium inter se primordiorum, atq; sanguinis. Nec solum fides, sed pecunia etiam impetrata in stipendiū militibus, quos, ad reprimendos conatus Iscræ, conducendos apparebat. Non enim æque feliciter ex parte illa res gerebatur à Ioanne Pereno: quippe quod Iscra, per occasionem, magnas plerumque prædas abigebat, Scepusiensemq; agrum ferro, & igne prope ad vastitatem mulctauerat: nonnulla præterea oppida interceperat, & diripuerat. Inter quæ Eperiessum, Scaruscium, Clistichium, quod aliquandiu obsessum, per cuniculos tandem expugnarat. Id oppidū in monte situm, velut specula, Cassouiæ imminet. Et pleræque illinc clades, ad id locorum, illatæ Iscranis, dum aut prædatum proficiscerentur, aut prædas abducentes Cassouiam se reciperent. Non deerat tum opportunitatibus suorum Ioannes Perenus: &, aut per insidias, hostium carpebat copias, aut in aperto illis occurrens, & leuia certamina committens, pro varietate locorum, & fortunæ interdum victor, interdum etiam victus abibat: nec segnius, aut infrequentius, quam Iscra hostilem agrum prædatum incurrebat. Cæterum quum omnia nequicquam expertus ageret, de recuperandis amissis oppidis, nullibi fortuna affuit, circumactusque est integer annus irritis conatibus. Regina autem, vbi omnes preces adhortationesque consumpserat suadendo Ladislao, vt arma rursus indueret, quia non esset viri, non sæpius fortunam aggredi, &, frustrata spe semel, statim animos submittere (nullibi enim sæpius euentum variari, quam in bello, vbi minima quæque dictu, maxima momenta excitare solerent) tandem agebat, vt instaurando exercitu pecunias sibi crederet. Sed, neque illis impetratis, Iaurinum ad suos perrexit: nec multo post, quum renuntiaretur, Boemos de præficiendo sibi rege agitare: vt in fide postumi, ac sua eos retineret, in Austriam commigrauit. Quo quum eam Ladislaus sequeretur: à Friderico captus est, habitusque in custodia, donec petentibus id impensius Hungaris, rex eum redemit, quanti Fridericus æstimauit. Interea subsidia ex Polonia petita à Vladislao, numero, & apparatu insigni aduenerant. Itaque principio insequentis anni, licet annona grauiter laboraretur, hiemsque perniciose rigeret: tamen quia festinabat animus ad pacandum regnum vndique, Vladislaus Cassouiam versus, Buda mouit. Cui, cum multo inferior multitudine, ac robore copiarum Iscra esset, nullibi ausus occurrere, intra muros se continebat. Itaque oppidis, quæ priori anno vel defecerant, vel intercepta fuerant, haud difficili conatu in potestatem redactis, instituerat rex proficisci expugnatum Cassouiam, cæterasque subinde vrbes, quæ præsidiis reginæ tenebantur: vt, si quid postea innouaretur à Turco, paribus illi viribus posset occurrere. Sed veriti Hungari, ne locorum propinquitas præberet regi occasionem transcendendi in Poloniam, vulgata fama, reginam de pace cogitare, quasi temerarium foret, bello ea quærere, quæ per concordiam facilius consequi possent, vt Budam reuerteretur persuasere, dimissa illic copiarum parte ad belli reliquias persequendas. Ab initio, quum vulgaretur regia expeditio, timuerat Fridericus, ne, expugnatis vndique reginæ præsidiis, & recepta in ditionem omni Hungaria, bellum mox in Austriam à rege transferretur, propter sacram coronam, quam apud se depositam à regina serua-

bat: ferturq; de illa restituenda secum agitasse: sed quum audisset postea dimitti exercitum, remque non per regem, sed per vicarios gerendam, ad Cassouiam: recreatus eiusmodi cogitatione supersedit. Simul & regina demissos animos extulit rursus: &, quum antea pacis mentionem vtique non aspernaretur: superbe respondit optimatum nuntiis, qui de concordia tractaturi ad illam perrexerant. Sed & pestis, quæ in regno grassabatur, præsertim Budæ, vbi eius mali vis adeo sæuiebat, contactu, & curatione ægrorum vulgante morbos, vt quotidiana tantum funera oculis, desperatio vero, & mors, omnium animis obuersaretur, faciebat illi spem, tantisper fore otium à bellicis rebus, dum commode præparare posset, ea quæ esse vsui ad partium suarum vires instaurandas, arbitrabatur. Vladislaus tamen, vbi à regina pacem sperni percepit, nihilo segnius edixit, vt Cassouia oppugnaretur. Inde Ioannem cui à Galero cognomen fuit, cum non exigua peditum, atque equitum manu misit, vt se coniungeret cum præfecto Chesmarchi, &, communicatis viribus, & consiliis, Iscram subinde, quocunque se recepisset, aut exturbarent, aut obsiderent. Iscra vero, quum ciuitates, quæ à regina stabant, regia vectigalia volentes iampridem illi penderent, & percuteretur moneta Cremnice sub titulo, & nomine postumi: nouas copias ex Bohemia conductas veteribus suis adiecerat: non tamen regio exercitui adeo par erat, vt, si occurrendum esset, viribus fideret: sed in omnes occasiones Cassouiæ intentus expectabat, quo se potissimum regii conuerterent. Inclinata itaque illuc belli mole, summa vi vtrinque & oppugnabatur, & defendebatur. Et ab initio quidem eruptiones crebræ fiebant ab Iscranis, committebanturque leues pugnæ, in quibus ex vtraque parte multi cadebant. Sed non tam facile oppidanis, quam regiis erat, interfectorum supplementa substituere. Itaque quum numerus apud eos in dies minueretur, appareretque, haud satis virium tuendis mœniis, in vltimo discrimine, affuturum: raro admodum, & non, nisi magna suadente occasione, Iscra cum suis erumpebat. Ad expugnandam igitur vrbem necessitatibus humanis regii animum adiecere: ductisque operibus, & munitionibus circum firmatis, inclusos pene ociosi obsidebant. Maior erat intus hominum numerus, quam pro annonæ copia. Itaque, congestis in publicum omnibus, quæ apta esui forent, præfecti sunt duo ex præsidiariis, & duo item ciues, qui cibaria in singula capita, quantum sustentandæ naturæ satis videbatur, quotidie expenderent: contrahebaturque mensuræ modus indies, quo plus temporis, & minus alimentorum superesse apparebat, donec, cogente fame, nec ab immundis quidem animalibus abstinebatur. Intolerabile suapte natura malum etiam desperatio augebat, quod non occurrebat, vnde affuturam opem aliquam sibi pollicerentur. Itaque quum manasset tumor, oppidanos de vrbe dedenda agitare: varia erant præsidiariorum consilia, idque tantummodo remorabatur fugam, quod impeditior apparebat, quam vt tuto possent euadere. Quæ quum ignorarentur ab regiis, diuturnæ obsidionis tædio affectis, vrgente iam hieme, sine commeatu elabi ab exercitu cœptum est, & in ipsius victoriæ aditu obsidio paulatim dissoluebatur: præterquam quod alia Bohemorum præsidia, quæ iis in ciuitatibus erant, quæ reginæ partibus fauebant, crebris incursionibus omnia circumuicina infestabant, vt regios ab obsidione ad tuendos suos auerterent. Nuntiabaturque, Chesmarchum oppidum non solum parum strenue defendi ab illorum incursionibus, verum etiam defectionis spectare consilia. Itaque quum regius dux videret, etiam iniussu suo, militem elapsurum, vt saltem in fide Chesmarchum retineret, dissoluta ad Cassouiam obsidione, illuc propere mouit. Sed id quoque irritum fuit. Nam pridie quam eo peruenisset: Bohemi admissi per proditionem, oppidum occupauerant. Cæterũ etsi præsidii præfectus Nicolaus Perenus in primo tumultu, cum plerisq; ex suis trepide effugerat; tamen, retinentibus, qui manserant, præsidiariis nonnullas turres, quum appareret, si affuisset auxilium, facile posse oppi-

oppidum recuperari, forte ita euenit, vt Podolinum peruenirent nouæ copiæ, quæ à Polonis regi submittebantur, ducibus Laurentio Zaremba, & Nicolao Scora, qui quum ab regiis per internuntios ad Chesmarchum implorarentur, neque dubia res videretur, quin excludere Bohemos illinc possent: petitam tamen ab se opem negarunt, seu timentes iter subinde suum impeditius reddere; si Bohemos prouocassent; seu quia prius quam ad regem, quò missi erant, peruenissent, minime æquum censebant, vllo se bellico negocio implicare. Itaq;, petitione suorum contempta, neminem lacessentes, inuicemq; ipsi ab omnibus inuiolati, Budam peruenere. Capto Chesmarcho, bellum ab ea parte conuersum est Podolinum, vbi regii præsidii præfectus erat Nicolaus Comorocensis, & vtrinq;, per omnes conatus artesque bellicas, res gerebatur: ex parte vero altera regina vbi victoriæ suorum famam accepit, dissolutamque ad Cassouiam obsidionem, & ipsa elata ad Presburgum mouit; quæ ciuitas in fide ipsius perseuerabat, & si Vladislai præsidium teneret arcem, præfecto Stephano Rosgonio: quem subito obsidere cœpit, fauentibus ciuibus expugnationemque adiuuantibus. Sed quum neque æquum videretur in suos prædas exercere, neque, si id factum foret, pro ciuili, ac militari multitudine, suffecturum commeatum appareret: populatores in Tarnouiensem agrum immittebat. Indeque prædæ omnis generis ad quotidianum vsum necessariæ aduehebantur, simul vt commode Presburgi alerentur omnes, simul vt Tarnouienses suarum rerum cladibus coacti, ab rege deficerent. Quæ omnia Rosgonius, per occasionem elapsus, & Budam profectus regi exposuit: simulque indicauit quo in discrimine res foret; nisi subito frumentum milesque, & apparatus reliquus, aut propulsandæ aut sustinendæ obsidioni necessarius, in arcem immitterentur. Eum securo animo rex esse iussit, omnia in tempore affutura: ipse quam ocissime ad præsidium reuerteretur. Nec mora, Andream Tencinensem, cum valida Polonorum Hungarorumque manu, Tarnouiam misit, qui simul suos ab incursionibus hostilibus tuerentur, simul Presburgensem agrum vicissim populationibus infestum redderent, & obsessis per occasionem opem necessariam inferrent. Ille impigre mandata exequutus, frumento, ac milite cum machinis, missilibusque varii generis in arcem submissis, illius potiundæ spem omnem reginæ videbatur ademisse. Sed & crebris populationibus, quicquid erat agri Presburgensis adeo mulctauit, vt propius obsessos, quam obsidentes viderentur. Crebra, inter arcendas populationes, vtrinque certamina ferebantur, cadebantque ex vtraque parte multi: donec actos in insidias hostes Andreas tam ingenti clade afflixit, vt parum abfuerit, quin vrbs quoque, per tumultum, inter persequendam victoriam, ab ipso caperetur. Ea strages aduersariis finem excurrendi fecit. Fossa itaque, & muro subinde se tuentes, oppugnandæ arcis consilia de integro per omnes artes, machinationesq; quotidie solertius agitabant. Sub anni finem ægerrime omnino nutriebantur, necessitasq;, & desperatio, prope intolerabili impetu rem geri cogebant. Igitur coædificatis turribus ambulatoriis, omni genere missilium, regios à defensione prohibebant, & muro, quem crebris tormentorum ictibus, die noctuq;, impetebant, locis aliquot detruncato, ac diruto, nitebantur summa vi aut per ruinas, aut, admotis scalis, partem aliquam arcis occupare. Nec ad extremum regii tam acres in se conatus sustinuissent, nisi, audito suorum periculo, in ipso rigore hiemis rex Buda accurrisset, cum egregia vtriusque gentis manu. Eius aduentu, & suorum animi erecti, & regina adeo consternata, vt, copiarum parte illic relicta, clam cum cæteris Viennam se receperit. Rex, immisso in arcem subsidio, tentauit vrbem, si forte in potestatem redigere posset. Tandem, quum diu continuata obsidio intus & extra omnia consumpsisset, appareretque in difficiliori anni tempestate non minus discriminis à cœli, & terræ rigore, quam ab hoste affuturum: tumultuario opere instaurauit, quicquid munitionum hostis circa arcem labefactaue-

rat, moxque Budam rediit. Eodem tempore Poloni, voluntaria manus, nulloque stipendio publico adiuta, duce Petro Odrouansano, in Hungariam transcensuri, arcebantur à Boemis, qui angustias in montium iugis occupauerant. Itaque illi die frigidissima, tum lenta, sed iugi pluuia caliginosa, atque, ob id, minime suspecta, præmissis impigris, robustisque quibusq; iuuenibus, à quibus resistentes, si qui forte affuissent, obtruncarentur, per solutas Boemorum custodias, nemine omnino aduersante, saltum superauere. Mox quum adorti essent expugnare Capuscanum, quod oppidum non longe situm est à Bardeiouio, accersente eos rege, statim, vt par erat, omisso incepto, Budam se receperunt, non sine laude atque admiratione Hungarorum, & quod multi, & quod opulenter instructi, sed inprimis, quod indefessi opitulando regi suo viderentur. Vladislaus vbi omnes, & singulos, pro cuiusque dignitate, ac meritis laudando bene de se sperare iussit, Cassouiam misit oppugnatum. Ex quo oppido frequentes, & magnæ clades in ea regione quotidie inferebantur perseuerantibus in fide regiis. Poloni commissum sibi negocium breui absoluerunt, &, vt cæteris qui in præsidiis erant trepidatio incuteretur, Bohemos qui in manus venerant ad vnum omnes trucidauere. Interea nuntiatur, Tartaros prædabundos in Podoliam incursuros. Itaque Ladislaus, qui, post reginæ fugam, satis ab ea parte omnia tuta arbitrabatur, bellum vero, quod Iscra inferebat, ab regionis indigenis strenue propulsari videbat: ne defensoribus vacuam barbarorum incursus Poloniam inueniret, Odrouansanum cum suis retro in patriam dimisit. Quibus, honoris gratia, deducendis ad regni fines nonnullos proceres Hungaros adiecit. Quum itaque Agriam peruenissent, liberaliterque ab Episcopo accepti, licentius, quam ratio temporis, & vicini hostis solertia patiebatur conuiuiis hilaritatique indulgerent, seu quia numero, ac viribus fidentes periculum contemnebant, seu quia secundis rebus negligentia familiarior est, quam aduersis: Telesus, qui per id tempus præsidio Cassouiæ præerat, ratus bene gerendæ rei sibi oblatam occasionem, cum manu expedita profectus contentissimo gradu, per silentium noctis, illuc se recepit. Quomque omnes custodias, velut media pace, solutas inuenisset: ab ea parte, qua facilius, ac tutius rem agi posse arbitrabatur, murum nullo vsquam obsistente transcendit, excitatoque, ad terrorem, nonnullis in locis incendio, canentibus signis, & velut in capta vrbe, clamore sublato, inermes sopitosque adoritur. Et primo statim impetu domos complures, & Polonorum fere omnes currus tumultuarie diripit. Cumque hostes inter clamorem, cædem, populationem, ignem, trepidi, ac semisomnes vix arma expedirent: cum ingenti præda cæterarum rerum, sed & iumentorum, atque hominum retro abiit. Hungari vero, ac Poloni tandem somno, & trepidatione discussa, quum simul armati conuenissent, nec difficile videretur, fugientem hostem assequi, & abactam prædam recuperare: cursu effusissimo, ægre, propter impedimenta, & lassitudinem properantes, insequuntur. Itaque prius multo, quam inclinare sol cœperat in occasum, quum instans à tergo exaudiretur hominũ simul, & equorum fremitus: Telesus, qui suos nocturni itineris celeritate, ac labore fatigatos sciret, tum præda onustos, atque impeditos, desperata fuga, ad vires se conuertit, & in quo, propterea quod Leopoliensis Palatinus erat, plurimum reponebat, seu redimi cogeretur, seu permutatio captiuorum fieri aliquando contingeret, Petrum Odrouansanum, quem cum aliis multis captum abducebat, familiari cuidam suo Solomæ nuncupato, cuius fidem satis, vt arbitrabatur, cognitam perspectamque habebat in propinquum oppidum perducendum, custodiendumque commisit. Nec mora, vltima experienda percipiens, impedimentis in viam præmissis, suos monet, qui à tergo instarent, tumultuariam manum esse, inermes, incompositos, & adhuc præteritæ noctis inopinato pauore fluctuantes, ac trepidos: nonnullos etiam saucios debilitatosque, qui cum ad tuendos se domi vires, atque

atque animi defuissent, temere postea prosiliendo, arma cepissent: quasi facilius foret in aperto campo res suas pugnando recuperare, quam fuisset clausas intra vrbem parietibus tueri. Quicquid aut periculi fuerit, aut laboris iam esse exhaustum, & celeriter eundo, & inopinantes inuadendo: prædam esse in manibus, quam vtique multo facilius foret inter pares vires defendere, quam fuisset rapere: sed & multos ex hostibus teneri vinctos, & eosdem magis strenuos, quos non somnus, non metus, non subitarius tumultus à conserenda manu auertisset: qui superessent, vino adhuc somnoque graues, aut vulneribus afflictos esse, regendisque tantummodo equis vix satis aut animorum, aut virium habere: qui, etiam si paria essent cætera, inter tam dispari causa pugnantes, fortiores esse debere, qui sine spe veniæ de vita dimicarent, quam illi, quos modicæ abactæ prædæ dolor armauisset. Meminissent eorum, quæ in suæ gentis præsidiarios, paucis ante diebus, ad Cassouiam fœde, ac crudeliter commissa fuissent: anniterenturque pugnando acriter, & virorum fortium exitu, vitam relinquere potius, quam capi per ignauiam, trepidationem paterentur, vt veluti pecora per ludibrium postea trucidarentur: quo maiori impetu in hostem ferrentur, eo minori discrimine partam prædam retenturos, multoque incolumiores abituros. Superuenerant iam hostes: itaque conuersus in eos Bohemus, magnis animis, ac viribus impetum, quo in se ferebantur, excipit, propulsatque tam acriter, vt neque in equis, neque in hominibus præteriti laboris lassitudo appareret. Suggerebat vires cum veniæ desperatio, tum retinendæ prædæ cupiditas. Polonos autem & Hungaros non iactura solum rerum suarum, sed verecundia etiam stimulabat: turpiter se deprehensos putantes, & à paucioribus, inter vinum somnumque, rebus suis exutos: vnicamque esse illius abolendæ maculæ rationem, si vincerent. Pugnatum igitur aliquandiu ancipiti Marte. Cumque vtrinque multi, & vulnerarentur, & caderent: tandem lassitudo peruicit vt Telefiani loco cederent, in fugamque verterentur. In qua multi trucidati, multi equorum pedibus obtriti, præda omnis recuperata, Telefus autem cum plerisque Australibus Bohemisque viuus in potestatem venit, ductusque est Agriam, & custodiæ traditus. At Soloma suorum fortunæ ignarus, & commissi sibi Odrouansani cura sollicitus, vt quam celerrime se in tutum reciperet Nicolai Zuderis, quæ proxima erat, arcem petiit. Is paulo ante ad reginam defecerat. Itaque putans oblatam sibi occasionem reconciliandi se Vladislao, cuius auctoritati, & opibus, post reginæ in Austriam commigrationem videbat plurimum accessisse: captiuum, quem, propter generis nobilitatem, auctoritatemque inter suos non iniuria magnifaciendum putabat, paulo post Budam perduxit ad regem, atq; eo munere, defectionis veniam impetrauit. In tam præcipiti, & diuersa fortunæ commutatione, nox, casus, trepidatio, impetus, multa tulit aut inusitato genere mortis, aut rapiendi, obsistendiq; conatu varie memorabilia. Inter quæ, id vt maximè literis prodendum, ita etiam maximè miserabilem. Ex media sorte populi forma, & iuuenta florens Agriensis, suæ conditionis, atque ætatis iuuenculam perdite amabat, mutuoque, felici sorte, amabatur. Consueuerat vero, obseruatis occasionibus, se ad eam noctu recipere, desideriumque suum non tam fructu amoris satiare, quam nouis semper alimentis augere. Quum itaque direptio ciuitatis, apud amores suos ipsum deprehendisset: ratus forsan, discurrentium ad prædam, atq; cædem, tumultum esse ebriorum, propterea quod largius, quam sobrios deceret eos pridie vino indulgere viderat, non statim ad primum clamorem exiliit. Deinde quum non solum clamor, & strepitus armatorum augeretur, sed mulierum quoque eiulatio, puerorumque vndiq; ploratus maior, quam pro compotantium rixa, & iurgio discriminis, & mali grauioris trepidationem incuteret: quo euocabat conturbatio, proripere se voluit: sed, retinente amica, & ne recta properaret admonente, ne si domesticos quoq; alios idem tumul-

Digitized by Google

tus exciuisset, casu in eorum aliquem ageretur, per fenestram in vestibulum domus se dimisit. Quem vt foras emitteret, illa ex diuerso per scalas propere subsecuta, ostium reserauit, quum, superuenissent iam hostes ex parte altera, mox fores demoliti irrupturi. Egredientem igitur armati, gladiis vulneribusque excipiunt, eo etiam acrius, quod ipse cum ferro iampridem per cæcam trepidationem districto prosilierat: non tamen statim concidit, & si multis magnisque vulneribus petitus: sed acriter se defendens duos prius obtruncauit. Ibi mulier dolore, ac desperatione plus quam viriliter elata, cum nollet amanti suo superuiuere, viribus quantas amor, iraque & desperatio dabat, vni ex militibus, qui exanime corpus circumstabant, gladium extorsit furioseque insultans, ante quam cohiberi posset; plerosq; vulnerauit, viris ex diuerso turpe ducentibus, si ferro cum fœmina decertarent. Tandem comprehensa, vbi ferociæ, qua concita debacchabatur stimulum indicauit gladio, quem vltura amantem arripuerat, pectus suum transfodit, & vt super cadauer vita sibi carius occumberet, in partem, in qua iacebat se præcipitem dedit, tanta militarium animorum admiratione, vt, cæteris commilitonibus cum præda discedentibus, illi, quos ad eam domum fortuna congregauerat, vacui, & mirabundi pene in manibus hostium remanserint. Similem ac Telesus casum perpessi sunt eisdem diebus Caica, & Comorocẽsis: quorum ille Brolouiciam, hic Podolinum præsidio tenebat. Nam quum explorando comperissent oppidũ Eperiessum negligenter asseruari, vacuumq; esse defensoribus: eductis secum ex præsidiariis, quibus præerant, fortibus expeditisq; quibusq; militibus, quam occultissime, silentio noctis, illuc se receperunt, scalisq; muro admotis, velut in suas munitiones, nemine repugnante, in oppidum penetrauere. Nec mora, vbi clamor primum, deinde cædes non tam excitasset hostem, quam sensibus alienatum, nec ad arma discurrere nec prouidere quicquam sineret: quasi per otium, & licentiam, omnis generis præda suos onerauere. Forte die præcedenti quinquaginta Boemi profecturi ad Iscram copias congregantem, vt Richnouam obsideret, substiterant Eperiessi. Ab his, vt fit in rę trepida, dum saluti quisque suæ non quo debet, sed quo maxime potest modo consulit, turris, quæ egregie munita erat, dum Poloni oppidum diripiunt, occupata strenue defendebatur. Itaque quum eius expugnatio difficilis appareret, timerentq; Poloni Iscram, qui in propinquo erat, cum exercitu suis accursurum, nec suffecturos se putarent tuendo oppido, quod non totum haberent in potestate: contenti præda retro, qua venerant abiere. Non segnius, quã cogitauerant, Iscra, vbi ad eum suorum clades perlata, præparato instructoq; iampridem milite, illuc accurrit, ex improuiso, vt assolet, victores oppressurus, solutis negligentia animis, ob rei bene gestæ hilaritatem. Cæterum cognita festinatione, qua retro prædam agebant, breui à tergo eos assecutus, non solum quia superior copiarum numero, sed etiam quia recentes ducebat, atque integros, facile omnes fudit fugauitq;. Nec obluctatio, cædesve fuit. Nam fessi, ac prædæ onere laborantes Poloni, vix primum clamorem hostis sustinuere. Capti Caica, & Comorocensis cum paucis aliis, quos subita fuga eripere ab hostium manibus minimè potuit. Iscra vero, vt erat dux belli acer, victoriam persecutus, ad Brosouiciam castra mouit. Capto enim à se præsidii illius præfecto, subitæ deditionis spem non frustra conceperat: sed quum inuenisset oppidanos ad se tuendum paratiores, quam crediderat: cum suis abiturus, re minimè tentata, apparebat. Verum casu, aut humana fraude in altera arce (nam illic duæ sunt) incendium exortum, compulit defensores ad alteram confugere: moxque, ne quid tale in ea quoque contingeret, imperium hostis pene vltro suscepere. Quo ex euentu visum est, fortunam iusta lance partis vtriusque gaudium, & mœrorem adæquare eodem tempore voluisse. Poloni deinde nouum præsidium submisere Podolinum, & Luboliam. Iscra vero ab ea victoria Richnouam oppugnatum profe-

ctus,

ctus, ex omnibus ciuitatibus, quæ postumo fauebant, exciuit auxilia: & quum Poloni repugnarent, mœniaque acriter defenderent: obsidione expugnaturus circumfudit exercitum, murosque, tormentis, & machinis admotis, quassare cœpit, ac diruere. Sed quicquid interdiu solo æquabatur, noctu opere tumultuario instaurabant obsessi: distractaque in menses aliquot oppugnatio. Tandem quum vrgerent humanæ necessitates non minus, quam hostis, nec quicquam aliud necessariam deditionem remoraretur, quam quod Agriensis episcopus affuturus cum auxilio ferebatur, cessante illo diutius, quam aut fames iam, aut acerrima oppugnatio ferri posset, pacti, vt cum armis rebusque aliis suis incolumes abirent, vacuam arcem tradidere. Fides Polonis seruata. Post quorum deditionem illico Agriensis cum exercitu superuenit, & non procul ab Iscra castra communiuit, quasi mox totis viribus decertaturus. Sed licet, per occasiones, vterque alter alterius copias plerumque carperet, descendere tamen in certamen totis viribus, & signa conferre non audebat. Nam & Iscra fœlicitatem aliquot annorum vnius diei fortunæ committere nolebat; & Agriensis haud quaquam suis fidens, quod maiori ex parte erat tumultuaria manus, & militaris disciplinæ rudis, tutius credebatur, cunctando in locis iampridem vastatis, diuturna obsidione redigere hostem ad inopiam rerum omnium, quam vires experiri. Itaque quum neque lentius, neque tardius quam sperauerat Agriensis, Iscra, & sui penuria alimentorum premi inciperent, futurumque plane constaret, vt aut nullo modo, aut sine summo discrimine perseuerare in eo loco haud possent: nulla insigni pugna commissa, rediere Cassouiam. Nec multo post cœptum est inter Iscram, & Agriensem agi de concordia, multiq; hinc inde variatis prius conditionibus, tandem coniuncta Iscræ, per matrimonium, episcopi nepte, non solum pax, sed affinitas etiam inter eos inita est. Id bonane fide factum fuerit, vulgo addubitatum: tum quod reginæ, vt opportuit, approbatio subinde non accessit, tum quod relaxandis vtrinque captiuis fidem Bohemi violauere. Cæteris enim ad suos dimissis, Caicam, & Comorocensem, de quorum etiam libertate transactum in pace fuerat, retinuere. Sed & post concordiam, Iscra intercepit oppidum, quod in Scepusio à socero suo tenebatur, prædasq;, & captiuos ex illis, qui regi fauebant, per occasiones, atque insidias abigere perseuerauit. Disceptabatur, per id tempus, de sacrorum summo antistite à Christianis. Et erant qui Eugenium in Italia à Collegio cardinalium electum, & qui Fœlicem in Germania, quem Basiliense concilium designauerat, pro summo pontifice comprobarent, sequerenturque. Multi etiam principes regesque, & nationes, inter quas Hungari, & Poloni tam ancipitis controuersiæ finem expectantes, sententiam suam dissimulabant, cærimonias interim, ritusque, quales à maioribus suis acceperant, religiose obeundis sacris continuando. Quum itaque non solum eos, qui ex diuerso stabant, sed etiam, qui ambigua deliberatione suspensi, & studia sua occultantes neutrum alteri præferebant, tam Fœlix, quam Eugenius diuersis artibus sollicitaret, sibique conciliare niteretur: ab vtroque legatio diuersa, eodem tempore, venit ad regem. Et Fœlix quidem fretus vinculo sanguinis, quo Tridentinus episcopus Alexander à ducibus Masouiæ oriundus, Vladislao coniunctus erat, illum iampridem à se cardinalem designatum potissimè idoneum duxerat, cui partes suas committeret: vt si parum causa, valuisset, propter propinquitatem saltem, non aspernaretur. Ab Eugenio autem venerat Iulianus Cæsarinus etiam cardinalis. Et hic quidem vrbem Romam, non solum diuinitus electum locum, sed Petri, & Pauli aliorumque innumerabilium religionis fundatorum sanguine consecratum, in quo crearetur præsideretq; maximus pontificum, sacrosanctum cardinalium Collegium, legitimam iugemque successionem, tum de more habitam & ab illis, quorum res esset, electionem, præterea totius Italiæ consensum, & Græcorum iudicium voluntatemque pro Eugenio allegabat: nihil aliud ex

Digitized by Google

parte altera esse dicens, præter tumultum perditorum quorundam, quos, fortunis suis profligatis, abiectaque Dei, atque hominum verecundia, spes nouarum rerum, sine auctoritate, sine ordine, sine causa, velut ad nundinandum sacra congregasset. Ille autem ex diuerso: non locum, sed puritatem animorum vitæque sanctimoniam pertinere ad religionem dicebat. Non referre vbi esset, diceretur ve summus pontifex, sed quis, & à quibus. Nimis in arcto circumscribi columen Christianæ professionis, si eius caput non nisi Roma, & creare possit, & capere. Quid futurum si ea vrbs possideatur à barbaris, vt aliàs contigit, aut omnino deleatur? Si fortuna loci ad rem, quæ tota in animis est, momentum aliquod habere posset, Hierosolyma sanctiori multo quam Petri, & Pauli sanguine censecrata. Illic religionis nostræ verissimum caput, immortalitatis nostræ omnia mysteria constituisse, illic summi sacerdotii prima successionis initia & tradita, & suscepta: non humano aliquo casu (vt in Petro factum, & Paulo: quorum hic tanquam reus Romam perductus, ille Simonis magicis vanitatibus attractus) sed voluntate electioneque diuina. Quo ad cardinales attineret; non animaduertendos ex titulo, & nomine, quæ lasciuientis fortunæ fauor etiam immerito cuique conferre posset. Eos, etiamsi vrbem Romam nunquam viderint, nunquam titulo cardinalis insigniti sint, tamē veros esse apud Deum religionis nostræ cardines, & fundamenta, quorum doctrina, vita, mores, actiones denique omnes cum religione consentiant. Nihil interesse, qua quis sit fortuna, & dignitate: Deum enim, non quæ extra hominem sint, verum animos ipsos intueri, atque expendere, deque his, quæ ad sacra pertinent, non fortunati, sed optimi cuiusque iudicium comprobare. Sed neque multum consuetam cærimoniam eligendi in vrbe, aut possessione Romanæ sedis, ad veram diuini vicariatus successionem attinere: vbicumque bonorum cœtus conuenisset, diuini spiritus sensum adesse intelligi debere, & quæ dicta, acta constitutaque illic essent, vt ab eodem spiritu manantia accipienda. Præter quam quod temerarium, etiam periculosum esse, perpaucorum obstinatis animis, quos nihil aliud, quam mala conscientia contumaces redderet, publico Christianæ reipublicæ consilio non adhærere. Non dubitare aut Eugenium, aut qui illum sequerentur, vel de sua, vel de concilii auctoritate, sed intelligere, non posse, se & in religione eminere, & ab ea animo, & vita maxime abhorrere. Si pro religione modò solliciti essent: nequaquam aduersaturos concilio: cuius non alius finis esset, quàm religionis sanctitatem, dignitatemque conseruare, & augere. Vere sanctos pontifices, qui ad id locorum Ecclesiæ præfuissent, nunquam tantam rationem habituros fuisse de conciliis, nisi intellexissent, id quod ad omnes ex æquo pertineret, omnium iudicio, & consensu moderandum, longèque altius posse prospici ea, quæ verissima salutariaque essent in rebus diuinis, ab vniuersali Christianorum iudicio, quàm à paucis Romanis sacerdotibus, aut metropolis eiusdem episcopis. Hinc non minus fere, quam quatuor Euangelistis tributum semper, & tribui ab Ecclesia quatuor conciliis, Nicæno scilicet Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, in quibus, præter alia multa, diuinitus ad decus amplitudinemque religionis constituta, confutatæ essent, & explosæ hæreses nefariæ, ac perniciosissimæ, quibus professionis nostræ vera fundamenta subuertebantur: si quidem Nicææ Arrii, Constantinopoli Macedonii, Ephesi Nestorii, Chalcedone Eutychis, impietatis conuictæ damnatæq;. Reliquorum quoq; conciliorum subinde omnia decreta suum semper pondus suam maiestatem tenuisse. Non postulare, qui præsiderent Basileæ, vt de vniuersorum salute, deq; singulis emendandis, vel in primo, vel in quocunque alio ordine religionis nostræ, sibi crederetur, quod temerarium esset, atq; improbum, sed ad disceptationem iudiciumq; illorum omnes, quorum interesset, aduocare. Quibus sæpe iactatis vtrinque, & à rege, ac suis auditis, in horum altero summo pontifice agnoscendo, neutri legatorum est assensum.

Cæte-

Cæterùm, quia Iulianus ad ea, quæ ad rem diuinam spectabant adiecerat, intestina certamina, quibus arx & præsidium Christiani nominis Hungaria vastabatur, male habere Eugenium, cæterosque qui rem Christianam saluam vellent, suaseratque deponenda arma per concordiam, cuius æquas conditiones inuenturum se speraret, si, cum bona vtriusque partis venia, tentare licuisset: vbi planum factum est ei, nihil omissum à rege esse, quod ad pacem facere videri posset, multasque legationes de compositione frustra ad reginam commeasse: concessum est, vt, quantum in ea re posset, experiretur. Ille, postquam regis animum à quietis consiliis minime abhorrentem vidit: profectus ad reginam, quum de vtilitate pacis, deque incommodis belli, discriminibusq; disseruisset ea, quæ putauit, ad id, quod intendebat, pertinere: sexus illam conditionisq; suæ admonuit, & quam facilè & temerè populorum studia cum fortuna mutarentur. Non esse eius, quæ paulò antè experta foret, quid paucorum tumultus posset contra pene vniuersorum consensum, in eo bello perseuerare, in quo viribus multo, & facultatibus esset inferior. Stare ex parte altera omnem vim Polonorum, & cum illis maiorem partem ex Hungaris: quorum opes, & auctoritas in regno emineret: hominum, & armorum, iumentorumq; satis esse reparando exercitui, si quid aduersi contigisset: partibus autem eius adesse paucos, præter militem conductitium, cuius fides non ex animi studio, sed ex pretio penderet. Præterquam quod inita affinitas inter Iscram & Agriensem meritò ei suspecta esse posset, ea quoque, quæ satis ei firma, & apparata viderentur, in vnius prælii fortuna pendere: vixq; sperare posse reparaturam se rursus ad pugnam vires, si semel acie vinceretur. Vt speraret victurum postumum diutissimè: considerare oportere, quàm innumerabilibus casibus humana vita subiaceret, & quo minus roboris in ea ætate esset aduersus malam valetudinem, & morborum vim, eò facilius extingui solere. Magisque timendum, quàm subinde sibi, quàm adultis iam duabus filiabus suis fortunam sponderet: quum etiam, quos spes & gratificatio postumi tunc in fide retineret, orbitas regni esset in contrarium auersura. Satius multo, præcauere, ne, si præmatura fata filium regno subduxissent, filiæ quoque excluderentur: cùm danda opera esset, vt saltem altera, matris veluti loco, regnaret. Inter marem & fœminam, quoad parentes, nihil interesse, præter sexum. In Vladislao esse illa omnia, per quæ (quoniam filiæ vtique aliquando coniugandæ) meritò ab ea gener esset expetendus. Temporis verò, & rerum conditionem vtrosque ad affinitatem non solum inuitare, verùm etiam quadam veluti necessitate mouere. Ad extremum meminisse debere viri, patrisque sui, quibus, præter diuinos honores, cætera omnia cum summa fide tribuisset ea gens, quæ periclitatura erat, nisi ad pacem animum adiecisset. Indulgendum fortasse aliquando viris, vt pro tuenda, aut augenda dignitate vnius, populorum multorum salutem in discrimen ne adducerent: muliebris certè verecundiæ non esse, opportunitati ac saluti tot de se benè meritarum ciuitatum & populorum, præferre incertas spes vnius infantuli. Famam homini extimescendam, sed & Dei immortalis vltionem, si per eam staret, quo minus à nefario bello, & Christianis rebus maximè periculoso absisteretur. Ad ea, regina, satis se suas hostisq; facultates nosse, inquit, & quantum vel vires, vel fortuna posset in bello non ignorare. Cæterùm minus flagitiosum, dolendumq; esse, resistendo exturbari, quàm per ignauiam, & vanum metum, regno excedere. Iustam esse causam suam, neque abfuturum vindicem iustitiæ Deum. Filium verò incolumem esse, ac, Deo propitio, fore. Quod si malum fatum contra spem quicquam afferret: nouam rem noua consilia præbituram. Hungarorum quidem merita in se, ac suos ingentia esse: sed quo maiora essent, eo magis sibi annitendum, ne cogerentur, in ditionem ipsis inuisam degenerare: si tamen sine cæde, & sanguine id fieri posset, nihil esse, quod mallet. Sub hæc verba Iulianus, collaudato reginæ animo, & quod

muliebriter bellum non expauesceret, si necessario gerendum foret, & quod concordiam, si modo æqua offerretur, non aspernaretur, de pacificationis forma cœpit cum ipsa agitare. Cæterùm multis vtrinque conditionibus in medium adductis prius, ac repudiatis, quum maternum animum æque adulta filiarum ætas, atque infantis cura sollicitum haberet; tandem eo adacta est regina, vt consentiret has simul leges, & stabilimenta concordiæ ad Vladislaum perferri. Ante omnia vti alteram filiam ipse, alteram Casimirus, qui tum Lituaniæ præerat, vxorem duceret. Et Casimiro quidem despondere se, dotis nomine, centum & viginti millia aureorum; Vladislao verò ducenta millia in terra Slesia, cessuramque iam tum illi possessionem, reseruato sibi redemptionis iure, quandocunque commodum fuisset. Quod autem ad Hungariam attineret, Vladislaus mox sese regio titulo abdicaret; procurationem & tutelam vsque ad integram postumi ætatem retineret: vbi ille adoleuisset, procurationem dimitteret. Quod si intra pubertatem, aut quandocunque postea sine liberis postumum decedere contingeret: cum regio titulo, ius quoque, & arbitrium regni ad Vladislaum reuerteretur. Cæterùm compensandis impendiis ea in expeditione factis, terra Scepusiensis perpetuo iure addiceretur Poloniæ regno: Hungari verò sua sponte ac bona fide antiquarent quamcunque actionem & ius, quod aut in Podolia, aut in Valachia habere se crederent. Accepisset Vladislaus sine dubio conditiones tàm sibi, quàm regno suo commodas. Et erant ex Hungaris multi, qui aut externum bellum timentes, aut intestinum execrantes, non fortiter sententiam reginæ impugnabant. Quum tamen agi appareret de facultatibus, atq; amplitudine regni: placuit aut per nuntios, aut per literas eorum quoq; procerum, qui præsentes non erant, voluntates exquiri. A quibus, vt fit pro cuiusq; ingenio, allatæ sunt literæ, non solum sententia variæ, sed omnino etiam diuersæ: quum essent, qui iniquiores quoq; conditiones domi perferendas censerent, dum modo foris tuti essent: & qui nullam omnino concordiam habendam dicerent, nisi quam arma constituissent. Itaque quò magis aut timidè nimium, aut periculose alii censebant eò, postquam cognita est sententia Huniadiani, maiori assensu omnium accepta est, quum nihil in vtramuis partem affectatum contineret. Scribebat enim videri sibi, propter imminens à Turco negotium, neq; repudiandam pacem temerè, neq; tamen amplexandam cupidè, & si natura sua pax semper bello sit anteferenda, neque omnino, aliam ob causam gerantur bella, quam vt pace frui liceat. Concordiæ tantummodò conditiones rectè animaduertendas: & si iniquæ offerrentur, commodiores exigendas. Quæ si impetrarentur, nihil satius, quàm inuicem domi in gratiam redire, & depositis intestinis armis pugnare foris. Sin verò regina perseueraret inire id fœdus, in quo sui suorumq; habita ratione, membra regni non solum ad tempus possidenda exteris traderet, verum etiam à corpore suo perpetuo alienaret, omni ope resistendum censere. Non animum, non vires defuturas ad extorquendam æquam pacem, minori etiam sumptu, quam foret impendendum pro concordia, quæ tunc offerebatur. Itaque Iulianus rursus ad reginam profectus, pauca quædam in prioribus conditionibus commutata retulit. Sed quum neq; illa Hungari probarent, modo hac, modo illa cautione variata, vltrò citroq; multotiens frustra commeauit. Tandem verò, vt quod vltimum erat, experiretur, vtrinque impetrauit, vt Iaurinum Vladislaus ad reginam proficisceretur, si fortè præsentia & mutuum colloquium ad concordiam inter eos esset efficacius, quàm alienæ persuasiones. Postquam conuenere post mutuam admirationem, quum in alterius ætate tam tenera, procurationi & tutelæ amplissimorum regnorum par indoles emineret; alteram verò præter ætatem iam grauem, animi magnitudo in periculis, maximisq; quibusque actionibus explicandis venerabilem redderet: primi congressus, vt par erat, querelas purgationesq; mutuas habuere, asseuerantibus vtrisque ex diuerso, contra ius fasq; se ab altero violari, armaque à se sumpta necessa-

necessariò, non sua sponte. Tandem quum dies aliquot, de concordia colloquendo, consumpsissent: sic discessere, vt conciliatos appareret, idque, propter ditissima munera, quibus se mutuo benignissime sunt discedendo prosecuti. Qua tamen conditione arma deponenda essent, non est vulgatum. Id plane constitit, reginā paulò pòst Budā venturam. Quod cum fecisset, emisso prius Ciliæ Comite è custodia, in qua fere ab initio belli seruatus fuerat, pax firmata est, & expressa. De cuius ineundæ ratione dum disceptaretur, Vladislai virtus, ac dexteritas in agendo mire sibi conciliauerat reginæ animum, manauitque rumor datæ in id mutuo fidei, Vladislaum libere in Hungaria regnaturum, si modo aut præcario impetraret, aut armis extorqueret sacram Hungariæ coronam, & postumum à Friderico Cæsare, qui post Alberti mortem, fretus reginæ viduitate, infantis patrimonio in Austria abuti ferebatur. Cæterum regina, vbi Iaurinum rediit, leuiter ægrotare cœpit, ac triduo post, torminibus interiit, non sine veneni suspicione, propter moriendi celeritatem. Sed vt de veneno addubitatum: ita, quantum exterioribus signis licuit deprehendere, id maxime compertum, Vladislaum scilicet ęgerrimo animo mortē eius tulisse, frequenterq; asseuerasse, sublato velut obside, ac stabilimento pacis, Boemis rerum nouarum cupidis, non defuturas causas machinandi contra fœdus, vt bellum instauraretur. Nec secus accidit: paulò enim post, cum oppidis simul omnibus, quæ præsidiis eorum tenebantur, ad Cæsarem defecere, rursusque, non ex insidiis, sed vi aperta cœperunt regiis partibus insultare. Eodem tempore apparatu, & numero hominum insignis legatio venit à Turco, magis, vt fama tenuit, exploratum, quis status esset rerum in Hungaria, propter intestinum bellum, de cuius euentu maxime sollicitus erat, quam quod crederet ea, quę postulabat impetrare. Quandoquidē Huniadianus, cui cohibendarum populationum Turci curam commissam fuisse diximus, non solum incurrentis impetum sæpe submouerat, sed fœlicitate etiam, & virtute sua fretus, in agrum hostilem populabundus ipse irrumpens, occurrentibus Turcis sibi, haud sane ignobiles clades intulerat; & fortuna sapienter vtendo, paulatim extorserat, vt non tam vincere, quam vinci se posse sentirent. Itaque quum fere eisdem verbis, quibus ad Belgradum legati regii dimissi, tunc etiam offerretur fœdus, eiusque velut obses postularetur aut Belgradum, aut annuum tributum: superueniente nuntio ab Huniadiano, qui asserebat, per eos dies cum Turcis bis fœliciter pugnatum, multosq; in prœlio captos, plures in fuga trucidatos; inter quos cecidissent duces duo maxime insignes: præterea signa militaria pleraque illis adempta, & cum victoria, ingentem quoque prædam à militibus reportatam: haud sanè mitius responsum est, quam inflata legatio exigebat. Inquit enim Rex, relaturum se de his, quæ petebantur, ad Huniadianum, & secundum fortunam, quæ aut illi, aut Turcis proximis diebus fauisset, per legatos suos ad postulata responsurum. Cæterum quum post reginæ mortem, regni omnes proceres in fidem Vladislai rediissent, nihilque hostile iam in regno superesse videretur, præter Cassouiam cum appendicibus; & illinc quoq; affinitas inter Iscram, & Agriensem inita renouandæ concordiæ spem faceret, videreturq; Cæsar, ad quem factio illa defecerat, etiam vt cætera parum essent apud eum efficacia, tamen, propter quietis ingenio eius insitum studiū, omnino pacem bello prælaturus: Iulianus ratus commodū tempus suadendæ contra Turcos expeditionis, & publice apud regem, & priuatim apud primores regni cœpit eam rem agere. Et Vladislaum quidē admonebat spei, quam sibi proposuissent omnes Christiani principes, vbi eum accitum esse, vt in Hungaria regnaret, intellexissent, fœlix faustumq; id Christiano nomini visum iri. Pro fœlicitate ipsius vota solennia ab omnibus nuncupata. Quod pacatum regnum prope totum iam possideret, nō minus precationibus aliorum Christianorum, quam suis armis effectum. Dandam esse operam, vt tam ingenti de se expectationi responderet. Expeti id etiam à religione, quā pro-

fiteretur, sed nec minus à necessitate regni præsentis status, & illorum, quos in fidem susceperat, securitate. Non posse ab se negligi eam expeditionem, aut salua fide præstita Hungaris, aut incolumi non solum Hungaria, sed etiam Polonia, cuius salus ab Hungariæ salute dependeret. Vindicandam indignitatem postulati ab se tributi in tanta regni sui felicitate; indicandumque, prope negligenter, ad id locorum, rem gestam, quidve interesset inter expeditionem, quæ tantummodo regis auspiciis, & illam, quæ non auspiciis solum, sed ductu etiam regio susciperetur. De victoria dubitare non sinere res feliciter ab Huniadiano gestas cum parua manu, si cum iis copiis conferretur, quas ipse esset educturus. Apud Hungaros vero proceres asserebat, diuinitus contigisse, vt Vladislao regnum committerent. Eam mentem, coniungendi inter se vires duorum potentissimorum regnorum Deum eis dedisse, vt imperium finesque suos non solum tuerentur, verum etiam ad Hellespontum, & Aegeum vsque mare propagarent. Non prætermitterent opportunitatem, cui etiam fatum, & fortuna fauisset, illata per reginæ obitum veluti necessitate, imponendi finem seditionibus intestinis. Ad felicitatem publicam expediendam, non in præsens modo, sed etiam in perpetuum, nihil eis deesse posse, præter rectam mentem. Non deessent ipsi occasioni suæ; quando reliqua omnia ad victoriam, ratio, fortuna, fatum abunde accommodassent. Accedebant ad hæc preces miserabiles, & lacrymæ Despoti: qui non solum ad regem orando adibat, sed quosq; etiam sortis mediocris supplex prensabat, rogabatq; flendo, vt non omitteretur tempus, & facultas vlciscendi calamitates Christianis inflictas, & pleraq; omni cruciatus genere fœda supplicia, de aliis multis per summam crudelitatem à Turco sumpta. Hinc indignando, filiorum suorum crudos oculos, nefarieq; abscissa pudibunda, supra quam humanæ aures pati possent, miserabiliter deflebat. Ad extremum regi simul, & purpuratis aliis, memorando quam felix, potensq; paulo ante imperio, liberis, & cæteris benignæ fortunæ blandimentis visus esset, qui tunc aliena misericordia aleretur, obtestabatur, ne se, ne filios, ne Christianum nomen inultum sineret. Ad Hungariæ fines tempestatem iam peruenisse. Potius alienæ calamitatis vindices se præbere vellent, quam expectare, dum sua quoq; simul cum ipsis eodem naufragio obruerentur. Non tamen aut huius iustæ præces, aut Iuliani prudentes asseuerationes vltra valuere, quam vt, qui aberant, proceres, de ea re Budam accirentur. Ibi maiori ambitu maiorıq; asseueratione omnia hæc repetita, atque etiam aucta, quum ad superiora hortamenta Iulianus adiiceret, multorum quoq; aliorum Christianorum principum auxilia in tempore affutura. Constitutum igitur omnium miro consensu, vt veris statim initio, rex quam maxime fieri posset, numerosum, instructumq; exercitum educeret, moueretq; in Bulgariam. Interim vero cum Cæsare aut de pace, aut de fœdere transigi placuit, & vt ad publicam Christianorum omnium causam vel aduocaretur ipse, vel auxilia ab eo expeterentur. Legationes præterea decretæ, quæ non solum Polonos, sociam coniunctamq; iam gentem, sed Prutenos etiam, & Valachos adirent, atq; ad eam expeditionem hortarentur. Cæsar inducias dedit in biennium. Quo vero minus in expeditionẽ Christianis rebus adeo necessariam nec venire ipse, nec subsidium mittere posset, Bohemiæ tumultuantem statum in excusationem adduxit. Magister quoq; Prussiæ, causatus vastitatẽ, qua, proximis temporibus, continua bella eam prouinciam afflixissent, nihil tale, quale petebatur ab se sperandum renuntiauit, A Polonis, & Valachis missæ sunt cum semestri stipendio equitum peditumq; auxiliares copiæ. Quas ingens armatorum multitudo subsecuta, quibus domos, coniuges, liberos, patriam cæteraq; humanæ vitæ aut præsidia, aut ornamenta propter eiusmodi militiam relinquere non consilium, aut stipendium publicum, sed priuata in Deum pietas, & studium Christiani nominis simul tuendi, simul propagandi persuaserat. Quod genus militum, cruce signatum, ex aliis quoq; nationibus, ad famam religiosæ expeditionis ingenti numero

confluxit.

Digitized by Google

confluxit. Igitur, præmissis supplicibus precationibus, rebusq; diuinis dies aliquot per omnia fana solenni ritu, & cærimonia peractis, circiter Kalendas Maias rex Buda mouit, transmissoq; Danubium exercitu, paruis itineribus ingrediebatur, suos, qui nondum conuenissent, expectabundus. Superato deinde Tibisco, rursus ad Danubium se conuertit, copiasq; ad Salsum lapidem traiecit in Bulgariam. Mox recta progressus est Sophiam oppugnatum. Quo in loco Despotus cum suis regio exercitui se coniunxit. Vrbs ea naturali situ haud sane egregie munita est. Sed regis subitus aduentus etiam improuisam deprehenderat. Itaque breui tempore, nec difficili conatu capta. Cæterum quia plus operæ seruanda ea, insumendum, quam capienda insumptum apparebat, direptam prius à militibus, rex succendi iussit. Pari subinde felicitate quum pleraq; ignobiliora oppida expugnasset, diripuissetque: non procul à Morana fluuio castra posuit, in loco, qui, vt non recte collis, ita nec planities queat appellari, sed medius inter vtrumque, quantum à colle submittitur, tantum à planitie turgescit. Illinc missi equites quingenti simul prædatum trans flumen, simul speculatum, qua tutius, & minori cum vexatione progredi exercitus posset. Illi, exoriente sole profecti, sub meridiem in speculatoriam Turcorum manum inuecti, quatuor quum cepissent, cognoscunt duo millia hostium per proximam siluam aduentare. Itaque impares se pugnæ intelligentes, qua propius ad flumen iter arbitrabantur, in fugam se vertunt. Nec mora, Turci visi à tergo trepidationem simul, & fugandi studium auxere. Erat inter refugientes, & fluuium, collis editior, ex cuius vertice, quum pateat longe lateq; prospectus in Cismoranam regionem, allabentis tamen fluminis alueus non apparet, visu supra vallem, ceu per extensam planitiem, longissime in oppositos tumulos procurrente. Itaque quum refugientes ad flumen regii per collem transcendissent, & propter altitudinem prærupta ripæ in citeriorem partem ad suos euadere posse desperarent: pars quidem in aquam, stratis equorum tenus se immiserat: reliqui vero in extremo margine fluminis substiterant, animo, quo sunt illi, qui, sine alicuius, aut defensionis, aut effugii spe, mox ab hoste immanissimo trucidari expectant. Nec vanus forsan eorum metus fuisset: sed rex venatum magno cum numero armatorum casu cis flumen profectus, Turcorum oculis tunc maxime in summitatem aduersi collis peruenientium quum occurreret, insidiarum metum illis incussit: quũ & longius distare, & maior appareret multitudo, quam pro modo eorum, quibus à tergo institissent. Quæ res fecit, vt cursum paulisper cohiberent. At rex vbi hostes adesse perpendit, à venatione in pugnæ studium conuersus, ingenti alacritate suos, ad flumen dirigit. Nec procul aberat, quum qui illic medii inter hostem, ripamque insuperabilem creditam, derelicti à se, ac desperati, iam tum mortis maximam partem in corpus admiserant, conspectu suorum velut ad cælitus demissam opem recreati, animos simul, & clamorem extulere; versique per accliuum retro, commissæ fugæ pudore stimulante, ad montem magno conatu ferebantur. Interim vero rex quoque cum suis ad ripam peruenerat, &, sine delectu placidioris descensus, per abrupta, & præcipitia omnia ad flumen prosiliebat, tam cæca omnium festinatione, vt multi vorticibus impliciti, ab aquæ violentia secundo amne agerentur, multi etiam, inter luctandum, ab equis excussi, armorum pondere pessundante, subito in aliorũ conspectu submergerentur. Sed Turci redeuntes contra se Christianos minime expectauere, nec pugna fuit, sed vicissim fuga, & trepidatio. Progressus erat deinde rex trans flumen duorum dierum iter, præmissis speculatoribus, per quos numerum hostium consiliaq;, & incepta exploraret. Ex his duo trepide renunciauere, Turcos nõ longe cum valida manu in insidiis occasionem intercipiendi regis captare. Qua re audita Vladislaus, statim, habito ex omni multitudine delectu, cum decem millibus armatorum Huniadianum misit, vt per silentium noctis, nihil tale opinantes hostes adoriretur. Ille à miridie ad primã vigiliam speculatores subse-

cutus, vbi Turcos haud procul esse comperit, quum luna pernox esset, ad ea loca, per quæ maxime fuga patere illis poterat, agmen tacite circumduxit, &, clamore sublato, torpentes, sopitosque, vt pote, quos nulla cogitatio affuturi certaminis teneret, adoritur. Primoque statim impetu, tantum terrorem vulgo incussit, vt fugam magis, quam arma pro se quisque spectare inciperet. Sed vbi ad effugium præclusas vias omnes percepere, velut in vltimo discrimine, per trepidationem alienatis sensibus, equorum fræna ægre, atque arma expediebant. Quum ex parte altera Huniadianus suos adhortaretur, vt inermem adhuc hostem, somnoque, & inopinato pauore fluctuantem inuaderent, ac cæderent. Frequentes iampridem victoriæ, nomen viri apud Turcos non solum celebre, verumetiam formidabile reddiderant. Itaque à principio quidem, quum haud quaquam strenue trepidantibus, hostemque ignorantibus resisteretur: tumultus, & cæca conflictatio verius, quam pugna fuit: deinde, vbi Huniadianum adesse percepere, suosq; vbique ab obuiis prosterni, integrosq; cum sauciis, semianimes cum vegetis, & recentibus varia, fœdaque pereuntium imagine volutari: vt quemq; nox, & timor præcipites agebat, per loca inuia, vepribusque, ac virgultis implicita euadere tentantes, facile instans victor consequebatur; maiorque longe cædes, quam, pro numero eorum, qui vicerunt, commissa est. Siquidem ad triginta millia Turcorum ea nocte cæsa dicuntur, & supra quatuor millia capta cum nouem signis militaribus: adeo improuisus hostium impetus iamdudum vinci assuetis, omnem sensum abstulerat, nec patiebatur aut multitudinem suorum, aut fugantium cædentiumque se paucitatem sentire. Sed & castra multa præda referta in manus victoris venere: quibus direptis, incensisque, Huniadianus, haud satis magna suorum facta iactura, cum non minori laude eorum, à quibus expectabatur, quam suo gaudio ad regem rediit. Fuit (forte inter captiuos) Mamacus sacerdos doctrina, & religione apud suos clarus. A quo super his, quæ in religiosa Musormanorum historia vulgo feruntur aut improba, aut obscœna quum multa Sanoceus (vt erat morum rituumque peregrinorum vestigator curiosus) exquireret, ille nec sortis suæ, nec professionis oblitus non licere, inquit, de secta sua vinctum disputare. Cæterum Sanoceo instante, vt vel fateretur, vel purgaret religioni suæ obiectas * laudes, propriumq; id esse munus sacerdotis asseuerâte, ille præfatus, Turcos quoq; homines esse ab eisdemq; principiis, quæ mortales alii sua profiterentur, corpus simul atq; animam ducere, subintulit, quoniam in his, quæ percipiuntur tractanturq; sensibus, cum reliquo humano genere consentirent, maxime verisimile esse, in illis quoq;, quæ aut opinio aut intellectus suggereret sine probabilibus rationibus minime se habere. Post eam victoriam pleraque Bulgarorum oppida simul odio Musormanicæ impietatis, simul studio Christianæ professionis pellecta, tum etiam linguæ cômerico, & quod eadem cum Polonis primordia generis haberent, eiectis Turcorum præsidiis, ad regem defecere. Nonnulla etiam, in ipsa trepidatione, expugnata, partim per regios milites, partim per Polonos cruce signatos, qui ductu Iuliani multa egregia facinora quotidie edebant. Et iam cum victoria peruentum erat sub ipsum Thraciæ aditum. Cæterum licet multum bello quæsitum videretur, nô minus amissum credebant in militum vexatione, qua toto itinere conflictati illuc peruenerant. Quum enim prope à fonte Ciabri amnis, qui à Mœsis olim Triballos disterminabat, Bulgaria per dorsum Aemi montis in vulturnum, aquilonemq; porrigatur: à meridie in Thraciam declinat, à septemtrione vero in Danubium deuexa, inferioris partem Mœsiæ occupat. Itaque media eius regionis inuiæ rupes, & prærupta saxa tenent. Decliuiora autem, etsi qua in planitiem protenduntur, profundis fere siluis vastisque solitudinibus occupantur. Ideo ager haud sane egregiæ frugum fertilis, sed neque alendo pecori satis fœcundus. Ac proinde, ad cætera mala, quibus itinerum difficultas, in ipso iam hiemis initio, exercitum mulctauerat, magna hominum iumentorumq;

torumque vis rigore intolerabili, aut lassitudine absumpta: commeatus etiam inopia maxime vrgebat. Et licet pecunia suppeteret abunde, non erat vnde frumenta coemerentur, ex eoque ad famem desperatio quoque accedebat. Nec quicquam aliud, victum iam malis suis exercitum, ne dissolueretur, retinebat, quam crebræ Huniadiani adhortationes, cuius asseueratio, quo peritior earum regionum rerumque habebatur, eo veluti solidiori spe ab omnibus accipiebatur. Ille quidquid malorum exhaustum erat, frigus, famen lassitudinem, desperationem repetenda, rursusq; perpetienda dicere si regrediendum foret, tanto hominum iumentorumque vexatione maiori, quanto magis regionis naturalem vastitatem bellum etiam exhauxerat. Longe plus solitudinis, difficultatumq; à tergo relictum, quam emetiendum superesset, si progredi perseuerarent: multo etiam altiora montium iuga superata, quam per quæ in Thraciam transcendendum. Stare eos in limine horrei felicioris iam agri, biduoq; peruenturos non ad amœniora solum loca, sed rerum etiam omnium feraciora. In quibus præterquam quod reficiendo exercitui abunde omnia superfutura essent, tantum etiam prædę passim expositum, quantum referre fastidirent. Vnicum, atq; eundem vltimum laborem instare. Subinde non bellum fore, sed populationem. Meminissent, qua alacritate, per inaccessas cotes, & saltus inuios, etiam inuita natura, pauloante properassent. Qua virtute nihil actum foret, si victoriam non prosequerentur. Cæsos quidem ab se ad satietatem hostes, sed facile instauraturos exercitum; veriusque irritatos, quam victos dici posse. Rursus occupaturos ea, quæ ipsi deseruissent oppida, & à patria, penatibusque, & laribus postea propulsandum iterum bellum, quod in agro hostilem vincendo côuertissent. Incertum esse, an eadem felicitate arma semper sumerent. Dum Deus, ac fortuna cœptis fauerent, non temere omittendam debellandi Europam opportunitatem; vt omitteret, quam flagitiosum iis esset futurum, si felicitati suæ, atq; occasioni defuisse viderentur, Deum iis etiam iratum fore. Hæc, & plura eiusmodi sæpe vulgo, & in concionibus iactata ab Huniadiano, interdum etiam à Despoto, cuius vnica spes erat rerum suarum iterum potiundi, si bellum non intermitteretur, succumbentes aduersis non solum militum animos, sed ducum etiam sæpe firmauerant. Quumq; illi audirentur, videbatur vnusquisq; extrema quæque toleraturus, sed, premente subinde fame, cæterisq; temporis, ac locorum difficultatibus, rursus in pristinam desperationem recidebant, vicissentq; humanæ necessitates (vt contigit sæpe) verecundiam, nisi aduentus hostium renuntiatus, ne temere dilaberentur, cohibuisset, magis ne dissipatis, ac dispersis per loca incognita trucidari côtingeret, quam spe in tantis malis hostibus insultantibus resistendi. Sed iuuabat etiam vtcumq; cum suis vitæ virtutisq; supremum opus obire. Itaque vbi mox affuturum hostem cognouere lætari pro se quisque, & gratias immortali Deo agere, propter oblatam occasionem honeste in prœlio, atque in acie cadendi. Pauloante, non mortem, sed genus ipsum mortis grauissimum fuisse, quum, veluti enectis bestiis fame, in deserto esset extabescendum. Tantoq; ardore animorum arma vbiq; in castris expediebantur, vt facile intellectu foret, eos, sine ordine, sine imperio, si appropinquasset hostis, erupturos. Interea Huniadianus, qui cum paucis montem subierat, refert, hostes summa iuga insedisse, vt qui non acie dimicaturi venissent, sed regem tantummodo transitu prohibituri. Posuisse enim illic castra, lapidesque, & ligna comportando, tumultuario opere aditum ad [illegible] vndiq; communisse. Nec fefellerat eum coniectura. Namque vbi Amora[illegible] suorum cladem acceperat, veritus, id quod futurum fuit, ne bellũ in Thra[illegible], & Macedoniam transferretur, nisi propere misisset, qui arcerent: acci[illegible] copiis, quas in Asia habebat, cum reliquiis pauloante profligati exer[illegible] coniunxerat, eo consilio, vt per nullam occasionem fortunæ se com[illegible]o, insessis montiũ angustiis, transitu arcendo Vladislaum sub monti[illegible]erect. Satis superq; hyemem, famemq;, & cætera mala, quibus hostes

vexari constabat, contra illos pugnatura. Sed quem consilii sui exequendi principem fecerat, Phrigiæ præfectus Carambus vir manu, & ingenio promptus, quum, ex loco edito, animaduerteret tumultuantes regios in exercitu, & plerosque diuersis in locis non legitimo imperio, sed perturbate, ac temere ad pugnam erumpentes, alacriusque quam par erat, propter loci iniquitatem, per accliuum niti: simul se contemni impatiens, simul, & loco, & numero militum superior, victoriam in manibus se habere ratus, quasi rei bene gestæ decus, præuaricationis culpam dilutura mox esset, etiam contra id, quod in mandatis acceperat pugnare constituit. Itaque, explicatis ordinibus, signa in hostem deferri iussit. Id vbi rex animaduertit, ad suos, quos magis honestæ mortis, quam victoriæ spes temere ad montem agebat conuersus, aduocatisque Huniadiano, ac Despoto, & cæteris primoribus. Deus inquit, deus adest fauetque. Ille hostibus, quum insidentes montis fauces, per otium satiare possent oculos interitu nostrorum, fame malisque aliis passim pereuntium, mentem illic manendi abstulit, & nunc præcipites in eos agit, qui sic armati prosiliere, vt certamini superesse nolint. Rapiamus occasionem, animisque, & alacritate, quam nostri, vt honeste occumbant, extulere, vtamur ad victoriam. Ad quam nihil efficacius esse solet, quam si sine metu mortis pugnatur. Quo maiori desperatione in hostem feretur quisq;, eo violentius cædet, ac prosternet obuios. Et dum mori non recusat, victor euadet. Nec mora, producturus ipse cum Despoto & Iuliano reliquos in aciem, Huniadianum misit, qui temere sparsos colligeret, & quantum res subita properantiumque ad vltimum discrimen non ardor, sed propemodum rabies sineret, prouideret, ne cæca eorum temeritas plus hosti ad victoriam conferret, quam ipsius aut virtus, aut felicitas. Ille properè incompositæ multitudinis primos assecutus, vt quemq; pleniori gradu ad montem festinare intuebatur, admonendo ne cæco impetu veluti paratum iugulum hostibus offerret, (cuiq; enim non in sua morte, sed in hostium cæde laborum periculorumq; omnium terminũ positum) rogabat vt se in acie locari paterentur, etsi, tanquam victurus nollet, saltem in vltionem suæ quisq; mortis, acriter pugnare inducerent animum, non temere, quod pecudum esset, sed vt viros fortes deceret, atq; ex militari disciplina. Pertinere ad futuram famam, ne incruentam de se victoriam hosti permitterent. Hæc cum diceret, simul ordini, qualem casus, & tumultus præstare poterat quemq; applicabat, simul benigne retro agebat in proximam tumulis planitiem, ex qua placidius colles accliues haud difficillimũ ad se aditum præbituri videbantur. Quum interim rex quoque cum cæteris copiis accurrisset, & Turci nihilo segnius ex superiori loco decurrentes, eo iam peruenissent, vt missilibus ex interuallo prœlium committerent. Quorum eo minus vani ictus intercidebant, quo densius regiorũ agmen ardentioriq; studio ad excipiendũ hostis impetum sursum nitebatur. Multi priusquam cominus congrederentur, vulnerati. Sed vbi ad manũ ventum, & gladiis res agi cœpta est, ante alios Poloni desperatione, atq; ira occæcatis animis, inuadunt hostẽ, & posternunt, tam obstinato impetu vt locis aliquot minime sustineri posset. Cæpitq; aduersa acies, conturbatis ordinibus, nutare. Sed accurrens ad omnia discrimina Carambus, & plerosq; ex suis gladio, & vulneribus, alios voce, & maledictis increpitans, quod ab lassitudine, inedia, frigoribusq; enectis, per inanem trepidationẽ vinci se paterentur: certamen redintegrauit ordinesque restituit, identidemque, vbi acrius pugnari animaduertebat, circum clamitans, Cæcum scilicet desperatione hostem sponte in vulnera agi: tela tantummodo intẽdenda, ipsum se sua sponte iugulaturum: per omnes militis ducisque optimi conatus, tam periculosæ sibi pugnæ euentum distrahebat. Quum interea multi vtrinque aut caderent subito, aut tam grauiter vulnerarentur, vt delapsis in terram vires minime ad consurgendum suppeterent, conculcantibusque equorum pedibus, quanto lentius tanto miserabilius interirent. Sed maxime insigni, atq; horribili aspe-

ctu pa-

ctu patebant vulnera equorum per Polonos cruce signatos inflicta. Erat fere pedestre agmen, lanceasque gestabat, in eo modo à venatoriis distantes quod non punctim solum, sed cæsim etiam, ferro prælato, & oblongo, infeste vtroque modo feriebant. Itaque illi inter equites excursantes per loca modicis virgultis implicita, non tantum latera equorum mucronibus aperiebant, sed crura plerumque tota à corporibus detruncantes, ceruicesq; altissimis vulneribus incidentes magna ex parte ad pedestre prœlium Turcos redegerant. Qui eo genere pugnandi tanto facilius superabantur, cedebantq; sensim retro, quanto equestribus assueti insultibus peditum laborem minus ferre consueuere. Cæterum vbi equus, quo Carambus vehebatur, per ventrem lancea transuerberatus, dolore sæuiens inter hostes equitem profudit in caput, vulgatumque est, ducem aut cæsum, aut certe captum esse: multitudo ad montem conuersa, quod reliquum præsidii erat, fugæ se commisit, insequentibus Christianis, & fugientium terga passim cædentibus, tanto ardore animorum, vt ad summa vsq; iuga, per omnia aspera, atque inuia euasuri viderentur. Sed quum plus negocii ab locorum iniquitate, quam ab hostibus futurum appareret, & iam dies in noctem inclinaret, quo tempore etiam in planis æquisq; locis errabunda obluctantium vestigia periclitantur: rex prohibens vlterius insuperabilibus vim afferri, signum receptui suis dedit. Ex aduersa autem acie, qui cædem effugerat, pauore, ac festinatione amentes, per saxa præcipitia rupesq; abruptas, proiectis armis, & manibus cotes innataq; illis virgulta prehensantes, ægre nitebantur, euadebantq; ad suos, qui munitiones, castraq; verticibus imposita seruabant. Inter pugnandum Carambus, aliiq; viri multi genere, ac factis insignes capti. Plures tamen cæsi in fuga. Itaq; amisso duce, & roboris pene quantum fuerat in exercitu quum appareret, Turcos minimè toleraturos impetum, si ad eos infestum agmen ire pergeret: postero die rex sub aditum, quem insederant hostes, castra posuit. Extulerat suorum animos pugna prospera, nec minus stimulabat cupiditas transcendendi in loca commoda leuandis malis, quibus misere affligebantur. Exindeque aut victoriæ, aut necessitati nihil imperuium arbitrati, contra ardua quæq; per accliuum obluctabantur. Nec segnius ab hoste desuper petiti, missilibus pene obruebantur. Videns itaq; rex naturæ difficultatem obiectam suis, & quod suo ingenti, hostium vero nullo discrimine ad montis verticē peruenire conabantur, temere effusum agmen in castra reducturus properabat. Moxque præter quam quod satis in ea expeditione actum credebat, animatis suis vincere, & vinci desuetis, hiemi locorumque asperitati cedere instituerat. Cæterum Huniadianus obstinatus cuncta prius experiri, quam desistere à prosequenda victoria, quum animaduertisset, obliqua montis nuda vepribus, & ad ascensum clementer accliuia: illac euadere in summum iugum posse arbitratus, suos circumegit. Prominebat in abruptum vertex editissimus, & Turcis, ascendentium sub se montem aspectum adimebat. Eoq; non facile solum, sed etiam tuto miles ingrediebatur. Quod vbi rex percepit, mutata sententia, subsequi Huniadianum cœpit cum reliquis copiis. Peruenerat iam prima militum manus in iugum æque editum, atque id quod insederant Turci. Sed in immensum hians saxum progredi vlterius non sinebat. Quo quum Huniadianus quoq; ascendisset, videretq; hiatum, propter magnitudinem, neq; tumultuaria materia impleri posse, neq; ponte coniungi, quum haud plus stadiis duobus ab hoste distaret: submisit impigram expeditamq; militum manum occupaturam recto itinere aditum in montem, si Turcos paululum submoueri contingeret: confestimq;, obuersis firmatisq; in illos machinis, haud mediocris magnitudinis lapides contorquebat. Quorum præter consternationem, quam insuetus horrendusq; fragor animis incutiebat, vis improuisa minimeq; tolerabilis, propter lapidum magnitudinē multos in principio obtriuit: parumq; abfuit, quin nouæ fœdæq; stragis subitò terrore & clade perculsi, omnes locum desererent: quippe quod vnius lapidis impetu, complures sæpe

Digitized by Google

diuerso genere mortis absumi intuerentur. Nec mali illius euitandi alia, præterquam fugæ ratio succurrebat. Sed Alibecus, post captum Carambum militari consensu dux à suis creatus, admonens eam pestem vitatu facilem, si, fragore audito, post eminentes cotes illico procumberent, non modo ab incepta iam fuga eos retinuit, verum etiam ad resistendum animauit. Quum itaque semel, atq; iterum emissa in se tormentis saxa fœliciter elusissent: intrepide inde arcebant deturbabantq; regios, qui aditum occupare conabantur. Quod vbi Vladislaus animaduertit, veluti, securis hostibus, absistentium suorum eminus conatus omnes non hominibus sed locis expugnandis irritos fore iam crederet, desperata cominus congrediendi facultate, quum rigor hiemis, & ob quam transcendendorum montium spes maxime pellexerat, commeatuum inopia premeret, vltra quam sustineri iam posset: retro agendi copias rursus consilia cœpit agitare. At Despotus, cui omnia æquiora toleratuq; minus dura apparebant, quam belli eius intermissio, per quod fortunam dignitatemq; pristinam recuperaturũ se credebat; ignominiosum fore asseuerabat, si capto duce, debilitatoq; hostium exercitu, qui victi iam non armis, sed vt pauidæ feræ, cotibus, ac speluncis se tegerent, terga verterent. Eadem illos cum rerum omnium penuria, tum aëris intemperie, qua & regii laborare; moxque humanis necessitatibus cessuros; si paululum perseueraretur. Non committendum, vt fluentia luxu Asiana corpora, tolerandis difficultatibus superasse viderentur Germanorum Hungarorumq; iam tum ab infantia, cœli, terræq; rigoribus duratos artus. Daturum se pecuniæ, quantum foret opus, frumentis coementis, quorum copia circum omnia loca abundarent. Iulianus quoq; haud ferme his dissimilia iactando, ab instituto regem auertere conabatur: sed fame, ac frigore extabescentibus hominibus, iumentisq;, quum paterentur vulgo grauiora vtiq;, quam quæ ancipitis spei consolatione leniri possent: peruicit in desperatis animis necessitas (vt fit) honesti rationem, & conuerso agmine, in planitiem descendere. Mox collectis impedimentis, præmissisq;, retro qua venerant subsequebantur. Turci vero vbi vinci se posse, hostem desperasse percepere, læti secum, & inflati noua spe, iuga montium deseruere, subsequendoq; abeuntes crebris à tergo impressionibus vexabant. Et licet non magnas, frequentes tamen clades inferebant. Sed plerumq; accipiebant. Conuersis enim in eos expeditissimis quibusq; manũq; conserentibus, multi ex illis cædebantur. Et si regiorum quoq; impetus plerumq; frustrabatur, refugientibus statim Turcis, qui mox conglobati rursus infesti aderant. Quandoquidem multa præda impedimentisq; grauis exercitus, minime properare poterat. Silua est densa non tam frequenti, & procera arbore, quam ramosa, & ad radicẽ fruticante, præterea implicita vndiq; sinuosis quibusdam, & stagnanti cœno voraginosis anfractibus: quales obsoleti fluuiorum meatus; vbi aut humana arte, aut vi naturæ cursum aqua immutauit: eamq; ob rem fere tota imperuia, &, sicubi transitum præbet, angusta est admodum via, & frequentibus commissa ponticulis. Ad eam ventum quum esset: præmissa cum sarcinis leui armatura, in postremo agmine, quod veluti murus, antecedentium terga protegerent, hastatos equites collocarunt, progrediebanturq; ad iter. At Turci, quotidiana insultandi consuetudine superuenientes, quum magna pars equitatus in siluam progressa foret, impetum faciunt in vltimos, quorum clamor præcedentes subito ad se conuertit. Et vt quemque succurrendi suis studium, & festinatio inconsulta rapiebat, ita extra viam egit in loca cœnosa, & palustria. Ex quibus diu luctati in pedesq; recepti, ægerrime, quũ se, atq; equos expedirent, propterea quod vliginosa terra, hominum iumentorumq; vestigia altissime in se recipiens difficilius remittebat: datum est Turcis spatium capiendi ex postremis equites circiter octuaginta. Sed cœno tandẽ regii, atq; vligine expliciti, refugientesq; assecuti, suos liberauere, nec minus sexaginta supra centum ex hostibus captos iugulauere illico, reliquis fusis fugatisq;. Multoq; difficilior eis cum natura loci luctatio

fuerat,

fuerat, quam fuit postea pugna in patentibus campis, cum hoste commissa. Cæterùm quum & fames quotidie grauius vrgeret, & tam frequens Turcorum insultus, ad cætera mala per lassitudinẽ tandem pene ad internecionem exercitũ mulctaturus appareret: placuit comportari simul, succendiq; quicquid erat inter sarcinas, quod exercitui magis tunc oneri esset, quam vsui postea futurum, tum iumenta debilia, aut superuacua interfici, & arma, quæ aut ex defunctis militibus, aut ex præda supererant, terræ infodi. Quibus diligenter peractis, exercitus subinde, velut ex purgatione redundantium rerum, nouum quendam vigorem cùm accepisset; maioribus itineribus, quam vt otiose insultando insequi Turcus posset ad Belgradum se recepit. Ibiq; diebus aliquot militi ad quietem datis, rex, vnde mouerat, Budam contendit. Vbi postquam cognitum est, eum ciuitati appropinquare, præcedentibus in sacro ornatu, & solemni cæremonia sacerdotibus, ingenti numero, populus omnis generis promiscue effusus cum gratulatione reducẽ salutauit excepitq;. Ingrediebatur ipse pedes ex voto, templum prius, quàm regiam, aditurus. Præibant verò captiui insignes cum Carambo: tum militaria signa hostibus adempta, cum parte prædæ, quæ supererat, præferebantur, subsequentibus militibus, ante omnes, Polonis cruce signatis, laudesq; & nomen regis militari alacritate in cœlum ferentibus. Ipsum vnum esse, qui regias artes virtutesq; non nosset solum, verum etiam impleret. Cæteros per ignauiam & socordiam ætatem agere in domestico luxu, prodita, ac deserta re Christiana. Quæ tum primum caput attollere incipiens, breui ad pristinum decus amplitudinemq; esset peruentura. Sed & iuxta regium decus, Huniadiani nomen celebre apud multitudinem audiebatur. Cuius maximè ingenio ac virtute in rebus bellicis victoriam adeptam credebant. Cæterùm multò insignius futurum fuit spectaculum, si necessitas expediendi exercitum magnam pompę partem non ademisset, rebus multis vltrò concrematis in itinere, aliis sub terram relictis. Postquam verò laudes gratesq; ob rem benè gestam, Deo actæ, signa tholis suffixa, & repetitis egregiè factis dictisq; cuiusq; ex ducibus pro meritis singuli præmio affecti: mox, vt eorum virtus ad posteros quoq; testatior redderetur, insignia cuiusq; cum titulis, in conspectiore parte templi, ditissima diligentiq; pictura effigiata.

PHILIPPI CALLIMACHI DE REBVS GESTIS A VLADISLAO Polonorum atq; Hungarorum Rege

LIBER III.

VULGATVS reditus, ac victoria Vladislai omnium ferè Christianorum Principum legatos ad se exciuit: sed inprimis frequentes conuenere ab vniuersa Italia, quam ea tantummodò fiducia tenebat, minimè se vexatum iri à Turcis, si eos Poloni & Hungari aut subiicerent sibi, aut certè non absistendo à bello iugiter oppugnarent. Vno omnes ore ac consensu, affuisse Deum, affuturumq; asseuerabant pio & iusto bello, & quæ ad id locorum gesta erant efferentes, ad reliqua exequenda exhortabantur, sed ante alios, Pontifex maximus Eugenius, Venetiq; & Genuenses cum Philippo Burgundionum duce. Hi ad laudes partæ victoriæ, adhortationesq; nouæ expeditionis instaurandæ, adiiciebant etiam pollicitationes subsidiorũ, seq; ingentem classem in Hellespontum missuros spondebant, per quam Turci ex Asia transmittere, seq; cum Europæis coniungere prohiberentur. Qua ratione facillimum foret in Europa debellare: in qua pauci admodum superessent hostes, & hi trepidi ac perculsi, & non nisi vinci assue-

ti. Modo paululum rex anniti vellet, exterminari omnino tota Europa impiam execrandamq; Musurmanorum superstitionem posse, re Christiana in perpetuum aucta & stabilita. Ioannem etiam Palæologum Græcorum imperatorem, cuius fortunam maiestatemq; Turci non modo labefecerant, sed pene etiam euerterant, successus Vladislai extulerant in spem rei dignitatisq; suæ in integrum restituendæ. Missiq; sunt etiam ab ipso oratores, qui præfati ea, quæ facere visa sunt ad tanti euentus gratulationem, diuina humanis commiscendo, religiosa asseueratione nuntiauerunt, visum esse à plerisq; Constantinopoli, ante portam, quæ in Macedoniam fert, equestrem iuuenem candida veste ornatum, per speciem lætitiæ, hac illac excursare, eadem hora, vt postea compertum fuerat, qua res à Christianis contra Carambum prospere gerebatur, moxq; euanuisse. Id visum omnium animos primo sollicitos habuisse, subinde, cognita regis victoria, illius nuntium vulgò existimatum. Cæterùm prudentiores, & quos aut vitæ sanctimonia, aut profundæ alicuius disciplinæ cognitio peritos futurorum reddidisset, non tàm credere Vladislai successum diuinitus Græcis nuntiatum, quàm eos admonitos temporis, & occasionis suæ. Turcorum in Europa rem pene profligatam, in Asia etiam fluctuare, molientibus res nouas circum adiacentibus Tetrarchis. Ideoque non cunctandum vlterius, sed trepidos suaq; imbecillitate, ac vi aliena laborantes subitò opprimendos. Qua persuasione eorum Imperator excitus, cum suis quidem armatus ex parte altera esset affuturus, si modo regi cordi esset, primo quoq; tempore eam victoriam prosequi, quam, Deo duce atq; auctore, vel exinde adeptum esse constabat, quod diuinis etiam nuntiis fuisset peruulgata. Accedebat ad hæc supplex Despoti ambitus, & quotidianæ preces obtestationesq; cum lacrymis, tum instans Iuliani adhortatio vocesq; assiduæ, multoq; iam efficatiores apud animos, primæ expeditionis successu elatos. Quibus ne magno animo rex subitò assentiretur, res Polona continuit. Venerat enim eodem quoque tempore legatio à Polonis gratulatum, & ipsa quidem regiæ felicitati: Cæterùm tentari iterum fortunam non prius oportere admonebat, quam cum proceribus Polonis, vel in finibus regni consilio inito, prius rex expediret, qua ratione rebus domi constitutis ac firmatis, externum bellum regni sui securus prosequeretur. Non videri rationi consentaneum, sollicitum esse quenquam de rebus alienis, antequam sua in tuto collocasset. Recensebat deinde, in qua deformitate Polonia esset, quid licentiæ vbiq; insolesceret, quis in priuatis cupiditatibus ardor, quæ in publicis opportunitatibus negligentia. Ex his nactos occasionem Tartaros, magnam Russiæ ac Podoliæ partem depopulatos. Sed & præterquam quod priuatæ procerum simultates ad vulnera & cædes iam peruenerant; à finitimis per latrocinia tanquam iusto bello etiam prædas abigi, inprimisq; à Boleslao duce Opoliæ. Ad ea vulgari, Casimirum ex Lituania bellum Masouiæ propediem illaturum. Quibus malis succubiturum omnino regnum, nisi subitò succurreretur, affirmabant. Quæ regis animum eò mouebant magis, quò verius dici nuntiariq; sciebat. Tamen ne regni vnius priuata necessitas publicæ omnium Christianorum rei apud mentem suam præponderare appareret: prius collaudato singulorum, quorum legationes aderant in se officio ac beneuolentia, nec minus pietate in religionem, ac Deum immortalem, cæteros omnes oratores sic ab se dimisit, vt qui sperare possent facturum ipsum postulata. Polonis verò dixit, conuocaturum se illicò Budam Hungarorum optimates, daturumq; enixè operam constitutis omnibus, quæ ad pacem bellumq; eius anni attinere viderentur, vt mox ea, quæ ipsi petierant, exequeretur. Constituta subinde Hungaris conueniendi die, vt si communi iterum consensu educenda censeretur in Turcos expeditio, stabilior quies domi relinqui posset, data fide, absoluto conuentu ad sua quemq; inuiolatũ remissum iri, Iscram etiam, magistratusq; ciuitatum, quæ ab illo dependebant, placuit per literas accersiri, licet aduersante Iuliano, qui præsentibus Bohemis nihil, quod quidem

ad reli-

ad religionem pertineret, rite transigi posse arbitrabatur. Sed confirmauerat regem in sententia Franco Banus, dicens, non esse eius temporis, quærere, quid sentirent, vellentve Bohemi de cærimoniis institutisq; Christianę professionis, deq; Romani pontificis, aut ritibus, aut præceptionibus in sacris tradendis suscipiendisq;. Aliam esse eorum causam, quibus satis esset verbotenus de religione disceptare: aliam vero eorum, quorum cum religione simul vita, & libertas periclitaretur, & manu non lingua tueri se cogerentur. Si quid in Bohemorum mentibus foret aut à sacra Christi historia, aut ab eiusdem mysteriis alienum, non defuturos postea emendandi occasiones, & tempora illis, quorum interesset. Interea nihil satius in adeo ingenti non eius tantum regni, sed totius quoque Christiani nominis opportunitate, quam vti opera quorumcunque, & in primis Bohemorum, qui ad manum essent, & in priori expeditione (quo ad tuendam religionem pertineret) non solum pii, sed etiam constantes cogniti essent. Nec totidem volonos cruce signatos ex reliquis omnibus Christianis nationibus accurrisse, quot ex vnica, & haud sane numerosa ipsorum gente. Ad extremum adhiberentur nec ne ad eiusmodi consultationem, magis quam alterius cuiusquam, interesse eorum, qui illos erant vocaturi. Quandoquidem eo blandimento illecti, maiorumq; gerendorum gloria incitati, si nihil aliud, saltem domesticam securitatem præstare possent; spreti, præterquam quod certi hostes, etiā irati in regni gremio essent remansuri. Igitur postquam omnes conuenerant, dies aliquot extracti extinguendo intestino bello. Verum vbi nulla iniri ratio potuit eius ex toto abolendi, consensum est in biennales indutias: Quibus durantibus, captiuos vtrinque dimitti placuit, ea conditione, vt, indutiis exactis, reuerterentur in vincula, & custodiam, si de pace interim non conueniret. Lætis subinde omnibus, quod, datis acceptisque indutiis, domi nihil, quod inter suos magnopere timeri posset, relictum videbatur: proposita est belli externi consultatio, & plerisq; aliis, sed Despoto, & Iuliano in primis instantibus, publiceque, ac priuatim asserentibus præparari, affuturaque in tempore auxilia à pontifice maximo, cæterisque principibus Christianis, facile, recenti adhuc victoria elatis, fidentibusque animis, persuasum, vt redintegrandam expeditionem censerent: Apparebat enim, accedentibus terra mariq; tot potentissimorum principum nationumq; auxiliis, facilime deleri posse eum hostem, quem paulo antę, præter haud sane multos volonos cruce signatos, nemine omnino opitulante, suis tantummodo armis, ac viribus fudissent, fugassentq;. In eum itaq; sumptum, decretum est extra ordinarium tributum, subito ab indigenis exigendum, quæstoresq; ad id designati: bellici autem apparatus tota cura Huniadiano delegata. Sed & nuntii decreti, qui ea, quæ apud Hungaros, & Vladislaum constituta erant, ad quos maxime oportebat, principes, nationesq; perferret. Venerat Budam ad eum conuentum Pancratius Sanctonicolaus, partium quidem Vladislai assertor, sed qui omnem regionem, quæ à præterfluente Vago abluitur, latrocinio infestam tenebat. In quem quia domesticam quietem turbare videbatur, publicum plus odium valuit, quam liberi conuentus reuerentia. Captus enim est à multitudine tumultuosius id efflagitante, præcipiteque impetu in vincula coniectus, & subitarium de iis, qui sceleris participes erant, sumptum est supplicium. Nec temperatum foret ab Iscra, in tam præpropero ardore animorum contra publicæ fidei sanctitatem: nisi Vladislaus, vbi multitudinem vehementius concitatam vidit, quam vt monendo hortandoq;, verecundia æqui boniq; cohibere posset, nonnullos Polonos confestim submisisset, qui, per posticum eductum, mutatis vestimentis, Iaurinum perduxere. Quo facto rex ab Iscra postea nunquam nominatus est, sine reuerentia, & præfatione honoris, cum vindicem suum, seruatoremque appellaret. Rebus igitur sic administratis in Hungaria, Vladislaus ad fluctuantem paterni regni statum, & molitionem Casimiri in Malouios, animum conuertebat, volebatq;, dum tributa exigerentur, dum gerendo bello vsui fu-

tura pararentur, transcendere in Poloniam, factiones intestinas illic quoque sedaturus, consultaturusque, quo pacto licentia latrocinantium ex Slesia, & Lituanicus motus supprimeretur. Sed & magnopere gestiebat, secum, post tot tantasque res feliciter gestas, sese matri, ac suis ostentare. Cæterum, præter id quod apparebat, Polonos omnia facturos, vt non dimitterent ab se regem, nisi quæ ad pacem suam facere crederent recte prius constitutis: Hungari etiam veriti, ne aut iuuenilis animus, dulcedine quietis in paterno regno remolliretur, aut à matre cæterisque necessariis auerteretur à periculis in bello Turcico subeundis: Despotum, & Iulianum tanquam duas machinas ad eam cogitationem expugnandam, regemque in Hungaria retinendum admouere. Illi satis superque, ad id per se prompti, nec minus ab aliis stimulati, hortando, rogandoque peruicerunt, vt Polonis rex in præsens per legatos excusaret necessitatem, ac magnitudinem suscepti negotii: à quo sine insigni nota ignominiæ, proditis illis, quos ad belli societatem exciuerat, sine summo etiam periculo abesse non posset: cum quidem Turcus cognitis quæ à Christianis parabantur, ingentem congregasset exercitum, impetiturus vltro Hungariam, nisi sua defendendi necessitas ei prius obiiceretur. Quibus adiectum est etiam negotium impetrandi, propter nouam expeditionem, auxilia, nec à Polonis solum, verum etiam à Prutenis, à quibus præterquam quod ex professione sua deberentur, apparebat etiam eo iustius peti, quo à priore bello otiosius abstinuissent. Cæterum vti ea postulatio irrita apud Prutenos fuit, ita dilatus regis aduentus magno malo Polonis stetit. Quum enim vniuersorum animi erecti in expeditionem illius, quieta secum, & ciuilia agitare cœpissent: vbi intellectum est regem minime affuturum, illico veluti certam impunitatẽ, & licentiam nacti, sese ad consuetas artes conuertere. Et præter id quod mutuis simultatibus, multa inter se fœda committebant, facile etiã exterorũ iniurias tollerabant. Sed & finitimi, eandẽ ob causam, impune latrocinabantur: captiq; sunt, & rebus suis exuti ab illis, multi negotiatores homines honestissimi. Prędæ etiam ex agris propèmodũ licentius, quam si bellum indictum esset, abactæ. Sed ante omnes insignis fuit rapina ducis Opoliensis, interceptis per insidias quam plurimis negotiatoribus Cracouiensibus, dum Vratislauiam ad nundinas proficiscerentur: quam iniuriam, cum publico sumptu, ac viribus vindicanda censeretur, placuit tamen prius ad regem perferri. Ille, ne quid, se absente, vi tentaretur edixit, sed vt iure res repeterentur, seq; opportune, si minus restituerentur, affuturum spopondit. Dum ea cum Polonis agerentur, satisq; ad bellũ prouisa, & constituta essent omnia in Hungaria: visum est denuo significare Constantinopolitano imperatori, vt se cum suis præpararet moturus ex parte altera, vbi Vladislaus ad Thraciæ Macedoniæq; fines cum exercitu peruenisset. Nec minus admonere etiam fidei, ac temporis pontificem maximum desistebat, cæterosq; qui paulo ante obsidendi Hellesponti vltro negotium curamq; susceperant. Itaq; illi nihil dissimulantes, congregata, instructaq; ad Caietam septuaginta triremium classe, iusserunt illico Franciscum Albertum cardinalem Florentinum nauigare in Hellespontum, obsessisq; illic littoribus opportunis, obsistere, ne quid subsidiorum à Turco ex Asia posset accersiri. Ad quam rem summo studio maturandam, præter Vladislao datam fidem, & religionis curam, quæ principes intentos faciebat: fama, qua vulgabatur, Caramaniæ regẽ cum validissimo exercitu in Pontum & Bithyniam, Turcos oppugnatum venire, etiam promptiores fecit. Quum viderentur omnia, veluti quodam diuino nutu, ad id præparari, vt superstitio impia, & fœda pessundaretur, perculerat & Turci animum moles instantis à Caramano belli, cui sustinendo imparem se fore sciebat, nisi integer illuc se conuerteret; & videbat, dispertitis viribus eodem tempore Polonis, atq; Hungaris terra, Italis vero etiam mari esse occurrendum: quum nihil ignoraret eorum, quæ cõtra se summo consensu,

summo-

summoque conatu ab vtraq; gente parabantur. Et proximo etiam bello, cum magna suorum clade, Vladislai vires, ac felicitatem expertus eo timebat magis, quo intelligebat certiora & validiora subsidia illi affutura. Igitur, ne copias suas distrahere in diuersum, & propemodum, sine spe resistendi, separatim eas summis discriminibus obiicere cogeretur: ratus cæterorum animos facile posse ad pacem inclinare, si Despoto prius persuaderetur, nuntios ad eum clam submisit, qui veluti de Carambi redemptione agentes, per occasionem proponerent illi, cum libertate filiorum, pristinæ fortunæ decus, atq; amplitudinem, si æquabilis concordiæ cum rege ineundi auctor ipse fieri vellet. Ille se dolo, atq; astu à perfido hoste tentari primum ratus, oratorum verba diffidenter audiebat. Cæterum vbi instando agendoq; vt crederetur extorsere, cœpitq; illius animus ab incerta spe victoriæ ad præsentem certamq; principatus sui possessionem conuerti, quum non ignoraret, filios interim fœdo in carcere cathenis vinctos, & iampridem crudeliter oculis mulctatos, ludibriis quibusq; esse expositos, & vltra quam paternus animus pati posset, diutius indignis, atque acerbis modis iactatos per opprobrium, & calamitatem in sorde, ac squalore vexari, eaq; res non minus, quam euersa status sui fortuna sollicitum haberet: rem, prout offerebatur, ad Huniadianum pertulit. Qui, & si pristinæ felicitati viribusque fidebat, ad eaque auxiliares etiam copias terra marique accessuras sciebat; tamen cum intestinum bellum in Hungaria non extinctum, sed dilatum, Fridericumque in propinquo diuitiis, & auctoritate præpotentem hostem videret: reputans quam varii, inopinatique casus in bello dominentur, ne, si quid aduersi mala fortuna obiecisset, Vladislaum subinde facili negotio, regno eiici contingeret: illatam à Turco pacis mētionem haudquaquam aspernandam censuit, præsertimque etiam, quod Despotus, per cōcordiam, pene plura assequenda proponebat, quam posset bellum etiam felicissimum repromittere. Sed ante omnia, quibus tandem conditionibus, re vera, pacem firmare vellet, à Turco exquirendum putauit. Quumque nuntiata sibi per Despotum tam de redimendo Carambo, quam de restituendis iis, quæ bello repetebantur, vera esse comperisset: transegit ante omnia de pretio captiui: pro quo quinquaginta aureorū millibus acceptis, nihil interim prætermittendo ex his, quæ ad acerrimi belli motum præparanda fuerant, monet regē, vt quam maxime fieri posset numeroso instructoque exercitu, Idibus Iuniis, ad Segedinum moueret. Ibi legatos Turci petentes pacem affuturos. Offerri quidē vltro conditiones haud incommodas tempori, & rebus regni: cæterū vim paratam in conspectu multo meliores extorturam. Sollicitus adhuc secum Vladislaus de statu Poloniæ periclitante, mentionē pacis lætus audiuit, haud ignarus, facile fore, vt iis viribus, quas ad externū bellum comparauerat, domi vtriusq; regni sui res in perpetuum stabiliret, sublatis omnino, aut eiectis iniuriarum seditionumq; principibus. Sed & cęteri omnes, post tot annornm non intermissum bellum, cessationem quietemq; aliquam à Turcis desiderabant. Venit itaq; rex cum suis, præstituta die, in Segedinum, quo Despotus Huniadianusq; antecesserāt cum Turcis oratoribus. Quorum princeps Græcæ nationis homo, sed Musurmanorum sectam professus, vbi in conspectum regis venere, ita verba fecit. Si, commisso inter nos belli discrimine, rex inclite, nunc demum ad petendam pacem veniretur: videri forsan posset Amoratus imperator noster, viribus suis diffidere: sed quum multo ante, quieta consilia proposuerit tibi, quam manum conserendi aliquando tecū cogitatio quæpiam subisset, inque meliori fortuna sua iam tum egerit apud te de amicitia ineunda, non debes existimare, noua potius aliqua necessitate tunc permotum, quam consilio eodem, quod à principio sibi persuasit, te fœderis, ac pacis mentione prouocandum. Neque enim semestri victoria tua credere oportet, fractos abiectosque esse animos nostros, continua felicitate iam tot annos, supra omne fortunæ discrimen elatos. Quos etiam si nihil aliud erigeret firmaretq;, vtique vidisse, nos toties à vobis effusissime fugatos,

Digitized by Google

victosque, reparare subito copias, victoribusq; vltro insultare, satis efficax exemplum foret, ne, mediocri clade accepta, & quæ tota ducum nostrorum temeritati queat imputari, de fortuna viribusq; nostris subito desperaremus. Atque ideo non tanquam aut necessitati, aut desperationi cedentes nos audiendos putes, sed vt qui minime contra alienam felicitatem tendentes, modum terminumq; nostræ constituimus. Quumq; gloriam partæ nuper abs te victoriæ, præsentisq; apparatus magnitudinē oculis, atq; animo metiris, quantum vtrique credere oporteat, tibi documento nos simus, toties prius victores, eisdemque, quibus tu modo humanę felicitatis blandimentis inflati. Nullius magis interest, casibus se subtrahere, quam cuius felicia initia nondum sortem alteram sunt experta. Paulo ante, vix pubescente ætate, quum paterno regno administrando minime satis par credi posses, accitus es ad alterum pariter regendum, præterquam quod magnitudine sua fortiori ætati intolerabile, externis bellis, ciuilibusque factionibus etiam implicitum. Magno animo susceptæ à te conditioni adeo successus affuit, vt, bello domi statim pene extincto, arma in nos conuerteris, &, quorum nomen prius vix sustinebatur, facile posse vinci docueris. Quo benignius ausus tuos fortuna confirmauit, eo, ne destituat, præcauendum est magis. Præsertim, quod non qui plurima, sed qui quam gratissima, & firmissima quæque possidet, iure felix appellatur. Porro quid tibi gratius esse potest aut debet quam paternum regnum? Quid firmius, quam adiecta illi, cum pace nostra, Hungaria? Sed blandiaris cœptis tuis, & quantumuis de successu stabilitateque fortunæ tibi pollicearis: nempe vt Despotum in sedem suam restitueres, celeberrima duo tua regna in discrimen seruitutis adduxeris, haud sane æqua laborum periculorumque mercede illectus. Quod si id quod tanta belli molle quæritur, minime tanti est, vt tam magno discrimine peti debeat, quantum sentimus, non minus tua, quam nostra interest, videre, ne de alienis solliciti nostra labefactemus. Concordiæ, ac pacis, multæ vtrinque dici, accipiq; honestæ conditiones possunt: belli vnicus futurus exitus, euersio scilicet patriæ, diuinarumque, & humanarum rerum omnium, apud eos qui victi fuerint. Si præteritorum meminisse placet, habemus & nos quid arma nobis, & vires polliceantur. Cęterum cedere casibus, quam obluctari humanę imbecillitati magis conuenire cēsemus: tuum est, reputare cum tuis, malitis ne capere exemplum instabilitatis fortunæ, ex rebus nostris, an in vestris eam experiri. Inclinati in eam sententiam iamdudum animi facile permoti sunt, vt de pace ageretur. Disceptatio maior fuit in conditionibus approbandis, agente Turco de reseruanda sibi Bulgaria, fodinisq; argenti, cum plerisq; oppidis in Seruia: Vladislao legitimis dominis singula restitui volente. Tandem in id conuentum, vt Bulgaria tantummodo in ditione Turci remaneret: cætera omnia quomodocunq; occupata ab eo, iis restituerentur quorum iuris fuerant ante bellum: captiui, qui supererant, vtrinque soluerentur, inprimisq; Despoti filii. Dies deinde constituta, in qua oppida ciuitatesq;, prout pactum erat, traderentur paxq; in decennium conclusa, non aduersante etiam Iuliano, non tam, quod non ex animo rem improbaret, quam quia aut non succurrebat quid spei proponeret tot tantisq; vtilitatibus compensandis, si in præsens negligerentur, aut, quia in tam constanti consensu omnium, clausas mentes admittendæ rationi intuebatur, expectabatq; admonendi tempus oportunius: sed misere interim animo cruciabatur, reputās, suis maxime factū adhortationibus, vt Veneti, Burgundusq; & pontifex maximus classem ad Hellespontum mitteret: seq; exinde aut vanitatis, aut perfidiæ ab illis arguendum videbat, si pax, vt conuenerat, seruaretur. Cæterum quam grata ea pax Hungaris fuerit, memoria veterum cladium, sanguinisque effusi recuperandis illis, quæ vltro tunc restituebantur, vel exinde licebit æstimare, quod eius, vt videbatur auctori Huniadiano, virtutis & honoris ergo data sunt oppida, & loca omnia, quæ alendo in Hungaria Despoto fuerant prius assignata. Et quum Turci peterent

vt in

vt in confirmandis pacis conditionibus, prolata in medium sacra eucharistia rex iuraret: haud quaquam fortiter contra tendebant, ne si id iurandi genus deprecarentur, suspicari posset parum sincero animo transactum de concordia: cuius adeo vehementi studio tenebantur, vt vitarent etiam suspiciones singulas quibus perturbari posse apparebat. Sed Gregorius Sanoceus, vbi regis quoque animum à tam improbo facto haud omnino abhorentem vidit; religioso veluti furore percitus, Deus, inquit, Deus tam execrabile scelus auertat, vt qui paulo ante contra impios pugnantes, omnia tristia, difficiliaque perpessi sumus, dum vinceremus: nunc rursus pro religione armati, & propemodum victoriam manu tenentes, sacrosanctum diuini mysterii arcanum sub profanorum oculis sponte proferamus. Quid prima, quid hac secunda expeditione à nobis petitum? quid adeo ingentem belli molem ex tam diuersis inter se regionibus Italia, Burgundia, Thracia euocare, quid denuo arma induere, quid hucusque progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erant? minori nostro facinore per ignauiam domi inermes sedendo, pati potuimus illa profanari, quam nunc simus armati prodituri. Pudeat nos gratulationum quibus nuper victores accepti; pudeat laudum, quibus, vt Christianæ rei seruatores prope in cœlum modo elati sumus; pudeat denique obnoxios adeo nefariis cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ reges, & principes spes suas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi, & nationes, omnibus in templis ad Deum supplices manus tendant, pro victoria nostra vota nucupando. Quanto sanctius prisci Romani, qui, capta à Gallis vrbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodere? Nos victores, nostra vltro impiis prodere cogitamus, committemusque, vt religiosius ab illis inanes quædam diuinorum persuasiones seruatæ dicantur, quam à nobis sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus, ac mysterium; & publice nos eo facinore contaminabimus, quod si vnus quispiam sacrilega audacia perpetraret, seuerissime vindicaremus. Omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modo ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem, ac pignus defectionis nostræ impiis exhibuerimus: quid de nobis hostes sentire poterunt, videntes nos tanti pacem æstimasse, vt non minus sacrilege iurauerimus, quam ipsi impudenter postulauerint? Sed, vt hæc, pacis vtilitas leuiora videri faciat; omnia, quæ aut in nostra, aut aliorum secta, religiosa altius elata sunt, quam quæ humanis sensibus attingi queant, cærimoniarum velamento, sanctoque arcano mortalium animis infunduntur. Quæ si nuda in medium protrahantur, quia nullo humanæ rationis argumento subsistunt; & temere asseuerari, & impudenter peti, vt credantur, apparet. Audiuere dudum hostes, Deum à nobis præsentem coli, asseruarique in sacrariorum penetralibus: & quia ignorant, quo id pacto contingat quum de eo cogitant, nihil simile his, quæ terrena, & momentanea cognoscunt, sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit, & id, quod quale sit nesciunt tantæ nostræ de eo asseuerationi par figurant. Nos hanc ipsorum persuasionem, patefactis arcanis nostris, corrumpemus, elatasque ad diuina & cælestia de sacris nostris mentes, ad caduca, & terrena reuocabimus, specie panis in conspectum exhibita, qua verum corpus Christi contineri, vt nos quidem scienter credamus, efficit diuina institutio, gratiaq; in qua nati sumus. Quibus illi orbati quum res per se fidem non faciat, restat vt nos irrideant, veluti minime possibilia credamus. Nolite per Deum cōmittere, vt aboleatur sacer ille horror, quo ipsorum animi perstringuntur in bello, quū secum reputant, inituros se prœlium contra nos, quibus adeo propitius sit Deus, vt propemodū videndus nobis coram pariter inter nos versetur. Quantū de nostra deq; religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur, tantū crescet apud illos audacia, credituros subinde, vt ipsis quidē videbatur, ex specie, quā intuebuntur, nos nō modo in veri Dei tuitione non esse, sed nec in alterius cuiuspiā. Multis modis sta-

bilitati conuentorum caueri potest (quamuis ad fidei pignus, regium verbum satis esse deberet) aliæque inter priuatos cautiones, aliæ inter principes exhibentur. Ad extremum, relicturum se profanata castra asserebat, si eo modo rex iurare pergeret. Itaq; quum videretur tam vere, quam è religionis æquè ipsorum, quos alloquebatur vsu, & maiestate, dixisse: constitutum est, in confirmanda pace vt quisque proferret in medium sacram historiam suam, quod Euangelium nostri, Alcoranum illi vocant: quibus vbi suæ quisque dextram admouit, religiose iuratum est, conuenta seruata iri & sancta, atque inuiolata permansura. Hoc maxime modo, datis, acceptisque pacis conditionibus, quum Turci digressi essent promissa impleturi: venit à Francisco cardinali nuntius cum literis, in quibus continebatur, Turcum aduersus Caramanum cum ingenti copiarum numero traiecisse in Asiam, inermiaq;, & vacua, quæ possideret omnia cis Hellespontum reliquisse. Ab se vero cum classe, litoribus vbique occupatis, iam tum ademptam hosti facultatem reportandi exercitum in Europam. Non prætermittendam tantam occasionem, prope sine armis, aut certamine aliquo exterminandi, propellendique ad origines suas diram gentem, execrandamq; superstitionem. Meminisset rex fidei sponsionisq; principibus Christianis factæ, &, quam maxime fieri posset, properaret suos in promissam expeditionem educere, quando, fœderati quoque principes, quod suum erat, auxilia præmisissent. Ad ea, similibus pene asseuerationibus ab Græco quoque per literas significata, addebatur etiam, elatum se spe belli maiori conatu à rege, vt pollicitus erat, renouandi, quum tentaretur à Turco de fœdere, non solum repudiasse conditionem, verum etiam hostilia contra vltro intulisse, & in armis esse cum suis, vt regi sub ipsum montium descensum, vel occurreret, vel alibi expectaret, si id magis ex vsu fore videretur. Instandum, agendumq;, dum distractus ille multiplici bello tam diuersis in locis mari terraq; suis adesse non posset, dum nuper cæsus, fusus, fugatusque nondum satis animum viresq; collegisset, & proximis cladibus afflictus, nedum impetum, sed nec nomen quidem regium laturus videretur. Omnia per dolum fraudemq; ab oratore Turco in fœdere transacta. Non cōmittendum, vt gloriosa initia, vecordi negligentia fœdarentur, sed rapiendam opportunitatem delendæ ignominiæ, religioni nostræ inustæ. Non vno atq; altero oppido, sed multis regionibus Christiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente sub ditionem suam missis, Turcum adeo festinato itinere per Hellespontum copias traiecisse: vt verius dici posset, fugisse bellum, quod à tergo affore sciebat, quam profectum ad propulsādum id, quod ex Asia nuntiabatur. Ad extremum rogabat, ne, veluti sub cultro & prædæ relinqueretur crudelissimo hosti, qui procul dubio exercitum reportaturus esset in Europam, vbi aduentus Vladislai metum deposuisset. Non aliunde magis id discrimen, sibi imminere, quam è regiis pollicitationibus & fide data, cui credidisset. Recitatis vtriusq; literis in regis, ac procerum conspectu, quidam subito quasi languor omnium animos occupauit, memoria eorum, quæ de se sperare principes Christianos iussissent. Cœpitque regis, aliorumque velut oculis obuersari species gratulationum, quibus tot regum populorumq; veluti publico consensu, paulo ante, tanquam Christiani nominis seruatores excepti fuissent, & pudebat, pigebatque, ob præsentem vtilitatem, perpetuum decus, veluti contempsisse: secuturamque exinde ignominiam intuebantur, & vt meminerant, obligatam ab se fidem Græcis, Latinisque; sic ab vtrisque implorata auxilia præsto esse audiebant. Quæ, nisi per summum scelus, in discrimine relinquere, quo ipsi pellexissent, non poterant. Quibus adeo contrario affectu omnium fere mentes distrahebantur, vt qui paulo ante pacem vltro elegissent, bellum malle appareret. Et videbatur etiam quædam quasi opportunitas, & causa concordiæ repudiandæ, quandoquidem Turcus ad constitutam diem neq; captiuos omnes soluerat, nec dū oppidis ciuitatibusq; quibus oportuit ex fœdere cesserat. Itaq; Iulianus apud tam suspēsos animos,

deside-

Digitized by Google

desideriumq; inter, & pœnitentiam initæ concordiæ fluctuantes, occasionem agendæ rei adesse ratus, quum multis, magnisque actionibus antea expertus esset, Sanocensem persuadendi vi, & facultate velut habere hominum mentes in potestate, conatus est sibi illum adiungere in negotio pacis improbandæ, suadendique instaurandum bellum. Quod quum ab eo minime impetraret, propterea quod ille Despoti. Huniadianique sententiam probans, nec temere dandam fidem hosti, & datam minime violandam contendebat: conuersus ipse ad circumstantes, A fœdere, inquit, de quo cum Turcis transactum videtur, quamquam inane irritumque, fore spero, mallem abstinuissemus. Non quod ius, religionem ve illius aliquam (si bellum prosequemur) violatam intelligi oporteat, sed quia dandis, accipiendisque conditionibus, bonam partem temporis prosequendæ expeditioni aptissimi frustra consumpsimus. Contradixissem iam tũ ab initio; sed acclinatiores animos vestros ad cõcordiam vidi, quam, vt credere possem, oratione mea ad rem gerendam erigi. Præterea sciebam, hæc omnia, quæ vobis hodie nuntiata sunt, de facilitate debellandi in Europa, Turcis implicitis detentisq; bello Asiatico, fore vti paulo post nuntiarentur: maluique expectare donec ea crederetis aliis, quam intempestiue prædicendo, committere, vt fingi à me, & per vanam spem iactari arbitraremini. Nunc quando, vt volui, asseueratio victoriæ vestræ ad vos aliunde, quam à me peruenit, & ita esse vt scribitur, non minus, quam optabam, credere vos indicat, incepti pœnitentia; non gerendum ne sit bellum, quod omnes necessarium intelligitis, si cum decoris prius partis, salutem libertatemque vestram retinere vultis, sed liceat nec ne geri, post qualemcumque hanc vtrinque fœderis transactionem, explicandum à me sentio. Video enim plerosque inanibus fidei, ac fœderis nominibus suspensos, intra se non tam quid facere velint, quam quod æquum sit deliberantes: quasi verba quædam inconsulta per spem metumque mutuo iactata, nomen sanctitatemque fœderis obtineant: quum id demum iure sit fœdus, quod ab illis, quorum res est, initum, non verborum sponsio, sed conuentorum expleta fides confirmauerit. Huic neque paciscentium affuit auctoritas, neque pactorum subinde accessit executio: sed nomen tantum fœderis, & cærimonia temere iactata sunt: quæ non prius sancta sunt, quam promissa vtrinque, cum fide absoluantur. Atque, vt incipiam ab eo quod sponsionis caput esse videtur, tamdiu forsan liberum regi fuerat de fœderibus, & pace cum Turcis agere, quoad inclyti huius regni viribus, & felicitate bellum gessit; quoad nulla externa ope adiutus, priuato sui regni discrimine, ac sumptu publicam Christianæ rei salutem maiestatemq; tutatus est: vbi vero cum aliis quoque Christianis principibus consilia, totamque gerendi huius belli rationem communicare placuit: eorundem consensu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auspiciisq; geri susceptũ oportebat. Sed vt res tota, non secus, atq; ante adiunctam sibi aliorum principum manum, regis tantummodo fuisset: nedum fœdus cum eiusmodi hominum genere, sed nullius omnino rei commercium inire licuit, & initum non tenet iniussu pontificis maximi. Huc adde susceptas ab hoste conditiones minime expletas esse: ex qua re, etiam si nihil aliud, omnia, quæ dicta facta ve dicuntur, inania redderentur. Tamen quia conuentorum fides, quæ ab illis frustrata est, minime confirmauit sanctitatem religionemq; fœderis: intelligendũ est, ab sponsione sua, si qua ea fuit, non solum absolutum regem, verum etiam per dolum, & simulationem proposita, transactaque esse singula, ab oratoribus, qui pacem petitum ad nos venere. An si hostis initurus fuisset id fœdus, quod stabile, & ratum vellet; si eiusmodi postulatio, & sponsio fraude omnino vacua futura erat; non habuit, quem de pace acturum mitteret alium, quam hominem lingua, genere, moribus, & deniq; præter simulatam religionem, tota vitæ ratione ab ipso alienum, qui nihil vere, religiose, & sancte à Turcis promittere, neque, ex diuerso, stipulari posset, cæterum, cuius pacta promissaq; omnia, si ex vsu videretur, sine verecũdia reiici,

atque improbari liberum foret? Sed & pudebat eum tam supplicis actionis simulationem explicare per hominem suæ gentis, cauitq; verecundiæ, ne quid submisse, ne quid infra vulgatam animi viriumque suarum magnitudinem ageretur à suis: & noluit regem gloriari posse supplicantem Turcum sibi aliquando audiuisse. Præterea, quum tota actione multa simulanda forent, non alterius artibus facilius decipi nos posse arbitratus est, quam eius, qui nobiscum de religione paulo ante sensisset. Vt quæ per se non satis fidem facerent, religionis velamento inuoluta in animum nostrum descenderent. Cæterum si quæ placuissent impetrata forent, cogitauit se pactis staturum; sin minus, simulatione cōcordiæ se id saltem commodum percepturum, vt ad gerendum bellum posset sibi interim consulere. Quæ ita esse iudicat frustratus terminus eorum omnium, quæ per fœdus ab ipso fieri oportebat. Scio Despoti, sed inprimis Huniadiani, tantam esse rerum hostilium peritiam, tantum experimentum, vt nefas sit dicere, non omnia sic se habere, vt sit eis persuasum. Sed illum, cupiditatem simul liberandorum filiorum, simul recipiendi amissum decus, & fortunas; hunc vero diffidentiam auxilii à sociis belli affuturi, adegisse crediderim, vt non tam acriter, quam poterant, animum intenderent, & blandis pollicitis dissimulatam fraudem statim non deprehenderent. Cæterum non debet cuiusquam gratia, aut auctoritas apud animum vestrum plus valere, quam veritas: quum intelligatis, tali fœdere neminem teneri, vel quod sine auctoritate ictum, vel quod per fraudem ab hoste, minime impletis conditionibus, sit dissolutum. Sed vt omnia legitime à rege, nihil insidiose ab hoste actum constaret: meminisse fidei debetis, quam Christianis vocatis, admissisque in partem belli, paulo prius quam Turcis obstrinxisse vos constat. Et quum deliberatio vestra iis angustiis inclusa sit, vt data fides minime possit vtrinq; subsistere, sintque alterutri deserendi: neminem dubitare conuenit, quin eo quisque potius vobis sit seruandus, quo arctiore coniunctione vos contingit. Porro quid vobis cum hoc genere hostium conuenit, à quibus professione, moribus, totiusque vitæ instituto, ac ratione distatis? Quid cum Christianis non coniunctissimum est? Atque, vt omittanus communia immortalitatis initia, fana, sacrificia, sepulchra eadem, tum cærimonias, & sacrorum ritus, quibus animi vestri multo arctiori necessitudine inter se coniuncti sunt, quam si natura ipsa, iisdem parentibus orta corpora coniunxisset: nonne qui paulo ante in Hellespontum classem suam misere pro salute, pro gloria vestra, communicando vobiscum vires, suscipiendoque belli vna gerendi negotium, indissolubili omnino vinculo vos sibi deuinxere, quodque nisi per æternam labem, atq; infamiam ingratorum animorum, violare non possitis? Atq; ideo (quum ex parte altera ii sint, qui ad humana diuinaque omnia, quæ vobiscum habent cōmunia, addidere recentissimum beneficium submissorum vobis auxiliorum, quique, vt nulla noua sponsio intercedat, tot humanis diuinisque propinquitatibus vos contingunt, vt sine inexpiabili scelere deseri nequeant; ex altera vero hostis immanis, perfidus, qui nō per bellum tantummodo à vobis discrepat, sed religiones alias cultusque diuinos professus, omnia quæ vobis sacra sunt, veluti profana contemnat, &, si possit, violet, cuique nec dari fides potuit, absque nefario crimine, nec postquam data creditur, potest sine grauiori culpa seruari) non debet esse magna deliberatio, cum hoc ne, an cum illis conuenta sint exequenda. Si perseueratur in suscepta concordia, præterquam quod elusi estis, frustratis ex parte altera conditionibus, contaminati inexpiabili facinore, amissaq; gloria priore bello parta, sub quotidiana bonorum omniū execratione infamem vitam agetis: sin vero, quod per se etiam vanum irritumque est, repudiato impio fœdere, bene de vobis meritis aderitis eo in discrimine, in quod per vos adductos non ignoratis: ad securitatē, qua subinde vestra possidebitis, cum immortali gloria, nō modo ea, de quibus in concordia mentio est, sed cætera omnia, quæ à dira gente possidentur, in Europa recuperabitis. De cuius rei facilitate di-

tate di-

tate dicerem, nisi perpenderem, satis per literas suas persuasisse vobis Græcum imperatorem, & Franciscum cardinalem: quorum auctoritas in eo tanto grauior sit oportet, quanto propinquiores sunt hosti, & iudicant ex re præsenti. Sed & maior trepidatio hostis, quam vt satis ab ipsius oratore dissimularetur, supra omnem orationem, stimulare vos debet ad occasionem vestram capessendam. Quam si prætermittetis, cogemini tandem postea despecti, ac destituti ab omnibus (dubium dedecore, an periculo maiore) intra fines vestros eam dimicationem subire, cui vos impares esse, implorando externa auxilia iampridem profitemini. Ad hæc, multa de iure pontificio deque illius potestate, ac vi præfatus, subdidit tandem, pontificis se maximi auctoritate id fœdus, qualecunque esset, rescindere, & abrogare, regemque & cæteros, quorum intererat, à iuramento, & sponsione, quam Turcis fecerant absoluere. Adeo à paucis Iuliani oratio non est probata, vt ex concione tota exaudiretur fremitus deposcentium bellum, asserentiumq; succurrendum esse iis, quos in belli societatem attraxissent: quando non aliam ob causam periclitarentur, quam quod armati concurrerant ad propulsanda pericula, propter quæ Hungari simul, & Poloni paulo ante coacti fuerant ipsos implorare. Fortunarum omnium potius, ac vitæ iacturam faciendam, quam fidei fidelibus obligatæ. Pertinere id non ad famam solum, spemque de se apud cæteros Christianos excitatam, sed ad conseruationem etiam, & tutelam rerum suarũ. Et vt nihil aliud stimularet, satius pro religione honeste occumbere, quam, deserta illa, & prodita, Deoque, & hominibus violatis infensisq;, indecorã vitam extrahere. Decreta itaq; fœderis, ac pacis abrogatio, & vt cum Christianis aliis suscepta expeditio continuaretur. Cui sententiæ nec Despotus quidem, aut Huniadianus tandem fortiter obsistebant; ille inuitatus facilitate, quæ in debellando apparebat, hic regia sponsione pellectus: quum Vladislaus promisisset ei Bulgariæ regnum post victoriam, & literas, quibus id continebatur, etiam quorundam procerum subscriptione firmatas ei in fidem dedisset. Decretum igitur, quod erat contra pacem promulgatum, Francisco cardinali ad classem missum, simulque Græco imperatori, & principibus cæteris, ad quos initi cum Turco fœderis iampridem fama peruaserat. Raro alias Poloni tam lætum nuncium acceperant, quam, vbi intellexerunt, regem de pace cum Turco transegisse. Nam quum Casimirus, indicto Masouiis bello, totis Lituanorum viribus Droicinum oppugnaret, Masouiique, iunctis pene castris, ex diuerso in armis starent: non tam virium inter vtrosq; discrimen apparebat, quam suspicio erat, si committi prœlium cõtingeret, magnam partem copiarum Casimiri defecturam ad Michaelem, Sigismundi ducis paulo ante interfecti filium, qui apud Boleslaum inter Masouios militabat. Ingens spes animos ipsorum ceperat, regem ab ea pacificatione in Poloniam subito, id quod maxime cupiebant, profecturum. Anxii enim inter Boleslaum Casimirumq; de euentu, sperabant, interuentum regis id bellum dirempturum, & ab armis partes vtrinque abscessuras. Quum enim tam Lituani, quam Masouii sub tutela regis agitarent: Polonis, neutros vinci expediebat. Itaque vbi dissolutum fœdus accepere: iterum consternati animo, vt consilium caperent, ad Petricouiam conuenere. Ibi Vladislauiensis episcopus, & Ioannes Pilsanus designati oratores in Hungariam: qui præmonitũ regem pactionis, ac fidei etiam hosti seruandæ; suadendo agendoque animarent, ad paternum regnum reuisendum, in quo multa, eo absente, essent perturbata, sed inprimis, ad sedandum bellum, quo à Lituanis Masouia premebatur. Præsenserat Vladislaus Casimiri motum, & futurum conuentum Polonorum; atque ideo, ne quid exinde nuntiaretur sibi, quod parũ conduceret rebus, quas parabat, vt quę sui cordi se ei esse intelligeret, misit illico in Poloniã Ioannem Gruscinensem, qui diceret, regem nullo modo, salua famę verecundia, posse susceptam denuo expeditionem intermittere, statimque moturũ Segedino. Cogi necessario illis adesse, quos, in bellum, implorando, attraxisset. Cæterum, ex-

Digitized by Google

citis, paratisque tot maximorum principum auxiliis, victoriam paratam esse de ea gente, quam superiore anno, paucis admodum Volonis cruce signatis adiutus, fudisset, fugassetque; & quam, nisi hyemis montiumque asperitas niuibus, ac speluncis abditam, victoriæ suæ subtraxisset, omnino subegisset. Inter redeundum, quod, propitio Deo, breui futurum esset conuersurum se iter in Poloniam. Interim viderent ipsi, ne quid detrimenti regnum caperet, inprimisque Boleslao duci adessent; contra Lituanorum conatus. Ea significatio, quia præter spem venerat, gratissima Polonis fuit, perfecitq; vti rex videretur esse tam sollicitus de quiete, & statu regni, quam ipsi volebant. Sed intercepta est exinde causa mittendæ in Hungariam legationis, atq; ideo singula, quæ regi domi, forisque ex vsu fore credebant, per epistolas significauere. Interea (licet minime seruata die) Turcus loca omnia, de quibus in fœdere cauebatur, præsidiis suis euacuata iustis dominis restituerat, solutis etiam magno numero captiuis, dimissisque cum Despoti filiis. Vladislaus autem, licet æger animo, quasi euentum præsagiret, stimulante Iuliano, vndecimo Kalendas Octobris, vt constitutum fuerat, mouit Segedino, sed copiis aliquanto paucioribus, quam anno superiore. Nam & Volonum minor numerus accurrerat, propter vulgatum fœdus cum Turcis, & multi etiam, inter agendum de concordia, dimissi Poloni, & Valachi, quos futura pax parum necessarios redditura videbatur. Vbi ad Orsauam peruentum, pridie Nonas Nouembres, Danubium cum suis traiecit, expositoq; in Bulgaria exercitu, primo ad Florentinum, deinde ad Bidinum progressus, licet vndique circa iter oppida pleraq; arcesque, Turcorum præsidiis tenerentur; non ad prædam milites discurrere, non hostibus insultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris patiebatur. Constituerat enim, minime tempus, aut vires suas præconsumere expugnandis munitionibus, serendisq; certaminibus; prius quam coniungeret se cum naualibus copiis ad Hellespontum. Atq; ideo ne in planis, & apertis locis, vel inuitus pugnare cogeretur: quum duæ ad Gallipolim viæ ducerent, altera per extremam Thraciæ oram, qua Macedoniæ coniungitur, campestris, & breuior inter Rhodopem, ac Bistoniam paludem: qua si progredi voluisset, currus relinquere oportebat, propter viæ difficultatem in Aemum recta transcendendo; altera vero, per inferiora Bulgariæ, prius ad solis ortum, deinde prope Pontum ad meridiem per Thraciam, vt obliqua, ita longior, sed per quam (licet montanam in plerisq; locis, & salebrosam) currus tamen haud ægerrime euaderent: maluit illac exercitum circumagere, quam se nudare curruum munimentis: quibus septus contra hostiles impetus, se ac suos facile tueri poterat, & quam maxime integris copiis Gallipolim peruenire. Conuersus itaque in Pontũ inter Danubium, atque Æmum haud magnis, sed continuis itineribus ad institutum festinabat. Vbi vero ventum est ad Nicopolim Bulgarorum metropolim, cuius vrbis pars altera à Danubio abluitur, altera in collem erecta est: quia fama erat, totius regionis diuitias illuc comportatas miles cohiberi non potuit, quin per suburbana discurrens ad prædam, etiam in ipsas portas faceret impressionem. Quidquid ædificiorum circumadiacebat direptum incensumq;. Quum vero portæ, ac mœnia strenue defenderentur: à prosequenda oppugnatione iussum est abstineri. Cęterum quia, quantum fert regio, vberes circum campi, & colles, videbantur affatim necessaria suppeditaturi, reficiendis militibus, iumentisque, biduum triduumve illic perseuerare placuit. In eo loco percensenti suos regi, & veluti totius belli apparatum recognoscenti, dum miles non tam se reficit, quam studiose præparat omnia, quæ opportuna fore credebat, ad viam & natura sua magis difficilem, propter angustias salebrosiores; & propter frequentiam præsidiorum hostilium in oppidis, castellisq; vndiq; imminẽtibus multo maioris discriminis, occurrit, nunquam sine præfatione magni, & fortissimi imperatoris nominandus, Vladislaus Dracula Valachiæ, quam Montanam vocant, princeps. Qui quum iampri-

Digitized by Google

iampridem pacem à Turco accepisset, factum suum in necessitatem reiecit: quod haud numerosissimæ gentis princeps, nullaque externa ope adiutus, bellum Christianis simul omnibus intolerabile, sustinuisset, magnitudine animi, & virtute suorum, diutius quam sperari de tam imparibus viribus posset; plusque ab se interim hominum amissum, quam agris suis frequentandis colendisque superesset, quum euentus quotidie admoneret, contra hostium multitudinem, paucorum suorum virtutem magis admirandam esse, quam efficacem. Tandem eo peruentum fuisse, non vt in seruitutem venire oporteret, quæ forsan tolerabilis, modo æqua sit, & contigisset antea multis, magnisque populis, & nationibus, sed vt cum patria, & laribus familiaribus, cum altrice terra, & cœlo relinquenda essent sacra, religiones, aræ, degenerandumq; in obscœnos mores, ritusque impiarum superstitionum, nisi conditionem accepisset, per quam, citra profanationem diuinorum humanorumque omnium, reliquias suorum seruaret in occasionem dignam, in qua tanta virtus periclitaretur. Ad hæc cum eorum, qui regem sequebantur paucitatem animaduertisset: rogare obtestarique cœpit, vt retro iter verteret: se malis suis satis superque doctum, quanta esset Turci potentia: qui ad venationem propemodum, plures seruos producere solitus esset: quam illic ad bellum armati conuenissent. Abstinendum omnino à tam audaci, periculosoq; incepto, communicandaque consilia, & rationes, quo pacto res æquis viribus geri posset. Interea nihil salubrius, quam in occasionem meliorem eas copias conseruare. Quæ etiam si sufficerent bello, quod tunc cum hostibus esset gerendum, cæteraque omnia votis responderent: tamen eo tempore productæ, instantis hyemis tempestati, & malis omnino essent succubituræ. Audiebantur ea, tanquam Dracula non ex animi sententia loqueretur, propter fœdus, quod illi cum Turcis erat. Tamen, re ipsa per se fidem faciente, moti sunt complures: nec tantum suspicio simulatæ ab illo orationis, quantum re veritas vrgebat. Cæterum rapiente regem fato ad destinatum propinquumq; iam finem, Iulianoq; ad superioris anni fortunam, identidem iactante, Nusquam strigendum fore gladium, vacua omnia defensoribus reperturos: Amoratum cum suis trans Hellespontum vix Caramani impetum sustinere: neq; posse, etiam vt otiosus à bello esset, propter Venetorũ, Burgundiq; & pontificis classem, suppetias suis ferre; Græcum præterea, cum non mediocribus copiis, sub ipsis montibus occursurum: Draculæ quidem officium, ac sermonem magno assensu omnes commendabant, veluti benignæ in se voluntatis testimonium: nec mirum de eorum victoria desperare, ignorantem, quo apparatu, quibusq; auxiliis freti pergerent ire ad bellum. Cæterum nullo modo, ea sibi vt diceret, in mentem venturum fuisse, si sciuisset, quanta classis, quantisq; Italorum, Burgundionumque copiis instructa, quam multi etiam equites, peditesq; Græcorum in armis eos prestolarentur. Non regem, nõ suos adeo inconsideratæ audaciæ esse, vt bellum, quod conficere non possent, vltro inferrent: bono esset animo. Quantum ad vires attineret, satis prouisa esse omnia, & præparata: felicitatem, Deum ipsum, cuius causa ageretur, & præbuisse antea, & in posterum præbiturum. Conuersus itaq; rursus ad regem Dracula: Quando, inquit, aut fortuna, quæ audentem magna quæque, nusquam hactenus te decepit, aut spes alienę opis, quam ratam velim, aut occulta fatorum necessitas in diuersum te trahit à sentẽtia mea: consilium tuum, quod ratione immutare non potui, quantum tempus, & improuisa res sinit, viribus adiuuabo: & cum dicto quatuor millia equitum, duce filio suo, copiis regiis adiecit: orans, obtestansq; immortalẽ Deum, vt quicquid rex cæteriq; de belli totius successu animis suis promitterent, felicissimo euentu confirmaret. Ad extremum dimissurus regem, duos ex suis impigerrimos iuuenes, regionisque, & viarum peritissimos, duosq; item equos inusitatæ admirandæque pernicitatis in conspectum dedit, & vix lacrymis temperans: Habes, inquit, quo confugias, si casus aliquis malave sors (quod abominor dicere) viribus te diffidere

coegerit. Malim equidem fore, vt fruſtra dederim, ſi vota, & preces meæ non vanæ erunt. Verum ſi neceſſitas vti coegerit, ſaluberrimum munus experieris. Vtile ſane conſilium Dracula attulerat, ſi tam fideliter auditum, ſeruatumque fuiſſet, quam dabatur. Vulgatum eſt poſtea, virum ingentis ſpiritus, natumque ad bellicas actiones, vbi apparatum Burgundi, Italorumque percepit, varie, ac multum ſecum agitaſſe, inter pœnitentiam fidei Turco per fœdus datæ, & religionem eius violandæ, propter euentum, & futuram hominum famam, ſiue ad tam glorioſam expeditionem cum Vladislao progrederetur, ſiue remaneret: pluſq; omnino valiturum fuiſſe apud militare ingenium belli decus, quam laudem ſeruatæ fidei: ſed ſuapte natura omnibus, diuinationibusque quibuscunq; obnoxium, muliebre vaticinium retinuit. Pridie enim quam in regia caſtra peruenerat, Phecuſa mulier Bulgara, ſenio quidem confecta, ſed cognitione futurorum multis experimentis clara, ad vicum Sullonum de exitu, & fine belli ab ipſo interrogata prædixerat: Regem haud felici euentu pugnaturum, pluſque momenti contra eum hoſtem profligati exercitus reliquias habituras: foreque ſubinde, vt res felicius gereretur. Atque ideo in ſe, ac ſuos vaticiniũ deriuare volens, proſperioribusque actionibus ſupereſſe, periculo, quod in præſens nuntiabatur fertur, ſe ſubtraxiſſe: filium vero quum à ſe dimitteret, magnopere monuiſſe, ne fortunæ obluctaretur temere in acie, ſi res Chriſtiana inclinaret. Conuertit deinde Vladislaus ſe in Thraciam, ingentemque multitudinem fluuialium ſcapharum in Pamiſo amne compertam incendit. Oritur autem Pamiſus in monte Aemo, & inter Meſſembriam, Odeſſumque Euxino illabitur. Creditum vero eiuſmodi nauigia, infeſtandæ Hungariæ gratia, illic à Turcis præparata, vt demiſſa in Pontum, per occaſionem tranquilli maris, iuxta littus ſurſum agerentur in Danubium: cuius maxime meridionale oſtium haud plus triginta millibus paſſuum diſtat ab Odeſſo. Ab eo incendio, qua placidiorem aſcenſum Aemus ad ſe dabat, erecturus agmen, quia via vtique anguſta, & confragoſa, diuiſit copias, vt contra improuiſos hoſtium incurſus firmior eſſet, & paratior. Huniadiano igitur cum auxiliaribus Valachis, & tribus Hungarorum millibus præmiſſo, ſequebatur ipſe magno interuallo cum cruceſignatis, reliquaque multitudine: nam currus in medio agi placuerat, tam præcedentis, quam ſubſequentis agminis præſidio tutos. Inter progrediendum, ne quid à tergo relinqueretur, quod muniri in locis adeo anguſtis poſſet, nonnulla oppida hinc inde direpta, & prope funditus diruta. vici complures incendio deleti: graſſatumque eſt à militibus per ſummam licentiam etiam in ſacra Bulgarorum Græcorumque, quorum templa, veluti profana, manu, ferro, igne, cæteroque omnium ſcelerum inſtrumento, violabant. Id vero impium (vt certe erat) viſum Vladislao. Edixit itaq; vulgo inquiri, ac reſtitui deſiderantibus, quicquid religione inuiolatum eſſe oportuerat; nullius magis, quam ipſorum intereſſe aſſeuerans, abſtinere manus à ſacris, pro quibus arma ſumpſiſſent. Multum quidem in armis reponendum eſſe, ſed in Deo plurimum. Qui poſtmodum in bello non modo opem non laturus eſſet contaminatis ſacrilegio, ſed etiam pro templis, pro aris, pro ſacris ſuis contra ſtaturus, niſi à tam execrabili rapina abſtinuiſſent. Dimiſſi exinde nonnulli ex captiuis Turcis cum literis in quibus ſpondebatur omnibus, qui ex præſidiis ſuis elaberentur, liberũ fore, aut ſtipendia facere apud regem, aut abire quo mallent. Cuius ſponſionis fides eſt integerrime ſeruata, quũ multa loca in deditionem veniſſent, quæ acerrime prius defendebantur: timentibus Turcis, qui in illis erant aut iniquam ſeruitutem, aut mortem cum cruciatu. Qui tum Sumium, ac Peſechium tenebant in rupibus paulo editioribus, freti naturali locorum munitione, maluere experiri quid ſe tuendo poſſent, quam ſe fidei hoſtiũ credere. Contra quos, quia, propter opportunitatem ſitus, apparebat poſſe ab hoſte facile reditum præcludi, ſi caſus aliquis neceſſario illac redire coegiſſet: viſum eſt omnibus, vim oppugnando experiri. Itaq; non ſine multorum clade, quum

Digitized by Google

quum difficultas nitendi sursum longe plus negotii, quam hostis armato militi exhiberet, vtrumque oppidum expugnatum. In ea victoria multorum industria, multorum opera claruit, sed inprimis Tarnouii Ioannis, & Lesconis Bobricii: quorum ille, dum portas refringit, duo vulnera accepit, hic Peschii murum primus ascendit, & multis aliis ascendendi opportunitatem præbuit. Ferunt ad quinque millia ex hostibus illic interiisse, quorum magnam partem, dum præda diriperetur, gladius absumpsit. Cæteri ad terrorem aliorum è rupibus, per quas se tutos putabant, præcipites acti. Dum hæc à rege agerentur, afferuntur Francisci Cardinalis literæ, nuntiantes Amoratum, aut elusis arte, aut corruptis pretio speculatoribus, qui littora seruabant infra Gallipolim, qua fauces Hellesponti arctissimæ sunt, ingenti multitudine militem reportasse in Europam, & coniunxisse cum suis, qui non procul ab Isthmo Thracii Cherrhonesi haud sane memorabili numero paulò ante se congregauerant. Qua re cognita, regis deliberationem immutari oportuit: præsertim quod plurimi ex suis hortabantur regredi, aut saltem in tuto alicubi subsistere, donec certus numerus hostium, & quo se primùm conuerterent, intelligeretur. Tamen à Pesechio, vbi facile per montana munire tuerique se poterat, rex in planum descendit, adeò est ineuitabile, quicquid id est, quod fatum appellatur. Deinde obliquam in Rhodopem vallem biduo emensus, ad Pontum rursus sinistrorsum sub Aemum declinauit, decimisq; castris Cauarnam assecutus, in deditionem accepit. Turci enim, qui illic fuerant in præsidio, auditis, quæ per eos dies ad Pesechium ac Sumium gesta erant, aduentum regis minime exspectauerant. Eodemque modo Macropolis, Callacrium, Galata, Varna, & pleraque alia circum littus oppida deserta ab hostibus, recepta sunt, & Christianorum firmata præsidiis. Aemus initium capit ferè à Messembria, perpetuoque dorso ad Macedoniam, & superiorem Mœsiam porrectus, diuersis in locis ab vtroque latere, velut cubitos genuaque modice extendit. Et primò quidem non admodum longè ab origine sua in dextram reflexus, atque in Pontum recurrens, paulatim in minora iuga decrescit, donec per colles modice tumentes, tandemque euanidos, desinat in planitiem. In eo tractu, pro natura loci, plurimæ quidem sunt valles, agrestes partim, & infœcundæ, partim pecoribus hominibusque alendis, & natura fertiles, & accolarum diligentia more suo consitæ, ac subacti. Earum nonnullæ vndique intra colles clausæ, aliæ ad mare conuersæ littoribus excipiuntur. Sed inprimis illa, quæ Varnæ adiacet, humana cura, &, quantum fert regio, naturali situ amœna est, & spectabilis. Varna verò ipsa in sinu angusto, & haud sanè profundo admittendis ferendisque nauigiis grauioribus, posita est ad littus inter duo promontoria. In quorum altero Galata, in altero Macropolis sita. Littoralia omnia circa oppidum, vineta, frugiferæque aliæ arbores tenent. Interiora vallis ad dextram modicis, infrequentibusque vicis agrestes tùm habitant, tùm colunt. In sinistra, qua eminet Galata, palustris est sub collibus lacuna, quæ ad occasum, in alteram vsque vallem restagnanti vnda protenditur. Inuitanti igitur non tàm loci opportunitate, propterea quod aquatio lignatioque, & cætera necessaria in promptu militi erant, quàm valetudine regis, cuius in sinistro crure, qua fœmori committitur, enatus furunculus inflammationem doloremque maiorem, quam pro magnitudine tumoris, excitasset: visum est illic subsistere, adhibitisque fomentis, exspectare, donec id vlceris in pus verteret, atque exiret; quo sumendis tractandisque equo armis subinde rex foret expeditior, si quid violentum in itinere casus attulisset. Interea Turci ab Isthmo Hadrianopolim profecti, qua hostis aduentare nuntiabatur, citato agmine obuiam prodeunt, & septimo tandem die, haud amplius quatuor millibus passuum à castris regiis consedere. Quorum aduentum & speculatores nuntiabant, & nocturni ignes, quamuis collium interuentu prospectui eriperentur. Tamen sereno cœlo, cùm Luna à coitu mo-

Digitized by Google

dici luminis adhuc esset, nox sic ea ex parte inalbescebat, vt non propinquitas modo, sed etiam multitudo ipsorum indicaretur. Duplicatæ igitur vigiliæ, nocturnæque stationes toto exercitu, edictumque vt arma expedirentur. Vbi autem lux appetere visa est, Huniadianus, Iulianusque, & Despotus cum cæteris, quorum aut consilium, aut auctoritas requirebatur, frequentes ad regem coeunt, cœptaque est consultatio super futuro certamine. Iuliano muniri castra intra currus placebat, dispositis circum machinis, tormentisque, quorum aut fragor terreret, aut impetus arceret hostem, si munitionibus insultare voluisset. Nihil prius in aperto aggrediendum, quam præcognitæ, prætentatæque essent hostium vires: verisimile videri maritimas copias, quarum nullus iam vsus in classe esset, secuturas à tergo Turcos, daturasque operam vt aut coniungerent se suis, aut distraherent hostem, ex parte altera lacessendo. In eoque omne momentum rationemque vincendi reponebat. Quam sententiam Franco Banus, Agriensisque episcopus, & plerique alii ex Hungaris, & Polonis sequebantur, rege non tam probante, quam non reprehendente dimicationis moram: quum lenito interim dolore, quo forte eo die grauius quam vnquam alias premebatur, speraret fore, vt suis integer adesse posset. Huniadianus vero, & Despotus præposterum id dicebant: includi enim vallo, non esse inferentium vltro bellum, sed vltimum perfugium eorum, qui essent acie victi. Quod consilium, si rogaretur, hostem aliud daturum, quam vt positis armis, obsidendos se traderent? Omnium rerum (sed inprimis bellorum) exitum, à principio auspicari: prout primus congressus foret, ita toto bello aut audaciam, aut formidinem hos vel illos in aciem afferre. Atque ideo nullum trepidationis signum aut suis, aut hostibus indicandum esse. In celeritate transigendæ rei salutem consistere: agendo, audendoque id genus hostium terreri, non artibus. Quid futurum, si clausos munitionibus Turci circumstetissent, neque pugnandi copiam facerent, quum tolerandæ illic obsidioni nihil omnino foret præparatum? Nam quod de naualibus copiis diceretur, ridiculum omnino esse. Quo enim gentium visum, auditumve aliquando, mediterranea bella, classiariis peditibus geri, quorum non alius vsus in terra esse posset, quam equitum in mari. Quibusque suas artes, suamque esse disciplinam; eaque in re valere quosque plurimum, ad quam studium exercitationemque adhibuissent. Quod si etiam, contra institutum, & certum suum munus, de classe descenderent: præter quam quod vix possent, nisi per longum tempus, tam longum terræ spatium pedibus emetiri: ad terrestre certamen, contra equites in peditatu, eodemq; naualibus armis instructo, paruum omnino, aut potius nullum vsum fore: atq; ideo & serum, & vanum esse, quicquid è classe subsidii speraretur. In qua si quid momenti esse posset terrestribus pugnis committendis; totum impensum in id oportuisse, vt postquam hostis in Europam transfretaret, saltem circa littora retineretur, dum rex eo peruenisset. Omissa inani spe, prodeundum in aciem contra eundem illum hostem, quem ad satietatem superiore anno fugassent concidissentque: qui trepidus confususque animo inceptaret omnia, & in nullo persisteret; sed modo in Asiam, modo in Europam se transferens, temere ad minimum quemque famæ strepitum, per sollicitudinem, & terrorem se circumferret. Non quam multi ex diuerso essent referre, sed quo animo, & audacia: Quantumlibet innumerabiles, in prœlium nihil aliud allaturos, quam qui victi essent conscientiam, & formidinem. Non assuefaciendos milites tuendis se vallo, & curribus, quæ diffidentium armis præsidia sint, quorumque vt nullus vsus eueniat, in primis adeo sit expetendum, tunc quando integrum sit aut vi atque armis hostem inuadere, aut imbellis multitudinis more, septis, ac munitionibus se includere. Flagitiosissimum fore, viros fortes plus in curribus & vallo, quam in armis ad se tuendum præsidii positum credidisse. Intelligebat Huniadianus

tus vltimi rem discriminis esse, quam suadebat: sed maioris animi viro; quam vt ferre posset obsessorum tædia morasq;, dum vinceret, quum eò ventum appareret, vt neque progredi, neque regredi, nisi victores possent; promptissimam ad victoriam viam aggredi placebat, militemq; tum proximi anni felicitate, tum rebus per eos dies prosperè gestis, alacrem, antequam casus aliquis animos, spemq; ipsius refringeret, quam celerrimè ad pugnam producere gestiebat. Sed etiam vt vim hostium non sustinuissent: integrum fore videbatur, quid vallo & curribus tuendo se possent, experiri. Mouerat cunctos Despoti & Huniadiani sententia, rexq; ipse, supra dolorem iuueniliter elato animo, nullam pugnandi moram vltra laturus videbatur, quum trepidè speculatores nuntiant, armari hostes, atque ad inuadenda castra animis præparari. Itaque dato Huniadiano instruendi aciem negotio, cæteri ad suos quisque ordines aduolant. Ille ante omnia circumspectis locis, per quæ aut aperte insultare, aut clam erumpere adueniens hostis posset; ne quid discriminis oboriretur per insidias à tergo: ex valle, in quam refundi lacunam diximus, inter colles, & palustria, fauces, per quas erumpendum erat sic præclusit, curribus retroactis, vt facile ad eos receptus foret à loco pugnæ destinato; à tergo autem minimè vlla vis timeri posset, obstructo aditu, & conuersis illuc machinis, tormentisque, aut terrendis hostibus, auertendisque eminus, aut obterendis, si cominus insultarent: Deinde aciebus ordinandis, mediam vallem regi tuendam cum curialibus Polonis, atque Hungaris assignauit. Penes lacum, ad paludem, vnde minus timoris erat, tum quia palus per se imperuia, tum quia prærupti montes desuper impenderent, quinque tantum vexilla Hungarorum collocauit. Dextrum vero latus, qua Varna castris obiecta erat, reliquo robore exercitus firmandum ratus, cum propter accessum, qui inter littus paludemque patet; quicquid laboris, ac discriminis futurum erat, venturum inde appareret; vexillum magnum Hungarorum, ducibus Franco Bano, Agriensique episcopo illic potissimum statuit, Despotumque cum suis, & Iulianum cum crucesignatis, illorum ordinibus inseruit. Nec procul à tergo penes currus, & munitiones, veluti subsidiariam aciem, constituit vexillum diui Ladislai sub Varadiensi episcopo, adiecto ei Lescone Bobricio, cum parua manu Polonorum: sibi autem cum Valachis nullum certum locum designauit, vt minime turbatis ordinibus, quocunque res, & periculum vocaret, accurreret, & nullum destinatum locum tuendo, omnia tueretur. Amoratus autem cum peditibus, reliquoque equitatu subsequens, præmiserat expeditissimorum equitum circiter sex millia, qui à principio minimè se apertis locis committentes, hostium vires magis inspicerent, quam tentarent. Ostendere itaque se illi primum ad dextram in collibus, vnde totum exercitum, ordinemque facile æstimare possent. Cæterum seu pugnæ auidi, seu Christianorum paucitate contempta, ex interuallo sagittis hostem irritabant. Sed quum Franco Agriensisque suos continerent, ne fracto per accliuum primo impetu, languidi ad hostem in collem peruenirent: Turci timorem id rati, paulatim descendere in æqua, inq; ipsos ordines impressionem facere cœperunt. Tum Franco id vero minime ferendum præfatus, hostes scilicet, qui, paucis ante diebus, suppliciter pacem petendo, ad decertandum ferro, nullum esse in se momentum confessi forent, quique superiori anno toties ex acie fugissent, & scopulorum inuiis latebris veluti precarium vitam deberent, vltro victoribus insultare: signum dedit suis identidem iactans, vt virtutis felicitatisque suæ memores in aciem prodirent. Non sustinuit irruentes Turcus, retroque per accliuum collem versus, celeritate equorum se vulneribus eripiebat. Superuenit interim reliqua equitatus multitudo, cuius pars in desinentem iam vallem se recipit, pars inuecta in regios subeuntes cliuum deturbat eos, agitque in præceps. Illi rursus in plano congregati aciem restituunt, pugnandoq; acriter, quantũ hostium ex collibus in æqua de-

Digitized by Google

scenderat per vallem ipsam, in fugam vertunt, atque insequuntur. Itaque Varadiensis non tam militarium artium, quam sacrorum peritus, quum videret terga dari à Turcis: relicta iampridem statione sua, cum magna militum manu, veluti ad partam victoriam accurrit, fugientibusque instando temere, vna cum Despoto, & Agriensi peruenerat ad confertissimum agmen in postremam partem vallis, vnde à multitudine reiecti in sinistram, Despotus quidem ad ordines suorum, qui pauci adhuc stabant, se transtulit; Varadiensis autem eadem locorum inscitia, qua acies turbauerat, per paludem ad montes euasurum se ratus, in aquam se immisit fœdaque equi, ac sua luctatione diu prius in cœno vexatus, tandem summersus est. Agriensis ad lacunam circumuectus Galatam petere instituerat, mox tamen mutato consilio, ad suos in pugnam rediit, nec postea vsquam comparuit. Processerat vincendo Turcus iam ad diui Ladislai vexillum. Nam Despotus cum Franco, & Iuliano, superabundante hostium multitudine, à collibus, vltra quam ferri posset, cum suis retro ad munitiones cesserant. Ibi diu ancipiti Marte pugnatum. Sed vbi Lesco, qui audendo hortandoque certamen extraxerat, multis vulneribus confossus moribundus ex equo cecidit, haud dubie res Turcorum superior habebatur, nec iam milites tantum, sed currus etiam oppugnabantur. Quorum nonnullos impetu primo euersos vt diripi rex vidit, cum Huniadiano propere illuc contendit, ne, quod aduersæ pugnæ vnicum præsidium suis futurum erat, ab hoste præriperetur. Eius aduentu fortuna subito mutata est· Versi enim in fugam Turci vltra duo millia passuum cæsi fugatique sunt, tantus erat ardor insequentis à tergo regis. Qui, reuocante impensius Huniadiano, tandem, omissis fugientibus, rursus Iuliano, & Franco laborantibus auxilio accurrit. Redintegrauerant enim prœlium Turci, ex tota illuc valle conuersi. Superuentu regis acrius iterum certamen vtrinque exortum, variaque adhortatio: hinc, sacra, religiones, aræ, templa, victoriæ cum decoris prius partis, fœdeque hostium fugæ, gratulationes præterea, & laudes à tot principibus nationibusque adeptæ, ad extremum Christianæ rei spes ab eius diei fortuna pendentes iactabantur: illinc non tam imperii, quam etiam nominis Turcici finis, nisi vincerent, ostendebatur. Asiam, & mare illi obiectum ab hostibus teneri. Quæ in Europa ad id locorum habuissent, in euentu eius pugnæ periclitari. Non fore, quo reuerterentur victi. Quacunque declinassent, mortem cruciatumque iampridem præparatum incursuros. Ad necessitatem pugnandi accedere, quod non tantum viribus, & numero, sed causa etiam superiores essent. Nam contra ius fasque, se per speciem pacis lacessitos. Insisterent acriter: Deum fœderis testem, formidinem fugamque, & cædem in pacis fideique violatores conuersurum. Cæterum non segnioribus animis viribusque pugnantibus militibus, quam duces adhortabantur, magna vtrinque cædes edebatur. Sed ingens Turcorum numerus suorum stragem sentiri non sinebat, stetitque diu anceps prœlium: tandem ab illis fuga incepta multo cruentior fuisset, si non à cæde ad prædam Christianos auertissent, cameli onerarii casu eis oblati, qua hostibus instabant: vbiequi etiam odore aspectuque insuetorum animalium consternati haud facile sessoris arbitrio se dirigi patiebantur. Huniadianum in diuersum fortuna suorum abstulerat. Namque vndique intentus, & laborantibus vbique propere accurrens, ad mediam vallem processerat, vbi sinistra acies impressionem hostis vix sustinebat. Cæterum restituto illic prœlio, de rege sollicitus, cuius iuuenilis animus periculosæ audaciæ suspitionem faciebat, inuenit eum ad Ianizaros pedestre militum genus penetrasse, ibique pugnantem substitisse. Magna vis non hominum modo, sed equorum etiam ceciderat. Aliis gladio confossis. Aliis detruncatis cruribus ad terram prouolutis. Nec iam solum, sed cadauerum strages pugnando calcabatur; adeoque concitatis animis instabant, vrgebantque vicissim, vt rabies, non studium vincendi videretur.

Perru-

Perrupit tamen Vladislaus aduersam aciem ablatusque inter hostes longè à suis, creditus est iam tum aut cæsus, aut captus. Itaque haud multò post quum Turci terga iam verterent: Christiani quoque ex diuerso, veluti rege amisso, fugæ se committunt: atque eodem tempore pars vtraque cedere inceperat, adeò fortuna sua cuiq; erat ignota, in tam varia frequentiq; victoriæ inclinatione. Sed vbi Ianizari Christianorum motum animaduertere, sistunt ipsi pedem, pugnamq; instaurant. Huniadianus autem, qui videret trepidatione ac formidine in suos conuersa, vbique ordines turbatos, fœdeq; à multis aciem deseri: concitato equo, per confertissimos hostes ad regem peruenit, patefactaq; suorum fuga & pauore, vt retrò se ageret, obtestabatur, minimè de rerum summa desperandum dicens, quippe adeò raros in acie periisse, vt iactura vix apparitura foret, si prius quàm superstites fugiendo dissiparentur, ad munitiones & currus se cum illis reciperet. In vita ipsius non modo regna, quibus præerat, sed vniuersam quoque Europam Christianumq; nomen periclitari. Quum interea nihilominus acriter ille in hostem ferretur, cædem & fugam, quacunque se verteret, ingentem faciendo, equus ingenti in latus vulnere accepto, præcipitem per armum dextrum effudit. Nec mora, superuenientibus Ianizaris, telorum multitudinem non tàm confossus est, quàm obrutus. Substitit paulisper Huniadianus, corpus regium (si fieri posset) recuperaturus. Sed quum, reliquis effusissimè diffugientibus, paucos admodum Valachos, qui remanserant, tàm multorum impetum secum minimè laturos intelligeret: vbi vnum atq; alterum conatum frustrari vidit, haudquaquam nefas ducens superesse aliquem post regis interitum, qui acceptam cladem vlcisci posset, ignominiamq; eam delere, ad suos retro se recepit. Indeq;, quum post fugam iampridem à Despoto initam, Iulianus, desperatis omninò rebus, cedendum suaderet: sub ipsum crepusculum per montes in vastam syluam se recepit. Multiq; alii, quos nulla prius aut trepidatio, aut fuga suorum à pugna auerterat, subsecuti sunt illum ad deserta & montes: inter quos Franco & Iulianus. Toties eo in prœlio & fugere & fugare vtrinq; contigit, vt victoria tandem non sit à victoribus intellecta. Nam Turci, quorum fugam rex à primo congressu fuerat insecutus, trepidationem in ciuitates circumtulerant, quasi debellato exercitu, victor hostis ad eas oppugnandas, statim copias foret admoturus. Et qui pugnare ad noctem vsq; perseuerauerant, haud se vsquequaque vicisse credentes, incertique quo se Christiani recepissent, dum silentium, quod erat intra currus, insidias credunt, biduo à direptione prædæ abstinuere. In tota pugna regis virtus inprimis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum, quod esset obiturus. Omnia tum constantis ducis, tum fortissimi militis munera impleuit, occursando pauentibus, retinendo cedentes, atque vbi plurimum laboraretur, spem aliquam semper afferendo, consilio, manu, voce, tàm hosti insignis, quàm suis conspicuus. Mortis eius signa præcesserunt: Dum armaretur, delapsa manu armigeri galea, & æqui, cum inscensuro admouebatur, fera insolitaq; obluctatio. Præterea instructis iam aciebus, inter exspectandum hostis aduentum, sereno tranquilloq; cœlo, atrox subitò ventorum vis oborta pleraque vexilla regiumque inprimis dilacerauit, ab hastaq; detraxit, & mox conquieuit. Et paulò post dimissum conuentum, in quo decreta in Turcos secunda expeditio, cùm qui conuenerant, se quisque ad se præparandos digressi essent: mota est adeò vehementer terra, vt non priuatim tantum ædificiorum partes, vt assolet, deiecerit, sed pleraque oppida pene tota, in prodigium vsque, ad solum excusserit, fluuiorum etiam quorundam cursus, alueosq; commutauerit, tenueritq; fama vulgò, propter subsecutam frugum caritatem, vel semina, vel agros exinde degenerasse. Quot ex vtraque acie ceciderint, haud facile numerus iniri potuit. Nam per vallem, perq; omnes colles circum, multiplex & varia fuga magis, quàm cædes fuit. Multi in lacunam & paludem delapsi mersiq;, multi latè in syluis vepribusq; occisi. Turci, regio corpore inuento,

Digitized by Google

modicæ altitudinis columnam, quæ hodie quoq; visitur, cum inscriptione rei gestæ in eodem loco statuerunt. Hungari verò, & qui cum illis deserta petierant, præter Valachos locorum inscitia ægrè ad Danubiũ peruenere. Si quos tamen fortuna illuc egit, fame, vigilia, siti, frigore, lassitudine, cæterisq; malis adeò prius afflixit, vt sæpè doluerint, quod non hosti potius iugulandos se præbuissent. Errantes per solitudinem aut inedia dissoluit, aut ad terras hostiles perlatos seruitus excepit, maiorq; multo fuit erroris clades, quàm pugnæ aduersæ. Iuliano inter fugiendum vis illata, seu prædæ cupiditate, seu quia vulgò quasi auctor patronusq; perfidiæ inuisus erat. Id constat, saucium seminudumq; in deuio saltu exhalantem animam, ab Sanoceo obequitante inspectum admonitumq;, id quod euentus tandem planum fecisset, non fuisse Deo cordi, ea quæ contra fœdus & iusiurandum, more magis argutorum hominum, quàm ex æquo & bono disputasset, cum execratione relictum. Huniadianus, superato Danubio, cum paucis citatissimo itinere in Hungariam properauit, ne rei malè gestæ fama seditionem tumultumve aliquem domi excitaret, aut Friderico & Bohemis, nouandarum rerum in orbitate regni, occasionem simul & consilium suggeret.

FINIS.

REGIS VNGARIÆ
MATTHIÆ NVPTIÆ, ET CORONATIO REGINÆ.

DIE Iouis, qui festum conceptionis Mariæ proximè insequitur, Anno Christi M. CCCC. LXXVI. filia Regis Neapolitani Beatrix à Matthia Vngariæ Rege, regio apparatu in agro fuit excepta, propè Albam regalem: idq; tali ferè modo & ordine. Primùm, tria erant tentoria sub dio posita in loco, qui stadium ab vrbe distabat: quorum vnum villoso purpureo, holoserico circum vestitum: reliqua duo aliis rebus contecta erant.

Propè illa ignis ardebat maximus, accensus lignis & sarmentis: vbi Rex Matthias cum Bosnæ Rege de equis descenderunt: & Matthias Rex Bosnæ Regem, & Palatini atque Saxoniæ Electorum, & Otthonis Bauariæ ducis legatos à dextera constituit, magni comitis filio præferente gladium: sed à læua Venetorum oratores, & Archiepiscopos atque Episcopos Vngariæ consistere iussit.

Ante tentoria totus ager secundum longitudinem erat integris duodecim cœruleis pannis constratus: vbi Principes ex vtroque latere & Rex in medio stabant. Tum igitur dux de Limbach missus à Regina, sertum pulcherrimè textum Regi offerebat, ex quo pendebat annulus, & in annulo inclusus erat adamas magni pretii: nec longè post Regina sequebatur, vecta in deaurato & sumptuoso curru: cùm aduecta ad locum, pannis constratum, descendit: & deducta per pannos, cùm ad medium ferè pannorum processisset, & Regem obuium haberet, in genua paulatim defluxit: sed à Rege comiter sublata, & amantissimè excepta fuit.

Sic illam salutatam Rex ipse in magnificum tentorium ducebat, Rege Bosnæ & cæteris legatis & dominis antè & ponè incedentibus, sicut Rex eos ire voluerat: nisi quod Veneti interdum ordinem turbarent.

Ad Reginam in tentorium ingressam Episcopus Gabriel, Italico sermone loqui Regis nomine cœpit, & aduentum ipsius saluum esse iussit, & præsertim dolo-

dolorem Regis commemorauit, quem ex ipsius diuturno & laborioso itinere cœpisset: cùm illa statim pudentissimè & humanissimè paucis, sed honestissimis & prudenter compositis verbis ipsa respondit, & Regi gratias egit.

Continuò statim Palatini Electoris legatus pro se, & Saxoniæ Electoris, & Otthonis Bauariæ ducis oratoribus primùm absentiam suorum principum excusauit, & causas recensuit, cur ipsi non aduenissent: deinde salutem Regi & Reginæ precatus ad nuptias explicauit, quanto gaudio principes eorum ex hoc matrimonio essent affecti, quod putarent ad Dei immortalis gloriam, & ad rei Christianæ publicam vtilitatem pertinere: cùm iterum Regina, sed per oratorem, de ministris suis aliquem gratias agi iussit, & tametsi Germaniæ principes præsentes esse mallet, tamen à legatis satisfactum sibi esse declarauit.

Tum verò inflari Rex in tubas iussit: & Regina in niueum gradarium: Rex verò in equum spadiceum conscendit: & erant equi ambo regaliter ornati, frenis & reliquis omnibus ornamentis aureis, & alioquin toto corpore circumamicti attalicis & phrygiis tegumentis, in quibus gemmæ intextæ elucebant plurimæ.

Sed pannos in agro expositos, vbi Regina primùm descenderat, Itali postea & alii miserè concerpebant, non sine magno tumultu, cùm variè inter plebeiam turbam de eo dimicaretur.

Sic igitur Rex & Regina pulcherrimo & magnifico comitatu in vrbem pergebant. cùm Christophorus Bauariæ dux, & cum eo Vilhelmus à München eques ex vrbe progressi, & in medio inter vrbem & tentoria, loco Regem assecuti, proximè ante conspectum Reginæ sarissis inter se concurrerunt tanta contentione, vt vterque de equis deturbarentur.

Tandem ad vrbem peruentum est, postquam in toto itinere sæpè ordinem petulanter interruperant Veneti, qui Regi & Reginæ proximi esse volebant.

Regi vrbem ingredienti omnes religiosi & clerici longissimo ordine, venerunt obuiam cum sacris reliquiis: & ante D. Stephani Rex & Regina cùm de equis descendissent, vnà ambo sub vno eodem expanso & bacillis gestato velo deducti in templum in chorum fuerunt: vbi Rex ad læuam in sella, & Regina ad dexteram è regione stabat: dum Ecclesiastica illa cantio (TE DEVM LAVDAMVS) canretur.

Inde Rex Reginam in conclaue illius deduxit: & Rex in Præpositi domum diuertit, & in gradibus consistens, principes & principum legatos clementer id temporis dimisit.

Postridie, qui erat Mercurii dies, Rex omnium principum & legatorum, & plurimorum nobilium caterua stipatus, iterum in templum venit, & à læua, vt pridiè, in hesterna sella constitit, & post eum Regis Neapolitani filius, & eiusdem Regis oratores, Neapolitanus Episcopus, & alii, postremo loco Veneti. Sed hi, cùm postea Rex cum omnibus aram circumgressus, donum obtulisset Deo, & quisq; ad suas rediret sellas, importunè magna cum eorum ignominia iniussu Regis, supra Neapolitani Regis legatos seipsos constituebant.

Rex cùm ad offerendum munus ire vellet, Christophorum Bauariæ ducem, Bernhardum Ebersteinii comitem, Henricum à Miltitz equitem, nobilem à Bern, & N. à Schavvenburg ante se ire iusserat, priori loco ante omnes principes & principum legatos.

A dextra iterum in subsellio Regina Regi ex aduerso stabat, & ante eam gynæcei magistræ pedibus insidebant: retrò verò incredibilis mulierum & virginum numerus: sed infra Reginam Christophorus Bauariæ dux, tum Palatini & Saxoniæ Electorum, & Ludouici atque Otthonis Bauariæ ducum legati stationem suam tenebant, & post illos Vratislauiensis Episcopus, & Vngariæ principes ac pontifices.

Sacrum faciebat Gabriel Episcopus: cui Episcopi & Præpositi ministrabant: & totum templum symphoniaciis & musicis concentibus personabat.

Librum Euangeliorum eius vrbis præpositus de ara ablatum tradebat Archiepiscopo, qui Regi & Reginæ osculandum dabat.

Cùm sacri finis esset, Rex Reginam in conclaue iterum ducebat: Regem verò tota principum & nobilium corona in illius hospitium comitabatur.

Die Iouis Rex Bosnæ & Principes cum principum aliorum & Venetorum legatis in curiam venerunt, præstandi officii causa: & Regem deduxerunt in templum: vbi in itinere insolentes Veneti cùm proximi vellent esse Regi, cum dedecore remissi sunt ad primum ordinem, vt ante omnes principes & principum legatos incederent, cùm in templum ventum esset, Rex in priori subsellio consistebat, & iuxta eum Regis Neapolitani filius, & deinde stabant eiusdem Regis legati, Venetis postremo loco relictis. Paulò post Regina magnifico & regali splendore cum Regis Vngariæ sponsi matre & copioso gynæcio, in idem templum deducta, in superiorem chori locum propè summum altare progrediebatur.

Locum verò Reginæ, quem pridiè occupauerat, è regione sponsi Regis ad dextram: sed paulò inferius Rex Bosnæ tenebat pallio circumamictus acupicto, & per totum ductum aureis filis atque perlis intertexto: supra quod erat amiculum aureum scapulare, in quo inserti erant quingenti adamantes, & aliæ gemmæ plurimæ, & pendebat auri libras triginta quinque. Post Regem Christophorus Bauariæ princeps: deinde Palatini & Saxoniæ Electorum, & Ludouici atque Otthonis Bauariæ ducum legati; & tandem multi magnates & comites stabant.

In istam splendidam hominum coronam ingressi Archiepiscopi & Episcopi atque Præpositi quatuor infulati, & pulcherrimis religiosis vestimentis, ad faciendum sacrum ornati: cùm Episcopus Vesprimiensis officium cantasset ministrantibus aliis, & sacrum vsque eò factum esset, vt iam Agnus, hymnus cantari deberet: tum demum Reginam iuxta aram producebant, vbi sub expanso velo exuta in subuculam, & induta primùm cyclade aurea, quæ in dextro brachio & humero patebat, & nudum corpus conspiciendum præbebat: tandem palla aurea rubra supra cycladem vestita fuit.

Interim Rex Bosnæ cum aureo pomo & sceptro ad Regem Vngariæ sponsum ex aduerso ante sellam ipsius adducitur: & inde Regem ad summum altare ad Reginam vsque comitatur: vbi Rex & Regina ante aram procumbunt in genua: Episcopus verò & alii clerici cantionibus Ecclesiasticis & consuetis ceremoniis vtrumque consecrant: & cùm Regina pro more istius pompæ fidem Christianæ Ecclesiæ iurasset, chrismate & balsamo in dextro brachio inungitur. Deinde comes magnus Regem interrogat, an diadema regium vellet Reginæ imponi: & cùm Rex annuisset, ille idem magnus comes, & reliqui magnates in caput Reginæ coronam imponunt: continuoque in tubas inflant tubicines, tanto numero & studio, vt vox nullius exaudiri posset.

Sic Rex vestitus regali pallio & diademate, in sellam suam recumbit, & equestrem dignitatem confert Regis Neapolitani filio, Christophoro duci Bauariæ & primariis viris quamplurimis.

Finito sacro, Rex eo ordine, quo aduenerat, in hospitium suum: vt etiam Regina in destinatum ipsi conclaue reuertit.

Nec multò post epulum fuit instructum. In Reginæ diuersorio mensa quadrata erat in medio hypocausti ad dexteram posita, & ad læuam orbicularis alia mensa. In quadrata accubuerunt Rex primum & Regina: postea ad dextram Regis filius Neapolitani Regis. In orbiculari mensa supremo loco consedit Neapolitanus Archiepiscopus, & iuxta eum Regis Neapolitani oratores: & in altera parte Ludouici & Otthonis Bauariæ principum legati. Qui

fercu-

fercula apposuerunt, & ad mensam ministrarunt, erant omnes comitum, vel ad minimum baronum dignitate illustres. Fercula verò apparata erant viginti quatuor: sed non omnia propter diei breuitatem proposita. Post epulum continuò Fridericus Lignitius princeps totus cataphractus & phaleratus cum Bohemo equestrem ludum exercuit, cùm ambo hastis concurrentes deciderent de equis.

Die Veneris prima luce Rex & Regina ex Alba regali Budam versus profecti, loco inter Budam & Albam medio pernoctarunt: & die Solis proximo Budam magna cum celebritate sunt ingressi.

INGRESSVS REGIS ET REGINÆ IN BVDAM.

PRIMVM aliquot instructissimæ equestres turmæ ante Regem & Reginam antecedebant; ac ante Regem Principes & legati principum, & Veneti, ordine superius explicato: nisi quod Veneti antiquum obtinerent, & iuxta Regem Vngariæ & Reginam sponsam, Regisq; Neapolitani filium, & item apud Archiepiscopos, Episcopos, & principum legatos sparsim equitare vellent, donec à Gabriele Episcopo, cui Rex mandatum dederat in ordinem ante Principes & principum legatos reducerentur, quod vt illis parum honorificum fuit, sic inuiti permittebant.

Deinde ante Regem proximè ante legatos Electorum & Principum, adolescentes nouem florente ætate, tanquam cubicularii Regis, pulcherrimè vestiti, processerunt, vecti generosis magnificeq; contectis equis, & circumcincti argenteis gladiis, & in vestimentis præferentes colorem regiorum insignium. Post illos pueri totidem sequebantur in laudatissimis caballis, quorum frena & vestimenta omnia maximis pretiosissimis margaritis abundabant. Sed Rex in albo equo ante omnes enitebat, & omnia aurea habebat equi ornamenta: & pallium Regis & socci, in quibus equitabat, margaritis & gemmis erant plenissima: & alioquin tota equitandi & vestiendi ratio magno artificio ad germanicam consuetudinem erat comparata.

Post Regem puer vnus equitabat, cuius equus vasto corpore instratum habebat margaritis cumulatum & frontale, tanquam coronam auro, perlis & gemmis refertam: & puer duo gestabat aurea scuta; vt meo quidem iudicio equus hic vnicus quatuor millibus Vngaricorum ducatorum redimi non potuisset.

Tertiò iuxta Regem in albo equo gradario toto aureo Regina erat ornata regaliter in palla bombycina lutea, & sub ea in cærulea cyclade aurea, & coronam in capite gerebat: videbaturq;, tota ex auro conflata esse, & ex gemmis. Octo etiam Budam ingrediens Regina aureos currus habebat, & iunctos singulis sex caballos niueos.

Sic igitur aduenienti Regi & Reginæ extra mœnia primùm obuiam Iudæi perrexerunt: primo loco Iudæus vnus primarius eques magna ætate gladium præferebat, & ex eo vasculum argento plenum, in quo decem erant argenti libræ.

Iuxta eum filius eius equitabat, similiter cum argenteo gladio & vasculo. Deinde viginti quatuor equites, qui omnes puniceis vestimentis amicti, in pileis singuli tres struthionis plumas ostentabant: tandem ducenti pedites Iudæi sequebantur sub rubeo vexillo: in quo pes bubonis quinque aculeis, & infra eum duæ aureæ stellæ; supra verò Iudaica aurea tyara fuerant depicta. Iudæi omnes in capite Ephod impositum habebant: & senes in me-

dio sub vno vmbraculo collocati foris à iuuenibus cingebantur: & omnes ad aduentum Regis inter cantandum, prætulerunt Reginæ decalogum, & magnum ediderunt triumphum: fortassis quod inde non paruum lucrum expectarent.

Iam penè ad mœnia vrbis Rex adæquitauerat, cùm in vicino prato sodales Christophori Bauariæ ducis Ioannes à Stein, & N. Leuan hastis proximè in Regis & Reginæ oculis dimicarent, & caderent ambo: & cùm statim alii duo equites concurrissent, & pariter ambo in terram procubuissent, magnum Regina perterrita extulit clamorem.

Interim in vrbem cœptum erat ingredi: cùm infinita religiosorum hominum multitudo cum reliquiis sanctorum in vicina portis area occurrerent, & Reginam honestissimè exciperent: quam deinde ipsi semper præeuntes in ædem vsque D. Mariæ virginis deduxerunt. Vbi cùm cantio illa (TE DEVM LAVDAMVS) decantata esset solenniter, Rex Reginam iterum manibus comprehensam, extra templum eduxit: & cùm vterque equos iterum conscendissent, priori ordine in arcem peruenerunt. Sed ante arcis pontem Rex principes, principumque legatos, & alios magnates clementer dimittebat: & ipse Reginam in conclaue comitabatur. DEVS illorum nuptias fortunet.

Die Lunæ post Luciæ Rex sponsus sub vesperam per Marschallum & Thesaurarium suum iussit Palatini & Saxonis, & Ludouici atque Otthonis Bauariæ principum consiliarios, & alios etiam legatos ad crastinum prandium in curiam inuitari. Itaque die Martis Watzlaus à Sternah manè ad legatos venit, & eos in aulam eques equites comitatus, ad Regem in templum deduxit, & retrò post Regem proximè, sed paulò inferius ad leuam constituit, & ipse illis adstitit, vt laxè sine populi compressione starent. Et tum quidem Episcopus Babensis sacrum factitauit, adiuuantibus Episcopis & Præpositis: simulque artificiose & iucundissimè accinentibus musicis. Post sacrum Rex principes & principum legatos in amplum secum hypocaustum adduxit: & à dextra filium & oratores Regis Neapolitani, & Venetos: sed à sinistris Palatini, Saxonis, & Ludouici, & Otthonis Bauarorum legatos collocauit. Ante eum frequentissima stabat ducum, comitum, baronum, equitum & nobilium corona, qui omnes incredibili vestimentorum luxu superbiebant: Et cùm scamnum aulæo tectum ante Regem appositum esset, & Rex suo loco, & cæteri omnes, sicut prius steterant, sic tunc consedissent: Tum Veneti in appositum illud ante Regem & stratum tapeto scamnum venerunt sessum: & de illis aliquis Italico sermone commemorauit quantis beneficiis Reginam Venetiis affecissent, & quod ipsi adiuncti Reginæ fuissent, vt Budam sine incommodo propter Turcæ insidias progrederetur: & summatim, quanta officia in toto itinere passim tribuissent Reginæ. Cùm igitur sic orassent, Rex illis per Episcopum Gabrielem paucissimis verbis gratias egit. Deinde Ferrariensis principis legati, cùm Veneti surrexissent, in idem scamnum consederunt, & ipsi etiam verba ad Regem fecerunt, sed breuius, neque tam insolenter vt Veneti.

Quod cùm factum esset, Rex in magnificum aliud triclinium ad prandium properat: Atque tum iterum euntis Regis latus claudere Veneti volebant: sed Marschallus ante principum legatos in eorum stationem reduxit.

Cœnaculum illud magnificum erat palatium dignum regio splendore, vestitum attalicis & holosericis rubris aulæis, in quibus perlæ magno numero passim interpolitæ erant. In eo primùm mensa stabat orbicularis: antequam de pariete tapes totus aureus pendebat, mensæ latitudinem adæquans.

Supra mensam expansa tria erant ex villoso holoserico longa tapetia: in quorum vno Reginæ insignia ad duorum scutorum similitudinem auro & perlis

perlis intexta erant, duabus coronis supra incumbentibus, sed in reliquis duobus eodem modo expressa insignia Regis conspiciebantur.

In hac mensa Rex & Regina accubuerunt: & ad dextram Regis Neapolitani filius, Archiepiscopus, duces, & alii Regis oratores: deinde Ferrarienses & Venetorum legati. Verùm ad sinistram proximus Reginæ sedebat Christophorus dux Bauariæ, & ab eo Palatini, & Saxonis Electorum, item Ludouici & Otthonis Bauariæ principum consiliarii.

In medio cœnaculo ante regiam mensam abacus, circum lapideam columnam erat quadratus, distinctus octo gradibus: in quorum primo fercula, maluuia, & Regis atque Reginæ pocula, & aliorum magnatum vina reponebantur ad vsum regalis mensæ. Reliqui septem gradus in omnes partes circumcirca, lagenas, cantharos, trullas, & pocula continebant, atque hæc omnia maxima, & ex auro & argento artificiose splendideque celata. In infimo etiam gradu duo stabant ex argento facti monocerotes: quorum vnus maximus, alter mediocris erat: & vterque in fronte vera genuina istius animalis cornua efferebat. Ante mensam in pauimento fons erat affabre, & singulari artificio ex argenti trecentis libris formatus, tanta altitudine, quantam vir procerus adæquare vix posset: & iuxta fontem quinque argentea canistra. Item totum argenteum dolium pendebat in sublimi suspensum, cum multis fistulis & epistomiis: vnde pro regia & aliis mensis vina desumebantur.

Præter ista super fuerunt adhuc octo abaci: & cum fontē panaria, & monocerotes adnumeras, fuerunt in omnibus abacis vasa argentea nongenta & octuaginta, præter pocula, quorum in mensis tum vsus erat.

Cùm Regis atque Reginæ cibus afferretur, præcedebant ante cibum Hinco Georgii Bodebracii Bohemiæ Regis filius: & iuxta eum Bosnæ Rex, & ad huius latus dux Silesiæ: sed cibum deferebant Vngarici reguli Barones.

Reliqua etiam fercula, quæ conuictoribus mensæ regalis proponebantur, iidem barones apportabant: sed ante ea, quæ Regis Neapolitani filius habiturus erat, quatuor anteibant Germanici & Bohemici barones; sic ante aliorum Italorum & Venetorum cibos Vngarici quatuor barones, & ante Christophori Bauariæ principis victum, dux Nicolaus & Vngarici Barones, vt etiam postremo ante legatorum Germaniæ principum cibos quatuor iterum Vngarici Barones præcesserunt. Eodem modo, qui ante mensam regalem legatis tùm Italis tùm Germanis ministrarunt in proponendo & remouendo cibo, & in aliis necessariis ad conuiuium officiis: erant omnes vel comitum, vel baronum, vel primariorum equitum dignitate conspicui.

Ad reliquos octo abacos, infra regiam mensam octo etiam erant aliæ collocatæ & instructæ mensæ: ad singulos abacos singulę mensæ, in quibus primum gynæceum considebat, & in eo mater Regis, tum Neapolitani Regis & legatorum ministri; & deinde gubernator Comes Magnus & alii Vngariæ reguli & Episcopi, quibus omnibus octo reliquæ mensæ complebantur.

Cùm mensæ remotæ essent, saltationi in eodem cœnaculo dabatur locus: & primæ choreæ, Electorum & Principum Germaniæ consiliariis ex ordine tribuebantur; deinde Christophoro duci Bauariæ: tertias Rex & Regina ducebat, & post Regem filius Neapolitani Regis cum sorore sponsa illo choreæ genere, quod **der Zeuner** dicitur, quarto loco saltabat. Et cum quintò Magnus Comes, & sextò dux Limpachius saltationem absoluissent, finis tum istius rei fuit, & Rex in conclaue, sed Regina in gynæceum secessit, vbi legatis principum, qui illam eousque deduxerant, gratias egit, & abeundi fecit potestatem.

Die Saturni proximo, qui quatember erat, venit paulò post lucem Watzel à Sternah baro, inuitaturus principum & imperii legatos: qui etiam compa-

ruerunt, & poſtquam cum Rege in eadem menſa cepiſſent ex iiſdem patinis cibum, dimiſsi à Rege in hoſpitium reuerterunt.

Sed veſperi dux Bauariæ Chriſtophorus & Hinco Münſterbergenſis in ludum equeſtrem prodibant, vterq; vno equite ſtipatus: & primùm duces concurrebant, & tametſi dux Chriſtophorus Münſterbergenſis ducis ſcutum & partem loricæ perrupiſſet, tamen ambo de equis deiecti humi procubuerunt. Secundò poſt duces Ioannes à Stein eques, Chriſtophori ducis ſocius cum Bohemo Hinconis ducis ſocio cum factus eſſet concurſus, iacuerunt ambo in terra proſtrati.

Sub eandem noctem Rex principibus & principum legatis indici iuſſit, vt craſtino die Solis hora octaua Regem & Reginam de aula in templum comitati nuptialibus ceremoniis, quas in eorum omnium conſpectu celebrare vellet, intereſſent, & inde ad epulum comparerent.

Itaque die Solis circiter octauam Watzlaus à Sternah ſecum in aulam legatos principum in Regis conclaue deducit, quod nouum erat maximum cœnaculum: in quo principes tùm religioſi, tum politici, & item legati principum, & comites, barones, equites & nobiles quamplurimi conuenerunt: & eo tempore etiam primùm aduenit Victorinus Münſterbergenſis princeps, qui hactenus abfuit.

Poſtea Venetis ad tribuendum Regis officium ingredientibus, principes omnes, & principum vrbiumq; legati, qui iam præſcripto à Marſchallo ordine conſiderant, ſua ſponte aſſurrexerunt: cùm illi, Marſchallo iam ad Regem digreſſo, per ſe ſupra principes & legatos omnes ſupremum locum, nullo iubente, occuparunt: quod tamen eos plurimum dedecorabat.

Tandem ex ſuo conclaui Rex in magnum illud cœnaculum ingreſſus, ſalutat omnes ordine, & primo loco principes ac principum legatos: quo facto, exierunt omnes, & conſcenderunt equos, vt etiam Rex & Regina. Sic igitur magna ſolennitate & ſingulari rerum omnium luxu in templum D. Mariæ proceſſerunt: vbi Regem proximè antegreſſi duces & Regis Neapolitani oratores: & ante hos Electorum & principum Germaniæ legati: & deinde Veneti & alii ordinem à Marſchallo acceptum retinebant. Ante fores templi de equis deſcenderunt, & eodem ordine in templum ad ſummam aram vſq; perrexerunt: vbi duo erant ſedilia ex aduerſo poſita, & aureis pretioſiſsimis puluinis & aulæis exornata: in quorum vno ad dexteram Rex, in altero Regina ſtabat, amicta cyclade rubra aurea maximi pretii, & ſupra eam palla: & in capite coronata regio inſigni, margaritarum & auri & gemmarum pleniſsimo. Supra Regem & Reginam erat cœlum portatile, vt vocant, ſublatum in ſublime expanſum aureum integumentum, quod ſex bacillis ſex duces ſuſtinebant. Gabriel verò Epiſcopus aquam luſtralem conſecratam primùm, poſtea ſpargebat.

Tum Rex Reginam manu complexus, ad aram vnà ſecum adducit, & poſtquam Epiſcopus pro Chriſtianorum conſuetudine iuratam inter eos matrimonii fidem ſumma cum cæremonia confirmaſſet, ad ſuum vterque redit ſedile: & cùm mater Regis, & item Regis Neapolitani filius nouis ſponſis optaſſent ſalutem, atque hi viciſsim egiſſent gratias, cœptum eſt ſacrum fieri, magna dignitate & religione. In quo paulò ante benedictionem Rex iterum Reginam manu comprehendens, & ante aram conſtituens, cum ea in genua procumbit: & cùm ſalutem illis Epiſcopus multis verbis eſſet precatus, erecti ad ſellas ſuas redeunt: & libro Euangeliorum atque pace, quam vocant, circumlatis, totoq; ſacro confecto diſcedunt è templo, & in aulam, vt à Marſchallo diſpoſiti erant, ordinatè redeunt, proximeq; ante Regis conclaue deſiliunt ab equis, & cum Rege atque Regina in nouum magnum ingrediuntur cœnaculum.

Sed Reginam mater Regis cum gynæceo in cubiculum Regis abducit: & Rex ducem Bauariæ, & Iuriſconſultum Leſſelholz Doctorem, diuitis Ludo-

uici

uici principis Bauariæ consiliarios collocatos in scamno, quod in eum vsum ante Regem fuerat positum, de negotio à principe accepto clementer audiebat. Deinde rex & regina, & cum his vniuersa principum & legatorum multitudo in palatium ascenderunt ad epulum; vbi Regia & reliquæ octo mensæ cum omnibus abacis eodem plane modo, vt superiori Martis die, instructæ, & apparatæ erant: & eodem etiam omnes consederunt ordine.

Fercula tum duodecim cõquisitissima apponebantur, & postea cum mensa fuisset sublata, & manus Rex atq; Regina lauissent & surrexissent de mensa, cœperunt principum legati dona, quæ à suis acceperant offerre Reginæ: quibus illa singulis quomodo gratias pro pulcherrimis & gratissimis muneribus agi vellet, interpreti suo Georgio à Steyn explicauit.

Dum hæc fiunt, duo equites adueniunt, qui ante conspectum Regis & Reginæ hastilibus congressi, de equis ambo decidunt.

Sed postero die qui Lunæ erat, dux Lympachius & Ioannis ab Hag frater Germanus eodem equestris ludi genere conflixerunt eodem successu: & Rex atq; Regina in aurata traha, quam niueus equus ducebat, cum ludicros illos concursus spectassent, postea per omnes vrbis vicos circumcurrebant, insequentibus aliis quamplurimis trahis.

Deinde cum Saturni dies illuxisset, qui post natiuitatis Christi memoriam erat proximus, Watzlaus à Sternach principum legatos & alios magnates ad Regis epulum sub Lunæ diem inuitauerat: Sed quod illa nocte Pancratius Transyluaniæ Palatinus, Regis consanguineus & propinquus è vita discessisset, inuitatio in aliud tempus reiiciebatur.

Funus Pancratii vsq; ad diem Lunæ relictum tum primum in albam Iuliam delatum, honorificeq; sepultum fuit: & Rex eiusq; mater & primarii viri permulti in magno luctu erant, omnesque ludi equestres & hilaritates publicæ de Regis mandato conticescebant. Verum die Lunæ principes & omnes oratores, vt eos Rex pridie rogauerat, Regem ad funebre sacrum in templum deducunt· de quo ista annotare visum est. Primum ex hospitio illius eductum feretrum, holoserico nigro villoso contectum, religiosi viri plurimi antecedebant & proxime præferebantur ardentes triginta quatuor faculæ: in quibus mille infixi erant Hungarici aurei.

Deinde in templo Rex primum ad sacrum processit, facem in manu tenẽs aureis Hungaricis cumulatam: post Regem filius Neapolitani Regis, deinde dux Christophorus & postea principum legati, cum facibus omnes & insertis in facibus monetis aureis: post illos legatus Archiepiscopus Neapolitanus, dux Sandaæ, Archiepiscopus Colotianus & alii oratores, Episcopi, regulique Hungariæ.

In secundo accessu ad sacrum iidem ritus seruati: & in vniuersum, vt audio, mille Hungarici aurei & in minori moneta bis mille floreni oblati fuerunt.

Vexillum quod in sarissa suspensum & prælatum erat feretro, in choro templi discissum & ad feretrum adiectum fuit. In templo sedilia ante aram Rex nigro villoso holoserico amiciri iusserat.

Calendis Ianuarii, Anno Christi 1477. Rex cum religiosis & politicis principibus, & omnibus legatis in templum D. Mariæ ad sacrum audiendum venit, magna primariorum hominum caterua circumseptus: deinde è templo in arcem ad prandium omnes profecti, cibum cum Rege, Regina & aliis cęperunt, vbi mensæ, abaci & omnia superiori modo erant collocata & instructa: Et Transyluani aliæque vrbes sedenti adhuc in mensa Reginæ deaurata triginta nouem magna pocula & sex caballos pulcherrimos & falcones ex Ruthenia tres, magnificum certe & splendidum donum exhibuerunt. A prandio ventum est ad choreas: cum primo loco, principum Germaniæ legati secundum ordinem: deinde Christophorus dux: & in tertia Chorea Rex atque Regina saltassent: Tum finis totius pompæ fuit & legati dimissi redierunt domum ad suos.

Digitized by Google

Sed prius quàm palatini oratores in Germaniam reuertissent obierat diem suum Fridericus Victoriosus, clarissimus pace & bello princeps: qui pridie Luciæ, XII. Decembris, cum illi in Hungaria abessent, placide emigrauerat è vita. Atque hæc eorum, quæ in Hungaria tum acciderunt, & ad Nuptiales ceremonias pertinent, breuis est explicatio

FINIS.

LIBELLVS ELEGANS

GALEOTI MARTII DE EGREGIE, SAPIENTER, IOcose dictis ac factis Matthiæ Sereniss. Hungariæ Regis, ad inclytum Ducem Ioannem eius Filium.

PRINCIPI PIO, FELICI, MAXIMILIAno II. Romanorum & Bohemiæ Regi: optimo Augusto, &c. Domino suo clementiss. S. D.

CVM hominum animi, internique habitus, Rex magnanime, corporeis adumbrationibus ceu velamentis quibusdam obtegantur: Frons etenim, oculi vultus præsident: Quibus magna vis inest simulandi, dissimulandique, motionib. etiam, figurationibusque ad arbitrium liberis accedentibus: Duo sunt potissimum, eaque ab ipso homine proficiscuntur, quæ penitus abditam ingenii vniuscuiusque, & naturæ conformationem maxime indicant, oratio scilicet, & actio. Vnde dictum quorundam veterum celebratur. Orationem, animi esse characterem. De actione vero testis est vniuersa Peripateticorũ Schola: Quæ virtutes & vitia actione præcipue discernit. Quare non inepte (mea quidem sententia) studium, operamque collocarunt, qui dicta factaque personarum illustrium collegerunt: literarumque monumentis posteritati consecrarunt. Exhibent enim legentibus quasi ideam quandam murum, institutorũque ac totius naturæ, summorum principum, atque hominum pace belloque clarissimorum, propè etiam plenius, ac magis ad viuam imaginem quam prolixi historicorum commentarii: qui propter rerum gestarum noticiam præcipuè sunt euoluendi. An non satis exprimit Lysandri ingenium, vel illa eius vox. Quo non pertingat Leonina, Vulpinam esse assuẽdam. Qua reprahensioni occurrere solitus erat eorum, qui dolum malum in belligerando alienum Herculea magnanimitate aiebant, cũ Lacedemonii stirpẽ ab Hercule repeterent. Vel illa, qua Arginis in finium controuersia ius allegantibus, manu ad Capulum ensis admota. Qui huius, inquit, potestatem habet, optime de finibus disceptat. Vel factum, quo Milesios popularis status studiosos, cum iurauisset neminem se ex eis violaturum, ea fiducia progressos, omnes trucidandos suis tradidit. Lacedemonium quidem habitũ est, aduersus hostem, fidei, iustitiæque officia, vtilitate metiri. Quod hoc tempore Turci obtinent, idque religioni ducũt. At Lysandro innata singularis quædam fuit malignitas, socios æque ac hostes vafricie insidiisque circumueniendi, summa cum crudelitate cõiuncta. Contra Aristides Atheniensis, integer, apertus, simplex, nihil expetendum, adgrediendumue existimauit, quod aut à iustitia esset alienum: aut alias parum honestũ: etiam si maxima vtilitatis adipiscendæ occasio certa esset proposita. De quo illud cõmemoratur. Quod cum ei vni à populo Atheniensi negotium datum esset cognoscẽdi cõsilium, quod Themistocles post victoriam Persici belli Reip. maxime salutare, at quod sciri opus non esset, habere se pro concione dixerat: exposuissetque is classem Græcorum clam succendi posse, atque eo pacto Athenienses vniuersæ Græciæ imperium consecuturos: ea suggestione Themistoclis accepta, in

pta, in concionem magna populi expectatione venit, dixitq́ perutile quidem esse consilium quod Themistocles adferret: at nihil posse fieri iniustius. Valuit autem tantũ apud Athenienses viri integerrimi autoritas, vt Themistocli edixerint, ne inposterum vllum ea de re verbum faceret: quã ipsi ne audierant quidem. Illa vero Africani superioris modestia qualem & quantum viri declarat? qui cum iuuenis in Hispania bellum gereret, Sponsam Reguli cuiusdam ad se delatam, forma admodum librali, per aliquot dies integerrima custodia asseruatam, sponso illæsa pudicitia restituit. Qua quidem id consecutus est, vt longe facilius Hispaniam Romano nomini adiecerit, principibus terrarum sponte ad illum accedentibus, tantæ virtutis admiratione. Quid? illud an non excelsi animi perhibendum est argumentum? quod cum Carthaginenses bello victi, Legatos ad eum de pace misissent, non prius illos exaudire voluit, quam L. Terentium Romanũ hominem, bellis superioribus captum, ad se adducerent. Quo, cum adductus esset, ad latus suum in tribunali collocato, ita demum responsa Carthaginensibus dedit, paceq́ concessa, bellum soluit. Cum aũt partis tot tamq́ illustribus victoriis atq́ triumphis, legatum se in Asiam fratri L. Scipioni decerni passus esset: Antiocho post repudiata senatus postulata, ingenti prælio superato, sibi ignosci postulanti, & conditiones amplectenti, quascunq́ Romani vellent impositas: Romanum esse respondit, nec aduersis cedere, nec secundis efferri. Easdem pacis sciret conditiones, quæ antea fuerant latæ. Vt iam cætera illius omittam, dicta factaq́ immortalia. Prodigiosam sane Claudii Neronis naturam, ne alia eius immania flagitia commemorem, illa veluti in oculos ponunt, quorum ex dictis vnum, alterum ex factis eius hic referre libuit. Nemini officium contulit, quin adiiceret. Scis quid mihi sit opus, & hoc agamus ne quis quicquam habeat. Vrbem orbis terrarum principem, palam incendit, cumq́ ea per sex dies, septem noctes arsisset, ipse incendium è Turri Mecœnatis spectauit, lætusq́ flãmæ specie, habitu scænico Ilii excidiũ decantauit. Neq́ vero ex seriis tãtum, verum etiam ex iocis, facetiisq́ magnorum hominum temperationes habitudinesq́ internæ perspiciuntur. Marcus ille Cato Censorinus propriam naturæ suæ etiam in dicteriis grauitatem retinuit. Qui in prodigum quendam, qui maritimos agros vendiderat. Mirari se dixit, quomodo Pelago esset violentior, quod ea quæ illud vix alluat, ipse subito absorbuerit. T. Q. Flaminius venustus, qui Acheis bellum Zacyntho Insulæ inferre parantibus consuluit, vti cauerent ne quemadmodum testudines capite testa exerto, ita ipsi extra Peloponesum progressi periclitarentur. Festiuus etiã Philippus Macedo, Alexandri Magni pater. Qui cum à quodam hospite ad cœnam esset inuitatus, & ex transitu multis hinc inde accedentibus, vt fit cum Reges progrediuntur, illum turbari animaduerteret, ea enim quæ parauerat non erant sufficientia, præmissis nunciis ad amicos, iussit quemq́ placentæ locum relinquere. Qui rem certam rati, ea expectatione, cibos parcius attigerunt. Quo factum est vt omnibus satis esset. Neq́ vspiam aptius quam in domestica familiariq́ viuendi consuetudine, principum mores obseruantur. Elaborarũt in hoc argumenti genere apud Græcos Plutarchus, apud Romanos Valerius Maximus, præcipue, qui dicta factaq́ eminentium personarum, tam laudabilia quam contraria, in capita quædam breuissime contulit. Post hunc Macrobius, sales facetiasq́ Augusti & quorundam aliorum collegit. Hos imitatus Galeotus Martius, Inuicti regis Matthiæ Coruini, à quo in domesticos fuit receptus, nonnulla dicta itidemq́ facta, ex plurimis desumpta, Stylo non ineleganti perstrinxit. Et si aũt in his quædam eiusmodi offeruntur, vt iudicium scriptoris in delectu requiras, cũ his omissis, quæ reticere fortasse præstiterat, alia multo splendidiora in Commentarium referre potuerit, tamen pleraq́ memoratu admirationeq́ digna retulit, quorum me quidem lectio non mediocriter adfecit: Peruenerat hic autor ad strennum & Magnificum virum, Franciscum Zaium, Augustæ Romanorũ Imperatoriæ Maiest. Consiliariũ, & supremum in superioribus Hungariæ partibus cis & vltra Tibiscum exercitus Ducẽ, ex arce Nyalab, quo inter alia preciosa à Francisco Frangapane, Archiepiscopo Colocensi fuerat repositus, cum is Ioanni Perenio eius arcis Domino sanguinis gradu esset coniunctus. Qui Decembri nuper elapso mihi circa Cassouiam Cæsarea mandata tractanti, eius copiam fecit, exemplari manuscripto, apud se retento. Est enim huiusmodi monimentorum studiosus, ac multa etiam ipse de patrum nostrorum memoria non sine audientium delectatione recitare solet, historia digna. Tibi vero Auguste Rex Maximiliane, commentarii huius editionem dedicaui. Ac tametsi ea est ma-

Digitized by Google

teriæ extlitas, quæ indigna Maiestate tua fortasse videri possit, tamen non absurdum fore putaui, si hunc quoq; autorem eidem addicerem, cuius nomini auspiciisq;, res gestas Matthiæ Coruini à M. Antonio Bonfini conscriptas destinaui. Est autem Regiæ magnanimitatis, vti magnis & sublimibus duci: ita parua & humilia, honesta tamen, & ab animo ingenuo causaque probabili profecta, non despicere. Scio equidem te pro perspecta mihi bonitate tua summa, atq; Regia clementia, studium meum nutu sereno benigne probare. Venit Galeotus Martius ad Regem ex Italia sicut ipse commemorat, in thermas Badias, tum causa eius videndi, tum proposito dotis ad filiarum elocationem impetrandæ. Professus est in Italia primum Bononiæ, literas & studia humanitatis. Deinde in Pannonia priuatis scholis, docuit. Atq; etiam Ioannem Coruinum. Matthiæ Coruini filium vt facile est conicere instituit. Et Bibliothecæ Regiæ Budæ præfuit. Ac tametsi in eum Franciscus Philelphus acerbius est stomachatus, tamen id sui potius amori dedisse, quam necessitate aliqua Stylum strinxisse putandus est. Quod est vitium multis viris doctis, & præstantibus artificibus commune. Ac fit plerunq; vt homines irati, in eos impetum faciant, qui nihil peccauerunt. Intercesserat ei, cum Iano Pannonio quinq; ecclesiarum Episcopo, iam in Italia ex communibus studiis amicitia. Quæ deinde eiusdem aulæ consuetudine magis enituit. Illius ergo ad Galeotum epigrammata extant, & alia, & hæc quæ huic epistolæ subieci. Vale Regum lumen: Viennæ Austriæ 20. die Iunii Anno 1563.

Sac: Reg: Mtis:

Subiectiss. semitor

Sigismundus Torda.

IANI PANNONII AD Galeotum.

HÆc tibi Pannonicis Epigrammata mittit ab oris
Inter Hyperboreas maximus Ister aquas.
Nec te mirari nimium Galeote decebit,
Esse videbuntur vix mea si qua tibi,
Scilicet ingenio multum locus addit, & aufert;
Inter & est sub quo sydere carmen eat.
In latiis scripsi fortasse latinius oris,
At nunc barbarico barbara in orbe crepo,
Hic Maro ponatur, fiet lyra rauca Maronis:
Huc Cicero veniat, mutus erit Cicero.
Tu tamen hæc tali poteris deducere lima
Vel Critici vt medio nata Helicone putent.

AD EVNDEM.

Cum nec amicitia nobis sit iunctior vllus
Nec Permesiacis tam madefactus aquis.
Carmina Marcelli patrios solantia luctus
Iudicio misi discutienda tuo.
Non ego nunc abs te plausus expecto crepantes,
Nec vanum clames vt Galeote σόφος
Ista dabit vulgus, vel garrula turba clientum,
Tu fac Quintilio me recitasse putem.

AD EVNDEM.

Esse quid hoc dicam? rediit Galeote libellus,
Pagina sed nullas retulit alba notas.
Ast ego Aristarchi stellas, & acuta verebar
Spicula: Mæonium quis iugulatur opus.
Quid faciam? nisi vti placuisse vel omnia credam,
Omnia vel prorsus displicuisse tibi?
Omnia qui possunt placuisse? relinquitur ergo
Omnia iudicio displicuisse tuo.
Est quiddam vlterius, facturas tædia nugas
Ne legisse quidem te Galeote puto.

GALEO-

GALEOTI MARTII DE EGREGIE, SAPIENTER, IOCOSE DIctis ac factis S. Regis Matthiæ ad inclytum ducem Ioannem eius filium Liber incipit.

VOLVI iam diu inclyte dux Ioannes aliquid tuo nomine componere, vt intelligeres Galeotum regi Matthiæ genitori tibiq; deditissimum. Et cum animo voluerem, quidnam tua puerili ætate dignum esset: quod te ad virtutem excitaret, occurrerunt quædam genitoris tui regis dicta ac facta egregie: sapienter, ac iocose, hoc ratus sum ætati tuæ maxime conuenire, exempla enim domestica, & patrum, & auorum, ita inflammant pueros, excitantq; ad virtutem, vt iam grandes natu exemplis domesticis imbuti putent à moribus parentum nefas discedere: ita vt ardua, difficiliaq; negotia alacri animo capessant. Quod nec poeta ignorauit Virgilius cũ ait, Ecquid in antiquã virtutẽ animosq; viriles, & pater Æneas & auunculus excitat Hector. Hæc aũt quæ hoc in libello inseruimus maiori ex parte aurib. nostris accepimus aut oculis vidimus, fuimus enim perpetui comites, & conuiuæ serenissimi regis Matthiæ vt tu optime scis. Scribere aũt visa & audita ab iis qui egerunt quantã in se vtilitatem contineat facile æstimabit, qui libros antiquorum percurret, & maxime Liuiũ. Nam historici qui ab aliis accepta & non visa nec à seipsis audita scripserunt, tantã interdum habent varietatẽ vt lectorem incertũ relinquant. Hinc est illa Liuii frequens disputatio cupientis elicere veritatẽ, sed in hoc tam paruo volumine certa & indubitata cõtinentur, quod quãti sit momenti, nemo recte formatus est, qui ignoret. Nonne magis animos nostros inflãmaret Liuiana eloquentia de pulchritudine Scipionis si illam promissam Cæsariẽ, illamq; corporis dignitatem quã tantopere extollit, nõ legisset, sed oculis vidisset? Bellum Iudaicũ quis cũ animi hæsitatione vnquã perlegit, & in illis Vespasianorũ virtutib. dubitauit, cum Iosephus autor omnib. se interfuisse testetur: Accipe igitur inclyte dux Ioannes opus hoc, volumine exiguũ, autoritate aũt maximũ. Continet dicta quædam ac facta illius regis qui sæpe Turcos profligauit, qui vicit Boemiã, qui Valachos subegit, qui Polonos afflixit, qui rebellantem Hungariã sub antiquo iugo continuit, qui Austriã acquisiuit, qui & Oceanũ & Hadriaticũ mare imperii sui terminũ vi bellica effecit, qui Hydruntũ à Turcorũ oppressione liberauit, sed de his alias. Nunc ad rem nostrã redeamus · si prius admonuerimus etiã iocosa dicta maximos reges, summos Imperatores, acutissimos Philosophos, & maxime Cæsarem Augustũ in vsu frequenti habuisse & qui huius rei testimonia requirit, legat Macrobii librum, & Plutarchi Apophthegmata vbi huius rei veritatem intelliget.

DE FIDE IN HOSTES DICTVM EGREGIE.

CAPVT I.

QVANTA fide in hostes quoq; fuerit genitor tuus facile apparebit. Gerebat bellum rex Mathias aduersus Georgiũ Boemię regem, virũ callidissimum quem Paulus põtifex hæreseos damnauerat. Et cũ in eo bello multa rex Matthias fortiter, sapienterq; gessisset, cõpulissetq; Georgiũ (multis & præclaris quidem vrbib. vi expugnatis) ad extrema fere, tandẽ inter reges cõuenit, vt deuenirent in colloquiũ, paucisq; ex vtraq; parte adductis, & Galeoto qui regẽ Matthiã sequebatur, introducto in cubiculũ, vbi soli reges loquebãtur, & tandem soluto colloquio quisq; domũ suam repetiuit. Filii Georgii regis quorum maximus nomine Victorinus, iussu patris comitati sunt regem Matthiam, Intraueruntq; Holomutiam vrbem, Legatus pontificis hoc intelligens, summis

precibus orauit regem Matthiam, vt huic bello tam periculoso, ac difficili finem cũ victoria imponeret, & summo põtifici pariter & Christianitati, & grauissimis impendiis cõsuleret. Tunc rex interrogauit Legatũ quo pacto id fieri posset, cum Boemorũ gens esset bellicis artib. instructa, exercitus magnus vrbesq; munitæ. Tu .n. vidisti inquit quantis laborib. & Holomuntiã, & Brunam vrbes expugnauimus. Tunc legatus ad regẽ: Habes inquit in manib. filios Georgii regis, præcipue Victorinũ, hominem strenuũ & in quo omnis spes patris posita est, cape hunc cũ fratre germano & erit huic bello finis. Pater .n. ex filiorũ captiuitate cõfractus, quãprimum deditionẽ faciet. Hoc aũt efficere potes sine aliqua infamiæ suspicione, quoniã te secuti Holomuntiam intrauere, nulla redeundi ꝑmissione perscripta. Ad hæc rex Matthias respõdit, filii Georgii regis mecum vrbẽ intrarunt credentes sermoni meo. Blande .n. eos in toto itinere sum allocutus, habita de variis reb. oratione. Quamobrẽ nunquã à me capientur: sed honorifice dimittentur, nam apud me idem est vel vultu, vel nutu, vel signo, vel aliquo modo spem amicitiæ & salutis ostendere. Qui .n. scriptura dataq; fide inimicũ illęsum dimittit, is nõ fidẽ, sed verecũdiã extimescit. Quoniã si scripta fides offenderetur, si quid aduersus inimicũ, statũ proditionis argueretur. Qui vero sincero corde fidẽ colit, siue scriptura, siue verbũ, siue nutus, intercesserit, eundem semper se ipsum exhibet. Caueas posthac in regno meo his persuasionibus vti. Talia enim exempla semper abhorruimus.

IOCOSE DICTVM. CAPVT II.

CVM inter comedendum in mensa regia voluta retur sermo iocosus, incidimus in mentionẽ cuiusdã principis cuius, vxor libidinibus omniũ patebat, ita vt inter meretrices haberetur. Quidã non indoctus vir defendens mulierem, insinuabat eius pudicitiã similitudine filiorũ ad maritũ, dicens, si hæc mulier adulteraretur vt vos opinamini, adulteris & nõ marito similes procrearet, maximũ putans argumentũ legitimi filii esse parentũ similitudinẽ. Tunc rex Matthias subridens ait ad illũ, Nunquã amplius hoc dixeris, si tu aliquãdo libros sapientiæ percurrisses, similitudinẽ prolis ad patrem incestæ potius quã castæ vxoris signũ esse affirmares. Mulieres .n. cum sunt in cõplexu cũ adulteris timentes à viris dephendi, maritorum imaginẽ semper habẽt ante oculos. Vnde fit vt illa vehemens imaginatio similitudinẽ parentũ in filios imprimat. Imaginationem vero hoc efficere, & acutissimi Philosophi & summi medici, & plurima experimẽta declarant. Erubuit ille mulieris defensor, & nos risu & lætitia pleni hoc verũ esse contendimus: cũ animæ nostræ vt Auicenna testatur, vim rerũ immutandarũ inesse cognoscimus, & ars magica ab huiusmodi reb. nõ est omnino aliena, imo hoc verũ esse sine aliqua dubitatione cõfirmat.

DICTVM IOCOSE. CAPVT III.

DVXERAT vxorem rex Matthias Beatricem regis Ferdinandi filiam, virginem venustam, ingenuis moribus, literis, & doctrina excultã, eloquio facundam, benignam, ac in respondendo cum grauitate solertẽ. Cui inerat gratia quædam & in narrandis, agendisq; negotiis, vt homines in sui admirationẽ traheret: præsertim cũ non modo reginalis dignitatis, sed priuatarũ quoq; mulierum officia impleret: vt posset cum omni antiquitate certare. Ad illos pudicos mores virginaleq; cum maiestate verecundiã accedebat quædam in allegandis autorib. promptitudo. Nam cum de cuiusdam dominæ mutabilitatẽ sermo haberetur, statim. Virgilianum illud adduxit: varium & mutabile semper fæmina. Sed Beatrix ex Neapoli cum ad maritum venit, secum duxit ancillas, vt de more reginarum est plurimas. Alias principibus, alias honestis parentibus ortas, quę siue propter reginæ Beatricis eximiã pulchritudinem, siue quod reuera essent, videbantur deformes & præcipuè in Hunngaria, Gens .n. Hungarorum perpulchra est & in Hungaria moris est, vt ancillæ quæ dominas sequuntur, nunquam sedeant nisi iussę & domina sedente, sed Beatrice ses-

sionem

ſionem meditante, nullo expectato reginæ nutu, ancillæ ſedebant. Tunc quidam non inſipiens vir inquit ad regem Matthiam. Hæc maxima dementia ancillarum eſt: vt præter morem patriæ non iubente regina ſedeant. Reſpondit rex. Tota erras via. Imo hæc ſumma ſapientia ancillarum eſt. Nam cũ deformes, ac turpes ſeſe eſſe intelligant, totis virib. conantur ne ab hominib. videantur, ideoq; ne appareãt, ad ima ſe deducunt quoniam ſi ſtarent, omnium conſpectui paterent, ſedentes aũt à paucis & illis quidem familiarib. conſpiciuntur. Et ſic quodammodo latitãt, deformia enim & turpia, vtile eſt, vt à proſpectu remoueantur: ne cætus hominum conturbent. Pulchra enim oblectant, turbia contriſtant.

DICTVM EGREGIE.
CAPVT IIII.

ADVENERVNT oratores regis Poloniæ ad Vicegradum, nomen enim Regiæ eſt à Buda vno ſchoeno diſtantis, prope Danubium ædificatæ cum eiuſdem nominis oppido, ædificauerunt quidẽ antiqui reges, ſed rex Matthias omnia renouauit, & magnificas ædes cõſtruxit. Nam ſupra oẽs homines ædificiis pulchris oblectatur eoq; in ædificando ingenio eſt, vt cum peritiſſimis architectis decora, ac cõmoda ędiũ diuiſione nõ ſine victoria certarit, venerũt in quã oratores pmeditati tanquã ii qui regẽ Matthiam ſapientiſſimum, & in reſpondendo prõptiſſimũ nõ ignorarẽt. Et tã longã habuerũt in lingua patria orationem, vt duas æquinoctiales horas impleuerint. Lingua aũt patria vſi ſunt, quãuis latine ſcirent propter aſtantiũ multitudinẽ. Nolebant quæ fuerãt à rege ſuo mandata ab omnib. intelligi. Solus .n. rex Matthias in tanto hominum cætu linguam tenebat ſclauinã. Sclauina aũt & Polonica lingua parum re ipſa, ſed multũ pronuntiatione differũt. Hac igitur oratione cõpleta rex Matthias ab eis ſciſcitatus eſt, vellentne latine ſibi an Polonice reſpõderi? Oratores hoc in arbitrium regis reiecerũt. Tunc rex Matthias ordine ab initio repetiuit quę dicta ſunt omnia, & quæ ab illis ſparſim, & incõpoſite relata ſunt, in ordinẽ redegit. Deinde vertit ſe ad confutationem, ita vt illi ipſi oratores obſtupuerint. Ea nanq; attulerant quæ rex minime coniectare potuiſſet. Sed inter cætera in principio orationis dictum ab oratorib. fuerat, male feciſſe ſe regem Mathiam cum Epiſcopos Polonię aduerſus regẽ concitauerit pecuniaq; iuuerit. Non enim bonum exemplum eſt regis, in regem principes, & populum ſubditoſque concitare. Omnibus aliis confutatis hoc obiectum ad vltimum reſeruauit rex Matthias, nõ ſine oratorũ admiratione. Credebant .n. eum vel obliuione, vel conſulto præteriiſſe, quod inconfutabile videbatur. Sed cum rex aliquandiu ſubticuiſſet, ſubriſit dicens oratoribus. Renuntiate regi veſtro hoc ꝙ fortaſſis ſuſpicabamini, obliuione omiſſum. Honeſtus eſt error magnos duces ſequentibus. Vt à præceptorib. meis accepi & aliquando legi: nemo .n. diſcipulũ criminabitur, qui ſuum imitatur præceptorem, iuniores ſeniorib. parere debent hiſq; vti magiſtris. Iunior ego ſeniorẽ Poloniæ regem, vt Magiſtrum ſecutus hac in re ſum, ita vt diſcipulus in præceptorem arma retorſerim. Polonię enim rex prælatos potentiſſimos regni mei nõ modo aduerſum me inanimauit, ſed maximo iuuit exercitu. Quo dicto oratores erubuerunt vera audientes, ſed in hoc tam longo ſermone & latine quidem rex Matthias lapſu linguæ ſemel in grammatica peccauit. Dixerat .n. ordinem quam in genere fæminino, ſed ſtatim ſubiunxit quem, genere maſculino dicere volebam. Eſt nãq; rex Matthias ſermone promptus: ingenio verſuto, lingua elimata, memoria diuturna, exercitatione firmata. Sed hæc magis ex frequenti hominũ doctorum & eloquentium cõmercio quã ſtudio acquiſiuit. Erat .n. annorũ 14. cũ in regẽ electus eſt.

IOCOSE DICTVM.
CAPVT V.

HABEBATVR inter conuiuas regios ſermo de eſculentis, cum alii alia extollerent, alii alia improbarent. Auicẽna Hippocrateq; in cibariorum

testimonia allegatis, ait rex Matthias prouerbium esse Hungarorum, nihil esse peius caseo. Negantib. id quibusdã quandoquidẽ cucumeres, armenicaq; & multa pisciũ genera caseo esse longe peiora manifestũ est. Rex respondit. Vera semper esse prouerbia, prouerbium .n. non insulse probatũ dicitur verbum. Vnde apud Philosophos & oratores testimoniorũ vim obtinet, sed fortassis nõ bene vim huius prouerbii intelligitis. Nã nihil est caseo peius significat cũ nihil habemus, tũc deterius nobiscũ agitur q̃ cum habemus caseũ. Admirantib. multis dicendi modum. Nã hæc videntur inter se contraria, habere videlicet, & nihil. Cum alterum id est habeo possessionem, alterũ vero id est nihil priuationẽ indicet. Quãprimũ in mediũ venit illud Ouidii carmen. Ingeniũ quondam fuerat pretiosius auro. At nunc barbaria est grandis habere nihil. Quo carmine cuncti illud Hungarorum prouerbium concinne dici intellexerunt.

SAPIENTER FACTVM.

CAPVT VI.

INdictum est ieiunium Hungaris in die Veneris. Iam diu enim dies à planetis denominatur. Quoniam prima illius diei hora. Planeta vnde nomen accipit dominatur. Sed sextam ibi feriam, cum sexta à feria dici debuisset, more ecclesiastico nominant. Feria enim festum dicitur, & is dies à dominico hoc est feriato die sextum obtinet locum. Fuit autem hoc onus Hungaris impositum, quoniam à Christiana aliquando religione deuiarunt. Seruatur autẽ eo die ieiunium vt in quadragesima. Nam non modo carne, sed caseo, lacte, ouisque abstinent. Sed Hungaria piscibus abundat optimis. Nam præter Sauum & Drauum & Danubium, piscosos fluuios habet, Tibiscum, quem Titiam vocant, non valde latum, sed profundum, qui adeo piscosus est: vt fama sit apud accolas, duas illius fluuii partes esse aquas, tertiam vero pisces. Sed hoc apud plebeios. Certum autem est, & nos oculis sæpe vidimus nũquam in eo fluuio iactum retis fieri inanem. Semper enim aliquot pisces, grandes quidem adducit, habet præterea lacus, & piscinas, & fluuios alios piscibus abundantes, etiam optimis & aliis regionibus incognitis, frequens enim ibi est piscis quidam cãdida carne non valde grandis, raro nanq; tres, quatuorve libras pondere excedit, capite magno sine squamis cuius cauda anguillis est similis, saporis iucundi, quem Hungari cœlestem piscem vocitant, nos vero nunc anguillã Hungaricã dicemus, quoniam Hungaria caret anguillis, quæ nostris sunt similes sed hæc Hungarorum anguilla nusquam in Italia visa est, præterq̃ in lacu lario & ibi quoq; peregrina. Nam fama est Ducem Mediolanensem illum virtutis comitem ex Hungaria afferri iussisse, & in lacum Larium deiici. Hoc autem volui dixisse, ne forte putetur nimis graue in Hungaria illius diei ieiuniũ continuũ. Inter cæteros pisces habet bonos, & grandes eos, quos antiquitas primo Turnos postea Lupos à vi quam exercent, vt putat Varro. Nos vero à similitudine dentium, & voracitatis dictos putamus. Sed hic piscis vocabulo adaucto Luceus dicitur, Lycos enim græcæ lupus, & y. trãsit sæpe in u. vnde Sullam dicimus & Syllam interpositaq; litera, ne lucus pro sylua intelligatur, luceus dicitur. Est autem huiusmodi piscis in Hungaria solida & candida carne, & longitudine amplus adeo, vt plerumq; hominis staturam æquet. Et cum salubritate carnis maxime inter pisces commendetur: in eo nihil iucundius reperitur iecinore suo, Iecur enim quod græcæ Epar dicitur, lupi, amplum vt ibi reperitur, inter regia cibaria numeratur. Eramus in mensa regia, & notauimus nunquam, à rege Matthia Epar lupi piscis ante se positum acceptum fuisse. De more nanq; est vt preciosiora in communi mensa digniotibus reseruentur. Cum nemo auderet id attingere, quidam non indoctus vir, & audaculus interrogauit regem, cur non ederet iecur illud tam pulchrum tamque optime decoctum: cum vbiq; iecur lupi piscis regium putetur esculentum? Tunc rex ait, nolite credere non esse mihi eruditum gustum, iucunda à tristibus discernentem. Cur autem nunquam in conspectu vestro epar lupi piscis attigerim est ex quodam firmo proposito quod puer concepi.

Duo enim me conspiciente ad tabernam diuerterant, quibus caupo lupum piscem apposuit, grandem sane & pro corporatura pileis grãdi & optimo iecore, Alter eorum nulla seruata modestia id totum voraturus apprehendit, altero irato; portionemq; flagitante suam. Communia enim illa esse consueuerunt, quæ hospitibus apponuntur. Cæperunt hi inter se conuiciari, & à conuitiis ad arma venerunt, & tandem mutuis vulneribus confossi, alter statim, alter vero paulo post animam exhalarunt. Vnde tãti mihi puero iecoris lupini nausea facta est? cum huius piscis iecur duorum hominũ cędem attulisse conspexi: vt postea abhorruerim, memor illius mali cui hoc causam præbuerat. Nam esse iucundi saporis memini. Ante enim illud tam indecorũ facinus sæpe comedi. Hæc rex non sine admiratione retulit, cum puero id tantum inhæserit, vt iam grandem natu comitaretur. Vota enim puerorum futilia, ac mobilia esse iudicet qui pueros vidit, & Horatium legit dicentem de puero, ac iram colligit, & ponit temere & mutatur in horas.

FACTVM EGREGIE.
CAPVT VII.

QVIDAM strenuus miles cuius opera rex Matthias in militia fuerat sæpe vsus: audiens bellum ortum inter regem Matthiam & Fridericum Imperatorem Romanorum, cui iureiurando aliquando promiserat se tempore belli vbicunq; esset ad se rediturum. Petiuit à rege vt bona venia discedere liceret ad Imperatorem, namq; redire volebat. In prima petitione rex præbuit se duriusculum, asserens non esse iustum discedere tempore belli milites ab eo qui eos in pace aluerat. Quis enim milites in pace nutrit, quorum tempore belli opera non sit vsurus. Miles autem dicebat causam discessus fidem fore iureiurando firmatam, quam nullo pacto violare statuerat, si per regem liceret, hoc sermone motus rex, militem multis & egregiis donis cumulatum remisit ad Imperatorem, eiusq; propositum coram omnib. laudauit, quoniam iusiurandum commodis propriis, & amicitiæ regiæ anteposuisset.

IOCOSE DICTVM.
CAPVT VIII.

VIDERAT rex Matthias quendam atris vestibus ac promissa barba lugubrem, cuius auiditatem auaritiamq; pluribus experimentis nouerat. Erat aũt homo ille lugubris propter fratres mortuos quorũ bona iure hæreditario iam possidebat, de quib. cum viuentibus diu coram rege litigauerat. Vocauit ad se rex hominem, fingens se huius lugubris habitus causam ignorare, interrogauitq;, quænã causa tam mæstum lugubremq; fecisset, ille illacrimans ait; mors fratrum. Tunc rex, dic quæso tarda ne an cita te turbauit: Fuerant enim illi diuturno morbo macerati. Tarda inquit ille: Rex ait. Sic ego putabam; voluisses enim iamdudum illos fuisse extinctos, vt eorum bona diutius habuisses, sed te excruciat, te lugubrem barbatumq; efficit bonorum fraternorum vsu tam diu caruisse. Erubuit ille lacrymasq; fictas compressit.

SAPIENTER DICTVM.
CAPVT IX.

IN ea frequentia hominum quæ circa reges esse consueuit, de temporũ varietate sermo est ortus, & vt in quotidiana & temporaria locutione fit, finis à principio multum plerumq; discrepet, volutantur enim vicissim verba & à iocosis in seria, & à seriis in iocosa sæpenumero deuenitur, ita vt prima extremaque non minus quam album & nigrum inter se dissonent, & tandem locutio: hoc extremum habuit, apud vetustissimos honorificum fuisse ducibus exercituum pugnare, & ad huius rei comprobationem adduxere Titi Liuii verba hæc, de Bruto consule & Arunti filio regis Tarquinii. Qui cum essent diuersarum partium duces. Aruus concitat calcaribus equum, atq; in ipsum infestus consulem dirigit, sensit in se iri Brutus, decorum erat tunc ipsis capessere pugnam ducibus. Auide itaq; se certamini offert, adeoq; infestis armis concurrerunt, neuter dum hostem vulneraret sui protegendi corporis

memor, vt contrario ictu per parmam vterq; transfixus duabus hærentes hastis moribundi, ex equis lapsi sint. Ad hunc Liuianum sermonem rex suspirauit dicens. Vtinam & nunc hæc esset consuetudo, vt ducum pugna magnanimos & fortes principes indicaret: aperiretq; nonnullorum ignauiam qui otiando & sedendo non pugnando virtutem extollunt bellicam, cognosceremus profecto sapientia ne an ignauia in cellis latitent pleriq; quos imperitum vulgus extollit.

DICTVM SAPIENTER.
CAPVT X.

INCIDIT inter homines qui in corona regis astabant disputatio de regionibus, quænam esset hac tempestate scientia rei militaris, ac fortitudine illustrior, circumstantibus diuersarum nationum viris. Sic enim fit cum principum fama clarescit: Maxima namq; virorum multitudo ex toto fere orbe ad regem Matthiam confluxerat, quoniam varietate bellorum, multitudine victoriarum, magnitudine gestorū totius Europæ principes anteibat, essetq; in eo summa cum humanitate benignitas, eruditio plurima, eloquentia mitis & facunda: & multarū linguarū cognitio. Tenebat præterea Astrologiam, & in operib. Apulei Platonici ita detritus: vt eius dogma omnino calleret, vnde & apud eū Theologi, Philosophi, Medici: Poetæ, & oratores, & Astrologi, & qui omnes disciplinas profitebantur, frequentes erant. Alii enim rogati. Alii spōte regiam frequentabant: sed in sermone de Regionum præstantia: quisque patriam suam laudauit. Hispani Hispaniā, Germani Germaniam, Boemi Boemiam. Et ne generatim prosequar, Itali Italiam extollebant. Ad huius rei corroborationem, qui erant docti testimonia historicorum proferebant. Indocti vero historicam fidem non correspondere conditionib. ætatis nostræ contendebant, asserentes ætatē nostram artibus, machinamentis bellicis, antiquitate præstantiorem, cum & strategemata & machinamenta mirabilia excogitarit, reiectis quibusdam, & antiquis quidem machinis & armis. Tūc rex Matthias: hilari vultu inquit. Si centesimam partem antiquæ militiæ ætas nostra teneret: talemq; rei militaris disciplinam haberemus, quæ posset cum antiquitate conferri, profecto Turcorū regnum non fuisset tam lōge lateq; diffusum. Non enim antiquitatem nuncupo, quæ intra 500. aut 600. annum continetur, sed ad illos me verto, qui tempore Romanorum viguerunt. Artes enim bellicæ machinamentaq; & tormentorum vis magna tunc claruerunt, vt in Frontino Vegetioq; aliisq; plurimis luce clarius inspicitur. De illorū temporū ducibus, & Imperatorib. quid loquar? Cum nemo tam extremæ dementiæ sit, quanquā bellicosissimus prædicetur, qui se ipsum aut Hannibali, aut Alexādro regi, aut Marcello, aut Scipioni, Iulioq; Cæsari audeat non modo anteferre, sed aliqua ex parte comparare. Si aūt antiquitatem intra 500. aut 600. annum incluseris, non à vobis dissentiam, nam intra hos annos pauci, aut fortassis nulli possunt cum ætatis nostræ ducibus comparari. Renouata enim à nobis illa bona & perita antiquitate, longe melius præstantiusq; rem militarem tractauimus, quam illa rudis ætas quæ non est sexcentesimo anno maior.

IOCOSE DICTVM.
CAPVT XI.

FREQVENTABATVR aula Matthiæ regis aulicis multis, ac salutatoribus. Quorum quidam sapientiores de vitiis nonnullorum religiosorum clara voce loquebantur. Venerant enim tunc quidam diuites sacerdotes ad regem. Nam Hungaria habet duodecim Episcopatus opulentos adeo vt maior eorum numerus cum principibus & copiis militum & prouentuum amplitudine, vbertateque fructuum facile possit comparari. Habentur etiam vt principes. In consilio enim regiæ primi assistunt, familia ampla & culta vtentes, & vt de more magnorum principum est, non nisi prægustatos cibos potusque sumunt, sunt & multæ Abbatiæ & ea præsertim quæ diuo

Martino

Martino ex Pannonia oriundo dedicata est, & præposituræ regnis non dissimiles. Cum igitur sermo de malis religiosis increbesceret: rex Matthias interuenit, & intellecta confabulationis materia, vt homo versutus, & callidus subridens ait, nescio an mali recte censendi sunt qui infernalia fugiunt, in inferno enim omnia mala peccataq; sunt. Abhorrere autem infernalia optimi viri esse iudicamus. Sed quod eorum sacerdotes effugiant vt de capitalibus loquamur subito apparebit. Ipsi non fugiunt superbiam, cum eorum habitus atq; incessus superbiam si extincta esset, reformarent. Iram non vitant: cum apud eos in familiares sæuire, crudelitatemq; exercere, & tãdem flagellatos occidere, pro seueritate inter eos habeatur: pudet me referre, quorundam Episcoporum cruentam sæuitiam, crudelitatemq; immanem, quam fortassis vos omnes his diebus nostris audiuistis, & vidistis. Cum Apostolus Paulus Episcopos formãs inter cætera Episcopi documẽta præcipit ne sit percussor. Auaritiam nũquam à se ipsis dimouent, cum per fas & nefas diuina negligendo, & suos spoliando orationis domum, templaq; sacrata deforment, non sine vsura & Simonia (vt Ecclesiastico vtar vocabulo) Gulam atq; Venerem (quam iuniores luxuriam nuncupant, cum luxuria ad omnẽ superabundantiam se extendat) pro quadã apud eos magnificentia reputari videmus. Hoc Coci periti: hoc cibaria exquisita, hoc meretricum, & aliorum quos honeste nominare non possumus multitudo declarat. Inuidere autem, atq; alteri detrahere artis aulicæ, sapientiæq; mundanæ esse affirmant, cum alios deprimendo se ipsos extollere nitantur. Sed optemus vt hoc vitium sibi habeant propter illud poeticum. Inuidia Siculi nõ inuenere tyranni maius tormentũ. Inertia aũt quam græci acediam vocant, ita nos complectitur, vt ociosi semper, & somnolenti diuinis neglectis, ad sextã plerunq; horam dormiant, simulare ac dissimulare se bonos facie, & verbis non corde effingere fallacibus blandiciis hominem illaqueare, artis apud eos & solertię putatur acumen. Sed vt verum fateamur. Vnum maxime detestantur, hoc vehementer reformidãt, hoc die noctuq; summis cogitationibus, & diligentia fugiunt, huius conspectũ exhorrescunt: hoc abominãtur, nunquã neq; precibus, neq; minis, neq; vllis persuasionibus & exemplis adduci possunt, vt hoc diligant. De iis loquor quæ in inferno esse censentur. Quidnam esset hoc vnũ cunctis auide interrogantibus: respõdit rex Matthias, egestatem, esse rem illam quã tantopere sacerdotes fugiunt. Huius aũt mali sedẽ in inferno esse poeta Virgilius in 6. Æneidos testatur, vbi cũ multa monstra in faucib. orci: Id est inferni esse cõmemorauit, subdidit, & malè suada fames, & turpis egestas. Sic rex Mathias malos sacerdotes suo lepido sermone coarguit.

SAPIENTER FACTUM.
CAPUT XII.

FVERAT olim Francorum rex Carolus ille magnus, Pipini filius qui inter cætera egregia, Hadrianum pontificem ab oppressione Longobardorum liberauit, eorumq; regem nomine Desiderium cum vxore, & liberis captiuũ fecit. Huic Carolo ex sorore nepos erat Rolandus. De quo tot tantaq; fabulamenta cantãter, vt in tota fere Europa plebeiorũ ora nihil aliud resonẽt, adeo, vt cũ de fortissimo quoq; viro sermo seritur. Rolandũ reuixisse feratur, ita vt in tota Italia Rolandus nõ propriũ amplius viri, sed fortitudinis nomen esse censeatur. Nam in exprobratione minacium & audacium hominũ frequenter vsurpant, interrogantes an alter Rolandus sit? Præterea fabulantur hunc fuisse Gygantem, certamenq; habuisse singulare, cũ quodã Gygante Sarraceno, cui nomen erat Ferraus. Addunt etiã huic fuisse machærã nomine Durindanã: ferrum, ladidesque secantem, fingunt quoq; hos duos fato inuulnerabiles nisi in quibusdam particulis corporis fuisse: quas multiplici armatura munierant. Hæc deliramenta vbique cantandi materiam præbent, sed aiunt victorem Rolandum, tandem siti interiisse. Puer rex Matthias ad huiusmodi carmina, & virorum fortium commemorationem adeo erat attentus, vt cibi potusque oblitus

oblitus inedia pressus à mane vsq; ad vesperum ad illorum vehementes ictus, pugnamque acerrimam quodammodo stupefactus, nil aliud cogitans interdum gloria victoris accensus, brachia pedesq; sub quadam pugnantium gesticulatione mouebat, cum & pugnantibus, & adesse & praeesse sibi videretur. Parentes autem & prudentes erant in puero tenello hos affectus notãtes, summam de hoc puero Matthia spem conceperunt, maximaq; cura, & diligentia ad futuri regni adeptionem literis & moribus artibusq; regiis educarunt. Nam cum minimus fratrum esset, propter illos virtutis igniculos, parentes optima, & firma spe pleni, Matthię pueri nutu omnia gubernabant, & Ioannes ille cardinalis titulo sancti angeli Iurisconsultus Legatusq; Pontificis, Hispanus, cum plurimo rerum vsu, & sapientia polleret, palam dictitabat, in puero Matthia animos, & virtutes regias iamdudum coniectasse, nec eum fefellit opinio. Matthiam namq; tota Hungaria cum quatuordecim esset annorum, & in captiuitate Boemorum elegit in regem, cum multi in Hungaria principes, & vetustate familiæ, & ætate præirent. Sed qui huius electionis seriem scire desiderat, legat librum nostrum cui titulus est de Incognitis vulgo, vbi de hac re lata fit mentio, quando de fatali dispositione differitur.

FACTVM SAPIENTER.
CAPVT XIII.

NICOLAVS Madrusiensis Episcopus, missus in Hungariam à Pio Pontifice adiit regem Matthiam. Et his peractis quorum causa venerat, desedit Budæ per totam hyemem, regis humanitate pariter & liberalitate fretus. Sed Episcopus non is erat quem sese fronte ostendebat. Erat enim decora facie, eloquentia miti, gestu blando, & qui sub agnina pelle lupũ celaret, qui quidem simulatione, & palatinis artibus, fallacibusq; blandiciis, non sine Viperino complexu & osculatione Iudæ, omnes fere Hungariæ principes fefellit, excepto rege. Nam cũ rex Matthias esset eloquio blandus, ingenio versutus, & sagax, diu inter huiusmodi viros exercitatus, par pari referebat Nicolao, ita vt non minus blande rex Nicolaum, quam Nicolaus regem alloquebatur. Iuuabat præterea regis solertiam, & exercitationem astrorũ cognitio, & physionomiæ sciencia, quas à doctissimis viris largissime acceperat. Accessit etiam ad regis perfectionem, quod eius genitor Ioannes quem Itali Blanchum nuncupant, nati sui versutia cognita, cum ipse esset latinæ linguę expers, in arduis negotiis cum pontificum legatis pertractandis, nullo alio vsus interprete quam filio, ita vt tener adhuc Matthias arduorum negotiorum cognitionem imbiberit. Sed inter omnia physionomiæ peritus, non modo huius, sed multorum primo conspectu hominum mores solertissime iudicauit. Vnde primo congressu qua esset conditione Nicolaus apprehendit, sed nunquam se aperuit, artium enim palatinarum & simulationis ac dissimulationis principes fere omnes habent peritiam, apud hunc Nicolaus Episcopus aggressus est, rem non Episcopo & lagato pontificis, sed vilissimo nebulone dignissimam. Nunc hos, nunc illos Hungariæ principes criminando, in gratiã sui regem trahere conabatur, Rex annuebat fingẽs se omnia credere. Et vt iste criminator liberius loqueretur, interdum se maxime mirari, quosdã simulabat, quib. multa rex beneficia contulisset. Dicebatq; rex vix possum adduci, vt malo erga me sint animo putem, cum nulla maleuolentiæ apparens causa intercesserit. Hoc aũt faciebat, vt magis Nicolaũ excuteret. Posteaquã ex hac tam intima familiaritate animũ mentemq; regis se tenere putauit, factus est audentior, & suas criminationes vertit etiam in eos qui de Nicolao fuerant bene meriti, & à quib. honorẽ, & munera acceperat, ita vt iã nullus neq; magnus neq; paruus siue sacer, siue prophanus (de principib. loquor) à morsibus huius pessimæ viperæ erat immunis, omnib. detrahebat, cunctos in odium regis rapere conabatur. Considerans rex Matthias huius viri nequitiam, pariter & ingratitudinem, excogitauit humano generi salubre exemplum: vt fallacibus & detractoribus finem

finem, quoad eius fieri posset, imponeret. Sicq; ait ad Nicolaum: Ea quæ tu dudum narrasti de principibus Hungariæ, non videntur verisimilia: Nam cùm honestè & liberaliter secum egerim, non apparet, vlla ratione probabile, quod tu argumentis & eloquentia persuadere tentasti. Tunc ille ardentius instare, & se in eorum faciem dicere paratum asseuerabat. Rex his auditis, rogauit Episcopum & legatum, vt tales artes deponeret, saltem in Hungaros, ad quos nomine pontificis venerat. Ille adhuc in sua nequitia persistens, amicitia & fauore regis propenso tumefactus, credens se regem quocunq; vellet impellere posse, in incepto perseuerabat, dicens, nihil ad se hoc pertinere, sed in medium velle omnia adducere propter affectum, quo regem prosequebatur. Nam multis de se benè meritis, regis salutem anteponere volebat, & ob hanc rem omnia dictitasse, narrabat. Rex expectauit aliquandiu, vt Nicolaus pœnitentia ductus, liuorem hunc suum exueret, cogitans non esse magnanimi principis credulitatem & aures detractoribus habere patentes, & angebat eum Episcopi & legati & docti viri erubescentia. Interea habitum est concilium principum Budæ, vbi nunc sedes regia est, congregatisq; principibus superuenit Nicolaus nihil suspicans, imò credens animo regis suas illas criminationes inhæsisse. Tunc rex seorsum vocans Nicolaum sciscitatur, an adhuc esset illius sententia, vt in faciem principum insidias in se exprobraret. Annuit Nicolaus, putans hoc nunquam futurum. Apprehendit rex Episcopum manu, duxitq; in principum congregationem. Cunctis assurgentibus, & Nicolao blandientibus. Iam, inquit, tempus est id efficere, quod tantopere concupiscis, iam palàm loquere, quod mihi sæpe insusurrasti. Nudentur insidiæ & proditiones, quas tu in istis principibus cognouisti. Episcopus videns tot principum venerandas facies, ac de se benè meritas, à quibus & munera & honores acceperat, & de quibus nihil vnquam mali audiuerat, animo confusus cœpit toto corpore contremescere, & insertis pectinatim manibus demisso vultu obmutuit. Tunc rex ad eum: Nisi me summi pontificis reuerentia contineret, ostenderem profectò, non conuenire legatis seminare discordiam, & innoxios principes in periculum capitis adducere. Vnde & regno meo discede. Quod nisi per biduum feceris, tale dabo de te exemplum, quo totus orbis intelliget huiusmodi nequitias & improbitates Matthiæ regi semper displicuisse. Discessit ille sine mora.

EGREGIE FACTVM.

CAP. XIII.

VENERAT Budam quidam strenuissimus eques, natione Germanus, cognomine Holubar, virium & corporis mole mirabilis, qui in eo certamine, quod prætentis hastis equitum concursu fit, ferebatur inuictus: plurimos enim secum certantes ad terram prætento conto prostrauerat. Sed hoc simulachrum pugnæ, quod prætentis hastis hodie etiam in ludis fit, apud veteres non legitur fuisse in vsu. In vero autem certamine hastis cuspidatis antiquos pugnas, & illud Ouidianũ declarat, & Liuius ostendit vulnus Achilleo, quod quondam fecerat hosti vulneris auxilium, Pelias hasta tulit. Et Liuius: Hastis præfixos Aruntem & Brutum in mutua cæde commemorat. Sed hunc modum pugnandi nostrum, siue in vero, siue in simulato certamine contus cuspide præfixus, cum armatura simili videtur à Claudiano aliquo modo tangi. Et vt ad rem redeamus: non eodem ordine & in Hungaria, & in Italia hastis concurritur. Ibi enim non nisi cuspidatis contis: hic verò sæpe inermi hasta pugnatur. Sed in Italia concitato & currente; in Hungaria verò succusando, & non plenè currente equo certatur. Sed hastam sub ala tenere ferreo sustentaculo: quod ne retro hasta pellatur. Ibi restet, restationem dicimus, non memini me legisse apud antiquos. Et vtcunque sit rex Matthias fama Holubaris commotus, ad talem illum inuitauit pugnam. Ille recusauit timens, ne regem offenderet. Nam cum totis & equorum & hominum viribus concur-

ritur contis cuspidatis, & solidis, vix fieri potest quia aut ad terram pugnator summo cum periculo deiiciatur, aut transfigatur, aut ita contudatur, vt læsionem sentit. Rex recusantem compulit, vt secum bono animo certaret. Non ausus est Holubar iterum regi negare: sed animo proposuit minimo ictui regi cedere, potiusq; ad terram cadere quam vires, artemq; suam cum periculo regis ostentare. Hoc rex intelligens, statim per omnia sacra, & per fidem regiam iurauit, si id aliquo modo fieri intelligeret, se quamprimum Holubarem occidi iubere: & Holubarem iureiurando astrinxit: vt cum rege Matthia tanquam cum acerrimo inimico certaret. Holubar cognita mente regis, iuramento adactus, timens si aliter faceret, capitale supplicium: seipsum excitans, ad illud in quo fuerat semper victor certamen inanimauit. Omnibus hinc inde paratis, multisque millibus hominum inspicientibus: me quoque spectante (in platea enim Diui Sigismundi actum est) fit concursus regis & Holubaris, equis more suo currentibus, vterq; enim vtebatur equo fortissimo. Ita se infestis contis tetigere, vt Holubar resupinatus ad terram per equi clunes exanimis fracto brachio ruerit: fuerat enim in fronte percussus, rex vero percussus in pectore ex vehementi ictu à latere equi paulo post ad terram defluxit læso aliquantisper pede sinistro, statimq; surrexit. Equi sui habenas capiens. Holubarem sotii subleuauerunt. His peractis rex curauit Holubarem. Qui tandem sanitati restitutus, equos & vestimenta preciosa & pecuniam grandem à rege dono accepit, rediitq; in patriam, & liberalitatem, & fortitudinem regiam prædicans. Et vt verum fateamur ego quoque qui vtrunq; noram admiratus sum, talem pugnæ finem. Cum Holubar grandi corpore, Viribus pro corpore æqualibus, & rex Matthias sit mediocri statura mediocribusq; viribus, sed in rege Matthia omnes admirantur; & ego quoq; qui cum eo longam habui consuetudinem deceptus fuerim. Nam cum equitat rex videtur palmo maior quā cum ambulat. Si quis ambulantis & æquitantis longitudinem perpendat. Nam cum essemus in itinere. & in maximo exercitu rex obuoluto capite, & operta facie equitans, ita enim de more est illius religionis, siue ob rigorem frigoris, ardoremve solis fugiendos: siue quia sub hoc habitu etiam in calore ducati pontus, æstumq; galeæ cum opus fuerit, non perhorrescant, faciam fasceis circumvolutis ita abscondunt: vt vix pupillæ oculi appareant. Rex igitur hoc habitu cælatus diu locutus; fecit me ambiguum. Vox enim sonabat regem, corporis autem longitudo solito maior alium esse insinuabat. Videbatur enim rege procerior, locutusq; sum cum eo tanquam cum milite priuato. Sed vt omnes fatentur in equo rex Matthias aptissime sedet, itaq; inhæret, vt pares, aut similes ætas nostra viderit paucos. Et vt de me loquar tot millibus hominum visis, tot regionibus peragratis, non memini me vidisse nisi duos, qui ita apte eqitarent. Franciscum Sfortiam Ducem Mediolani & Robertum de Sancto Seuerino: qui his diebus tot egregia facinora cum prole sua effecit. Venetianorum militum dux, & Imperator totius Italiæ vires Venetianis contrarias exercitu non magno ita retudit, vt omnibus defessis, atq; superatis, Venetianorum imperium dilatando magnis prouentibus auxerit nullum laborem, nullum periculum, nullas subterfugiens ærumnas. Vnde tota Italia eius fortitudinem reiq; militaris peritiam ac animi magnitudinem cum strategemate admirata, vniuersalem eum ducem non modo elegit, sed collato stipendio ad plurimos annos confirmauit. Nam Robertum saluti Italiæ consulentem, paciq; studentem, conuentus Italorum principum, tanta beneuolentia prosequitur, vt eius nomen immortale reddiderit. Nam & iure quidem. Est enim manu & consilio promptus, in respondendo benignus: in agendis negotiis & grauis & vigilans: corpore indefessus. Nam cum supra septuagesimum annum agat, ita iuueniliter, agiliterq; se exercet, vt triginta videatur annorum, talis igitur tantusq; vir prolem numerosam & sibi simillimam procreauit. Nam vt de aliis taceam de duobus in præsentiarum loquar, quos sæpe allocuti fuimus. Sunt enim tales, vt nullum tam pericu-

Digitized by Google

periculosum bellum possit accidere: quod eorum frangat animos: Tunc enim exultant, cum tormentorum fragorem, cum armorum strepitum, cum præliorum tumultuum, cum omnia igne, ferroq; misceri conspiciuntur. Nam Casparum quem ob summam strenuitatem, immensam audaciam, celeritatem incredibilem, crebras incursiones, deuastationesq; hostium, & in mediis periculis animos pariter & prudentiam, agnomine fragorem appellant: quocunq; enim proficiscitur, sua inuicta manu non minus quàm Fragor arbores omnia opterit. Nonne in illo hastarum concursu qui & Venetiis, & Mantuæ nuper actus est, eius opera maxime enituit. Cum alios strauerit, alios resupinauerit, alios vero debiles, mancosq; effecerit, ita vt præmia sui laboris, & fortitudinis cunctis volentibus acceperit. Est præterea pulcher & affabili sermone mitis, & ad ductandum exercitum & ad singulare certamen paratus, sui agnominis magnitudinem implens. Nam qui fragori resistere conantur, aut corruunt, aut vehementer læduntur. Quid de iuniore filio Roberto Antonio Maria loquar? qui & optimis moribus, & strenuitate corporis, & exercitatione militari, & rebus fortiter, sapienterq; gestis Magnificũ genitorem suum, omnibus in rebus imitatur. Nam hi duo Caspar, & Antonius, equitatione, & pugna aliisq; virtutibus patrem æquare contendunt. Nam & hos optimos & pugnatores, & duces nouit ficarolum: Abbatia lendenaria. Rodigiumq; intellexerunt. Assula perpendit. Ollius conspexit, Mantua, Ferrariaq; formidarunt, Italiaque tota tanquam Italiæ, & fulmina, & propugnacula laudauit, & laudat, tantaq; sui spe homines implent. Vt annis crescentibus, gestorum incrementa responsura coniectent.

FACTVM EGREGIE.
CAP. XV.

GEREBATVR bellum cum Georgio rege Bohemiæ, de quo superius mentionem fecimus, & cum diutius præter omnium opinionem protraheretur non sine maximis impendiis, & regis Matthiæ, & pontificis Pauli. Venit ad regem quidam, sed eius nomen tacebo, sicuti feci in maiori parte libri, quoniam adhuc viuunt multi: qui se gladio occisurum Georgium regem pollicebatur: si prẹmium reciperet aureorum quinq; millium. Rex Matthias Chyrographo & fide promisit se adhuc maiora daturum: si id efficeret, quod promittebat. Ille diu obseruans quo pacto id efficere valeret: tandem incidit in quandam huiusmodi necis desperationem. Videbat enim occidendi Georgii nullam dari facultatem, nisi cum maximo periculo capitis sui, quoniam fidis satellitibus stipatus facile huius temerarii impetum repressisset. Quamprimum hoc intellecto mutauit modum: sed non mentem occidendi; & se veneno facturum regi Matthiæ narrauit, quod gladio spoponderat. Rex extemplò mandauit ne vllo modo Georgium veneno aggrederetur. Pugnamus enim hic inquiens gladiis, non veneno, frustra legissem historias de Fabritio, qui ad regem Pyrrum Romanorum hostem acerrimum scripsit, vt à familiarum veneno caueret. Quidam enim eius mortem promittebat. Addiditq; Romanos ferro non veneno pugnare consueuisse. Quamobrem libros lectitamus, nisi vt optimis exemplis imbuti virtutem sequamur, vitemusq; vitium? Et his dictis Georgium monuit, vt nisi prægustatos & à fidelibus quidem, & cibum & potum sumeret: quoniam ei ex veneno periculum certum immineret.

EGREGIE FACTVM.
CAP. XVI.

FREQVENS sermo Matthiæ Regis erat, tria inter cætera non esse oblectabilia, recoctum ius, Amicum reconciliatum, & barbatam mulierem. In recocto iure, aliquid insipidum, in amico reconciliato, quiddam veteris inimicitiæ esse, In barbata autem muliere, quis non aliquid virilitatis esse diiu-

dicat? est enim naturæ contrarium audaciæ virilis in scelere iniiciens suspitionem.

MIRVM DE REGIS MVNDICIE.
CAP. XVII.

MORIS est apud Hungaros vti in discumbendo mensis quadratis, qui ab antiquitate Romana defluxit & omnia in iure apponere, variant enim iura pro rerum varietate. Anserculi enim & Anaticulæ, capones, fastiani, perdices, starnæ quorum ibi copia magna est. Præterea bubula Agnina, hœdina, & suilla, aprugnaque caro, piscesque diuersi, & alia huiusmodi, vario semper & proprio iure, aut merguntur, aut condiuntur. Est etiam consuetudo, non vt modo apud nos, vt singuli ex singulis sed omnes vt ex vna patina accipiant; nec ibi vllus in assumendo bolo, aut carnis morsu, furcilla vtitur vt nunc in Italia transpadana in vsu frequenti est. Quisq; enim mensam ante se paniceam habens ex communi patina, quod placet assumit, frustillatimq; sectum digitis ad os applicat. Hungari non habent in frequenti vsu escarum structores. Vnde fit vt cum maxima difficultate in illa Hungarorum copia, & mensa opipara quis se à manuum vestiue inquinatione tueatur, guttatim enim aliquando crocinum ius defluens sordidum hominem reddit. Croco enim & gariophylis Cinamo & pipere: Zinziberique & speciebus in maxima copia vtuntur. Nam cum Vngari sint robustioris, calidiorisq; naturæ, quam Itali, non videtur ab re factum, vt speciebus vtantur, calida namq; testimonio Auicennæ calidis conueniunt, nutricioq; ex similibus semper existit, calidiora esse huiusmodi condimenta quæ speciebus abundant, nemo est qui non intelligat, à iure autem & crocino præsertim vngues & digitos, quibus escam apprehendimus fieri crocinos nullus ambigit, sed rex Matthias omnia manibus pertractans nunquam fit sordidus quamuis locutioni intentus, semper enim in eius conuiuio disputatur, aut sermo de re honesta aut iucunda habetur, aut carmen cantatur. Sunt enim ibi musici & citharedi, qui fortium gesta in lingua patria ad mensam in lyra decantant. Mos enim Romanorum hic fuit, & à nobis defluxit ad Hungaros. Cantatur autem semper aliquod egregium facinus: nec deest materia. Nam cum Hungaria in medio hostium diuersarum linguarum sita sit, semper rei bellicæ habet fomitem. Amatoria autem carmina raro ibi cantantur, & vt plurimum gesta in Turcos in medium veniunt, non sine sermone concinno. Hungari enim siue nobiles, siue rustici sint, eadem fere verborum conditione vtuntur sine vlla varietate loquuntur, eadem enim pronunciatio eodem vocabulo, similes accentus vbiq; sunt. Nam vt de Italia loquar nobis tanta est loquendi varietas: vt ciuis à rustico, & rursus Calaber à Tusco, tantam habeant in sermone dissimilitudinem, vt difficultatem intelligendi maximam præbeant. Sed apud Hungaros vt diximus eadem loquendi forma vel exigua admodum differentia est: Vnde fit vt carmen lingua Hungarica compositum, rusticis & ciuibus mediis & extremis eodem tenore intelligatur, sed vt ad rem reuertamur, oculis meis non sine admiratione vidi loquentem regem, aut aures carmini vel sermoni maxima attentione præbentem, esculenta vsq; pertractantem, & nunquam coinquinatione turpatum, quod profecto mirum est, cum alii summa cum attentione & diligentia nō possint aut manuum, aut vestimentorum sordes præcauere. Sunt igitur huius regis naturales munditiæ, quoniam eis maxime gaudet præter influxum & consuetudinem regionis.

SAPIENTER FACTVM.
CAP. XVIII.

ERAT Veronensis quidam ex ordine diui Francisci à Paulo pontifice in Hungariam pro fidei negotiis missus vitæ integritate, & moribus compositis & studiis humanitatis ornatus. Qui cum prudenter in multis & arduis quidem

Digitized by Google

quidem rebus se gessisset, regis Matthiæ solertissimi hominis inspectoris, beneuolentiam meruit. Vnde factum est, vt breui in Episcopum rex elegerit. Hungariæ enim reges ex priuilegio Episcopos eligunt, quos pontifices confirmant, ob hanc tam subitam electionem multi ex principibus quorum filii Episcopatum optabant, valde reclamarunt, indignum putantes hominem peregrinum fune præcinctum, & nudis pedibus incedentem mendicantemq; hostiatim panem, ad Episcopatum tam opulentum & ad regnum quodammodo, breui tempore & non multo labore prouectũ cum plurimorum Hungarorum & generositas, & literatura, & opera in re Christiana dudũ enituisset, præsertim cum his inuitus videretur assumi. Rex cognita huius viri solertia, nihil horum aduertit. Xistumque pontificem frequentibus & literis & nuntiis stimulauit, vt Gabriel (sic enim vocabatur) in numero esset cardinalium. Sed Xystus, & collegium rescripserunt separatos in re non homine regi morem gerere. Nam in quouis alio rex potietur optato. Hunc autem monachum paupertatis, & castitatis, & obedientiæ voto addictum, à monasterio conuelli nequaquam debere. Cum huiusmodi viri qui mortui mundo censentur, non sint apti ad humana capessenda, quorum copia Romanam plerunq; conturbat Ecclesiam. Raro habentes vsum & experientiam, sine quibus nemo apprime eruditus est. Sed rex Matthias his posthabitis, per oratores suos collegium cum pontifice iterum atq; etiam stimulans, collaudansq; Gabrielem omnium domesticorũ & familiarium verba contempsit cum suadere niterentur, ne pontifex & cardinales ab hac re auersi infestarentur, præsertim cum nonnulli è suis quos pontifici placituros intelligit, ex vetustate familiæ, & virtutum splendore & Christianitatis defensione longe Gabrielem antecedant, ad capessenda rubri galeri gestamina. Rex autem immobilis à suo nunquam proposito dimoueri valuit, ita vt tandem Gabriel Episcopus, olim diui Francisci ordinem secutus, toto collegio propter regem consentiente, Cardinalatus acceperit insignia. Sed horum negotiorum inscius cum nuntium Cardinalatus habuit, diu lachrymauit intelligens opera regis id peractum, & se non posse tot tantisq; beneficiis à rege collatis dignas referre gratias, sed posteaquam Romam habitauit, cuncti iudicarunt regem Matthiam callidum hominum inspectorem, recte elegisse dictitantes propter Gabrielis & singularem humanitatem, & solertiam maximam admirandamque prudentiam.

DICTVM SAPIENTER.
CAP. XIX.

NARRATVM est regi Matthiæ quosdam è familiaribus suis sibi venenum miscuisse. Huiusq; narrationis ratio apparebat prima fronte similis vero. Nemo inquit rex venenum ferrumq; à suis timeat: qui iuste ac legitime imperat. Nec omnia verisimilia sunt probanda. Et hoc sermone accusatoribus illis illusit, ita vt non amplius huiusmodi deliramenta confingerent. Ex vultu enim & gestu criminantium deprehendit rex accusatorum inuidiam atq; fallaciam.

MIRVM IN REGE.
CAP. XX.

NOVIMVS in rege Matthia naturam admiratione dignam. Nonne incredibile putatur in mediis tumultibus in tormentorum fragore, in castris somnum inuenire, & domi in summa quiete mussantibus & susurrantibus cubiculariis nunquam posse in somnum resolui? Nam in seruia cum oppidum Sebestum (quod alii Seuerinum alii Sabacium vocant) oppugnauit, & expugnauit, cum lapides vi machinamentorum non sine fragore in muros impingerentur, terraq; tremisceret, castra concuterentur, sopore pressus sæpe iacuit, & leui susurro excitaretur etiam cum maximo labore confectus cu-

baret susurrus enim & mussitatio excitabant: quem clamores hominum & tormentorum fragor soporabant. Quod profecto erat admiratione dignissimum. Nec hoc vllus vel suspitioni vel curæ tribuat: quoniam vbiq; idem eueniebat, vt nos plerunq; aduertimus.

SAPIENTER DICTVM.
CAP. XXI.

QVIDAM non omnino imperitus illud Terentianum ad rem suam faciens allegauerat. Obsequium amicos, veritas odium parit. Quod quamprimum rex Matthias falso dici, esseq; humanæ naturæ, contrarium euidenti ratione ostendit, inquiens. Omnes homines natura scire desiderant teste philosopho. Nihil autem scitur: vt eiusdem testimonio vtamur nisi verum. Vnde concludimus, veritatem esse naturæ humanæ accommodatam. Quicunq; enim sese hominem intelligit: veritatis amatorem se esse profiteatur necesse est. Si autem Poetarum & comicorum quidem adducenda sunt dicta personarum conditioni & non veritati accommodata: non sunt pro vero testimonio referenda, serui interdum, & ancillæ præterea lasciui iuuenes & amatores à Poetis introducti, loquuntur secundum illud poeticum decorum quod: Reddere personæ scit conuenientia cuique. Vnde fit vt vilissimas & abiectissimas, & veritati contrarias, & à seipsis dissidentes habeant sententias. Vir ille regis argumentatione percepta erubuit, facileque cognouit præclara ingenia veritate, & non obsequio & adulatione mulceri.

SAPIENTER DICTVM.
CAP. XXII.

INTER doctos viros qui aulam regis quotidie frequentabant: erat quidam sexdigitus. In manu enim dextra duos habebat pollices. Cuius rei exprobratione irascebatur. Præsertim cum sextum in manu digitum nonnulli inter monstrosa connumerarent. Sed rex causam huic sexdigito irascendi iustam esse affirmauit. Monstrosa enim inquit aqud veteres, vt ominis infausti, expiabantur Sacrificio. Quoniam semper videbantur prænuntiare infortunium. Quod & Lucani dicta confirmant hoc versu. Monstrosiq; hominum partus numeroq; modoq;. Et hoc ratione firmatur. Rarissimè enim contingit monstroso corpori non subesse monstrosos peruersosque mores. Anima enim (vt à doctis viris accepi) ex medicorum sententia sequitur corporis habitudinem. Monstra ergo homini obiicere, nil aliud est, quam vitia exprobrare. Quis iram compresserit, cum inter vitiosos numeretur? Nemo enim tam malus est, qui malitiæ nomen non vehementer abhorreat. Et quanquam nequitiam concupiscat, sequaturq;, tamen nequaquam dici, putariuè malus affectat. Quotiens vidimus à natiuitate claudos, aut cæcos, aut aliqua corporis parte monstrosos, moribus quoque & mente & cæcutire, & claudicare & peruerso iudicio vti. Perfecta enim natura perfectos affert mores, sed in his quos casus debilitauit, alia ratio est. Nam fortissimi optimique & reges & Imperatores milites q; strenui casu, aut cæcutiuerunt, aut claudicarunt, sicuti de Horatio Coclite legimus, qui Porsenæ regis exercitum solus in ponte tenuit, & ex eo cadens toto vitæ tempore claudicauit. Adducerem Philippum Alexandri patrem: & Hannibalem, cum Sertorio monoculos, nisi sacra scriptura Iacob virum perfectum narraret ex colluctatione cum angelo claudicauisse. Inquit enim, vnde crus eius emarcuit. Qui enim huiusmodi debilitates casu factas connumerat, gesta horum præclara refert. Vnde non inconcinne Cocles ille Horatius pedis debilitatem exprobranti respondit, se per singulos gradus gloriæ suæ admoneri. Monstra igitur nascuntur non fiunt. Nonne instrumentum vetus ad vncarum narium viros atque reburros à sacerdotio abdicat? Deformitas igitur naturalis videtur esse

signum

signum à Deo positum, ad dignoscendos hominum mores, quos quæ sequi, aut euitare conueniat.

SAPIENTER DICTUM.
CAP. XXIII.

IN conuentu Holomucensi quo Bohemiæ, Germaniæ, Hungariæ, diuersarumq; nationum plurimi conuenerant principes, permulti etiam Scurræ, histrionesq; principum secuti culinas confluxerant, inter quos quidam non infacetus homo rythmos germanica lingua compositos coram rege Matthia recitauit, gestu etiam non indecoro, In quibus principum Europæ nomina connumerabantur, quos aduersus Turcorum impetum expeditionem facturos vaticinabatur: Et armis ac numero militum, pro facultate, cuiusq; enumeratis, horum ducem & Imperatorem fore regem Matthiam concludebat, qui tum propter vicinitatem, tum propter diuturnam cum Turcis pugnam, longamq; bellorum experientiam omnium sententia cunctis præponeretur, hoc primum rythmorum caput. Secundum vero laudes regias continebat, & amplissimas quidem partim veras partim vero fictas. Nam quicunque illorum rythmorum compositor fuerit, aut non bene tenuit regis Matthiæ gesta, aut fuit adulationis auidus. Multa enim falsa veris commiscuit. Nam cum eius excellentiam in re militari, & magnificentiam, & literaturam & humanitatem, & prudentiam prædicauit, vera narrauit. Sed cum ad laudes illas fortitudinis giganteæ, pulchritudinisq; venereæ se vertit, quis non nouit esse figmenta. Cum rex Matthias virium mediocrium, pulchritudinisq; virilis sit, videaturq;. Nam capilli nō pleni rutilo sub crispo, denso, atq; promisso, oculis viuidis, & ardentibus, colore genarum robicundo, longis manuum digitis, quorum minimos non plene extendit, Martiali potius quam Venerea pulchritudine decoratur. Sed cum rex Matthias sit magnificus rerum gestarum veras laudes non recusat. Fictas vero cum adulatione abhorret. Itaque fugit vt eum subiratum putes. Tandem huius scurræ sermo ad præmia dictorum exposcenda se vertit: sui laboris & rythmorum recitationem prædicans. Rex finitis rythmis, inquit, Permulta in tuo opere in laudem meam decantasti: quæ nullo pacto in me esse intelligo. Attamen tibi non succenseo quoniam bono animo dixisti: & ego tanquam virtutis incitamentum rythmos tuos accipio, Conaborque pro viribus in his quæ à me fieri poterunt dicta tua implere. Sed illam gigantum fortitudinem: Ganymedis Absolonisque speciem posthac ne amplius dicas. Tu iam oculis me vidisti. Si deinceps in hac adulatione peccares, non esses venia dignus. Sed tui laboris, & recitationis cum adulatione præmium expectato quo adimplebuntur quæ vaticinaris. Multa enim dixisti, quæ optamus, magisq; speramus, imminente in præsentiarum Turcorum bello acerrimo.

FACTUM SAPIENTER.
CAP. XXIIII.

KALENDIS Ianuariis in circumcisione Christi, consueuerunt Hungari Strenam dare: hoc est donum pro bono omine incipientis anni, strena vero à strenua id est à dextra donum significare nō est dissimile græcitari, quæ δῶρον nominat donum, quod per palmam datur, vnde & τετράδωρον laterem Vitruuius architectus quatuor palmorum esse testatur. Moris est vt à rege petatur strena, prætentis cuiusque artificii instrumentis. Tibicines, Tibiam tubicines tubam, cytharedi cytharam, coci ollas & creagras, & alii alia, sui artificii commoda instrumenta deportant. Rex in ollam aliquot aureos congessit: & in tibiam tubamque & reliqua præmium coniecit proprium. Nam & regius pincerna in Scyphum exporrectum pecuniam iactam ex tinnitu coniectauit. Cum autem ad multam noctem donorum multitudo peruenisset, erant enim plurimi liberalitatem regiam expectantes: aderat Galeotus Mar-

tius, non vt dona acciperet: sed vt dona regia faceto sermone condiret, ne tantæ munificentiæ deesset hilaritas. Omnia igitur iocis & gaudio plena, & munere regio ornatu exultabant. Tunc rex vertit se ad Galeotum inquiens, cur tu quoque non pandis sinum tuorum instrumentorum ad capiendam strenam? Nam hic ollas: Ille Scyphos nonnulli tympana, & cellarii congios, stabularii strigiles, sartores acum & forcipes, sutores scalprum, cum subula porrigentes, non fuerunt præmio suo fraudati. Respondit Galeotus se non habere secum instrumenta. Tunc Rex ait, instrumenta tua sunt quos edidisti libri, quibus Bibliotheca nostra ornatur. Hoc intelligens Galeotus; innuit filio suo Ioanni Martio vt librum de homine, & de incognitis vulgo ex regia Bibliotheca afferret. His allatis rex Matthias tunc sapientiam suam maxime aperuit: cum cocis & stabulariis aliisque huiusmodi viris non ex animi iudicio, sed ex patriæ consuetudine se donasse, doctos vero viros non impulsu consuetudinis, sed animi iudicio venerari, omnibus manifestissime indicauit. Auro enim & argento, plurimo librorum forulos operuit, pecuniamque grandem apposuit, adeo vt virus Galeotus plura & preciosiora quam reliqui acceperit. Hoc regis factum declarauit multos ex necessitate sine quorum ministerio viui non potest alere: præclaros autem viros in quocunque genere virtutis ex iudicio animi colere & venerari, præmiisque dignis afficere, cum illi pauca etiam petentes abstulerint, & Galeotus tacens: nec quidquam tale sperans, nec etiam adfectans multitudine precioque donorum cunctos donatos anteiuerit. Quanti autem momenti sit animi iudicio, & non inueterata consuetudine aliquid efficere: relinquo iudicandum huius libelli lectoribus, cum alterum nobiscum cum brutis, alterum vero cum diis commune sit.

SAPIENTER DICTVM.
Cap. XXV.

NOMINABANT nonnulli principes non sine laudibus Alphonsum Aragonię & Neapolis regem, qui tum & rebus fortiter sapienterque gestis: tum etiam animi magnitudine, ac liberalitate immensa memoriā sui reliquit sempiternam. Gesta enim Alphonsi & dicta ac facta sapienter, sunt à doctissimis viris mandata literis, sed inter tot huius regis egregia, non in postremis habendum est: quod iam natu grandior: ita literis incubuerit vt doctissimus euaserit. Huius autem præclarissimi regis similitudinem in duobus relucere cognouimus. Nam Alphonsi incessum, regina Beatrix & manuum de coro motu à natura imitatur: & quod maximum est doctissima, doctos colit, & veneratur. Nunquam enim cessat, quin aut legat aut audiat, ad aui sui similitudinem se conformans. Et dux Franciscus reginæ germanus animos, militiamque Alphonsi secutus literatura, liberalitate, humanitate, magnificētia ingenii acumine, prudentia in negotiis, fortitudine in periculis, grauitate morum, promissorum fide, tantam de se in hac ætate iuuenili spem omnibus præbet: vt alterum Alphonsum breui videri speremus. Allegare autem ad rem autores cum Beatricis & Francisci communis sit laus quid referam? cum Beatrix regina tam promptu & eloquenti sermone cum Bohemiæ rege locuta est. Hoc enim nos oculis vidimus: vt omnes audientes obstupefecerit. Autorum autem sententias in medium ex tempore & apte adducere: fœcundi ingenii doctrinæq; exercitatæ signa esse intelligimus. Nonne adhuc mentibus hominum inhærescit cum de mutabilitate, vt dixi, cuiusdam dominæ sermo haberetur, à Beatricis ore decoro, statim Virgilianum illud, varium & mutabile semper fœmina. Et ad iuuenem, summā anxietate amicam requirentem, illud quoq; Ouidii adductum. Res est solliciti plena timoris amor. De Psalterio in præsentiarum nihil referam, quoniam & est quottidiana lectio & allegatio. Et vt ad rem nostram reuertamur; fama erat huncq; regem Alphonsum dispensatori suo, & præmia & laudes tribuisse ex eo quod visus est pro-

est prodigalitate opprimere temerariam cuiusdam emptionem. Habitabat enim tunc rex Alphonsus Tibur, & dispensator cum preciosa optabat Romam ibat. Est enim distantia 16. millium passuum. In macellum Romanum attulerant piscatores Murenam venalem satis grandem, pro natura regionis, & piscis. Vix enim tres, quatuorve libras implet. Et piscator propter raritatem (vnica enim erat in macello) tunc aduentantibus vno, temporis momento pontificis, & Alphonsi dispensatoribus. Venale, plura offerenti, proposuit. Dispensator pontificis tres: Regis autem sex: Rursus Pontificis decem, Regis viginti obtulit. Et altercatione crescente ait piscator, Murenam auferat: qui triginta aureos dabit. Alphonsi dispensator tacente corriuali Murenam numerata pecunia absportauit. Regique narrato emendi modo, ostendit. Rex autem Alphonsus negotium hoc diligenter aduertens, dispensatorem suum, & laudibus & muneribus regiis cumulauit. Hoc audiens rex Matthias inquit: Magnificentiam & liberalitatem nemo vnquam improbauit. Sed si dispensator meus mihi in huiusmodi rebus liberalitatem ostentasset, laudassem quidem si emptam Murenam pontifici donasset: vt dominum suum & pecuniarum, & gulæ contemptorem prudentiores iudicarent, quandoquidem Murenam non ex auaritia dimissam ne ex gula emptam cognoscerent. Dispensatur qui hæc fecisset: sine dubio laudem meruisset.

DICTVM SAPIENTER.
CAP. XXVI.

A Rege Matthia sæpius audiui malefacere huius ætatis historicos, qui regionum vrbiumq; nomina ad antiquitatem reuocare contendunt: cum in vrbibus non sit magnus, sed regionibus maximus error depræhendatur, & fallacia. Nam si quis Gallorum regem nunc nominet, quis non intelliget non esse sub hoc vocabulo Franciam comprehensam, cum gens Gallorum & citra & vltra Alpes sita confusionem faciat, Franciæ, populos minime concludentem. Si quis autem Mysiæ nomine Seruiam nuncuparit: faciet nominis errorem, cum duplex sit Misia. Rasciam ætas nostra nominat, & Thraciæ & Misiæ partes. Hungariam ab Hunis, & Auaribus appellatam, Pannonias Daciæque partem habere intelligamus. De Polonia quid loquar cum Germaniæ & Schytarum partem complectatur? Sclauinia tam latæ significationis nunc est, vt in Italiam vsque extendatur. Lingua enim regionum hoc facit, Austria vbi noua Vienna est, & Pannoniæ, & alterius nationis obtinet portionem. In Italia vbi via Aemilia est, quæ latius patet, continetque diuersa, & Marchia alios habet fines, quam Picenus ager. Et ne omnia persequar, dicebat rex necesse esse vt nouis nominibus pro linguarum, regnorum, præfecturarum mutuatione vtamur. Nam nec hoc caret exemplo dicente Plinio libro tertio, Gens Liburnorum iungitur vsque ad flumen Titium, pars eius fuere Mentores, Himmani, Encheleæ, Dudini, & quos Callimachus, Venecetias appellat, Nunc totum vno nomine Illyricum vocatur generatim. Sed de vrbibus, & regionibus si quis ambigeret, legat Strabonem, vbi antiqua in noua transisse nomina comprehendet. Nam Ferrariam pro Muento, & Bononiam pro Felsina positas inueniet. Nunc & Imolam, & Fauentiam Cornelii Sempronii fora cognoscet, licet & fauentia, & Bononia & in veteribus nomina frequententur, Fluentia in Florentiam, Patauium vero in Paduam declinarunt. Et quæ Venetia ad Mantuam vsque Strabone teste extenditur: Marchiæ Teruisinæ nomine compræhenditur, finibus diuersis: Et antiquitas Taururum. Quem iuniores Hungari Nadoralbam, Sclauini Bellogradum, & Italici nuncupant, Vtrunq; tamen, & Hungaricum, & Sclauinum, Castellum album vocabula sonant. Concludamus igitur, vel linguarum diuersitatẽ, vel vrbium instaurationes: vel præfecturas impositas, vel regna constituta, non recte pro rerũ & locorum varietate in omnibus antiquum

nomen seruare: cum termini variati sint, & perpauca reperiantur, quæ ab antiquo tenore minime discesserint.

SAPIENTER FACTVM.
CAP. XXVII.

IOANNES cognomine Vitez quod latine dicitur miles. Est enim nomen familiæ. Vir in iure pontificio & studiis humanitatis eruditus: statura procera, & pulchra & in ætate iuuenili capillo cano, & ingenio versuto. Fuerat olim Galeotti discipulus & contubernalis; sed Matthiæ regi aliquantisper inuisus. Nam cum consanguineus esset Ioannis Archiepiscopi Strigonien. & alterius Ioannis quinq; Ecclesiarum Episcopi, qui à rege Matthia ad regem Poloniæ non sine maximo periculo desciuerant, videbatur adhuc in Ioanne Vitez inimicitiæ veteris, & consanguinitatis reliquias remanere. Perraro enim suorum caritas breui aboletur. Vnde sermo de hoc viro auribus regiis non poterat esse gratus. Sed contigit Galeotū Martium, qui propter suam vniuersalem disciplinam & facundiam lepidam atq; iocosam, regi erat carissimus, in discrimine vitæ, & rerum suarum sæpe fuisse, & propter librum de incognitis vulgo, hæreseos damnatum: sed tandem causa deuoluta est ad Xystum pontificem virum eruditissimum, cuius iussu Galeotus è teterrimo carcere exemptus Romam commigrauit, vbi Galeotus multos reperit æmulos, & inimicos acerrimos, sed summus Pontifex ex inditio doctrinæ suæ Galeotum diiudicans pristino honore & rebus recuperatis absoluit, ita vt in pristinam dignitatem, diuitiasque Galeotus, Xysti opera & iudicio, & auctoritate redierit. Sed inter agendum diu enim causa agitata est Ioannes Vitez & propter veterem cum Galeoto beneuolentiam, & maxime propter regem Matthiam, cui sciebat Galeotum ob singularem cum virtute doctrinam cordi esse, plurimum in hac re desudauit, effecitque vt gratis omnia Romæ à Galeoto haberentur: quæ ad eius honorem ac salutem pertinebant. His peractis Galeotus ad regem Matthiam conuolauit, narratoque rei ordine & spe simul ac desperatione relata, non enim hilari vultu rex audiuit, cum terrore ad necem Galeoti parato imperita plebs esset intenta, doctoribus tamen & nobilioribus dolentibus causamq; Galeoti tuentibus. Sed in hoc longo sermone (voluit enim rex à principio ad finem vsq; rem omnem audire.) Incidit sermo de Ioanne Vitez, qui tantopere respectu regis pro Galeoto laborauerat. Rex statim omne in Ioannem odium deposuit, & redeuntem in Hungariam blande suscepit. Dixitq; se non mandaturum obliuioni quod pro Galeoto sui honore fecisset, idq; reipsa comprobauit. Nam primo in Franciam oratorem Ioannem Vitez in arduis negotiis misit. Deinde reuersam ditissimo Episcopatu ornauit. Est enim Sirmensis Episcopus. Sirmium autem oppidum, quod & monti nomen dedit si ab illo antiquissimo Sirmo rege Triballorum nomen traxerit, non disceptabo in præsentiarum. Quædam tamen non præteribo quæ antiquitas vel ignorauit vel tacuit. Vel tunc non vidit quæ fortassis non erant. Octauæ enim spheræ reuolutio & temporum longitudo multa affert, quæ prius visa non sunt, deletq; plurima olim conspecta. Et vt de vino Syrmii montis taceamus, cum tanta sit suauitate, vt par aut simile in toto terrarum orbe difficile sit reperire. Nec de cucurbitiuorum pirorum magnitudine, & iucunditate loquamur, quæ tam grandia fiunt, vt ex eis vnum vix vtraq; manu ambiri possit. Vnum referemus inauditum & mirabile, quod nusquam gentium esse fertur. Nascitur enim ibi aurum ad similitudinem virgulti simile asparago. Nonunquam vero sicut capreoli circa truncum vitis intorti ad magnitudinem plerunq; duorum cubitorum, quod nos vidimus sæpe: Sed ille aureus asparagus siue capreolus iuxta vites natus, non est auri valde puri. Est enim venæ auri renani, & annuli ex hoc naturali auro facti cum facile fiant, quis enim labor contorto auro digitum circundare? Dicuntur sanare verrucas. Nam & ego quoque ex huiusmodi aureis virgultis annu-

annullum possideo. Talis ergo regionis Episcopatum rex Matthias Ioannem Vitez dignatus est. Nemo enim irremuneratus à tanto rege dimittitur cum causa apparet honesta.

FACTVM SAPIENTER.
CAP. XXVIII.

MIRABILIS diligentiæ regem Matthiam & in magnis & in paruis rebus esse hoc maxime indicat. Omnes literas quas ad diuersas partes mittit: aut ipse dictat, aut ab aliis scriptas legit. Itemq; ad se missas sine aliqua mora oculos percurrit, quocunq; ex loco venirent. Peritus enim plurium linguarum intelligit, latine vt dictum est optime scit, Bulgaricam linguam in qua Turci sua scribunt diplomata, & bene tenet. Parum namque à sclauina distat. Quæ cum latissimè pateat, maximam habet varietatem. Cuius rex Matthias non est ignarus, vnde factum, vt cum Bohemis: Polonis: Rhutenis: Dalmatis: Bulgaricis, Curetibus, Seruianis, Brencis, Roxolanis, aliisq; permultis populis sine interprete loquatur. Sclauina enim lingua omnium istarum mater esse cognoscitur: Germanorum autem sermonem puer adhuc & in carcere didicit, adauxitq; iam natu grandis continuã, cum principibus Germaniæ habens consuetudinem: sed Germani & Bohemi & Poloni, aliquando lingua patria, plerunq; latinas literas scribunt, Sola Hungaria (ex Christianis loquor) non nisi latinè scribit. Quoniam Hungarorum lingua non facile scribi potest. Minima enim accentuum mutatione & diuersitate prolationis mutatur significatio. Nam apud Hungaros sunt vocabula quæ in u. litera desinunt, sed si illa litera pro promptis, aliud quam contractioribus, & depressioribus labiis pronuntiatur; significat, quod scriptura ostendi nequit. Quandoquidem latina lingua vnicum habet u. & lingua Hungarica quadruplici indigeret, si varietas omnis compræhendi deberet, & sic aliis. Habent etiam linguæ penuriam in nominibus prouinciarum. Nullam enim nomine suo nuncupant, sed circuitione vtentes gentile nomen ponunt, adduntque regnum Olaz Orzag dicunt Italiam: quod sonat Italorum regnum. Tot Orzag quod Sclauinorum regnum. Nemet autem Orzag est Germanorum regnum. Et sic de singulis. Habent etiam multa Sclauinorum vocabula & Latinorum etiam. Mit cheress, dicunt, quid quæris: cum c. & q. sint affines. De his satis, ad illam minimarum quoq; rerum regiam diligentiam atque memoriam reuertamur. In maxima mole bellorum & rerum cardine, in medio hostium, cum exercitus castra moueret omniaq; & clamarent, & tumultuarentur. (Sic enim fit, cum tot millia armatorum & hominum & carrorum, loco mouentur) in quodam oppido Austriæ quod vocant Balneum propter aquas calidas, thermasq; magnificas quæ ibi sunt. Erat Galeotus Martius qui ab Italia venerat, vt & dotibus filiarum quas nuptui tradiderat auxilium à rege peteret, & gloriam regis videret. Expugnauerat enim paucis diebus ante oppidum grande nomine Amburcum muro & viris munitum & arce quodammodo inexpugnabili. Est enim in altissimo monte sita, & ab impetu tormentorum tuta, sed auxilio dotis impetrato, volebat Galeotus redire in patriam. Non enim regem sequi poterat, adiitque regem memoria eius fretus dicens, se non posse sine periculo redire nisi sua Maiestas prouideret. Fiebant enim crebræ hostium incursiones, crebraq; latrocina, quæ illis regionibus peculiaria sunt. Accedebat etiam ad hoc quod Galeotus sciebat se quibusdam principibus esse inuisum. Nam diu in curia reges versatus non potuit efficere quin amicos in re honesta iuuaret. Quo factum est vt & inimicos inueniret. Qui enim amicis Galeoti aduersaretur, & Galeoto erant contrarii. Humanum est hoc, vt qui multos iuuat amicos, pariat etiam sibi multorum inimicitias qui aduersariorum iuuamenta pro offensionibus habent. Rex cum omnia streperent vixque Galeoto dicere posset verbum: ait. Eris mihi curæ. Biduo post, cum rex amaretur, vt illinc castra moueret, e-

Digitized by Google

omniaq; in motu, vt diximus essent, & hinc inde variis, vt fit, negotiis infestaretur, diuersis resonantibus linguis. Erant ibi Rasciani, Turci, Bohemi, Germani, Poloni, Galeotus rursus regem, interpellauit. Est enim rex Matthias memoriæ validæ, benignus in audiendo, in respondendo promptus, & facundus: eloquentiam suam nunc hilari, nunc tristi vultu, gestuq; ad rem accommodato prosequens. Est etiam vocis tam claræ, vt longissimè audiatur, videns Galeotum, ait: Currus & ductores, pecuniæq; & commeatus tibi dabuntur, redi in Hungariam: & cùm ibi fueris, scribam, quid tibi faciendum sit. Discessimus illinc, Rex Viennam cum exercitu, ego Hungariam versus bonis & felicibus auspiciis; omnia enim abundè, & ex sententia habui recognoscens regis Matthiæ summam etiam in minimis rebus & memoriam & diligentiam, maximamq; in viros doctos beneuolentiam. Nemo enim ausus est etiam è potentioribus Galeotum, vel minimo nutu, lædere, sed eam, quam cum Cyro Persarum rege similitudinem habet, non prætereo. Hic sicut ille nominatim suos omnes milites cognoscit, sed cum rex Matthias literas manu sua scribit, breues admodum facit; Autographa autem eius perpulchræ inter neotericos & antiquos literarum continent formam. Scribit autem ad familiares amicos, vt nos aliquando conspeximus. Plerumque enim Ioannem Archiepiscopum Strigoniensem tunc regi charissimum, literis manu sua scriptis, ad se vocauit.

IOCOSE FACTVM.
CAP. XXIX.

HVNGARIA, quia in fide Christiana aliquando claudicauit à summis Pontificibus, & à regibus in numero diuorum enumeratis, remedia quędam habuit. Hungarorum enim principes, vt fertur instituerunt, vt qui sanctam crucem non honorificè susciperent, pœna punirentur acerrima. Veneratio enim crucis non paruum est Christianitatis documentum. Hinc est, quod ad nostram quoque ætatem peruenit, vt in plateis vicorum Hungariæ plurima conspiciatur; in erectis perticis crux posita, tanquam signum receptionis ipsius. Et in festo Epiphaniæ de more regionis est, vt sacerdotes sacris vestibus induti: cuiusq; domum prætenta cruce intrent, tentantes quodammodo more antiquo crucis receptionem. Dicuntq; solemnia quædam, & stipem colligunt. Eramus in Tolna; est enim oppidum grande, in ripis Danubii situm, & in festo Epiphaniæ, vt consuetum ibi est, sacerdotes intrauerunt regiam: dixeruntq; solemnia, stipemq; collegerunt, sed dum morantur, ientationem & potum; sic enim in ea regione faciunt, Rex Matthias ex magna principum multitudine quosdam manibus suis traxit, ad eam partem, vbi sacerdotes erant, cum sacerdotibus alia principibus verò alia regiæ pars daretur. Inter quos traxerat rex Ioannem Thuz, virum prudentissimum, & Latinè & Hungaricè, Sclauiniceq; eloquentissimum: in arduis negotiis summo cum honore exercitatum, gratissimum olim patri regis, & regi quoque Matthiæ longo tempore charissimum, cuius opera permulta & ardua quidem rex effecerat. Sed nunc longè à patria Venetiis cum vxore & liberis vitam priuatam ducit, cuius rei causam nunquam potui intelligere: Mutatio enim fortunæ & status Ioannis Thuz, causam non habet mihi manifestam. Sed illuc, vnde digressi sumus, reuertamur. Admirantibus cunctis, quid sibi vellet hæc regis violentia, vt ad chorum sacerdotalem hos traxerit. Rex inquit: Pares cum paribus (vt vetus est prouerbium) facillimè congregantur. Reclamantibus cum risu cunctis, se non esse sacerdotes, vt pares sacerdotibus iudicentur, & non facillimè congregatos, quoniam violentia intercesserat. Rex ait: Verum dicitis; principes enim temporales sunt in Sacramento sacerdotibus dissimiles, sed in aliis vos estis sacerdotibus pares ac similes. Nemo enim vestrum duxit vxorem. Nondum enim Ioannes Thuz habuerat vxorem, & sacerdotes sine vxoribus apud nos degere quis dubitat? Vos igitur cælibes ad

Digitized by Google

chorum cælibum traximus, & à commertio nostri expulimus, tanquam alienos & dissimiles. De facilitate nemo melius iudicare potest: quam ego qui vos traxi. Tanta enim fuit facilitas, vt nullum laborem senserim. Facillime igitur vos sacerdotibus pares cum paribus illis estis aggregati, secundum prouerbii veritatē. Quo dicto exhilarati sunt omnes & risu agitati. Nam in dicendis facetiis habet rex Matthias cum facundia gratiam, vultum, vocemq; ac gestum materiæ semper accommodans.

SAPIENTER FACTVM.

Cap. XXX.

STRIGONIVM oppidum Hungariæ in ripis Danubii situm, à Buda quo secundo fluuio descenditur, triginta millibus passuum distans, arcem habet in edito colle munitissimam & pulcherrimam. Nec immerito: Fuit enim aliquando regum domus, & habitatio, & in ea arce templum, cuius pronaum, & solum porphyreo lapide constructum, à longe habens prospectum, vasis aureis, argenteisque nec non pulcherrimo & ditissimo sacerdotalium vestimentorum apparatu potest cum omnibus iure certare. Estq; Strigonium Hungariæ Metropolis, cum opulentissimo Archiepiscopatu. Nam florentibus rebus, ad centum millia aureorum prouentus se extendebat, nunc vero vix dimidium obtinet. Huius arcis possessor fuit Ioannes Archiepiscopus de quo superius mentionem fecimus, vir in multis disciplinis non in postremis habendus. Astrologiæq; adeo deditus vt Ephemerides secum gestitans nihil nisi consultis astris ageret. Habebat secum viros excellentes & in omni fere doctrina excultos. Nam nos quoque qui librum de homine nomine suo edidimus diu eius familiaritate sumus vsi, sed in numero doctorum erat quidam Theologus acuti & prompti ingenii natione. Siculus, ordine diui Dominici, nomine Ioannes Gattus, multum sibi arrogans. Nam omnia Theologiæ dubia se soluturum ex tempore prædicabat, maxime cupiens cum rege Matthia habere disputatiunculas. Audiuerat enim à Galeoto qui eum ex Italia in Hungariam duxerat: regem Matthiam solertis ingenii linguæq; climatæ, solere doctis viris ænigmata soluenda proponere, & ita suis argutiis angere atq; vexare homines, vt difficilimum putaretur eius retia & argumentorum laqueos euitare. Sed accidit regem iter per Strigonium habere: hospitemq; Archiepiscopi fieri. Quod cum Gattus accepit, valde exultauit, ratus aduenisse tempus ostentandæ doctrinæ, conciliandiq; regis, à quo multa sperabat. Et ne longius prosequar, paratur cœna regia, & in Laconico (erat enim hyems) & Hungaris mos est, hyeme vti Laconicis calidis tepidisve, prout frigus & algor intenduntur. Et in his etiam aliquando dormiunt: licet sanitati sit contrarium. Fit enim Laconis vapore crasso in humanis corporibus spirituum vexatio, repletioq; cerebri, quam plerunque dolor consequitur capitis. Cum iam discumbendi hora venisset, narratur regi Ioannem Gattum in arce esse, vocandumq; ad cœnam, vt cum eo habeatur disputàtio cuius rex est auidissimus, & præsertim inter comedendum. Nam alio tempore vix occupationibus sufficit. Vocatus iussu regio, discubuit in mensa regia vbi Episcopus quinque Ecclesiarum & Archiepiscopus Strigonien. vterq; enim vocabatur Ioannes, doctrina exculti & quidam alius Episcopus, & Ioannes Thuz, & Galeotus consederant. Peracta cœna regifico luxu, vtuntur enim Hungari summa in esculentis, & poculentis abundantia non sine vinorum varietate. Hic enim mos nunc est Hungaris, quo olim Galienum Romanorum Imperatorem vsum fuisse tradunt historiæ, varia enim vina ille in lautissimis conuiuiis præbere consueuerat. Cum igitur Gattus vino ciboq; & laconici calore factus esset animosior. Parant enim animos vina, teste Ouidio, non expectato fine. Cæpit de se ipso prædicare, & doctrinam ostentare suam: affirmare, nihil in Theologia esse, quod eum lateat, & se ænigmata omnia vbicunque fuerit, sine aliqua hæsitatione soluisse, paratumq; esse ad omnia respondere.

Digitized by Google

Rex autem (vt homo versutus, & qui mores huius ætatis Theologorum rectè nouit) non nisi ardua & difficilia sectantium, cum Thomæ & Scoti difficiles de Trinitate, de attributis, de Eucharistia nodos tantummodo videant: negligantque moralia, & Euangeliorum explanationem, extemplò Ioannem Gattum, tam magna de seipso pollicentem, blandè alloquens rogat, vt à se dubitationem diu animo inhærentem remoueret, cùm nemo adhuc in hac re sibi ad plenum respondisset. Dubitaui inquit diu, cur Christus Deus & homo omnia iustè sapienterq; faciens, in nonnullis visus est minimè seruare iustitiam: iustitia enim pro meritis præmium tribuit. Nam dare merenti obolum: aureos, aureosq; merenti obolum tribuere: quis dubitat, æquitatē non esse seruatam? Christum autem sic fecisse Euangelia videntur ostèndere. Nam cùm Petrum & Ioannem inter cæteros Apostolos haberet dilectos, eorum merita non æqua lance pensitauit. Petrum enim desertorem & abnegatorem, deierantemq; Christi non habuisse notitiam: maxima pontificatus dignitate ornauit, & Ioannem ad mortem vsq; Christi perseuerantem nullo tumultu, nullo metu mortis, nullisq; periculis ab eo diuulsum, inhonoratum, ingloriumq; reliquit. Nam vt de me loquar, si duos haberem familiares, & in pugnæ præliorumq; principio alter fugeret: alter verò ad extrema vsque permanens me dimitteret nunquam: fugacem illum, ac desertorem infamia, & forsitan cruciatu prosequerer, remanentem vero: mecumque in omni periculo persistentem, præmiis, & honore ornarem, omnibus vt reor hoc approbantibus. Nam si fugaci honor tribueretur, pugnaci vero, & fido nulla sit gloria: quis non videt virtutem suo præmio fraudari, & ignauiæ fomenta præberi? Ciceronis dictum hoc esse à præceptoribus accepi, honos alit artes, omnesque accenduntur ad studia, gloria. Quid igitur aliud est Petrum pontificatu ornare Ioanne neglecto, nisi discipulos admonere, vt fugiant persecutiones, vitentque tormenta, nullos sustineant cruciatus, sed statim fugiant, Christumque abnegent. Hæc volui dixisse declarationem expectans. Non enim mihi vnquam persuadebo hoc à Christo sine ratione factum. Quicquid autem mihi alienum à iusto videtur, non iniustitiæ diuinæ, sed inscitiæ nostræ tribuendum est. Tunc Ioannes Gattus orationem regis quasi ordine capitulatim repetiuit, sed cum ad confutationem declarationemque dubitationis se vertit, subtristis perplexe loqui cœpit: & affirmare secretorum diuinorum nullo pacto rationem esse expostulandam. Nam cur Christus hoc fecerit, vt Petrum honoraret, inhonoratum dimitteret Ioannem, non pertinet ad hominis intelligentiam. Excedit enim Theologorum ingenia, hoc enim arduum & difficile sibi Christus reseruauit: nec vllus vnquam ausus est hanc quæstionem facere. Nonne ætas nostra & antiquitas etiam plurimos vidit huiusmodi perscrutantes in errorem incidisse? Vnde Maiestatem vestram rogo ne hæc diuina secreta, & inscrutabilia in medium adducat: possent namq; nos illaqueare, irretireq; erroribus. Rex Matthias hoc sermone Gatti percepto, inquit, ea quæ nos detegimus, non sunt diuina secreta, de quibus ratio nulla euidens appareat, sed sunt moralia, & homini perito facilia intellectu. Tunc Gattus iratus inquit, nolite mihi præfinire modum Theologiæ, quem teneo: Nemo enim est tam temerarius, qui in Theologicis se mecum conferre auderet. Nam nihil in hac diuina scientia mihi est (vt puto) incognitum. Omnes enim Bibliothecas percurri, & nunquam huius dubitationis occurrit declaratio. Tunc Rex Matthias ait ad Gattum: Non multos in Theologia libros legi, nec etiam in aliis facultatibus. A puero enim ad regiam dignitatem euectus, pauca è multis didici, & militarem quodammodo literaturam arripui. Sed tamen huius rei declaratio, vt opinor, facile inuenietur. Gattus impatiens sermonem regium, interrumpens inquit: Deponite hanc mentem, quoniam, vt dixi nusquam est. Tunc rex Matthias iussit opus diui Hieronymi contra Iouinianū afferri, in quo hæc sunt verba, propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio, sed

cur

Digitized by Google

tur non Ioannes electus, qui virgo est, ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur, & ne Magister bonus, qui causam iurgii debuerat auferre discipulis, dixerat eis, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit. In adolescentem quem dilexerat, causam præberet inuidiæ. Vt autem sciamus, Ioannem fuisse tunc puerum, manifestissimè docent Ecclesiasticæ historiæ, qui vsq; ad Traiani Imperium vixerit, id est, post passionem Domini sexagesimo octauo anno dormierit, quod & nos in libro de Illustribus viris breuiter perstrinximus. Petrus Apostolus, est & Ioannes Apostolus. Sed Petrus tantum Apostolus, Ioannes Apostolus, Euangelista & Propheta. Apostolus quia scribit ad Ecclesias. Euangelista quia librum Euangelii reddidit, quod excepto Matthæo alii ex duodecim Apostolis non fecere. Propheta vidit in Pathmos insula, in qua fuerat à Domiciario principe ob domini martyrium relegatus, apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem, hucusque Hieronymus, qui partem huius nostræ dubitationis absoluit, ansamque præbuit, vt & nos reliqua declaremus, peccatorem & desertorem abnegatoremq; Ioanni virgini in pontificatu præposuit Christus, vt peccatoribus spem veniæ præberet. Nam peccator, & desertor Petrus coitus violentiam expertus, humanam callens fragilitatem impetumq; voluptatis, (habebat enim vxorem) peccatoribus, libidinibusq; inuolutis (exemplo magistri sui edoctus, qui discipuli errata post amarum fletum aboleuit, habuitque pro non erratis) facile parceret, veniamque præberet, dignitate ac honore pœnitentis afficeret. Nam si virgo Ioannes & in fide firmus pontifex fuisset, cum ligandi soluendiq; potestate, nunquam libidinis blanditias vimq; expertus, & qui nullo tumultu à Christo potuit dimoueri, ad sui similitudinem humanum genus confirmare percubuisset, & Christi fideiq; desertores, libidineq; corruptos summa austeritate depulisset. Non enim ex fragilitate peccantes, sed ex animi nequitia homines putasset, qui fletibus dolorem fingerent. Summa igitur ratione factum est, vt Petrus Ioanni in pontificatu præferretur: quod tu Ioannes Gatte inter illa Dei iudicia inscrutabilia connumerabas. His dictis, conuiuium est solutum regis Matthiæ, rationis acumine animis nostris insidente.

DICTVM SAPIENTER.
CAP. XXXI.

BVDA vrbs in monte sita, qui Danubio alluitur, nomen vnde traxerit, incertum putatur, vel ab illa antiqua Budalia, vel ab illo viro diuino, qui Buda dictus est, non quod ille condiderit, sed quod illius viri nomen ob excellentiam imposuerint. Fuit autem Buda (vt testatur beatus Hieronymus) princeps doctrinæ apud Sophistas Indiæ, quos Gimnobrachmonas vocitant, quem virgo quædam, vt ipsi tradunt, è latere suo generauerat, sed hæc genitura vera falsave sit, non in magno pono discrimine. Illud tamen certissimum est, Budam nomen esse viri sapientissimi, qui Indorum dogma composuit, Hoc volui dixisse, quia Hungaria nominum egregiorum habet plerumq; similitudinem. Nam Syrmicum oppidum cum Syrmo Triballorum rege antiquissimo, imaginem denominationis retinet, & ne particulatim omnia prosequar. Strigonium alibi, quam in Hungaria reperitur: & Pestum, cùm de pesto carmen Virgilianum canat sic: *Vidi Pestano gaudere rosaria cultu.* Nam hoc Italicum est, sed Hungaricum Pestum, in ripa Danubii situm, ex opposito Budam respicit, cùm inter ea Danubius fluat. Illud planitiem, hæc montem occupans: calidis aquis vndique scatentem, & vitibus arboribusq; consitum, ita vt Buda ab vno latere colles vitibus fertiles, ab alio Pestum camposque prospiciat. Estque ab ea ad fluuium descensus grauis adeò, vt vbi templum Diuæ Mariæ situm est, gradus lapidei ad Danubium vsq; per dimidium ferè stadium magnificentia regum positi sint, & vt ad rem nostram reuerta-

Digitized by Google

mur, Budæ cum cogeretur principum concilium, & nondum ad regem aditus pateret, inter eos erat Nicolaus Bathor genere nobilis dignitate Episcopus Vaciensis. Est enim Vacia 20. à Buda miliariorum intervallo. Sed Budam à Vacia secundo fluuio deuenitur. Hic igitur Nicolaus Episcopus virtute & animi generositate, dignitateque corporis cumulatus maxime erat: studiis namque humanitatis in Italia eruditus cura & diligentia doctrinam adaugens, nihil laboris, nihil vigiliarum, nihil impendii subterfugiens, quod ad doctrinam conueniret breui effecit, vt doctissimis acutissimisque Philosophis eius doctrina, & literatura, summa cum admiratione probaretur. Qui dum congregatio principum cogeretur, ne otio & garrulitati locum præberet, habuit secum librum (si recte memini Ciceronis cui Tusculanarum quæstionum est titulus.) Irridentibus multis huius egregii iuuenis librorum lectionem ibi inusitatum, nouum quippe videbatur Hungaris Episcopum libros lectitare in eo præsertim loco, vbi sermo & confabulatio esse consueuerat. Interea rex Matthias venit, & Nicolaum gestantem libros conspiciens ait, ad Galeotum, Nicolaus (vt puto) tuus fuit aliquando discipulus, & contubernalis literarum & doctrinæ amantissimus, & rectè. Nam Apostolus Episcopos formans inter cætera, Episcopum doctorem ait esse oportere, docere autem nemo potest, nisi sit doctus, sed doctrina aut superne inspiratur: aut studio & labore acquiritur. Rectè igitur Nicolaus inertiam ignauiamque fugiens, & legit & studet, animumque ornat. Deinde rex Matthias vertit se ad principes illos quorum risum acceperat. Nolite inquit irridere, quæ internoscere non valetis, ex ignorantia quadam. Nicolao Episcopo illusistis. Nonne aliquando audiuistis virum quendam Romanum, nomine Catonem, fuisse sapientissimum, vt historiæ tradunt: cuius mortem quæ Vticæ accidit, est enim Vtica Affricæ vrbs, Iulius Cæsar ille Imperator inuictus iniquo animo tulit, quanquam ei fuisset semper inimicus. Hic igitur Cato diuini consilii, doctrinæ admirabilis, summæ apud omnes autoritatis, otium tanquam vitiorum fomitem putans. Dum Romanus cogeretur senatus semper aliquid lectitabat. His auditis in admirationem versi sunt, qui lectionem Nicolai irriserant. Nam Nicolai modestiam, liberalitatemque, ac munificentiam norant, familiæ antiquitatem mirabantur, fratrem Germanum Stephanum Bathor, Turcorum cladem & excidium non sine reuerentia nominabant. Decoros Nicolai gestus probabant, eiusque mitem ac lepidam, & Ciceronianam eloquentiam quottide sentiebant, animi viuacitatem, constantiamque probitatem, fidem, ac amicitiæ synceritatem honorabant, nulla in eo superbiæ ac ambitionis signa conspicientes, maioribus suis qui summi excellentesq; fuere, germanoq; Stephano decori & ornamento & esse & fuisse diiudicabant, in hoc dumtaxat, ex inscitia damnabant, quod libros præter patriæ mores lectitaret, in regia: Nam non ignorabant quo animo qua mentis præstantia æmulorum ac inuidorum morsus & tulerit, & deniq; superauerit cum in medio odiorum tumultu, feruentibus fortunæ minis & inuidorum procellis, eundem se præbuerit quem in secundis rebus aspexerant. Non referam qua magnificentia templum instaurauit, architectis fabrisq; ex Italia accitis, maximo cum impendio, vt generositati animi sui & templum & domus Episcopalis responderent. Vnum tamen non præteribo: cum in Hungaria iam duobus annis elapsis fui, ad Nicolaumq; visendũ diuerti, tanta me humanitate & suscepit, & fouit, vt mihi ipsi singularis illa hospitalitas fuerit admirationi. Præterea semper me hortabatur, vt gestorum regis Matthię historias facere, ne tanti regis negotia, quæ patriã exornarũt, Illustremq; fecerũt obliuione torpescerent: perplacuit etiam mihi illa familiæ suæ dignitas, & elegantia, semper enim in eius domo aut oratur, aut studetur, aut carmẽ cantatur ad lyram, aut sermo habetur honestus, nullũ ibi otium, nulla ignauia, nulla temporis dispendia internoscũtur. Nam ab arce hortos quos ipse muniuit, piscinisq; ornauit, Ab hortis vero ad arcẽ frequens deambula-

ambulatio, non sine & proborum hominum commertio Comitibus libris efficit, vt iter quoq; disputationibus teratur. Interdum pilento vehitur Episcopus amænos apricosq; colles, vitibus arboribusq; vt in corona consitos reuisens non sine lectione & disputatione honesta: ita vt bachichos illos floridosque colles, & Minerua & Musæ incolere ac frequentare non sine iucunditate credantur.

LAVS HVNGARIÆ.
Cap. Vltimvm.

IAm libello nostro, inclyte Dux Ioannes, imponemus finem, ne nimia exemplorum copia tuæ tenellæ ætati fastidium pariat. Nam si ea omnia, quæ à rege Matthia genitore tuo facta, simul ac dicta me præsente sunt colligerem, magnum profectò volumen implerent, quod sui magnitudine fortassis à lectione te deterreret, sed è plurimis pauca decerpsi: quæ ætatem tuam ad imitationem inuitent, ad virtutemq; inaniment. Nam non modò tu filius, sed totus terrarum orbis hæc, quæ scripsimus, digna imitatione iudicabit. Seueram enim iucunditatem, vel iucundam seueritatem sapientiamq; iocis conditam, vel iocos sapientia commixtos, nemo vnquam etiam barbarus abhorruit. Sint ergò hæc tibi imitationis speculum, vt his exemplis firmatus magnarum rerum idoneus gubernator habearis. Principes vt dignitate præcellunt, ita populum virtute superare debent, vt nemo eorum graue putet imperium. Nam Hungariam honestis principibus abundare iam dudum inspeximus. Et ne omnino Episcoporum obliuiscar, nonne Vrbanus Iauriensis Episcopus, regisque Matthiæ thesaurarius, illa sua excellenti familia, magnificisq; apparatibus, rerum copia atque præstantia ita redundat, vt aliis in regionibus forsitan regulorum diuitias æquet, de cuius humanitate quid loquar? cum hospitibus & peregrinis eius mensam lautissimè præparatam patere conspiciamus, in qua & doctissimi pariter & fortissimi viri semper discumbunt, & licet pro negotiorum magnitudine, pariter & multitudine subtristis plerumque præter conuiualem lætitiam videatur, non tamen est: In sermone enim facilem conspicies hilaritatem. Illud certè admirandum censeo, quod tot tantisque negotiis pressus: totius enim Hungariæ onera sustinet in exigendis dispensandisque rebus: & legit & disputat, librosque diuersæ facultatis habet familiares. Nam cùm in illo suo & lauto & quotidiano conuiuio viri docti versentur, accidit me præsente, vt sermo haberetur ambiguus de re satis ardua, & diuersis diuersa dicentibus, iussit è cubiculo suo libros afferri, vnoq; momento autoritates, quæ ad causam faciebant, inuenit, quod facere nequaquam potuisset, nisi familiariter libris vteretur. Accedit etiam ad hæc illa eius in regem Matthiam fides admiranda, vt die noctuq; cogitet, quo pacto honorem regis vbique & tueatur & adaugeat. Nam nemo ignorat, quantum benignitas thesaurarii in conseruanda regis auctoritate valeat, cùm in Hungaria omnes solutiones pecuniariæ ab eo, tanquam à fonte quodam exeant, nullum laborem, nullam vigiliam subterfugit, etiam in his, quibus honestam haberet excusationem, quæ ad honorem dignitatemq; regiam spectant. Nam regia dona, quæ frequentia amplaq; sunt, cùm ipse Vrbanus persoluit, celeritate numerandi, hilaritateq; dandi accipientibus longè facit gratiora, & si quem videt virum egregium à rege donatum, ipse quoque aliquid è suo addens ostendit, principes etiam sui regis mores imitari debere, sed vt ad rem reuertamur, hunc libellum, inclyte Dux, dicauimus tibi, sed censorem iudicemq; regem Matthiam constituimus. Dabimusq; alia, si senserimus prima regi Matthiæ placuisse. Est enim ingeniorum solertissimus iudex. Deinde tibi, qui genitoris tui mores & virtutes imitari debes: & huius libelli exempla die noctuq; in memoriam reuocare, vt tam excellenti patre & Hungarorum principatu dignus iudiceris. Dominari autem in tam excellenti genere gloriosum est. Nam Hungaros, & suopte ingenio, vt Hieronymus testatur, & ex situ regionis

cùm mores Pannoniorum induerint, & astutos & fortes testimonio sapientum esse monstratur. Cùm Tibullus Poëta dicat: *Testis quoq; fallax Pannonius.* Prudentiam Pannoniorum, vt hostium Romani nominis fallaciam nominans. Et Statius in libro Syluarum sic: *Pannoniusq; ferox arcuq; horrenda fugaci.* Armenia gentem autem ferocem pariter & prudentem, qualem Hungaricam esse cognoscimus. (Pannonias enim tenet) dignissimam excellentissimamque esse, nemo sanæ mentis vnquam dubitauit.

FINIS.

SIGISMVNDI TORDÆ IN DIVVM IOANNEM BAPTISTAM HYMNVS.

INclytos ortus, documenta, vitam;
Resq; miranda grauitate gestas:
Antecursoris, statui canoro
Dicere versu.
Nunc ades castis precibus vocata
Musa: cursu fer mea vela dextro:
Inq; voto da mihi nuncupata
Carmina vires:
Cùm Palestinæ regimen teneret,
Sæuus Herodes metuenda Cæsar,
Sceptra Romanus populo subacto
Cui dedit vltro:
Integer vitæ Solymis beatis
Vixit, addictusq; Deo sacerdos:
Grandior natu, Senii trementis
Tardior annis:
Possidens lecto sociam iugali:
Corpus effœtam, sterilem vigore
Insito: cuius populare fertur
Nomen Elisa:
Ex Aaronis serie nepotum
Rite prognatam: Iuuenilis olim
Quam pio suasit rapiens amore
Ducere feruor:
Hic sua cœpit vice postulante,
Munus in templo solitum litandi:
More pro gentis, patriiq; ritus
Conditione.
Vtq; sors tandem patulis acerris
Obtigit sumptis adolere thura:
Quæ legit regnis locuples Eois
Thura sabæus:
Solus arcanos subiit recessus:
Hicq; dum sacris operatur, ecce
Angelum dextris videt emicare
Cornibus aræ:
Horret adfectus gelido stupore:

Ange-

Angelus mentem pauidam leuare
Incipit verbis: placidaq; voce
Talia fatur.
Corde secludas dubium timorem:
Audiit rerum Sator, ætherisq;
Lucidi, iustas, gemitu preces quas
Fundis acerbo.
Hoc (fidem nostris adhibeto dictis)
Tempus est, coniunx vtero grauis, te
Mascula quo iam faciet, quod optes,
Prole parentem.
Huic Ioannem proprium vocabis
Nomen: ast tu lætus ages id omne
Quicquid hinc æui superest: petito
Auctus honore.
Illa lux multos solido beabit
Gaudio: qua mox orietur infans,
Lux frequentatas celebranda semper
Festa per vrbes.
Magnus euadet Domini fauore:
Dumq; formatur, genitricis almæ
Spiritu sancto tener imbuetur
Conditus aluo.
Tum breui sic est senior locutus:
Quo fidem signo statues labantem:
Cernis vt nostros hebetet senecta
Frigida sensus?
Angelus contra Moderantis orbem
Sum Dei stator, Gabriel: venire
Iussus ex alto, celeri volatu
Nuntius ad te.
Hoc erit signum tibi: Quo tacebis
Donec euentum videas secutum,
Mutus: oraclis quoniam recusas
Credere veris.
Iam nouem notis vicibus peractis,
Fratris aurati radiata luce,
Pulchra non multo reparat ante
Cornua Phœbe.
Edidit partu facili venustum:
Oris infantem niueo nitore
Spem domus, stirpis decus, atq; clarum
Lumen Elisæ.
Cuius his vates docuit, futuri
Præscius, sors officii gerendi
Quæ foret, verbis: modulumq; vitæ
Dixit agendæ.
Horridæ vox in penitus remoto
Docta secessu, resonans Eremi,
Tanget immenso tonitru medullas
Ossibus imas.
Ponet anfractus faciles viarum:
Semitis planum reparabit æquor.
Et Duci Sollers iter ad regendum
Præstruet aptum.

Montium sternet iuga, colliumq;
Funditus valles humiles replebit,
Torta protendet: loca saltuosa
Commoda reddet.
Huic erit, caducifer inquit ales:
Heliæ celsi puero potestas:
Viq; rectori simili polorum
Prænius ibit.
Israël multam sobolem fidelis,
Ad Deum miti pietate vertet:
Inseret natis generosa patrum
Corda suorum.
Ergò maturæ simul atq; venit
Robur ætatis viget, & quiete
Tuta cum mens est: habili mouentur
Membra calore.
Vrbicos luxus fugiens, petiuit
Clausa frondosis loca sola syluis:
Numinis ductu, simul instituta
Relligione.
Hic tono vocis nimium seuera
Cœpit intento, populum monere:
Ac velut misso trepidam ferire
Fulmine turbam.
Principi vestros animos parate:
Quem pater nostri generis misertus:
Rebus vt lapsis medeatur, arce
Misit Olympi.
Singuli vitæ reputent prioris
Acta: deformem redimant reatum:
In viam tandem redeant: salutis,
Tempora noscant.
Nam grauis cœlo patefiet alto
Ira: quæ pœnis adigat rebelle:
Exuat regno: stygias superbos
Damnet ad vndas.
Iamq; radici validæ securis
Imminet, mox vt secet obstinatum
Stipitem: tristiq; solo recisum
Vulnere sternat.
Certus hic iudex veniet, suaq;
Dextera versans, leue ventilabrum,
Grana secernet: paleas edaci
Igne cremabit.
Hæc & his dixit grauiora longè:
Inde promisit veniam petenti:
Qui suos veris lachrymis nefandos
Plangeret actus.
Atq; præsentem digito notauit
Cœtui mixtum medio popelli
Fœda laturum patienter agnum
Crimina mundi.
Laudis idcircò dedit hunc ministro
Calculum, vitæ Dominus beatæ:

Pro

Pro gradu tanti meriti: nouaq;
Sortis honore.
Inter ut nemo memoretur unquam
Fœdoris nexu socialis ortos,
Gloria maior: superum senatu
Dignior illo.
Iamq; materna benè vix in aluo,
Artuum ductas habuit figuras:
Cum Deo prælusit ouans potenti:
Omine fausto.
Norma doctrinæ fuit hæc, caputq;
Sontibus pœnas meritas minari:
Speq; concussos stabilire certa
Inde fauoris.
Primus vt præsto pretium doceret
Esse promissum sceleris patrati:
Quo pater flexus, ratione sumptam,
Poneret iram.
Hic domo pro marmorea, ferarum
Concauas syluis coluit latebras:
Et pilis factum, tegimen, cameli,
Corpore gessit.
Pro cibo vesci solitus locustis:
Abnuit potum liquidi falerni:
Nescius mentem tumido grauantis
Pondere Zythi.
Ipsa deserti spatiosa claustra,
Tale mirantur specimen: docentis
Sistit ad vocem cumulo ruentes
Iordanis undas.
Sinio cultus positos remouit
Monte: mutauit genus offerendi:
Quod breui Christus foret imolandus,
Hostia vera.
Symbolo pacti vetere abrogato,
Sacra baptismi statuit lauacra,
Dira contracta quibus abluatur
Noxia culpa.
Seruus auctorem fluuio liquenti
Tinxit: Hic sæclis veterum negata
Vidit, & sæclis pariter negata
Visa minorum.
Vox ab excelso sonuit paterna,
En meus gnatus proprius, placensq;
En amor noster: requies: & vna
Sola voluptas.
Filius Lymphæ stetit in profundo
Alueo: cuius specie columbæ
Lapsus adflatus radiante, summo
Vertice sedit.
Fecit Alciden celebrem vetustas:
Fecit Ægiden: puerosq; ledæ:
Perfidos quod sustulerunt latrones,
Sæuaq; monstra.
Quid Solon tantum meruit, disertas

Legibus iustis renouans Athenas?
Quid sua condens nimis arcta Sparta
Iura Lycurgus?
His sed exemplis tua cum stupenda
Facta compono: Vereor tuo ne
Diue certamen, venerando honori,
Deroget impar.
Tu paras regi noua regna Christo:
Regna quæ cunctos maneant per annos,
Quæq; nec Solis, neq; longa Lunæ
Terminet ætas.

FINIS.

BELLI PANNONICI PER ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM D. FRIDERICVM, COMITEM Palatinum, &c. contra Solimanum Turcarum tyrannum gesti,

LIBER I.

MELCHIORE SOITERO A VINDA Iureconsulto auctore.

SI quis varios Principum Regumq; casus & diuersa fortunæ ludibria, quibus vbiq; gentium rerumq; Dominos miserè exercuit fallax nimium & inconstans Dea, animo secum exactius perpendat, mirabitur hanc ausam & in terræ numina, tanta cum insolentia & fastu, vtramq; sibi vendicare paginam. Quia etsi Iulius Cæsar, quum olim ad hoc culmen & fastigium rerum, euectus, maris inter procellas periclitaretur, illam in se tanquam supra humanam sortem positum, nihil posse existimarit: atq; syderalis scientiæ Matheseosq; illi periti notores, nullam in capita hæc sacra, stellarum configurationes habere potestatem, iudicarint: Noxiam tamen & iis in præsens Deorum cœlestium nutu cognouimus esse vim, quæ tam breui momento, tot præclaros Principes, vel rupto vitæ filo, humano potuerit eximere consortio, vel sedibus suis eiectos, à Diis patriis laribusq; procul alienum vertere solum compellere. Defuncto namq; Maximiliano Augusto, mox & Leonis X. Pontificis Maximi, insequuta est ruina. Crederes iis veluti orbis luminibus extinctis, naturam quoq; omnes suas immutare voluisse vices. Quandoquidem Dux Wirtenbergius, audita Maximiliani morte, iustis vix dum rectè Christiano ritu persolutis, ius humanæ societatis violare ausus, auitis sedibus à Sueuiæ confœderatis pellitur, quem secutus Daniæ Rex Christiernus; nam dum imperium eius grauius ferunt subditi, regno suo, quod æquo iure iam diu possederat, excutitur. Pari sorte & Gallorum Rex Franciscus vsus, dum imperii fasces Cæsareumq; diadema Carolo inuidet, collatamq; illi à Septemuiris adimere conatur Maiestatem Ticinensi in agro, Germanis Hispanisq; militibus congressus, à Nicolao de Salmen Germano Comite capitur, amissis etiam ex regulis, proceribus, & principibus suis quamplurimis. Quæ tempestas & in mundi caput vrbem Romam, Pontificemq; Maximum Clementem VII. & sacrum quoque & purpuratum

puratum Cardinalium ordinem, non minori, quàm olim sub Heinrico in Pascalem desæuit immanitate. Quare cùm Christiani Principes, nunquam antea mutuis armis, & versa in semetipsos rabie: acrius conflictarentur, nouaq; religio, & noui ritus, qui tunc permistas quosdam liberius forsitan quàm decebat, passim tradebantur, priuatorum mentes adeò peruertissent, vt ii nefaria quæq;, quasi furia quadam infernali, & sæua exagitati Erynni in templa, in Deos, & homines patrare auderent: atque rusticorum manus, tum temporis maximè per Germaniam motus ingentes, nec Spartaci illius, Euni, aut Viriati minores, atq; bella plusquam ciuilia commouisset, Solimannus Turca, Caspiam concitauit gentem: quæ olim ab Alexandro Magno, Macedonum rege, longo hinc semota recessu, ferreisq; repagulis Caucasias conclusa intra rupes, Christianum sanguinem iampridem, & ab eo tempore, quo portas illi Hyrcanorum reserauit Rex, haurire assueta, atque nouatum quoq; & recenti de Soldano Ægypti victoria sua sponte, & à natura satis insolens, efferacior facta, voluntariam hinc odio in nos ducta Vatiniano, & liberam præstabat operam. Aggressus itaque Belgradum fortissimum Germaniæ nostræ propugnaculum properè subigit, & Rhodum, ipsum religionis Christianæ scutum hucusque & antemurale, non multum diu post expugnatam, suam redegit in potestatem. Dein nostro malo perpetuò vincere edoctus, Ludouicum Hungariæ Bohemiæq; Regem, spei optimæ adolescentem, inter Drauum Istrumq; flumina cum paucis & incautius occurrentem, dolo magis & perfidia suorum, quàm virtute propria trucidat circumuentum: quo victo Hungariam ipsam, veluti spe omni destitutam celeri itinere percurrens, ignis flamma depopulatur: & præda ditatus ingenti, præsidiis munit firma quæque, infirma verò demolitur. Nec diu multumve cunctatus, ne Germanorum, qui Pannoniis vicinitate sunt proximiores, irritaret animos, Traciam exercitus cum parte citato gradu repetit, quo per hyemem, quæ tunc instabat maioribus contractis copiis, futura æstate totam subigeret prouinciam. Sed inter hæc post hunc infelicem Ludouici Regis casum, maximum, inter Austriæ Archiducem Ferdinandum, quem nunc Cęsarem agnoscimus, & Ioannem Cæpusiensem Comitem Lazipum Transsyluaniæq; Præsidem, de regno Hungariæ oritur dissidiũ. Ferdinandus enim id dotalibus ex pactis ad se pertinere existimabat: alter verò Ioannes, scilicet Comes, illud electionis iure ad se spectare contendebat. Vnde tandem, quum vterq; sua in sententia persisteret immotus, nec alter alteri cedere vellet, ad arma peruentũ est, & bellum planè pernitiosum & exitiabile ortũ. Quoniam autẽ potentia, Ferdinando, Ioannes se intelligebat imparem, propriis viribus diffisus, externa confugit ad auxilia. Nam & interea temporis, dum hæc agebantur, veteris Marcomanniæ populi antiquo fœdere, quod olim priscos inter Bohemiæ Reges & Austriæ Principes percussum fuit, Ferdinandũ sibi creauere Regem. Veritus itaq; Ioannes ne regno solum, cui inhiabat, excideret, verum etiam ne & comitatu, quẽ à maioribus suis habebat hæreditariũ, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: qui occasione noua, qua sibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, lubens hunc in suum accipit patrocinium: nouerat enim callidus latro ille, quàm multa regna maiores sui, per similes huiusmodi occasiones Christianorum principũ è manibus, à Paleologi ipsius atq; Cantacuzeni temporibus vsq; iampridem antea eripuissent. Ferdinandus verò Rex, quum incendium illud non suam in pernitiem tantum, verum etiam & totius Reipub. Christianæ euersionem exarsurum præsentiret, sibi quoque & communibus rebus in tempore duxit prospiciendum. Et quoniam tunc fortè Germani principes, Septemuiriq; illi sacrosancti, Panegyrim Spyræ veterem Nemetum apud vrbem celebrantes conuenerant, commodum visum huic, & hos deferendo auxilio compellare. Profectus itaq; celeriter illuc, rem eis huiusmodi propè verbis exposuit: *Non vos fugit principes magnanimi, Diuum Maximilianum Augustum parentem nostrum, has nobis olim parauisse nuptias, hunc matrimonii illius sanctissimi,*

inter nos & Annam coniugem, Reginam nobilissimam sponsorem fuisse & paranymphum. Qui inter cæteras conuentiones & hanc dotalem nobis præscripsit legem, vt si Ludouicum Regem, quem tunc vnicum Vladislaus habebat filium, sine hærede legitimo decedere è vita contingeret, superstite Anna sorore coniuge nostra, & ipsa prole fœcunda, vel nos ipsi loco illius & iure maritali succederemus in regnum. Non displicuit id seni Vladislao, & idem quoq; appositis Diplomati sigillis, regni proceres comprobarunt. Migrauit ex hac vita communi fatorum ordine Vladislaus. Nec diu post & Ludouicus dira morte (heu horret animus dicere aut meminisse) à bestia illa Turciaca fuit peremptus, patuit nobis existente conditione, & ex pacto conuento, ad regnum aditus. Sed dum huc iuris suffragio fulti adnitimur, solus Ioannes Vayuoda, nos hinc, contra omnem rationis æquitatem amoliri conatur: & nec hominum fidem, nec Deûm religionem respiciens, Solimannum Turcam sola inuidiæ præpotentiæ & dominandi libidine ductus, orbis in ruinam & aduersum nos solicitare est ausus. Qui occupatis iampridem antea firmissimis quibusq;, certum nunc miseris Hungariæ populis minitatur exitium. Nisi igitur iis vestra ope, vestro auxilio, celerius succurreritis, actum erit dubiò procul, de tam nobili regno: sed ne vos tum quidem, & Germania vestra, à periculo & interitu longè aberitis. Nam statim ac insigni præsidio illo latus vestrum nudatum fuerit, & fortuna quoq; vestra, tanquam in præcipitio posita, nutare incipiet. Nostis enim & vos ipsi exemplis multis admoniti, quàm pertinax sit hostis ille truculentissimus: serpit namq; ignis more, vt plurimum vicina quæq; deuastans. Quare si vos sociorum miseria & infelicitas, qui hucusq; non secus ac fideles Limenarchæ quidam, pro Imperii Romani & Reipub. Christianæ incolumitate tam diligenter euigilarunt, nihil mouet: at moueat vos saltem, patriæ vestræ atq; religionis communis pietas, & salus: atq; arma iam tandem non pro sociis iis solum, qui sanguinem suum toties pro vobis & rebus vestris, veluti largo imbre quodam profuderunt, sed etiam pro vobis ipsis, pro liberis & coniugibus vestris, pro focis & aris, spiritu magno & germano, corripite. Neq; enim nunc diutius, & donec hostis intra limites receptus fuerit, expectandum: nam tutius longè est, si Scipioni Africano credimus, bellum foris & procul à patria, & in solo alieno gerere, quàm hostem proprios intra terminos receptum, gnauiter sustinere. Dictis iis, Principes Germani, etsi magnis quibusdam aliis curis detinerentur, nihilominus tamen, nec & hanc negligendam duxerunt esse rem. Decretæ itaq; sunt extemplò, hunc aduersus hostem, auxiliares copiæ, & qui ab incursionibus limites tutarentur conscripti milites, Præfectus est iis Illustrissimus Princeps, Comes Palatinus Rheni, Bauariæq; Dux Fridericus. Nam & huic communi principum suffragio, populiq; fauore & clamore, imperium cum rerum summa oblatum primùm, & demum etiam id iustis rationibus & argumentis recusanti, ob merita & virtutes, quibus nec priscis cedebat ducibus, demandatum est, & esse iussum. Qui quum quale onus humeris suis foret impositum, qualemq; prouinciam subiisset, iam sua pro prudentia secum cogitaret, consilio prius quàm facto opus esse intelligebat: nam tumultuariis in rebus consilium capere raro vel temporis ratio patitur: vel loci admittit opportunitas. Ratisponam igitur, vbi quondam Noricorũ regum fuisse sedem, commemorant. Principes, qui rei gerendæ, quasi Apocleti quidem, consultores adiuncti erant euocat. Bis illuc conuentum fuit, & bis illinc re infecta discessum. Nam peractũ tunc penitus nihil, nisi quod posterioris conuentus die, duo qui Turcæ in Hungariam obseruarent expeditionẽ, constituti sunt speculatores, Sebastianus Schitling Iureconsultus insignis, & Eques auratus, atq; Christophorus Besnitzer Brundini Bauarici præfectus, Barbaræ Hunicæq; linguæ, haud ignarus, munia strenuè executuri, Budam vsque, quam Sycambriam olim dictam, quidam existimant, progressi, Turcarũ Tyrannum, ingenti collecto exercitu, Adrianopoli egressum & aciem Hungariam versus dirigere comperiuntur, & Principi Palatino celeriter reuersi denuntiant. Qui cunctatus nihil, transuectionem parare, Lustrumq; condere, Magistros equitum, Tribunosq; peditum, ocyus iubet. Et quia verò hæc tanta cum celeritate, vt rei exigebat necessitas, fieri non poterant, ne hostis dilato longius negotio, pro more suo

depræ-

deprædandi inde arriperet occasionem, vt in rem fore visum, Philippũ principem ex fratre nepotem, bello acrem adolescentem parua equitum peditumq; manu, ad retardandum hostilis furoris impetum, præmittit: quem & ipse mox recognitione peracta militumq; nominibus intra pyctatia receptis, toto insecutus est cum exercitu. Egressus itaq; Neomarckt è regia sua, Ratisponam celeriter contendit, & nauibus illic quas diu antea parare iusserat, propere conscensis, vna cum tribus fratribus germanis, Honorico Traiectensi Episcopo, Ioanne Ratisponensi Ecclesiæ præsule, & Guelphone quem veteres, nos nunc VVolfgangum dicimus, natu minimo Palatino, Danubii per fluenta delapsus, tertia die Lyntium Austriacũ appulit: vbi à Rege Ferdinando (nam is illic tum erat) perbenigne exceptus, atq; ad cœnam omni magnificentia & splendore regali exornatam, honorificè deductus est. Multa coram inter conuiuandũ de belli rebus commentati sunt, seriis tamen his, delectantia quædam, & βιωφελῆ nonnunquam comiter intermiscētes. Post conuiuium à Rege discessum precatus Princeps Palatinus, postera die & sub diluculo abire paratus, quoniam moras nectere diuturniores, nec commodum videbatur nec vtile: negatum tamen à Rege, inconsulta & indiscussa re discedere consumpta est igitur tota ea dies consultationibus, & stratagematũ ratiocinationibus, & sequenti primum vtrinq; discessum. Comitatus est Rex vna cum Reginis duabus Anna coniuge & Maria sorore, ad naues vsq; perhumaniter deducens abeuntem: donauit tamē huic antea in signum amoris equos duos Argolicos: quorum alter auro, alter ostro tectus erat purpureo. Equestre sanè hoc & huiusmodi Principe non indignum præmium, actis gratiis pro morũ ciuilitate sese commendans Princeps, classem Grein versus, Scyllea rabie famosum oppidum & velis & remis impulit, vbi vix egressus nauem Melchiorem de Harstal, quem iampridē antea, ne quicquã interim dum moram apud Regem traheret, negligeretur, ad Principem Philippũ, vt Austriæ caput vrbem Viennam præsidio muniret, belliq; consultores atq; Apocletos istos Chremsium, vt Closternumburgii Cetium iuxta montem, aduentum eius prẽstolarentur, dimiserat, anhelum & properantem obuium habuit, qui Turcam Solymannum vrbi Viennæ exercitu ingenti & innumerabili imminere, hancq; obsidione arctissima vndiq; premere nunciabat: quem & mox cornicen quidam, eadem indicans, & ne latius progrederetur admonens, à consultoribus belli missus, est insequutus. Quibus omnibus territus is nihil, classem parare, arma capere, aciem instruere, bellicaq; instrumēta ex ordine disponere, & Chremsiũ ipsum ocyus iubet appellere, miscebat in diuersa fluminis ripa, perfidissima Mahumeti gens omnia cæde, igne, ferro, flamma. Fugiebat misera Christi plebecula, incerta quo se conderet tandem, aut quo euaderet. Exanimes pene omnes, viri, & fœminæ, infœlicia pignora, charos liberos dulcesq; penates tanquam medio igne raptos trahebant. Motus hoc miserando spectaculo pientissimus princeps Palatinus, & quos re ipsa militis ob paucitatem, quum vix sexcentos omni exercitu secum retinuisset, iuuare non poterat, verborum tamen benignitate, innata pro clementia sua fouere, & lenire conatus, se horum & Deum aliquando fore vltorem in præsentiarũ adiiciens. Et tunc tertium quoq; à Sigismundo de VVeyxelberg, Equite aurato, & Vagitio Paulo Constantinopolitano, leuis armaturæ ductoribus, quibus & pontis Danubiani tutela commissa fuerat, acceptum est nuntium, quod mox aliud & iterum aliud est insequutum. Quę licet omnia, ne latius progrederetur, admonere debebant Principem, nihilominus tamen sub aurora ipsa vela ventis, se suosq; Deo & Fortunæ committere statuit, parauerat iam omnia, & mens erat medios penetrare per hostes: sed quia longe aliter diis superis visum, nebula repente & cœlo sereno orta, lucis, & remigii vsum nautis ademit Nam nec tunc Danubii perfluenta ob infames scopulos, nauigare tutum. Inter hæc belli consultores, iuncto Bauarico equitatu peditatuque omni adueniunt, indicantes hostem in vrbem omnem occlusisse aditum. Hanc neque

Digitized by Google

terra, neq; aqua tuto posse adiri, se omni conatu nisos, si quomodo penetrare possent, irrita tamen spe, se penitus effecisse nihil, intercepisse namq; tyrannum, classe pontes Danubianos, hosq; iniecto igne Græco incendisse, & alia exercitus parte, totam circumuallasse vrbem: habere hunc suis in castris, vltra trecenta millia militum, quibus circumquaq; oppleuisset omnia, se nunc eò retrocedendi cepisse consilium, quò maturius quid in re tam ardua facto esset opus, vnà secum deliberarent. Commouebant hæc Principem ipsum non parum, multum angebat animum consanguineus, & ex fratre nepos Philippus, cruciabat commilitonum infelicitas, & plebis ipsius, quæ vndiq; cædibus & rapinis exposita erat miseria & calamitas: infractus tamen, si qua arte, modo, aut ingenio obsessis subuenire posset, vsq; cogitabat. Et firma adhuc erat sententia, vel mortem fortiter oppetere, vel interturbatis saltem hostium cuneis, in vrbem prorumpere. Belli autem consultores quum hunc impossibilia cœptare intelligerent, diuersum sentientes, ne se tanto huic periculo committere vellet, admonebant. Non enim hic vrbis vnius de præsidio tantum, sed totius orbis potius de imperio nunc concertandum: ex suo capite iam non vnius hominis aut exiguæ gentis alicuius felicitatem, sed Christianæ Reipub. atq; Germanæ nationis, salute veluti sacra ex anchora dependere: impossibile esse, quod mente concepisset, tam exigua manu hostiū castra penetrare, nec id, si absq; noxa & periculo fieri possit omni, vsq; adeò profuturum; nam si & ipse quoq; vrbis intra septa concludatur, neminem fore, qui tanta cum fide regi Ferdinando, Septemuiris Electoribus, cæterisq; Germaniæ Principibus & Dynastis, quanto in periculo Respub. versetur, queat significare: neminē qui obsessis interim, donec maiores ex Germania contrahantur vires, consilio, ope, aut opera possit subuenire: singulari Deorum prouidentia factum, vt serius & post obsessam primùm vrbem aduenerit, non spernendum cœleste consiliū: melius esse in loco aliquo non intuto residere, & eo quasi munimento quodam se tenere, maioresq; copias operiri, atq; hosti nonnunquam fortius incumbenti, data opportunitate à tergo insultare, sic impios illius conatus facile reprimi, atq; obsessos socios egregiè posse tutari. His & aliis rationibus persuasus, vix tandem quieuit Princeps, atq; apud Chremsium, Stain, & Mauteren, tria hæc oppida, nisi quod ea Danubius intermedius disiungit, vnum visa, donec spes melior refulgeret, residere constituit: & omnia hæc Regi Ferdinando & Principibus Imperii, quò celerius fieri possit, indicare. Missis igitur vndiq; literis & nuntiis, rem quo in statu sit, properè significat, admonetq;, vt si saluam velint Rempub. Christianam, patriam liberam, incolumes liberos & parentes, omni collecto iuuentutis robore, reseratisq; Martis penetralibus, & Argiletei Iani apertis templi foribus, impii hostis illius tyrannidi se opponant pro tempore. Nam rem Christianam vix vllo vnquam antea tempore vel Caroli Martelli, vel sub Henrici I. Imperio, Hunica etiam sequiente gente, magis acriusq; fuisse afflictam: omnia nunc stare in præcipiti, breui, nisi nouis viribus fulciantur, ruitura. Et quoniam idem incendium Bohemis & Morauis, cæterisq; Marcomannicæ nationis gentibus, qui omnes olim Marobodui Regis fortissimi agnoscebant sceptrum, vicinitate erat proximum: eosdem quoniam & iam antea in armis esse audiuisset, in auxilium accersire non videbatur importunū. Præerat iis tum Regis Ferdinandi loco Ioannes de Berenstain Baro. Scripsit itaq; huic, vt & celeriter aduersus hostem communem commune ferat auxiliū, quod & cæteros quoq; Pannoniæ superioris admonuit proceres, subiiciens, ne patiantur metu conterritos incolas diutius palare, sed animis consternatos potius verbis, quibuscunque in spem meliorem studeant, erigere, memores, longè magis timidè fugientibus, quàm fortiter pugnantibus mortem pallidam imminere. Decretum erat tum comparato exercitu, Turcarum classem, quæ vtrumque pontem occupauerat, ex improuiso intercipere aut obruere, obsidionis fortunam in eo verti ratus, si Danubiana præsidia prius interclusisset, statuit igitur

viam

uiam ferro in vrbem aperire, atque inde obsessos, commeatu, & aliis ad munitionẽ necessariis rebus iuuare. Aperuit id clam misso nuntio Principi Philippo, quo is commilitones suos ad obsidionem atq; res alias arduas constanter perferendas animaret: fore enim breui vt ii eo tempore quo Turcarum castra esse aggressurus, ad eruptionem parati, omnibus portis effunderentur, atq; victores quidem, & durissima obsidione liberati tandem, hostium cuneis commiscerentur. Dum hæc per Principem Palatinum parabantur, non quieuit ediuerso Turcarũ tyrannus, more suo circumiacentia quæq; deuastare: missis namq; leuis armaturæ equitibus quibusdam, nec non classiariis & peditibus expeditis, veteris Iuliobonę per agros Marhafeldiam versus, acie directa profectus, infirma aggressus, solo æquat cuncta. Cæduntur senes, rapiuntur iuuenes, mulieres turpia maritorum sub oculis passæ, vna cum liberis intereunt, infantes vel vtero secti, vel qui matrum adhuc hærebant vberibus, parentum auxilio penitus destituti, stipitibus per vicos passim suspensi, dulcem quam nuper acceperant, exhalabant animam. Hæc & alia multa quæ nec scribere, nec fari fas sine pietate, discrimine, & misericordia, ab hostibus crudelissimis sunt perpetrata: quibus haud immerito misera Christi conterrita plebecula, sine duce, absque rectore, & magistro, errabunda vagabatur: quo confugeret, aut quem inuocaret nescia. Principis tandem quem primum Chremsium, pauco cum milite aduenisse compererat, auxilium implorat & opem. Venerunt eodem die trium prelatorum, de Closternumburgo, Cetuagio, & Melck (quæ & antea veteribus sub Dynastis, & priusquam ad sacros fuit deputata vsus, arx ferrea dicebatur) legati, precatũ idem, indicantes, nisi cœnobia & oppida ipsorum firmo quodam muniantur præsidio, actũ iam esse, de se rebusq; suis omnibus: eo namque Ferentariam Turcarum excurrisse turmam, & huic nisi celerius militum nonnullorum occurratur subsidiis, ipsi tanquã imbelles & armorum inscii, nõ possint resistere. Collegerat interea temporis Principis iussu, Guilielmus à Buccham, fuga elapsos mille indigenas, quibus dum rectore carerent, ducem tribunosq; precabatur. Adiunxit igitur iis opportunè quidem, & Diis ita volentibus, oblatos veteranos quosdam, & Bauarorum ex cohorte lectos nonnullos nobiles, qui vna cum illis prædicta ad loca profecti, ea ab hostiũ impugnatione fortiter sunt tutati, eadem industria & Axpachium, nobile non procul à Spiz oppidulo situatum monasterium ab incursionibus hostium tutum, per loci illius præfectum & illæsum fuit conseruatum. Tutabantur iuxta Stockorauiam Diui Colomani morte insignem vicum, cum indigenis locique incolis Danubii transitum Chenringi fratres germani duo, gloria insignes. Haymburgum vero pedites sexcenti, qui quum tantæ hostium multitudini resistere diffiderent, summa rerũ trepidatione, deserta arce, Chorneoburgum se conferunt. Vbi quum multa militariter per sæuitiam in ciues perpetrassent, à principe in ordinem redire, iisque desistere iussi minus obtemperantes ademptis signis & armis, prouincia secedere grauioris pœnæ sub comminatione iubentur. Ortum est proxima nocte & sequenti Chremsii incendium ingens, quo auctore incertum: multi id militibus ob ignominiam missis, multi id hostibus in proximo locatis putabant asscribendum: perierunt eo Conrado Gotzmanno peditum ductori, equi nonnulli & ministri non ignobiles. Dum hæc foris agebantur, Ferentarii Turcæ bellico ritu vrbi obequitando, integrum pertriduum cuncta perlustrabant: nostri vero ediuerso mœnium intra munimenta infracta delitescentes virtute, omnia quęad defensionem erant necessaria preparabant. Suburbana igitur quia ampla & imminuta, ne damno nostris forent, & præsidio Turcis, diruta sunt & incensa, machinæ & bellica instrumenta, per turres & eminentiora quæq;, vnde in hostium castra facilius posset eiaculari, ordine recto disposita. Naues quæ in anchoris iam diu perstiterant, atque Italicum frustra expectauerant militem, submersæ: fossæ post muros ductæ, & aggeres erecti: vrbis custodia per stationes diuisa, & valida vndique elocata præsidia: portæ pene omnes

Digitized by Google

præter eas per quas egredi nonnunquam in hostes liceret, latere cocto obductæ, & sic compositis rebus non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum castrorum munitione hostem, aggressi exigua manu nostri, collatis vltra vallum & munitiones signis pepulere. Tentatum est idem sæpius, & plerunque feliciter peractum: nam cæso hoste plurimo, sine sanguine nostro in vrbem reditum. Postremo etiam & Hybrahim Bassa, secretorum Tyranni omnium conscius, dum gratia speculandi Viennæ situm incautius processerat, pene fuit deprehensus. Actum fuisset proculdubio belli de mole, capto hoc, tanquam vnico rerum & omnis fortunæ arbitro: quia vero hunc seruare ad peiora, & Diis quoq; ipsis placuit, nostratium manus, & is tunc quoque effugit. Bis quidem in huiusmodi eruptionibus à nostris militibus male pugnatum est, semel quum cohortis Ductor VVolfgangus Hagen, noctu vrbem infelici egressus auspicio, vt suos tuto reduceret & incolumes, inter primores impigre dimicans, gregariorum suorum qui ordines turbauerant, inertia potius, quàm fortitudine hostium victus, ad arcis portam cum veteranis quibusdam & Hispanis fortiter occubuit. Et iterum semel quum Christophorus Zetlitz Vexillifer quingentorum equitum turma hostium vsque procurrisset ad castra, & captus denuo nimia multitudine circumuentus, cum sex commilitonibus suis, qui & in acie cæsorum commilitonum suorum, atque leprosorum quatuor, quos per summum scelus trucidauerant Turcæ, capita contis præfixa gestare sunt coacti, in Tyranni perductus est conspectum: à quo multum de Regis Ferdinandi absentia & rebus, multum etiam de principum animis & instituto, quibus vrbis tutela commissa erat: hanc ne contra tantam potentiam ipsius seruare sperarent? interrogatus, apte & prudenter respondit: Ferdinandum Regem non admodum procul hinc abesse. Nam iustum expectantem exercitum in Lyntio oppido residere. Decretum enim huic, per Germaniam, Bohemiam, & Marcomanniam, communi omnium consensu, auxilium maximum: aliquantisper igitur si vter bello plus valeat experiri libeat, & donec conueniatur expectandum Regem neq; abfuturum diutius, neque sæuam Martis aleam detrectaturum, maturare enim & hunc rem, & has nationis omnes iamdudum ad arma conspirasse. De principum vero animis & instituto scire quod vellet, sibi parum liquere: sed hoc vnum constaret, Principes hos & reliquos commilitones omnes, summos & imos, conceptis iuramenti verbis, iampridem vouisse, vel vrbem tueri magnanimiter, vel suprema quæq; perpeti, & diram mortis necessitatem fortiter & Saguntino more obire. Frustra itaq; eum tot bellicosissimis illic præsidentibus viris, (quod venia sua dictum velit) prædæ huic inhiare, quum illis spes omnis, veluti quondam Spartiadis ipsis non in mœnibus & muris, sed in armis & virtute posita sit. Adesse enim illic intra vrbis mœnia cum Principe Philippo Nicolaum de Salmen Comitem, Gulielmum de Rogendorff, Leonhardum à Fels, & Eckhardum de Rischa, bello omnes inuictos heroas, & magnificentia rerum gestarum insignes & claros bellatores, qui non facile ad quemuis leuis auræ ventum soleant concitari. Ad quæ etsi commouebatur aliquantulum Tyrannus, dissimulato tamen calore, pauca hæc tantum intulit: *Se hucusque multis cum gentibus congressum, victorem fuisse semper, nec labores suos antea vnquam frustratos, quare ne & nunc quidem de victoria & belli fortuna, quamuis sæpius sit anceps & dubius Martis exitus, desperare. Ceterum nosse hunc & alios vna secum captos, se vitæ illorum iam & necis liberam habere potestatem, & vitam si velit nunc eis posse auferre: hanc autem iis, quoniam & victis hostibus ignoscere sciat, iam vltro donare, vrbis vero defensoribus, illuc reuersos verbis suis iubet nuntiare, vrbem illam quam tamẽ aduersus tantam potentiam, cui nec Taurinum nuper, nec Rhodos clara restitisset, tueri aut defendere esset impossibile, ipsi traderent: certasq́ pacis conditiones & leges, quas ipse dicturus esset, susciperent: tractaturum se de iis extra vrbis mœnia, ne militum vulgus impium quid interim aut crudele admittat. Difficile enim esse id à sceleribus & impietate cohibere: curaturumq́*

ratumq; se inter cætera inprimis, vt illis saluis corporibus & rebus hinc liceat abire, confidant itaque clementiæ suæ & omnia candida futura; sic eos sibiipsis & rebus suis recte consulere, si pro tempore, & priusquam Martis sæuitia latius euagetur, ad benignitatem suam confugiant sero nimis hæc post exitum victoriæ expectari, vbi nil, nisi mors atra, cædes certa & exitium miserabile soleat imminere. Quare perpendant secum exacta trutina rem diligenter, ne id quod eis per indulgentiam nunc vltro offeratur, posthac precibus nequeant impetrare. Decreuisse se omnino hinc non nisi expugnata vrbe discedere, & subacto toto terrarum orbe, in patriam regiamq; Constantinopolim redire. Quemadmodum enim duobus solibus, Alexandro Macedone teste, legitime regi non possit mundus, ita duobus regibus non queat recte gubernari. Vnum esse omnium in cælis Dominum, se vnum in terris gentium omnium Principem futurum. Dixerat hæc; & continuo retento vnico Vexillifero, cæteros omnes & aureis tribus Hungarici ponderis singulos donatos dimittere iussit. Reuersi in vrbem summo gaudio excepti, grauia hæc & imperiosa Tyranni mandata referentes, Principibus exponunt: qui surdis auribus excipientes, ad hæc respondere quippiam iudicabant indignum. Quare quum se ampullosaq; & magnifica verba illa sua contemptum iri, sibique à nostris nihil responderi intelligeret, animo & ira æstuans, diu noctuq; volutabat, quomodo vrbe potitus, contemptam suam vlcisceretur Maiestatem. Visum itaq; hanc summa vi & conatu omni oppugnare. Sita est autem Vienna quinq; millia passuum à Cetio monte, ima in planitie, Flauia à gente quondam dum Pannoniæ terminos Romani, Barbarorum aduersus incursiones tutabantur condita, & ob memoriam nominis tanquam positum monumentum Flauianum, olim ab aris Herculis, Alexandri aut Bacchi ritu ibi conditis, appellatum: nunc vero Vienna prima syllaba omissa, vel à torrente, qui eam à meridie imbribus auctus præterlabitur, sic dicta. Quæ licet Septentrionem versus Danubii fluminis obiectu firmior aliquantulum reddatur, reliquis tamen ex oris neq; arte neq; natura vsq; adeo est munita. Nam fossæ ante mœnia si quæ sunt, siccæ, & nullius laticis liquore perfusæ, facilem oppugnantibus præbent ascensum, & mœnia ipsa, quamuis coctili laterculo sint constructa, turrium tamen propugnaculis hostilem aduersus vim & iniuriam non satis sunt firmata: quia & hæc nec lata, veram adhuc referre videntur antiquitatem. Adortus igitur hanc quindecim è regionibus vineis admotis, cuniculisq; & subterraneis meatibus actis, muri nitebatur subuertere fundamenta: quos fomentis, sulphure, bitumine & puluere tormentario farserat, vt igne admoto militem suum, quem vndique in aciem eduxerat, tanquam fumi nebula tectum, vrbis intra munitiones ingenti ruina patefactas, facto impetu deduceret. Sed præsides dii atq; tutelares loci, auctore Christo, suorũ miserti, crudele illud & impium Tyranni detegerunt consilium. Capti enim peropportune & secreto quodem fatorum ordine transfugæ tres; verum profari tormentis coacti, proditionis præmio accepto, vrbis ædificia incendere se pollicitos fatebantur, vt dum intus ad arcendum concurreretur incendium, ipse interim foris, nudata suo præsidio occuparet mœnia: indicabant idem & Turcæ à nostris militibus depræhensi, & idem Fridericus Princeps misso clam nuntio admonebat: Vnde facti alacriores nostri, nihil laboris aut curæ vlla ex parte remittebant, atq; longe maiori quam antea diligentia intra vrbem stationes, ante portas custodias, & post muros peragebant vigilias. Et tum demum qua ex parte murum suffodere niteretur animaduersum: doli detecti, atq; fodientium elusa opera. Quicquid enim ab hostib. illuc vnquam congestum, id totum à militib. nostris contrariis & transuersis cuniculis aut meatibus actis, vi raptum, aut solertia quadam & astu ablatum: & hostes etiam ipsi nonnunquam, qui se tentandæ fortunæ gratia illic condiderant, grauiter afflicti, inania cœpta Tyranno & vanos labores referebant: qui vt & hoc sibi parum feliciter procedere sensit, quadrifariam diuisum exercitum, & senas sibiipsi succedentem in horas, continuato die ac nocte prælio, vrbem iubet oppugnare, & fossores interim in auersissi-

ma munitionum parte, cuniculos numero plures agere, vt sic vel perpetuis laboribus exhausti, atq; paucitate milites nostri victi, loca deserere cogerentur: vt operis à sensu, armorum strepitu & dimicatione auersi actos cuniculos non sentirent. Non fuit vana spes tyranni; nam statim ac signum inuadendi Turcis datum, & à nostris inter mœnia ad arma concursum, suffossus & crebra vi pulueris impetitus murus, tribus ex oris ampla patefacta fenestra corruit. Vnde ingenti sublato clamore connixi primò Turcæ, & agmine densato parentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes, oppugnare inceperunt, atque nostros omni glandium ac telorum genere impetere & vrgere, nostri verò è diuerso primo in limine immoti, & animo infracto stantes, insultantium impetum sustinere, atque hostes ipsos lancearum contis tormentorumq; globulis fortiter excipere conabantur & arcere. Illi Germanorum ac Hispanorum militum ardorem, micantemq; ira vultum, non maiori constantia ac Samnites olim furentia Romanorum ora ferre, sed mox impulsa à fronte tantum acie, omnes retroire, Germani Hispaniq; milites erumpere, trepidantes à tergo cædere, & si quos maior solito audacia ad altiora vrbis mœnia euexerat, ad ima præcipitare: tyrannus fortes pristinæ virtutis & gloriæ admonere, labore & vulneribus fessos reficere, atq; subsidiis nouis fulcire, ignauos increpare, & demum omissum præliũ redintegrare: hi verò rem non alia virtute, quàm antea gerere. Nam accepta clade maxima etiam postremò imperii & ordinum immemores ex acie aufugere. Pudebat ignominię, quam non ad vrbis vnius modo expugnationem, sed ad vniuersi belli summam pertinere existimabat tyrannum. Etiamsi quomodo gloriam recuperare, clademq; acceptam memorabili quadam re & facinore aliquo insigni abolere posset, anxius & furibundus cogitabat. Indignum videbatur tot consumptis & exantlatis laboribus cœptum opus deserere, è contra verò periculosum tot prę̨stantes & bellicosos viros temeraria vrbis vnius in oppugnatione deperdere. Placuit tandem paucis diebus interiectis, & donec animos & vires resumerent milites, armis temperare, & denuò reparatis primùm & compositis omni studio rebus, summa vi & omnibus copiis circumuallatam corona vrbem iterum inuadere. Eductus itaq; in aciem & in stationes, vnde tutius prorumpere posset miles, qui & iam ad signa elocatus consistebat: vt nostras cohortes tanta alacritate pro muris & mœnibus excubare conspexit, totus animo frangi cœpit, & trementibus genubus collabi. Sonabant iam vtrinque classicum æneatores, & ad belli munia fortium animos incitabant, sed Turcæ metu exanimes, non secus ac conspecto Persei quodam spectro in saxa mutati persistebant immobiles. Compertum tunc, vt sæpius antea, illud Catilinæ dictum quàm verissimum: *Verba virtutem non addere*; & *Imperatoris orationem ex ignauo strenuum & timido fortem non facere*. Quoniam, etsi hos ad omne imperium surdos iam & pertinaces, non verbis tantum & lenta vite, vt quondam apud Romanos moris fuit in ordinem cogere, verum etiam & strictis gladiis & acynacibus nudatis tyranni iussu verbera multa intentantes, vrbis in oppugnationem adigere niterentur, Zumbassi ipsi & tribuni militares, ab inuitis tamen & à superioris certaminis memoria pauidis adhuc, nec oppugnationem, nec operam aliquam aut obsequium militare extorquere potuerunt. Totum sic exactum est triduum, vt ii ante castra & extra vallum sæpius educti, sæpius in agmina & aciem coacti, stupidi penitus, & absque omni aculeo, & tanquam primo insultu totum virus semel profudissent, sua in pertinacia perdurarent. Quum igitur tyrannus Gyngisheros illos suos, in quibus omnis belli & victoriæ spes non secus ac Triariis olim situata & reposita erat, æquè ac gregarios milites & mercede conductos, quos Asapides vocare solent, animo consternatos, & diuturna obsidione & longa profectione pertæsos animaduerteret: Regemque Ferdinandum, iam & Principem Palatinum, ingenti Germanorum & Bohemorum robore ceruici suæ, suo tergori audiret imminere, timore perculsus, fugam cœpit meditari, & obsidionem, hyemis ante aduentum,

quam

quam nec sui, tanquam Asiatici molles & frigoris impatientes ferre poterant, dissoluere. Aduocatis itaq; in concionem Visiheris, Beglerbegis, Bassis, Sansachis & Zumbassis, atq; aliis tribunitiæ, aut alterius cuiuscunq; militaris potestatis hominibus, habita oratione, hunc propè in modum disseruit: *Audimus commilitiones, Ferdinandum Regem atq; Fridericum illum Palatii Rheniq; Principem, conscriptis atq; veteri sacrata Samnitum lege initiatis, per Germaniam, Bohemiam, & Marcomanniam aduentare exercitibus, & vtramq; Danubii fluminis secundum ripam, nos contra infestis signis contendere. Quod quidem summis votis optabamus antea, id nobis iam serò nimis, post tantam militum nostratium pertinaciam videmus vltrò obuenire. Nam si iusta acie cum iis nunc fuerit decertandum, vix æquo marte in tanta militum pertinacia depugnabimus. Quàm enim periculosum & difficile sit, inuitis ac repugnantibus militibus prælium inire, atq; ancipiti belli fortunæ se committere, vos ipsi longa experientia rerum edocti iampridem nostis. Quare quum non minor sit virtus adempta opportunitate, armis nonnunquam temperare; quàm oblata occasione hosti magnanimiter occurrere: decreuimus tandem obsidionem hanc, quam & vestro consilio nuper suscepimus dissoluere, militemq; ipsum pro tempore, & priusquam frigoris & hyemis intemperies abeundi facultatem adimat, in portum & hyberna reducere. Vestrum autem erit hæc omnia, ne vel miles animaduertat, aut hostis præsentiscat, summo silentio Minotauri symbolo moniti contegere, atq; educto iterum in aciem stationesq; milite oppugnationem vestra de industria fingere, vt hac simulatione tuti nos interim cum sacrinis, cum impedimentis, & grauioris armaturæ militibus sensim hinc subducere, & vos deinde, tanquam velocitate corporum ac leuitate armorum, ad accelerandum iter expeditiores facilius subsequi possitis. Ita enim fiet, vt metu dubius hostis mœnibus egredi non audeat, & exercitus noster incolumis ad tutiora euadere queat.* Gnauiter executuri mandata duces illi & tribuni, corpora milites veteri Græcorum more curare iubent, & arma expedire, atq; dein quumprimùm classicum intonuerit, paratos adesse. Cessatum est vtrinq; ab omni opere bellico biduum, & ad noctem demum tertiam sequentem, dato prodeundi signo in aciem reditum, ordines instructi, agmina institutionis deducta, atq; omnia quæcunq; ad oppugnandum necessaria, magno apparatu expedita. Stabant extra vallum Turcæ, vix arma manibus retinentes tremuli, cuncta quæ simulabantur, ex vero agi existimantes. Nostri autem intra muros quamuis consiliorum tyranni penitus ignari, nihil remissum aut humile cogitantes, actis diligenter pro tuitione mœniū custodiis, atq; muri ruinis sedulò refectis, hostis aduentū expectabant: decantantes etiam læti interim, non veterē illum Germanorum baritum, sed hymnos sacrosanctos, & Christo suo dignos versiculos præsagientibus forsitan animis finem nunc adesse laborū. Fit enim sæpius, vt & nescia mens humana, quasi Numine quodam tacta, diuinitus futura prænuntiet. Collato propè pede & ex propinquo posthac pugnatū nunquam, sed omnia bombardis & machinarum tormentis eminus acta. Tegebatur cœlum densa glandium & missilium nube: tremebat tellus, & ingenti ædito mugitu mouebatur: vulnerati multi, cęsi, aut fœdè lacerati, tormentorum vi & impetu tanquam turbine rapti, mediam aëris per regionem ferebantur. Cecidit eo in tumultu, dum incautius progreditur, Natoliæ præses, summo tyranni atq; suorum omnium luctu, fulmine Caranthiaca è turre misso lætaliter ictus. Motus hoc infortunio tyrannus, incensis statim prima sub vigilia castris, institutam antea accelerat abitionem, quod tamen ne foret inultum, miseros prius Christicolas, quos sors iniqua captiuitate inuoluerat, contra ius gentium & fas omne, crudelitate summa coram mactare iubet omnes. Auditus est morientium eiulatus & clamor nostris à militibus intra vrbis mœnia, nescientibus tamen quid ageretur, donec postera die exorta, hostis fugam animaduertêre, cæsorumque corpora passim castrorum per planitiem dispersa reperierunt. Miserandum hoc quidem & triste spectaculum. Iacebant mixtim sanguine vulneribus, & cruore fœdati, viri, senes, iuuenes, pueri, matres (neque enim sexui vel ętati pepercerat, ferina belluæ illius rabies) sed erit hoc spe-

Digitized by Google

ro non impune. Deus enim faciet vt iuxta Ezechielis Prophetæ vaticinium, martialis Germanorum manus, de patrato tam iniquo facinore, condignum aliquando sumat supplicium: tyrannumq; illum non secus quam Tamberlanes Scytha, Pazaitem olim cauea inclusum aureisque cathenis vinctum, orbi exhibebat deridendum spectaculum: quod prope fore Carolo Imperatore, & duce Cæsare Ferdinando, veterum oraculis admoniti iampridem auguramur. Nam & hoc iis deberi palmarium, multa ante sæcula nec gentium quidem tacuerunt Dii. Si enim candidissimo rerum Augustalium scriptori Suetonio Tranquillo credimus, ducentis annis Galbæ ante tempora à fatidica quadam puella, Cluniaciq; Iouis sacerdote pronunciatum fuit: oriturū quandoque ex Hispania Principem, Dominumq; rerum. Quod licet tunc temporis quidam ad Galbam ipsum, quoniam maiores eius hac in prouincia præturam, & ipse quoq; proconsulare gesserat imperium, referre voluerint, ego tamen id ad inuictissimos pientissimosque Principes hos iudico referendum: Schiltpergii illius nobili ductus Historia, qua indicat se quondam ad Nicopolim vna cum cæteris Christianis militibus profectum, illicq; affecto Sigismundo Imperatore insigni illà clade, ab immanissimis Turcis fuisse captum, & belli iure serui loco habitum, per triginta captiuitatis suæ annos diuersa loca peragratum, peruenisse tandem ad Abrahami Patriarchæ Ilicem, in valle Mambræ Ammorræi, iuxta curiam suam, vbi & supremum mortalibus expectandum iudicium, mundi sub origine deplantatam: quæ à Gentilibus sacrosancta ideo habeatur, & solenni quodammodo consecratione veneretur, quod particula de hac quantumuis minima collo suspensa, regio siue Herculeano medeatur morbo. Vnde & factum, vt & hæc à Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumsepta, peruigili custodiatur curà: & Turcarum tyranni huius titulo se hucusq; voluerint præsigniri, exaruisse hanc Christo Deo & saluatore nostro, crucis in lignum elato, & eam antea priusquam victor ille gentium, missus ab Occidente imperator, virtute, & armis illuc profectus, rei diuinæ mysteria cæremoniasq;, & omnem purioris Christianismi cultum ex integro restituat, reflorere non posse. Et id non tam nostrorū assertionibus, quam etiam Gentilium & Sarracenorū comprobatum prædictionibus: quod & verum esse Diui Hieronymi, Beati Isidori, Egesippi & Iosephi Iudæi credere inducimur testimoniis, quibus & sacræ quoq; astipulantur literæ, quæ & Ilicis illius siue Therebinti, ad quam tres Angeli Domini Abrahamo quondam apparuerint, meminere, cum quo & Flauii quoq; Vopisci in Floriani Imperatoris vita adductum conuenit vaticinium, palam & omni verborum absque inuolucro confirmans, nasciturum aliquando ex Pannonia Principem, & Iudices Parthis, & Persis, qui Francos & Alemannos, sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Affricam Barbarum non relinquat, qui Taprobane præsidem imponat, qui ad Romanam insulam proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat, ipse victurus annis centum viginti. Taceo interim & lubens prætereo Methodii, Cyrilli, Rupæcissæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi & Torquati, atque aliorum multa non è Druidum quercubus, aut Corthina Cynthii elicita responsa, sed piis mentibus spiritus instinctu cœlitus enunciata oracula: quæ omnia tanquam ore vno prolata, iis Principibus Orbis deberi imperium profitentur. Sed de iis satis, redeat igitur nostra vnde digressa est oratio. Soluta itaque vrbis nobilissimæ per tyrannum crudelissimum obsidione, Hybraim Bassa consiliarius intimus & secretorum omnium vnicus arbiter (nemo enim in admonendo hoc uno ius maius, aut libertatis plus habebat) collectis leuioris atque expeditioris armaturæ equitibus, compositisq; ex arte & industria subsidiis, præcedentem à rergo integrum per diem suum tutabatur tyrannum, qui correptis repente signis, tanta cum acceleratione illis hinc profectus est, vt & vrbes & oppida omnia, quæ improuiso metu & tan-

tu & tan-

tu & tanto rerum tumultu perculsa, imperium acceperant, & deditionis uelamenta oleæ ramos scilicet, & portarum claues obtulerant, nullo vel stipendio vel præsidio imposito, intacta reliquerit: & quinta post abitionem die Budam Hungariæ trigintaduo milliaribus Germanicis à Vienna distantem, omnibus cum copiis perueniret: non minori cum dedecore & turpitudine ex Germania tunc (quam triennio, quum tamen Romani hanc ducentis & decem annis vix triumpharint, subigere certo sibi persuaserat) quam quondam Xerxes Persarum Rex cum tam numeroso exercitu è nobili Græcia aufugiens, amisit tam celeri ex profectione suorum quam plurimos. Quorum cadauera vna cum ingenti Camelorum & bestiarum numero strata passim per itinera fuerunt reperta, vi frigoris, hyemis sæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum antea emacerata. Petierunt nostri, antiquam legum contra constitutionem, qua (Thriphonio teste) cautum fuit, ne captiuorum ratio haberetur aliqua, aut cum hoste de iis ageretur quicquam, captiuorum permutationem, inducti ad id, non tam suorum misericordia, quam captorum Turcarum perpetua precum instantia. Misso nuncio à Bassa Hybraimo tyranni loco contra morem responsum perbenignè, posse si velint, absque omni periculi metu, de iis qui agant, transmittere. Se enim neque prædam neque ad vrbium venisse euersionem, sed vt Regem. Ferdinandum tamdiu expectatum, & nusquam comparentem ferri virga inuiserent: concessisse iampridem nostratibus nonnullis absque omni redemptionis pretio liberam redeundi postliminio facultatem, quod vt & ipsi faciant vicissim, rogare. Nam Martis aleam eò nunc progressam, vt hoc commercii genus inter ipsos futurum sit quotidianum. Nuncium ipsum Baptoferica, & Zetlitium Vexilliferum, quem in eruptione captum iam supra diximus, aurea veste donatos dimisit, & suis nunciare iussit, se omnia posthac, quoniam & hosti fides seruanda bona & Attica tractaturum fide, nam quod præsidiis Budam elocatis, pacta conuenta nuper non sint seruata, id non Turcis ipsis, qui fidem semel datam fallere non norint, sed Germanis ipsis potius qui perierint imputandum: veritatis tamen sine ratione hæc. Certum enim est hos, contra ius & fas, fidem præstitam & pacta manu subscripta tyranni, vna cum Ducibus duobus Christophoro Besserer & Ioanne Traubinger, inermes iam deditos, à Gyngisheris fuisse trucidatos. At quis in Cylice fraudem, in Thrace commentum, & in Turca huiusmodi miretur mendacium, quum ii & ridendo & per ludibrium fidem fallere soleant? Præclara tunc maxime per omne obsidionis tempus, Principum Palatinorum Friderici & Philippi virtus illuxit: qui inter cæteros, quamuis multi illic egregii, insignibusq; facinoribus & rebus gestis præstantes adfuerint bellatores, velut inter ignes Luna minores emicuerunt. Nemo enim iis vnis vigilantior, nemo laboris & periculi tollerantior: neq; enim vllis molestiis exhauriri poterant, aut curis vinci, sed omnia circumeuntes, omnia perlustrantes, nunc boni militis, nunc optimi ducis aut imperatoris munere fungebantur: strenuos comiter compellabant, saucios & ægrotos fomentis & pecuniis mirè confouebant & iuuabant, vt planè auitam maiestatem in iis cognoscere potueris, & Palatinum ingenium perspicere. Quare quum alter foris, alter intus, vrbem tanta conseruasset industria & vigilantia, conuersi in eos omnes, hos Seruatores patriæ, hos Σωτῆρες & parastatas appellabant. Vnis iis omne quicquid vnquam magnificum gestum erat tribuentes & acceptum referentes. Nam & crebræ inter hæc vrbis ante liberationem à Turcis factæ excursiones, tanta nostris à militibus Principis Friderici auspicio repressæ sunt felicitate, vt nisi cœlestium id tribuatur benignitati, veri fidem, atque credulitatem superare videatur omnem, vicit mille Turcas triginta nauibus Danubium transgressos, Marafeldiæ per agros rapientes & incendentes omnia, ad Stockarauiam, Iulius de Hardeck Comes, ducentis cum equitibus missus, in quos quia tum primum sub oculis ipsius arcem & vicum Schmida incenderant, iusto animi dolore commotus, equites tanta

concitauit vehementia, vt hos propè prius ad internecionem cæciderit omnes, quàm hunc ipsi adesse præsenserint. Amisit tumultuaria hac pugna, præter vnum cui Coborle nomen, suorum penitùs neminem, & hunc tamen morientem non inglorium. Nam is vt primum mutuum peruentum fuit in conspectum, equum tam acri impetu, calcarium stimulo in hostes adegit, vt per medios & fuga iam effusos, ad naues vsque præter omne negotium proruperit, & vnam ex iis secum, in quam hostibus grauem & repletam desilierat, ad fluminis ima demerserit, sponte moriens: & non secus ac si veteri Decii alicuius, aut Codri ritu, super telum pedibus subiectum consistens, præfante pontifice solennia voti verba, patriæ pro salute caput suum deuouisset. Occidit partim fudit & cepit, Caspar Erlebeck à Trausintz ad Treselmauri pistrinum, quod direptum incendere moliebantur, trecentos ultra Turcas decem cum equitibus tantum & peditibus prætorianis sex, inopinantes adortus, Leonidæ Spartiadum duci haud absimilis, nisi quod is medios inter hostes concidit, ille vero trophæa ad suos lætus & viuus reportauit. Multi hostes à leuis armaturæ equitibus, quos Hussaros barbaro appellant uocabulo, confossi sunt, multi capti, & ad Principem Fridericum uiui perducti. Multi etiam quum aliquando ad templi cuiusdam turrim, nephasti ex sacro, vitæ quæritantes præsidium, confugissent, à Georgio de Leuchtenberg prouinciæ præside, Sigismundo à VVolfgango de VVeyx, Bauaricorum equitum præfecto, Corneomburgum iuxta, vbi Principis iussu præsidebant, Tyranni sub oculis, & toto propemodùm Danubii ex ripa spectante exercitu, cæsi sunt & ignis fumo, non aliter ac quondam Alexandri Seueri Imperatoris iussu, fumi venditores enecati. Liberata autem sic, vt iam dictum est obsidione Vienna & rebus iis ita insigniter gestis, Princeps Fridericus, illuc quam maximis potuit itineribus contendit, eo animo atque instituto, vt iunctis vtrinq; copiis cum hoste, si is pugnam non detrectaret, acie confligeret, vel saltem postremum agmen præcursoribus, si fugientem consequi non quiret, incesseret aliquantulum & carperet. Quare mox vt Viennam uenit, milites conuocare iubet, atque numerum eorum tribunos inire, sed vix cœpto lustro, Gregarii statim tumultuari, stipendium quintuplex ob egregiè defensam vrbem poscere cœperunt: commeatuumque omnium quos per obsidionis tempus insumpsissent, gratuitam remissionem exigere. Princeps eos primum leniter & innata pro clementia sua admonere conabatur, ne partam tanto cum decore nuper gloriam, tam atra nota vellent defœdare: demum etiam adhortari & precari ab hoc rerum tumultu desisterent, nec egregium illud & nobile quod ipse instituisset opus iam præpedirent. Fateri quidem se eos omnes ob nauatam in defensanda vrbe fortem operam, præmio & obsidionali corona dignos: importunum tamen esse iis friuolis contentionibus, tempus nunc terere. Nunquam enim antea magis quum hostis interim elabatur, nocuisse differre paratis. Sibi igitur credant, se namq; sedulo & diligentia summa curaturum, ne insignis eorum virtus maneat indonata, modò in præsentiarum pareant & obsequantur. Mouit hos nihil Principis benignitas, sed maiori cum importunitate æra militaria & stipendii auctarium flagitare instabant, & quum ad molliendam illorum pertinaciam, ductores quosdam iis longa per militiæ tempora notos demisisset, accensi acrius ira magis sæuire, postremo quoq; proiectis sarissis atq; lanceis suis, Ductoribus circumuallatis, ni ocyus æra dentur, lymphati & furibundi mortem minitare. Protracta est huiusmodi concertationibus vsq; in serum tota dies, & tunc primum discessum: sed mox postera luce vix dum recte exorta, eo iterum reditum, & tum quoque perniciosum diripiendæ vrbis consilium per eos ferebatur initum. Quare quum nec imperium apud hos valere vllum perspiceret, atque se & socios omnes & vrbem ipsam in summo periculo, in summo discrimine versari intelligeret, festinandum duxit, & insano illorum furori antequam maiorem erumperet in sæuitiam occurrere. Ad compescendum itaque eorum tumultum, triplex iis pactus est stipendium:

sed serò

sed serò nimis id tum erat, quia hostis interim ad tuta, & vnde eum consequi haud erat possibile, euaserat. Laxauerat animos forsitan nimia idem sub tempus indulgentia, nec non & rei militaris dum hostis foris acriter vrgeret, satis licenter habita disciplina. Non mansit tamen id impunitum, quoniam etsi facinus illud non eadem sæueritate, qua olim huiusmodi mala expiari solitum fuit, decimatione vel crate sit vindicatum, in capita tamen seditionis, atque auctores nonnullos tanti criminis vltore gladio grauiter fuit animaduersum. Fœdæ multæ ea ante tempora exortæ sunt tempestates, morbi varii præsertim per Germaniam incogniti, pestilentia ingens, nec non per multos annos continua propè rerum omnium ad vitæ humanæ vsum pertinentium inaudita charitudo: quibus prodigia multa Deorum in nos iram significantia, accedebant. Nam Viennæ diu antea tres Soles vnico arcu inclusi, integrum per diem in cœlo splendere visi. Luna sanguinea maculata cruce pernox constitit, trabs ingens & trecentorum passuum longitudine, diui Stephani prothomartyris, atque vrbis illius numinis tutelaris per templum ducta, prima post meridiem hora comparuit: humanas hæc territat verè mentes. Ad Deûm igitur concursum delubra, & obsecrationes insigni animorum factæ deuotione: id saltem impetrauere: vt certum, quod passim imminere ferebatur ab vrbe & orbe, Friderico & Philippo Principibus Palatinus auctoribus, veluti Dioscuris quibusdam, pelleretur exitium.

DE BELLO PANNONICO,

LIBER II.

INTEREA dum hæc in Germania Pannoniaq; agebantur, Imperator Augustus citeriori aberat in Hispania: qui statim ac de iis certior factus est, compositis domi rebus in Italiam, quæ bellorum adhuc fluctuabat tumultibus, magnis itineribus contendit: & pacata hac, militem, qui illic ab eo, quo Rex Gallorum captus est, præsederat tempore, secum arripit, & transcensis alpibus, qui Rhætos Vindelicosque veteri à Germania disterminant, in Pannoniam progredi, sæuientiq; hosti occurrere statuit, sed alpium fauces nondum ingressus, hostis abitionem turpemq; fugam, & reliqua omnia, vt acta erant, comperit. Quoniam verò hostē hunc quasi dulci illecebra quadam inescatum futura æstate rediturum certò sibi persuadebat, animo secum, quomodo impiis illius conatibus posset resistere, cogitabat. Impossibile videbatur diffidentibus inter se atq; mutuis armis contendentibus principibus Christianis, egregium quippiam aut magnificum perficere: nam discordia ipsa, vt plerumque aliàs ita hoc tempore exitialis maximè iudicabatur & perniciosa. Placuit itaque ante omnia nouum illud dogma, veluti certum quoddam discordiæ seminarium mentibus hominum reuellere, atq; discordantes Principes, qui ab inani verborum pugna ad armorum peruenerant insaniam, tanquam reparato veteri Atheniensium fœdere & ἀμνηστία ipsa renouata, in vnitatem concordiamq; reducere, atque edicto publico conuentu, Augustam Vindelicorũ, antiquissimam quondam Romanorum Coloniam Principes imperii euocare: quò vt veris sub initium Septemuiri Electores, aliique Principes, Dynastæ ac proceres vnà cum ciuitatum legationibus, Maiestatis imperio obtemperantes conuenêre. Curiam ingressi, & habito senatu in primis noui dogmatis de religione rem ordiri cœpere, & ipse Imperator Augustus tum Saxonum Principem cum suis adhærentibus monere iussit: Dogma illud nouum, quod ipsi sectarentur à lege diuina, planè esse alienum. Pugnare enim id, veluti ex diametro honestiori veterum doctorũ cum disciplina, nec cum bonis moribus aut sacrosanctis Ecclesiæ traditionibus aut institutis conuenire. Desisterent igitur ne

tam friuolè à Christiana unitate discederent, quam cœleste Numen veritatis spiritu tam egregiè & prudenter à mundi initio confirmasset, Prophetæ sancti & Patriarchæ diuinitùs & eiusdem numinis instinctu afflati docuissent, martyres & Christi beati confessores felici sanguinis sui profluuio comprobassent, & quam tandem etiam piarum mentium, Patrum quoque & maiorum nostrorum unanimis consensus per tot secula & annorum reuolutiones laudassent piissime & adorassent. Ne igitur iis omnibus plus, sed ad sobrietatem tantum quod & satis esset saperent: & si hæc eos parum forsitan commouerent, cogitarent saltem quàm ingens malum esset, statum publicum, otium commune Christianæq; rei tranquillitatem perturbare, præsertim hoc tempore iniquo, quo hostis Turca iugulo nostro intentus, nos tam acriter armis nunc vndiquè impeteret & vrgeret. At ii in eadem perseuerantia, in proposito & animi sententia immobiles perstitere, indicantes etiam se à Christi doctrina Euangeliique veritate recessisse nunquam, & doctorum suorum dogma cum Apostolorum traditionibus in nullo penitùs discrepare: propterea nec pudere eorum omnium, quæ ii in hunc vsq; diem palam docuissent, ipsique credidissent, Imperatoria Maiestate & Principibus omnibus coram professionem publicam facere, certamq; & indubitatam rationem reddere. Composuisse namq; suos iampridem antea quos euulgauerint in lucemq; ediderint libellos multos, sanæ doctrinæ atq; purioris Christianissimi testes & indices synceros, nunc se hos quibus totius dogmatis atq; fidei ipsorum contineretur summa, humiliter offerre: paratos etiam de iis cum doctis, si quomodo pacari posset res, amice conferre. Non displicuit Caralo Imperatori reliquisque Germaniæ Principibus ac Dynastis, proposita mutuo conferendi conditio. Lecti sunt igitur ad id ex omni cœtu vtraq; à parte viri septem, omni eruditionis genere atq; prudentia singulari præstantes: qui collatis vtrinque sententiis atq; nodosis argumentationum Meandris resecatis, controuersiæ de capitibus acri iudicio & diligentia summa multum disseruere. Et à multis creditum eos tum sublata concertationis atq; dissidii materia, rem componere potuisse omnem. Si illi qui sparsis per prouincias ac territoria sua monasteriis bona, quæ adimere ausi fuerant, tunc restituere voluissent. Nam quum hæc contra ciuilium legum constitutiones fieri viderentur, iussit Imperator, redditis ablatis, manibus post hac temperare. Quanquam autem illi mandatis forsitan obtemperassent libenter, quia tamē ablata ministris suis beneficii atq; donatiui loco concesserant, iam parere huic sacræ iussioni non poterant, moti itaque hac atque alia de qua hic disserere longum foret ratione, imperata facere recusabant. Imperator igitur mandata ingeminare ac repetere cœpit ii vero tanquam iure licuisset id se defendere. Discessum fuisset tunc proculdubio infecto omni negotio, nisi Fridericus Princeps Palatinus, cuius opera & consilio tunc maxime vtebatur Augustus, rem illam sua pro prudentia alium ad conuentus diem, qui Ratisponam indictus est, distulisset, & spe finiendæ illic controuersiæ facta, commune aduersus Turcas Principum consensu impetrasset auxilium. Sed idem tunc Ratisponæ pene contigit, quod antea Augustæ. Nam si Ludouicus Princeps Elector, Palatinæ domus natu maximus, vna cum Archipræsule Moguntino eodemq; Principe Electore, partes suas non interposuisset, & illinc quoq; eodem modo, quo antea priori in conuentu infecta pace fuisset discessum. Quod vt hi duo Principes bonorum perquam optimi sensere, atq; dissidium illud iam nihil aliud, nisi bellum ciuile & intestinum spirare intellexerunt, Suenisfordiam Franconiæ oppidum secesserunt, & assumpto arbitratoris officio, rem inter Imperatorem ipsum atq; vtriusque partis Principes dictis legibus, hunc in modum composuere, ut rebus eo in statu quo tunc essent sic permanentibus, nihil à quoquam siue veteri is adhæreret disciplinæ, siue is nouum sectaretur dogma, innouaretur: sed omnes quasi factis induciis donec coacto concilio generali, res ex integro decideretur, manibus ac iniuriis hinc inde temperarent, præstitis tamen

nihilo-

Digitized by Google

nihilominus communem aduersus hostem interim communibus auxiliis & promissis, & Imperator Augustus apud pontificem Maximum institutum maturaret consilium: vel si id tam maturè Maiestas sua impetrare non posset, alium saltem ad componenda reliqua conueniendi diem indiceret. Gratæ fuere Maiestati Augustæ propositæ LL. hæ, & à partibus vtrinque animis lætis acceptæ pacis conditiones, & Principibus Electoribus, quod tumultum quem hucusque per tot annorum curricula componere potuisset nemo, soli ipsi prudentia sua & opera indefessa sedauissent, gratiæ ingentes actæ, & non immeritò: nam nemo anteà in lapsantem Rempublicam, plus opis aut operæ contulit, quam hi duo Principes in hanc tum temporis dissidiis & tumultibus fluctuantē industria sua contulere Non abierant adhuc Ratispona Principes, nec consilium omnino erat peractum, crebri nuncii Solymannum Turcam nouam & priori longe maiorem in Pannoniam parare expeditionem referebant. Imperator igitur & principes non diutius cunctandum rati, soluto conuentu, rem quoq; duxere maturandam: ne dum lento quodam vt anteriori in profectione ad arma procederetur gradu, hostis interim pro celeritate sua præoccupata prouincia, damnum daret ingens: aut vulnus, quod omnem superaret artem inferret improuisus, & rectè quidem & prudenter. Nam cunctatio nisi certo quodam & Fabii illius Romani iuxta institutum reguletur modo, noxia est plerunque bello, inutilis & damnosa, præsertim hunc aduersus hostem, qui ocyor Euro ire solet ac redire, atq; hic vel illic, vnde minus speres insultare. Constitit ob rem priori bello prudenter beneque gestam, iterum Augusti Cæsarisque & communi omnium Principum suffragio, penes Fridericum Principem Imperii summa, additi sunt huic Apocleti & belli consultores, Guilelmus de Rennenberg, & Georgius de Haydeck, antiqua & heroica apud Germanos prognati familia, Rinhardus de Neyneck à Glatt, Sigismundus de Hesperg, VVolfgangus de Affenstain, & Vlricus de Schellenberg, Equites aurati omnes, nisi quod & posteriores duo iuris Diuini & humani non fuere imprudentes. Atq; soluto sic conuentu Principes vt primum domum rediere, habito vndique per prouincias delectu, auxilia promissa ad locum & tempus constitutum ordinauere. Quare & Princeps Fridericus profectionem suam duxit accelerandam, iniquum ratus si πρόβωλος ipse, serius, quam cæteri aduenirer. Ordinatis igitur sua in prouincia sedulo rebus, diebus paucis interiectis, Abudiacum Danubianum Thermis & veterum scriptorum monumentis celebratum, atque sex millibus passuum supra Ratisponam existentem vicum reuersus est, & Carolum Augustum fratremque eius germanum, quem is inter hæc vnanimi Principum electorum consensu, raro fraternæ concordiæ & antiquitatis exemplo consortem Imperii & Cæsarem asciuerat, ibidem conuenit: cum quibus de belli rebus pauca, nam plura nec res nec tempus patiebatur, colloquutus, castrorum locum in Lupi campo, qui Danubii fluminis secundum ripam è regione vrbis Viennæ & pontem propè expositus est capere iussus, quod vel is situ & natura ad pontis fluminisque custodiam, & ad conseruandum liberum in vrbem aditum commodior: vel quod Martii animalis ab nomine, cuius fœmina olim geminis fratribus imperii conditoribus felicia vbera præbuisse feratur, auspicatior iudicatus. Additum tamen in rem præsentem quum venisset, de iis Apocletorum atque Petri de la Quoua, qui & castrametationum maximè esset gnarus, consilio commodius tractaturum multa: tunc quæ iam non cogitentur animo occurrere, se quoq; ambos cum exercitu quem peculiariter spopondissent, & qui nunc in Hispania Italiaq; conscribatur, breui affuturos, id saltem caueret, ne capta semel in Lupi campo castra, ipsorum ante aduentum & se insciis hinc amoueret aut transmutaret: sed ea potius interim vel ducto vallo & fossa veteri, Romanorum more, communiter: vel antiquo Germanorum instituto, carrorum multitudine circumsepiret: militemq; rudem adhuc, atq; variis ex gentibus congregatum & collectum, arte quadam & disciplina militari, aduersus calli-

dum ac dolosum hostem hunc præliari erudiret. Multum enim veteranum & exercitatum à nouo & tyrone differre, & hac ratione fieri, vt hi quasi phratria quadam & amicitia mutuo contracta, firmius inter se cohærerent: & cum necessitas ingrueret, fortius præliarentur. Finito colloquio, acceptoq; hoc mandato, Fridericus princeps celeri cursu Boiodurum ad Ernestum Bauariæ ducem, lociq; illius præsulem deuehitur: & quoniam sitocomię munus atq; omnis annonæ militaris curæ huic erat demandata: hunc vt commissum sibi officium gnauiter exequeretur, compellans familiariter, est adhortatus: Nosse enim quantum periculi immineret, si annonæ penuria in castris oriatur, vel si ea minus iusto vel maiori quam par sit pretio venundaretur. Nec diu moratus illic Chornumburgũ appellit, militemq; ipsum in radicibus montis Peysenbergi, iuxta arcem Greitzenstain, castra prima interim capere iubet, atque mox Labacensi episcopo Ioanni Cantio, atq; Petro de la Queua, aduentum suum in vrbem Viennam, vbi hi pręsidebant, significat: admonetque vt postera die Imperatoris Caroli, Cæsarisq; Ferdinandi mandata de belli rebus audituri, apud eum Chornumburgi conuenirent. Sequenti die exorta, hi vt iussi erant comparuerunt, & exposita Augustali sententia, castrorum de metatione & loco diligenter & omni ratione excussa, diu consultauere: & exquisitis animorum sententiis multi erant, qui castra Stubæ ad portam inter vrbis Viennæ mœnia, & secundũ torrentis nominis eiusdem ripam iudicarent collocanda: multi (& quorum pars obtinuit quoq;) qui Principali à decreto ne latum quidem vnguem existimarent discedendum, inducti etiã noua ratione, quod nec milites numero plures, nec qui eos recenserent adhuc conuenissent. Nuntiatum eo tempore Turcarum Tyrannum Constantinopoli sexcentis militum millibus iam antea pridem egressum, Gunzam exiguum oppidulum nulla arte, opere aut natura munitum obsidere, idq; non die aut nocte intermissa oppugnatione, omnium copiarum vi premere & vrgere. Præsidebat autem illic centum cum militibus tantum, Nicolaus Iurescitz, vir pietate quidem erga Deum & patriam insignis, qui quamuis rerum omnium, quæ ad obsidionem tolerandam erant necessariæ, plane foret inops, neq; enim has Turcæ tum celeritate præuentus comparare potuerat, belli tamen machinam in se vnum conuersam tanta fortitudine animi diebus vigintiquinq; sustinuit, vt eum omni ope humana destitutum, tanto hostium à furore, solo auxilio diuino intelligeres conseruatum. Excitauerunt Turcæ circa oppidi muros in planicie, nam & hoc in plano situm est, qui mœnium altitudinem superarent, aggeres duos, vnde semper defensorum terga in oppugnationibus tormentorum globulis & ictibus crebris pulsabant. Actum fuisset semel de nostris, nisi Deus suorum misertus, malum hoc auertisset dubio procul nam Turcæ illatis vltra vallum & mœnia supra vexillis octo, eos omnes tunc inde depulerant. & erant iam sine defensore mœnia, & sine propugnatore oppidum, quoniam omnes tunc saucii & fessi testudinis sub munimento delitescebant, & nemo erat qui iam posset vel auderet resistere. Sed ecce imbellis ætas, senes, pueri, matres, quæ hucusq; ædium intra parietes se continere iussa, alta voce & pectore imo Dei auxilium fidem & misericordiam implorans, mirifice fuit exaudita. Eiulantium enim clamore hostes animis perculsi oppidulum milite oppletum existimantes, oppugnatione obmissa à mœnibus victores resiliunt, numinisq; præsentia perterriti persequente etiam nemine, eadem pene turpitudine aufugere illinc compulsi sunt: qua olim Hercules abiecto clypeo aureo, ab Oxidrochis Iouis fulminibus, & rubente dextera cœlitus defensis: tentatum, si Nicolai animus ad deditionem compelli potuisset, sed frustra. Frendebat igitur cœlestium consiliorum ignarus Tyrannus dentibus atq; animo & ira æstuans, oppidum illud inducto aratri sarculo, funditus cogitabat euertere. Quia vero Deus Optimus Maximus, cuius nutu reguntur vniuersa, occulta & immensa benignitate sua, qua se pie colentes fouere semper solet, sæuientis alio auertere voluit institutũ. Ibrahimus enim Bassa, cui in

admo-

admonendo ius summum fuisse supra diximus, statim ac Tyranni mentem eo tendere intellexit, captato peropportune, & donec animi æstus aliquantulum resedisset, expectato tempore intercessit, inquiens: *Hunc rem nec nomine nec magnitudine sua dignam parare, si tot virium, tot operarum in oppidi vnius tam inualidi & imminuti expugnatione prodigere conaretur, vnde tamen vix vel præmii vel gloriæ quippiam foret expectandum: nullam enim inde si etiam id expugnari detur, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum videri, magnis copiis & tantis oppidum natura & præsidio inualidum, expugnare: præsertim perseuerantia tanta, qua etiam inuicta alias sæpe debellarentur. E diuerso autem si belli fortuna, cuius vicissitudines plerunque incerta contingere solerent necessitate in diuersum cessisset, magnum sui inde apud omnes generari contemptum. Quare consultius esse militum laboribus, in re tam exigua, & vbi honoris nihil sperandum parcere, & eosdem ad opus maius, quod restare non ignoraret, reseruare, quam virtutem & fortitudinem vbi ostendi non queant, in tam ignobilis vici illius oppugnatione, frustra & inutiliter consumere. Nam licere iam minori cum dedecore hinc abire, quam post vltimos conatus, viribus attritis demum & infecto negotio, discedere. Magnificentius itaq; esse, obsidionem illam soluere nunc, atque Nicolaum euocatum oppido donare, quam tanto cum militum discrimine suprema quæq; experiri.* Dictis his atq; huiusmodi similibus rationibus adductis, ægre tandem obtinuit, vt Tyrannus ipse Nicolaum quem armis vincere non potuerat, misso caduceatore in castra ad Ibrahimum vocari, atque hunc in modum oppido quamuis alieno donari pateretur. Vocatus autem Nicolaus, quanquam letaliter vulneratus esset, spemque nullam reliquam haberet, venire tamen ad Ibrahimum etiam tum constanter pernegabat, nisi diplomate & obsidibus præstitis factus securior, ne quid ab eo quod vel à dignitate sua, vel à religione Christiana & fide foret indignum exigeretur Laudabilius esse ratus, vna cum suis fortiter interire, quam se suosq; ludibrio, atque fluxæ hostium fidei credere aut offerre: & quia ob magnanimum viri responsum creditum, res ipsius non vsque adeo accisas, nec vires adeò attritas aut labefactatas, quin insultantium ac oppugnantium vim aliquandiu adhuc sustinere potuisset, id quod petebat non fuit negatum. Nam Turcarum ex nobilioribus obsides, duo dati sunt propere, & diploma vt peritum fuit præstitum & oblatum. Egressus itaque Nicolaus acceptis his oppidum, Ibrahimi in conspectum postquam peruenit, honorifice exceptus & considere iussus, de tribus tantum præcipue fuit interrogatus. Primo, ex veteri morbo, de quo in Thracia nuper quum legationis munere apud Solymannum Imperatorem fungeretur laborasset, iterum reconualuisset. Secundo, an vulnera quæ proxima in oppugnatione excepisset, forent letalia. Tertio, qua fiducia ductus Imperatori Solymanno, cui cæteri omnes vicinia iuncti colla sua submisissent, solus ipse hucusq; tanta animi pertinacia restitisset. Mirari enim se si vllam spem in Rege Ferdinando, Calypede modo, & nimium tardo existimaret reponendam. Inferebat ad id Nicolaus, primum gratias ingentes se agere, quod de ægritudine sua præterita, & vulneribus in propugnatione proxima acceptis tam humaniter fuisset percunctatus, liberatum se Christi Saluatoris sui gratia morbo iam pridem, nec vulnera esse letifera. Ad tertium autem quod attineret, nosse eum pro prudentia sua boni bellatoris esse, aduersariis & hostibus magnanimiter resistere, nec rebus asperis facile perturbari: aut grauibus fortunæ insultibus gradu & animo leuiter deiici aut dimoueri. Se humana ope destitutũ, diuinum confugisse ad auxiliũ, quo conseruatus hucusq; perstiterit inuictus: quod & sibi posthac nunquam defuturum speraret. Regem autem Ferdinandum quem nunc Cęsarem, & Augustæ Maiestatis hæredem omnes Christiani orbis Principes legissent & agnoscerent, tam procul non abesse: quin & breui magno cum exercitu esset affuturus. Quare si sibi in hunc vsq; diem non sit subuentum se nihil mirari, multas namq; caussas & rationes, quibus institutũ prępediri potuerit opus, interuenire potuisse, quum fortuna instabilis alias à natura, quia sine pedibus nus-

quam minus quàm in bellicis rebus Martiisque negociis sibi ipsi constare soleat. Admiratus igitur Ibrahimus magis ac magis excelsum & inuictum Nicolai animum quum illum non solum oppido, quod per tot dierum spatia tam insigni cum virtute aduersus tot hostium millia defendisset, sed quouis etiam ingentissimo præmio dignum tacite apud se iudicaret, donare se Imperatoris sui Soleymanni nomine cum hoc oppido inquiebat, ob virtutem suam nobilem & in defensando oppido egregiè operam nauatam, posse enim nunc si velit id omni sine dubio vna cum præsidiis & defensoribus suis perdere penitus & euertere: quia vero natura sua mitis sit ac clemens Imperator Soleymannus, virtutumq; ac fortium virorum maximus amator & spectator, iussisse ei & oppidum illud vna cum commilitonibus & præsidiis suis in præmium virtutis conferre, rei alienæ satis munificus Donator: nunquam forsitan donaturus, si hoc insigni absque iactura & clade militum suorum sperasset expugnare. Accepit munus hoc gratiis actis & animo quidem læto Nicolaus, deprecans vt & munificentia illa liberius atque militum absq; iniuria frui liceret, violentas manus illorum cohibere; pollicitus est id se curaturum Ibrahimus, dummodo & ipse vicissim in ægrotantes & saucios Turcas qui exercitum consequi non valerent, suos quoque sæuire non patiatur: & sic cœpta obsidione postera die soluta hinc perrectum. Certiores itaque facti de obsidione oppidi (nam reliqua adhuc ignorabant) Princeps Palatinus proceresq; Germani, quo nam pacto subueniri posset obsessis, inter se collatis sentētiis iterum consultauere. Et quoniam nondum tantæ militum confluxerant copiæ, nec tantum exercitui inerat robur, vt cum hoste aperto Marte contendere liceret; tutius iudicatum hos subsidiis quibusdam atq; annonę prouentibus elusis per noctem hostium vigiliis, donec imperator Augustus, Cæsarque Ferdinandus maioribus cum copiis aduenirent munire & adiuuare. Inspectæ tunc tormentorum machinæ atq; annonæ & prouentuum inita ratio, & vbique negligentia quædam & incuria reperta; mandatum itaq; his, quibus id negocium publicè iniunctum fuerat, sarcire neglecta, & prospicere in tempore, quæ inde euenire possent incommoda. Soluto concilio, vrbem versus ad conuiuium, quod Labacensis Episcopus opulentia & apparatu magnificum Principi Friderico cæterisq; Heroibus parare iusserat, properatum: & quum ad pontes illos Danubianos qui numero tres sunt, fuisset peruentum, milites omnes per stationes custodiasq; diuisi, armorum strepitu bombardarumq; boatu prætereuntes excipiebant: non minus honorificum etiam tum, quam olim armis laudare existimantes. Primi pontis munimenta Caspar Rurzan prouincialium cohortium ductor obtinebat. Secundi, Sigismundus de Brandis Classiariorum nec non Manipulorum quorundam Nauarcha. Tertii, cum vrbis mœnibus Lotroniæ comes, structæ acies atq; inter se concurrentes naumachię atque terrestris prælii speciem exhibebant, spectatu quidem iucundissimam. Inde in vrbem ad conuiuium maxima congratulatione & lætitia omnium peruentum: id non diu protractum, nam mox ad conciliū rebus sic exigentibus reditum, & decretum Imperatori Carolo Cæsarique Ferdinando omnia hæc de Gunzæ obsidione, de commeatu, de machinarum tormentorumque refectione, de castrorum metatione, atque de Ducum Tribunorumq; militarium absentia, per quæ omnia, quibus instituto & excursionibus Turcarum obuiari posset præpedirentur, ocyus misso cursorio nuntio significare, precarique Maiestates, aduentum institutamque profectionem iam tandem velint maturare. Et post hæc vrbis mœnia refecta, muri solidati, addita propugnacula, auctæ turres. Sylua Viennensis (nam & hæc ab vrbe ipsa nomen retinet) arborum struibus ne receptaculi loco hostibus foret, occlusa. Consumpta huiusmodi sedulitate sic tota die eaq; iam in vesperam inclinante, digressus à reliquis Heroibus Princeps, Vagitium Paulum cuius supra libro priori sæpe meminimus, ægrotantem ex itinere, inuisit humaniter & alloquitur. Dein Loysium de la Quoua mille quingētorum Hispanorum præfectum co-

miter

miter compellans, & militibus illius quos is statim ac Principis aduentum præsenserat, in aciem coire atque eodem modo quo priores in vrbe pugnæ simulachrum fingere iusserat, summa animi delectatione spectatis, ac pro innata comitate sua lingua vernacula laudatis & salutatis clementer, nam illius eam à puero, & eo tempore quo cum Philippo Rege Caroli Ferdinandique parente in Hispaniam profectus est edoctus, apprimè gnarus erat. Vt primum autem & multam sub noctem Chornuiburgum rediit, Imperatori ac Cæsari hæc omnia de quibus antea in concilio tractatum fuerat, grauiter, notarios ac exceptores illos perscibere iussit: & quamuis ita summis laboribus omnem pene consumpsisset noctem; sub aurora tamen sequentis diei Principum Imperii auxilia, quæ hucusque varia per loca fuerant dispersa, colligere imperat: atque recognita, castrorum locum in Lupi campo, vt cum Augusto Carolo Cæsareque Ferdinando conuenerat capere. Paritum Principis mandato sedulo: nam statim conuentum, & castra sine mora (vt iussum) constituta, & quia tunc nonnullorum fraudes, qui priuatam vtilitatem publica facerent potiorem, patuere: atque indicatum Hispanicū præsidium, effracto Chremsii publico horreo, annonam diripuisse, nec Viennam magna copia rerum abundare, quare commeatuum ratio per Palatinum Principem & Apocletos ipsos iterum inita, & iussum publicam quandam venalium facere licitationem; vt miles ea quibus indigeret, iusto Agricolæ tamen absque detrimento comparare posset pretio. Erant tunc in castris neque machinæ neque tormenta, quibus ea quouis saltem modo munire liceret. Rescriptum itaque de iis Cæsari Ferdinando, qui horum sumptum atque curam Augustæ susceperat, vt hæc iuberet ordinanda. Commissum id à Maiestate sua consiliariis Viennæ præsidentibus, qui Bombardulas Carrathas (vt vocant nostri) viginti duas situ, rubigine & diuturna incuria satis neglectas, cum fossatoribus iumentis & bestiis iugalibus centum miserunt. Tyrannus autem dum hæc tanta diligentia parari vidit, tot tantasque nostrorum copias vndique confluere, diffisus iterum Mahumeto suo Acynaci & Diis patriis omnibus, fugam eodem modo quo priori profectione fecerat, maturare cœpit, atque Croatina claustra versus summa celeritate contendere, quod vt animaduertit Princeps, indecorum duxit planè & à dignitate sua penitus alienum, hostem hunc è Germania, iam tam insigniter & secundo afflicta, inultum discedere: vias omnes præsidiis munire iubet, effugia occludere, & fluminum transitus reiectis pontibus adimere, atque Imperatori interim Carolo Cæsarique Ferdinando properè indicare, si ipsi negotiorum molibus præpediti ad pugnam venire non possent iam, militem saltem quem huc vsque apud se retinuissent ad exercitus incrementum sine mora dignarentur transmittere, eique cum hoste pugnandi tribuere potestatem, ne & is nunc quoque post tot & tanta scelera in Germania perpetrata: post tot cædes, excursiones & depopulationes commissas, impunitus iterum elaberetur. Inter hæc literæ Nicolai ipsius atque Longini de Buchaim (nam & is vna illic in præsidio erat) quibus opem & auxilium precabantur, Viennam allatæ sunt, quas ad Principem perferendas præsidii præfecti, Equitibus auratis Helfrido de Meckau, & Feliciano à Petschau, eo cum mandato dederunt, vt & nunciarent, sed iis quamuis plane desperatis puluerem tormentarium iam, frumentum & annonam submisisse, oppida reliqua Neapolim, Eisenstadium, & Edenburgum tanquam belli turbinibus proximiora, validis Equitum præsidiis firmasse, vt ii si qua vis maior aut hostilis tempestas ingrueret, ea aduersus hanc tuerentur: obseruarentque si hostem ipsum frequentibus incursionibus à Gunzæ obsidione possent depellere: ob id & eis adhuc primum iuxta consilium commodum videri exercitum ocyus transportare, atque hunc positis castris ad Stubæ portam, secundum torrentis ripam vrbi Viennæ propius admouere: ita enim abeuntem hostem facilius insequi licere, atque fugientem impedire, multa tempora, donec pontium per angustias tantus

Digitized by Google

transportetur exercitus, prȩterire: melius hæc nunc dum commode fieri queant, præparari. Legatis post acceptas literas, expositaq; mandata, à Principe responsum, quæ cum Gunzensibus ac reliquis oppidis acta forent, atque de remoranda Turcæ abitione consultata, sibi non displicere. Laudare igitur se Præfectorum industriam & sedulitatem: castrorum autem ad mutationem quod attineret, graue sibi videri, ea Maiestatis contra decreta præscriptoq; loco mouere. Quam seuere namque olim in contemptores imperii, vel etiam si feliciter cessisset res fuerit animaduersum, ipsi nossent, nec filiis, nec victoribus parsum. Rectius iam Imperatoris Cæsarisque rescriptum ad literas proximas, quibus hæc omnia significassent expectari. Reuersi erant interea Turcarũ ex castris Leonhardus Nogaroli comes, & Iosephus à Lomberg eques auratus, ab Augustis Principibus in Thraciam ad Soleymannum missi legati, referentes hunc ad pugnam dimicationemque properare, & relicta Gunza Viennam versus cum toto exercitu contendere. Scripserat hæc Principi Palatino Cantius, se decreuisse aduentantem structis vndiq; & elocatis syluarum per abdita insidiis excipere, ad hoc Equitibus nonnullis celeribus & expeditis sibi opus esse: precari itaq; quosdam Germana è iuuentute corporis robore & animi virtute insignes, atq; institutam ad rem idoneos legere, sibique in subsidium submittere. Non abnuendum id ratus Princeps, mox iuuenes septingentos omni ex nobilitate lectos, vna cum Ernesto de Gleychen comite: qui ducta Græcorum antiquo more sorte his præfectus erat, noctis sub conticinium Viennam misit, sed eadem nocte aliud à Cantio, quod Turcarum Tyrannũ institutam mutasse sententiam, indicabat nuntium ad Principem remissum, quare dilato in aliud tempus negotio, & ab Equitibus in castra reditum. Quoniam autem omnia iam Germaniæ Principum auxilia conuenerant, necessarium duxit acutile ductores illorum Tribunos & Centuriones omnes à militum vulgo seuocatos, paucis his de magistratibus cæterisque rebus militaribus mature ordinandis commonefacere: Diu multumque expectati duces commilitonesq; fortissimi peropportune iam tandem aduenistis, & eo tempore quo Soleymannum Turcam omissa Gunza oppido ad Lytæ fluminis ripam subsistere ferunt, cunctabundum transitumq; eo animo & instituto occulte parare, vt solita celeritate fretus, nos opprimat inopinantes: quod factu haud admodum difficile illi esse, nemo est cui rerum nostrarum status saltem aliquantulum notus, qui non perspiciat. Apud nos omnia quæ ad conflictum durumque Martis certamen sunt necessaria, in hunc vsq; diem permansere imparata: vacant munera militaria adhuc omnia, præfectus his nemo, quod sola absentia vestra factum. Quamuis enim ad hæc Heroes nonnulli, virique alii haud ignobiles iampridem antea, tum ob ætatem multam, tum ob rerum cognitionem insignem nobis summe placuissent, neminem tamen absentibus ac insciis vobis, ad ea ipsa euehere voluimus. Sed in hoc vestrum omnium commune, quum inde communis omnium dependeat salus, iudicium expectare, iniquum rati, contra morem Maiorum honorem hunc & liberam legendi militarium magistratuum facultatem vobis præripere. Quum vero res ipsa ob vicinitatem hostis, qui admotis castris, tam prope nunc ferox & minitabundus consistit, moram aut dilationem longiorem non admittat aut patiatur, sed festinationem summam exigat potius & desideret: decreuimus vt electionis negotium illud citius & feliciori auspicio queat expediri, hos vobis veluti candidatos quosdam proponere, Gulielmum namque de Rennenberg comitem, prudentia Nestorem, magnanimitate vero & vincendi arte Achillem aut Aiacem, equitum magisterio dignum iudicamus: Theodoricum Spettium, pectoris robore Martem quendam aut Diomedem, campi præfectura & Mascalliæ munere: Vlricum à Schellenberg, fortitudine Mutium, scientia iuris Scœuolam, recognitione militum & censura: Ioannem Hilliche vigilantia Draconem Hesperidum, aut Argum oculatum, cum vicariis duobus Melchiore de Harstal, & VVolf-

Digitized by Google

VVolfgango à Hesperg, vigiliarum cura: Ioannem à Stadio, vafritia & industria Ithacensem Vlyssem, Sitocomiæ annonæque militaris officio. Vestrum tamen erit ex hoc tam insigni procerum cœtu vel vos vel alios quoscunque, qui vobis ad munera hæc visi fuerint habiliores legere, vt hi pro tempore & hostis ante aduentum sic constituti reliqua in exercitu recte ordinari possint, & quæ hucusque neglecta fuere resarcire. Dixerat hæc, & continuo ab iis, præstito tamen prius militari sacramento, se Principis mandato semper & diligenter pariturus: ad suffragia discessum, nec ibi de his diu concertatum, sed mox reditum, Principique hos quos & ipsi ad munia hæc placere intellexissent, eis quoque non displicere responsum. Bohemi quoque quia ex Lunæ sylua millibus octo progressi, Henricho Traysch Hesso, & Ernesto de Brandenstain ductoribus, per Marcomannorum fines transierant, atque castra à nostris longius quam è re fore visum posuerant, ea vt viribus vnitis hostiles insultus facilius sustineri possent, propius coniungere, & amouere iussi sunt. Redierat sub idem ferme tempus ab Augusto nuntius cum literis, quibus Maiestas ipsius Principi Friderico cum hoste agendi, atque ex Lupi campo castra mouendi facultatem pernegabat, significans se breui reliqua exercitus cum parte adfuturam, commeatuumq; ac aliarum rerum omnium rationem diligentem tunc habituram: subiiciens etiam his, quoniam superioris Saxoniæ militibus, Ioachimum iuniorem senioris Ioachimi Marchionis eiusdemq; Principis electoris filiū Ducem præposuisset, illis in præsens alium præponere non oportere. Lectis his ingens lætitia in Castris orta, quia tum quod de interitu regni Turcarū in fatis esse passim ferebatur, impletum iri ab omnibus iam sperabatur. Et quoniam constans fama erat, quæ linguis mille rerum fidem exaggerare solet plerunq; Imperatorem Augustum Reginoburgo egressum, itineribus magnis, coactoq; gradu Viennam versus pergere, ire placuit quo eius sub aduentum parata forent omnia, & reliquū quoq; militum vulgus, Principis in verba iuramento adigere, & armis inspectis recognitum verbis breuibus, quū longiora tempus ipsum non pateretur, vnitatis concordieq; admonere: quod intellexisset hostium animos nihil æque in spem victoriæ ac ciuiles intestinasq; dissentiones, quas aliquando ob diuersas de cærimoniarum ritu opiniones, inter eos orituras certo sibi persuadebant extulisse. Et tantū adhortatione illa tam breui & perexigua valuit, vt totū hoc militię tempus, sine quouis tumultu aut dissentionis strepitu sit transactum. Iactatū tunc vulgo Hannibalem olim exercitum suum variis ex gentibus congregatum seueritatis disciplina habuisse concordem: Principem vero Palatinum diuersis ex nationibus collectū æterni numinis benignitate, ac clementia sua singulari, qua etiam Cæsarem Iuliū superarit vnanimem. Scripsit eadem die Cantius Principi iterū, se ex Turcis septem qui Neopolim transfugerint compertum habere, Soleymannum Tyrannum incensis ad Lytæ flumen castris, Valerianos Croatinosq; versus aufugere, atq; transmisso Sauo amne, Thraciam repetere, quare Equitibus sibi antea in subsidium decretis, nunc maxime opus esse. Abeunti enim hosti, flumina tria magnitudine iusta obstare, Drauum, Rabam, & Rabunzam, quæ quoniam fugam acceleranti, vno die, cum tam ingenti exercitu traiicere foret impossibile, futurum, vt transmissa exercitus parte vna, reliquam in diuersa fluminis ripa ad insidias & occasiones omnes opportunam, trepidus post se cogeretur relinquere. Statuisse itaq; hanc vel illic sub silentio noctis, vel ad Croatina claustra, quæ spatii ob angustiam ad vnius hominis tantum vestigium paterent, impetere. Princeps vero quia hostis calliditatem non ignorabat, verebatur, ne quum istam exiguam se insequi intelligeret manū, reuerteretur ex improuiso, nostrosq; priusquam succurreretur inopinantes opprimeret, Præsidiū sententiam in hoc duxit expectandam: & quoniam legati illorum qui non diu post vna cum Cantio ipso aduenerant, eadem petebant & referebant, Cantiusq; pro maturando subsidio præsens iterum instabat, maiores illi copiæ quam antea sunt decretæ. Missi sunt enim

cum præfectis duobus VVolffgango à Monfort comite, & Gregorio à Losenstain Barone, equites mille sexcenti, qui postera die vt primum illuxit Viennam profecti, postea Neapolim, regiis equitibus, quos Cantius illuc præmiserat, se coniunxere, & campi planitiem quæ perpetuo tractu ad 26. milliaria Germanica extenditur, ingressi, continuato cursu hostium vestigia legentes, Muræ pontes & Græzam Valeriæ, quam à Diocletiani filia sic dictam Amianus refert, Metropolim sunt prætervecti, omnibus curribus sine impedimentis, nisi quod Vngarica quædam vehicula Cotia à patria dicta, quibus commeatuum nonnihil vectabatur, eos à longe sunt insequuta. Nouus tunc & incognitus antea Germanis equitibus accelerandi itineris modus adinuentus est: quis enim credat equites Germanos ferramento & armatura graues, tam breui temporis spatio, & non intermisso cursu tot milliaria potuisse emetiri? Sed vincit omnia labor: nam nec die nec nocte ab equis discessum, non castris locus datus, non somno aut quieti tempus, donec hostis quæsitus tandem est repertus. Turca namq; Soleymanus etsi Caroli Imperatoris Cæsarisq; Ferdinandi aduentu perculsus, summa trepidatione per claustra, per flumina aufugisset, subsidia tamen quædam & ferentariorum copias nonnullas ingentes nostratium celeritate præuentus, post se in suam exercitusq; tutelam relinquere est coactus: Quarum vna quæ & Tyrannum ipsum pone sequebatur, & cui Bassa quidam præfectus erat, in hos equites nostros incidit. Trepidatum primo & mox correptis armis acriter vtrinq; concursum, cæsi fusiq; momento Turcæ & Ducem hunc quoq; suum amisere. Nam Vagitius Paulus illum primo visu agnitum teli cuspide equo deturbauit, impetitum & humi deiectum gladio peremit, ocyus resurgere nisum. Caput huius lanceæ cuspidi præfixum diu circumlatum, & equo illius ephippium totum aureum detractum, fræna quoque & phaleræ vnionibus & gemmis mirum in modum exornatæ, victori belli iure tanquam Duci à Duce opima spolia adempta, virtutis in signum concessa. Multi tunc ex vulgi fece honorem hunc (quia æmulis non caret virtus) Paulo inuidebant, sed nemo bonus (quis enim bonæ mentis, viro tam bono & forti inuideret) qui Thrax & patria exul pro nobis & religione nostra suos contra Thraces & gentiles tam fortiter depugnaret. Alia quoque prædatoria manus, quæ numero iustum exercitum prope adęquabat, eò vel repentino equitum nostratium aduentu ab aliis exclusa, vel voluntaria malitia & libidine prædandi impulsa, ad Lyntium vsque Harpiarum quodam more excurrerat: omnia Cæsaris Ferdinandi sub oculis incendendo & rapiendo deuastans. Scripsit igitur Ferdinandus Cæsar, missis binis literis Principi Friderico, admonens ne prædones istos cum tanto nostro discrimine diutius euagari pateretur impune, sed iis procerum consilio properaret obuiare. Princeps per hoc quum antea quod Augustali rescripto, armis donec ipsius Maiestas aduenire, temperare iussus foret, incertus satis factus est magis dubius. Vt igitur quid huiusmodi in rebus factu esset optimum ab aliis quoq; exquireret, indicto concilio proceres Viennam euocare iussit. Non conuenerant adhuc vocati, & præfectorum præsidii legati aderant, qui ferentarios prædones istos inter Chremsium nunc & Viennam obuersari indicabant, iis duos exitus tantum ad effugium patere, quos placeret positis illic præsidiis occludere. E diuerso vero & ipse princeps interim, & priusquam legati isti aduenerant tres ex consultoribus belli ad Labaceniem Præsulem, vt de famæ inconstantia certum quid referrent, demiserat: qui quoniam ad thermas istas Paduanas cum Latroniæ Comitis militibus in occursum hostis contenderat, Viennæ non fuit inuentus: sed non diu post literas ad Principem dedit, quibus hostes aciem Neopolim versus dirigere significabat, deprecans equestre quoq; hos contra subsidiũ, cui à Principe, quia quo hi euasuri tandem essent incertum, petita commode fieri non posse responsum. Nam debilitatum satis antea per submissum Cantio subsidium equitũ robur: consultius videri Viennam ad indictum concilii diem, quo & Marchionem de

Quasto,

Quasto, Augustę Maiestatis loco venturum speraret, conuenire: res enim huiusmodi colloquio inter præsentes, quam literis inter absentes commodius pertractari. Et quia conuentus iam instabat dies, Princeps Palatinus prima luce de rebus his, cum Præsule illo atque Marchione de Quasto, Proceribusq; aliis in medium consulturus Viennam est ingressus, sperans & hos rebus communibus non defuturos: sed iam diei multum processerat, & tamen neque Præsul, neq; Marchio, quamuis Proceres reliquiq; presentes forent, comparebat: sed demum expectati multum missis literis se venire non posse excusabant: alter quia hostis ad Thermas Paduanas erumpere conaretur, alter quia iniussu Caroli Imperatoris atq; sine mandato comparere non liceret, causam & rationem quæritans & prætexens. Quare indiscusso negotio Principum illorum ob absentiam iterum discessum. Nam & tunc penitus nihil actum, nisi quod Marcomannorum atque Bohemorum Duces Zidislaus de Loypp, & Iohannes de Bereinstain se ad omne obsequium vna cum militibus suis offerentes, à Principe Palatino humaniter sunt suscepti: & indicia quædam varia & incerta, non vsque adeo tamen incertis autoribus, de Turcarum illorum exitu sunt allata. Nonnulli enim hos in Viennensi saltu intra latibula ferarum delitescere: nonnulli eas ad Thermas Paduanas, vel vicum Threskirchen eruptionem parare. Quæ omnia quamuis ancipitem Principis animum in diuersum abriperent, eo tamen tandem, ne vllam incuria sua prætermisisse videretur occasionem, impulere, vt peditũ cohortes nonnullas cum valida rusticorum manu, quæ intercisis arborum molibus saltũ circumsepiret, propere dimiserit, atque Pemplingero illi & Turco Vallæ, quos cum equitibus suis expeditis & Latruniæ comitis militibus Præsidii præfecti ad Thermas illas hosti opposuerant, communi procerum & Apocletorum decreto equites nongentos ex Bohemis Germanisque lectos cum peditum cohortibus octo in auxilium demiserit, hisque Brandenburgii Marchionem Principis electoris filium & Hoierum de Mandsfeld Comitem, & Conradum à Bemelberg Equitem illum auratum, qui olim Clementem Septimum Pontificem Maximum in sede sua tam immaniter perculit, præfecerit: ipseque assumpta exercitus parte & Zidislao de Loypp, qui mille & ducentos equites quum sexingenti tantum ab eo fuissent petiti secum adduxerat, montem Viennensem inter vrbem & saltum eiusdem nominis medium situm spe bona plenus insederit, illicque per integram noctem quamuis durissimæ pruinæ instaret tempus, ignibus sine & luminibus, ne qua præsentiæ eius procul fieret significatio, hostis aduentum & exitum expectauit, sed frustra. Quare & sic transacta vigiliis nocte, ne superuacaneis fatigaret laboribus militem in castra reduxit, Imperatorique Augusto omnia hæc festina celeritate perscripsit, rogitans enixe, si quid maiestate sua absente contra hostem hunc perpetratum iri contingeret, id pro innata clementia animo æquo susciperet, bonique consuleret. Belli namq; fortunam non maturum semper & quod è longinquo aduocetur consilium expectare, sed repentinũ potius & quod sub manu ipsa (vt Scipio dicere solitus sit) nascatur requirere. Sæpius enim pugnandum non quia velis, sed quia necessitas impellat, hostis cogat, vel disciplinæ militaris ratio expostulet. Aduenerat non diu post, Imperialis aulæ prætoriique Præfectus, Adrianus à Roy Comes, mandata quædam Augustæ Maiestatis de communibus belli rebus secum afferens, de quibus cum Principe Palatino secrete & semotis omnibus arbitris colloquutus, huiusmodi propemodum reportauit responsum: Quoniam moris sit apud Germanos inueterataq; consuetudine receptum, res belli atque ad communem statum & vtilitatem pertinentes, vnanimi Procerum consilio pertractari, haud iniquum sibi videri, easdem nunc quoq; Heroum illorum, qui imperii atq; Maiestatis suæ pro decore, ad tot & tantos labores perferendos huc aduenissent, communi decreto definire: sic maximum apud hos, si veteri honore se dignari senserint, beneuolentiam comparari. Et sic vix dum digresso comite Adriano, à Mar-

Digitized by Google

chione Ioachimo ex Thermis Paduanis rescriptum, certo per exploratores constare, hostes triuium quoddam, quo vel per Valerianos ad Tergestum illud antiquissimum & nobile, vel per Chenbergum montem hunc tediferum, vel Suuarcacum amnem vorticosum euadere liceret, occupasse: cliuum tamen anteriorem & posteriorem, quia vterque natura sua satis angustus esset, & vix plaustro permeabilis, prouincialibus arborum truncis & saxorum molibus præclusum: medium verò præsidio valido, vt his inde etiam nullus pateat exitus, insessum, oportere igitur cum toto exercitu, priusquam hostis ille lubricus & inconstans iterum elabatur, confestim & sine mora insequi. Princeps Palatinus vt hæc accepit, communitis castris & relictis præsidiis quibusdam qui ea tuerentur, postera die se cum inuicta equitum peditumq; manu Laxenburgum, mercatura boum insigne emporium contulit, atque inde mox idem Marchioni de Quasto qui cum Hispanis militibus ad diui Peletini oppidum residebat, significauit, & vt eò vsque nunc progressos hostes, quibus ipse oppositis vndique & elocatis subsidiis effugia omnia obstruxisset, iam tandem propelleret, nec pateretur eos cum tanto Hispanæ gentis dedecore, in Christi plebem diutius & impune ita pergrassari sed ab illo quamuis rapi, vastari, ac depopulari coram pene conspiceret omnia, contra hos actum aut gestum penitus nihil: quam autem ob rationem nec hodie satis constat, multi, vt est dicax militum vulgus, metu id, multi inuidia, qua is erga Germanos peculiariter moueretur, factum iudicabant: sed an verum id sit, quum & innocentum milites proscindere famam sæpius soleant, incertum, hoc tamen certum, alterum nec pium satis, alterum nec vsque adeò magnificum. Hostes vero quum omnem exitum auffugiumque intelligerent esse occlusum, nunc illuc rimam quæritantes, incerti & furibundi circumferebantur: quare Glogenitz primò, dein Bistorphium quo vsq; & Brandenburgii Marchio eos est insequutus, procurrebant: postremo etiam Loyberstorphium quo & Princeps Palatinus sub media nocte, quum & hos castra sua illic posuisse exploratores indicassent, motis propere signis est profectus, & mox iterum & vix dum explicatis tabernaculis & tentoriis hostes adesse compositaque acie aduersum nos contendere relatum, quare & ad arma à nostris conclamatum, sed vana trepidatione quorundam id factum: nam & ii nec illic diu perstiterant. Missi itaque ad exploranda visendaque omnia ex nobilioribus equites quatuor, qui vsq; Starckenbergium arcem progressi eos in valle ima inter Altenmarck oppidum, & vicum Podenstain ingenti præda onustos consedisse compererant. Sub idem tempus sunt reuersi, nunciantes illos montium intra septa, quæ ob angustias nec equiti peruia forent, se occuluisse, nec diu post Turco Vala mille cum equitibus suis quibus præerat, idem indicaturus superuenit, ob armorum vestiumq; similitudinem primo hostis creditus, postea verò ex signis, quæ errorem nostris aperuere, agnitus, vnde & arma quæ miles repentino tumultu arripuerat dato redeundi signo reposita: Quum autem iam post multa diuersaq; explorationum indicia certum esset, vbi nam locorum hostis resideret, commodum visum Philippum de Oberstain Rhenensium Ductorem cum expeditis cohortibus quibusdam, vt si itineris celeritate atque temporis opportunitate quid proficere posset, præmittere, & huic tandem etiam, quod cunctari aliquantulum videbatur, Sebastianum Schertlium Augustanæ Vindelitiæq;, & Iohannem Sayler Palatinæ cohortis præfectos, cum Veteranis trecentis in subsidium & ad ferendam opem tanquam manu & consilio promptos bellatores submittere. Qui acto raptim agmine ad Philippum statim, noctis tamen sub conticinio peruenere, & hostis præsentia animaduersa castrorum situm & reliqua speculaturi per sentes & vepres atque alia syluarum abdita ferarum more reptantes, ad procubitores ipsos in stationibus pro exercitu suo vigilias agentes penetrauere: ex quibus vno, fuga sibi consulentibus reliquis, peropportunè capto, quindecim Turcarum millia in valle proxima castra posuisse, cognouerunt. Ad supremas igitur

vigilias & eo vnde intra vallum ipsum & castra prospicere licebat, progressi, eos qui intra castrorum se munimenta condiderant, adducta sagittariorum cohorte adoriuntur. Fundentes namq; numeroso crepitu à bombardis ignitos plumbeosq; globulos, sternentes passim atq; graui somno oppressos & torpidos Turcas vel premebant vel & arma excitabant: qui conscensis raptim equis ex valle in montium cacumen prosiliunt, & structa protinus acie, militibus nostris animo & impetu ferocientes occurrunt, quos nostri studio quodam retrocedentes extra syluæ fines, vbi cæteris cum cohortibus Philippus ille de Oberstain constiterat, tanquam ad paratas insidias pertrahebant, alacritate summa, etiam nonnunquam Sebastiani Schertlii illius & Saylerii iussu, quorum industria hæc omnia agebantur, tandiu obsistentes donec à sagittariis illis eminus configerentur. Cecidere nocturno hoc prælio, & priusquam ad Oberstainum fuissent protracti, ex Turcis pene mille, nostratium paucis desideratis. Nam etsi sepius contempta paucitate nostra ad obterendum tota acies in nos conuerteretur, sagittariorum tamen fortitudine hæc semper cum clade quadam insigni & iactura repellebatur. Et quoniam intempesta iam nox erat, quæ rebus gerendis plerunque est inutilis, armis aliquandiu temperatū, ex acie tamen vtrinq; non discessum, atq; id tandē quod actum, ad Principem Palatinum vt ante abitionem cum Schertlio conuenerat relatum. Qui vt primum de iis certior factus est, milites omnes sub diluculo armis & equis paratos cum silentio proxima in campi planitie adesse imperat, vt eos inde ad loca insidiis aptiora pro tempore, & antequam hostes latius propellerentur, posset elocare. Quare per eam noctem equis nec sellæ non fræna detracta, nec equiti ferramentum. Nam & Princeps ipse eodem oneratus, noctem exegit in somnem, Homerici illius memor, non decere Pemnona ἀρχηγὸν, aut alium quempiam primarium virum, cuius curę populorum multitudo sit commissa, solidam dormire per noctem: præsertim quum tot momęnta rerum ex eius quoque arbitrio dependeant. Præterierat iam tertia vigilia & aurora ipsa lucis aduentum ostendere videbatur: datum est militibus per præcones tacitum proficiscendi symbolum, nec mora, dicto citius parent, & in constituta campi planicie vt iussi erant, conueniunt. Habebat hæc austrum versus montium iuga, in quibus hostium ac cohortium nostrarum acies vtrinq; consistebant, à Septentrione flumen quoddam & paludem voraginibus & limo profundā & inuiam: ab Occidente castra nostra, & vallum, atq; è regione & plaga Orientali syluam densam & ad tegendos pedites non incōmode natam, quare trans flumen & paludem quæ ad effugium sola patere credebantur, Theodoricum Spettium cum leuis armaturæ Equitibus consistere iubet. Funditores verò, sagittarios & pedites nonnullos alios inter arbusta iuxta syluam se abscondere. Et dein seipsum inter fluminis ripam montiumq; radices, cum reliqua exercitus parte medium continet, vt si quo hostium acies fuga inclinaret, eò se opponere posset, & fugientes intercipere. Quumque omnia iam in hunc modū constituisset, Oberstainium & Schertlium rem cœptam telamq; semel orsam, per remissum nuncium peragere admonet, ac fessum vigilia & nocturna pugna hostem iterum adoriri. Quoniam autem interim per noctem vt eos ad structas præordinatasque insidias facilius possent propellere, atque à faucibus montium, si illuc redire forsitan niterentur arcere, cohortes suas post hostium copias circumduxerant, terga illorum confestim bombardarum glandibus tanquam imbre largissimo iterum compluere sunt adorsi. Pepulere eos breui ad montis illius quod iugo castris nostris imminebat, & vnde in campos armis virisque fulgentes prospicere licebat, fastigium & cacumen. Quare illi primum conspectis agminibus nostris veluti viso lupo exanimes & amissa voce conticuere. Mox verò & postquam spiritus redditi, sublato ingenti & ad sydera vsq; clamore, barbarico ritu ferale quid vlulare, atq; tum etiam veteris militiæ memores, & in cuneos arctius constipati, suspenso pede & animo, effugium circumspicere. Iussit hos Princeps inter spem metumque

dubios, excussa campestri machina primum excipere, & non diu post fulmine hoc territos, dato per lituos tubasq; dimicationis signo inuadere. Impetiuit illos primum Bohemorum atq; Slesitarum equitatus: quæ ad signa cursoria, vt nostri appellare solent, à fronte agminis Principalis constiterat. Deinde & ipse Princeps phalange sua & armatura graui, magnanimiter & acri impetu concurrens. Quare certamine paruo in fugam fœdam versi, totis campis palantes, nunc huc, nunc illuc sunt circumacti, & demum etiam cum omnia effugia insidiis præoccupata & occlusa intelligerent, deficientibus pauore animis, per omnia arcta præruptaq; veluti cæci ruentes, in flumen paludemq; præcipitabantur, vbi pars quædam profundis gurgitibus hausta submergebatur: pars alia relictis equis, reiectis sarcinis & vestimentis, atq; solis armis quibus se tutari posset aliquandiu retentis, corporibus nudis enatabat: multis tamen limosa paludis vada obstitere, omnemq; fugæ spem ademere. Hærentes enim illic tanquam pedica irretiti, & ocyus se inde nequeuntes, ab equitibus peditibusq; nostris, qui vna cum Spettio illo vltra flumen subsederant, trucidabantur: quos & Princeps quoq; ipse cum eos contempto omni discrimine vitæ in diuersam fluminis ripam eniti, seq; iterum conglobare animaduertisset, traiecto statim amne est insequutus: & continuato cursu, nunc à fronte, nunc à tergo & latere fortiter insistens, per milliaria duo Germanica impellebat, nec antea destitit, donec cædibus & vulneribus abunde satiatus, ad Marchionis illius à Brandenburg milites protrudisset, qui etsi rerum harum penitus ignari, casu quodam fortuitu superuenissent, intermissum tamen iam reintegrabant prœlium. Cæsus est tunc iterum magnus hostium numerus, & magna tunc quoq; Marchionis antiquos auos & proauos manu & fortitudine referentis emicuit virtus: non solum enim is inter primos dimicabat acriter, verum etiam & ad idem faciendum commilitones suos verbis adhortabatur, & exemplis magnanimiter admonebat. Restabant iam pauci quidam quos equorum velocitas tutata manibus nostratium eripuerat. Diis immortalibus forsitan ita volentibus, vt victoriæ ac gloriæ huius omnes nostri fierent participes, nam nebula quæ repente & saltus & campos omnes circa intexuerat, eos ad Cantium illum atq; alios heroas VVolfgangũ à Montfort, & Gregorium de Losenstain, qui cum copiis auxiliaribus fugientis Tyranni recentia vestigia erant insequuti, tanquam ad aras Tauricæ Dianæ, aut certum quoddam mactationis deduxit sacrificium: nam & illic, vel ab equitibus illis, vel à colonis & agricolis ita cęsi & extincti sunt, vt ex quindecim millibus istis, ne vnus quidem qui cladis nuntium ad suos referret superfuerit: captus enim, & ex his ob peculiare Prouincialium in Turcas odium penitus nemo. Signum vnum purpurei coloris ereptum, Caroli imperatori in honorem & victoriæ symbolum oblatum, à quo multi quorum virtus eo in prœlio ante alios fuerat insignis, dignitate equestri aureisq; calcaribus sunt donati. Captiui multi tunc quoque, quos Turcæ solita pro crudelitate nondum enecauerant, recepti. Præda omnis, quæ tamen perexigua fuit, militibus concessa. Fuit hæc victoria nostris omnino incruenta. Nam præter vnicum equitem Agnulum, vulgo Lemle, toto exercitu desideratus est nemo. Videbatur Princeps hanc hieroglyphico, quo vexillum suum atq; labarum post susceptum præfecturæ imperium inscribi voluerat præauguratus, quia in hoc Angeli imaginem, dextra macheram, sinistra vero schedam quandam huiusmodi cum inscriptione (è cœlo victoria) ferentem, parare iusserat. Turcarum cadauera ob diuitiarum sitim quas illi absorbuisse ferebantur, (heu pudet auaritiæ) incisa, sed hi stomachi in penetralibus nil nisi vuarum baccas & granula quædam habere sunt inuenti, ea famis vehementia, Mahumeti sui contra legem qua ab omni vini vsu arcentur, insumere compulsi: quoniam & prophana & fœda omnia in vsum conuertere necessitas coegerat. Acta sunt crudelia hæc à gregariis nonnullis: de nobilioribus enim atque veteranis, quod vnius probare exemplo sufficit, longe aliter constitit. Fuit hoc in conflictu

Eques

Eques quidem Germanus, Sebastianus de Fleckenstain, nobilitate reique militaris peritia insignis, cui inter dimicandum. Turca quidam sacculum nummis plenum veluti redemptionis pretium quum obiecisset, equi ex sella in quam sorte quadam deciderat, hunc tanquam victoriæ remoram indignabundus reiecit: ad Ditem vestrum hinc abite, inquiens, diuitiæ non: non enim hic aurum, diuitias aut alia huiusmodi irritamenta malorum quærimus, sed virtutis præmium potius, honorem & gloriam militarem. Multa tunc Turcarum Sacracenis literis conscripta apud interfectos reperta sunt monumenta, horum elogia siue testamenta, quæ hii ob instantem metum, quemadmodum olim ad Vesuntionem Romani sub Cæsare Iulio, in castris antea obsignassent credita. Fugientem tyrannum lues ingens sequuta, cum maiori suorum clade, quam antea priore profectione affecit. Relatum namque tunc vltra centum & quinquaginta hominum millia, Numinis diuini ira fuisse perēpta, non minus ea tum quoq; quam etiam olim sub Senacherib rege, quum angeli manu vna nocte octoginta quinque millia cæderentur sæuiente. Cecidit per idem tempus è cœli summitate pluribus in locis ingens ignium vis, quare à multis creditum, supremum mundi instare diem, quod Adamus prothoplastes, vt Iosephus Iudæus testis est, hunc etiam sub igne aliquando periturum retulisset, & Cometa proximis tribus annis & singulis qui profectionē hanc præcessere, naturæ suæ secundum rationem Septentrionem versus, regnorum mutationem significans, apparere visus. Et Dracones numero multi, diuersi tamen coloris, per summitatem aeris tunc quoque volauere, Bohemiam petentes, spiritus immundi Kakoque Dæmones, quia hii Philosophorum iuxta sententiam migrare nonnunquam locumque immutare soleant, existimati. Parta autem victoria hac ad castra quæ hastatorum agmini asseruanda interim commendata fuerant, reditum, & die vna ad quietem reficiendoque corpora militi concessa, Laxenburgum toto cum exercitu quem secum adduxerat Princeps Palatinus, repetitum, quo & Philippus Princeps ex fratre nepos & consanguineus, cum Eckhardo de Reisch equite aurato, nomine Augustæ Maiestatis congratulatum venerat, & petitum, vt Strigonium oppidum quod Cæpusii Comes viribus ingentissimis oppugnabat, missa copiarum exercitusque parte vi eximeret, obsidioneque arctissima qua premeretur quamprimum liberaret. Legatis vero quia Imperatorem Carolum vna cum fratre suo germano Cæsare Ferdinando Viennam appulisse constabat, paucis. Maiestati vero suæ coram postea concordi procerum sententia hunc prope in modum responsum. Neminem in hac tam insigni Principum omnium procerum ac militum corona esse, qui augustissimæ Maiestatis suæ Imperium non summo studio veneretur & adoret: id enim sacrosanctum haberi & iudicari apud omnes. quare etsi profectio illa sero nimis iam & eo tempore, quo veteres Romani milites suos olim ex castris ad hyberna deducere sint soliti, appareretur, se tamen omnes ad quoduis periculum pro Maiestatis suæ ac imperii honore & gloria subeundum, esse paratos: dummodo omnib. vna coniunctim ire atque toto cum exercitu illuc traiicere liceat, & reliqua omnia quæ ad huiusmodi profectionem sint necessaria, maiori cura & diligentia quam antea præparentur. Periculosum namque esse, hosti se tam acri & seuero, neglectis omnibus sine quibus nullum bellum recte suscipiatur, tanquam prædam quandam certam & indubitatam obiicere. Quamuis autem Imperator promittendo saltem exiguo aliquo Strigoniensibus subsidio iterum instare decreuisset, Principis tamen Palatini consilio destitit & quieuit, indicantis si Strigonium ipsum eo vsque furorem hostilem & impetum, quo illuc exercitus aliquis vel subsidium traiiceretur, sustinere posset, id & postea hyemis beneficio, sub qua omnis oppugnatio inutilis plerumque esset & intempestiua, tutum fore & inexpugnabile. Principi dein à Carolo Imperatore de cæso fugatoque tanta felicitate hoste, gratiæ ingentissimæ actæ: Duces reliqui, tribuni, proceres castrenses, & milites vna omnes laudati, quod

Digitized by Google

patriam communem & imperium tam insigni opera sua tutari essent egregie & adiuuissent, & ita missione facta cunctis abire libere concessum. Debebatur quidem ob rem bene feliciterq; gestam militi laurus, Principi triumphus: sed quia non idem hodie, qui olim virtuti habebatur, honos, illis nec vllus decretus est.

FINIS.

GVILIELMVS MARTINVS STELLA. D. LVDOVICO SCHORÆ CÆS. Maiestatis Consiliario primario & Præsidi, S. D.

MAGNIFICE & ampliss. Domine cum Antuerpiam venissem, incidi in aliquot epistolas quas tibi superiori anno a fratre reddideram, prælo per aliquem, nescio quem, qui illarum exemplar forte fortuna nactus fuerat, diuulgatas. Quod cum præter voluntatem atque adeo scientiam meam factum esset: visum est mihi vt ex multis illius epistolis eas colligerem, quæ materiam illam apertius declararent, ne ita hiulca, & velut truncata circumferretur. Quanquam metuo in quam partem ille hoc laturus sit, ea diuulgata esse, quæ fortaßis non eo animo & diligentia scripta sunt, vt publicarentur. Cum tamen ego aliorum temeritati iam re transacta obuiare vel emissa reuocare nequirem, tentaui si saltem adiectione eorum quæ in impreßis illis desiderabantur, vffensioni, si qua apud aliquem contracta esset, mederi posset. Quod si assecutus fuero, erit quod gaudeam: Te certe vehementer rogo, vt ne iniquius feras, si quid hac in re peccatum erit. Vale. Antuerpiæ decimosexto Calend. Iunias.

EXEM-

Digitized by Google

EXEMPLARIA LITERARVM IOHANNIS MARtini Stellæ LL. Doct. de Turcarum, in regno Hungariæ, successibus, anno 1543. & 1544.

Primum.

EXISTIMAVI etiam me hoc tibi debere, ne quidquam eorum quæ hic vel geruntur, vel pro certis à fide dignis dicuntur, ignorares. Principio nemo opinor Christianorum est, qui non videat, in quo periculo vniuersi simus, nos tamen quo propiores, & quo minus in longinquis spei & subsidii videmus, tanto sane animis sumus, aut, vt in rebus prope deploratis, consternatiores, aut quod in extremis fieri solet, ex desperatione pertinaciores, eoq; ipso fortassis fortiores. Ab eo igitur tempore, quo per anni tempestatem Turcæ bellum gerere potuerunt, Arcem Vualpo, quæ in confinibus Bosniæ, Croatię & Hungariæ sita est, fere tres totos menses frustra obsederunt; neq; audire quidquam potui, quod à nostris pro illorum subsidio aut alleuiatione sit gestum, præter castrorum inquietationes. Cum autem ipse Solymannus expeditionem contra nos totis viribus moliretur, sentiens quanti interesit, nihil à tergo male pacati relinquere, maiores eo copias destinauit per se extrema tentaturus nisi obsessi aut expugnari, aut ad deditionem cogi possent. Deditio igitur facta est, sed perfidia militum, qui suum præfectum, omnia potius experiri, quam sese dedere volentem, comprehendere Turcisq; tradidere. In quem Turca, non solum non immanis, sed etiam munificus fuit & benignus. Cæterum milites omnes quanquã dedititii fœde interfecti. Non quidẽ ipsius Turcæ, vti audio imperio, aut studio gloriæ, exemploue in proditores memorando. Sed auaritia & spe prædæ, quam apud illos inueniri posse rebantur. Interea pontes supra Sauum & Drauum instituti, per quos copias & exercitũ traiiceret. Erant iam proximi Quinqueecclesienses, qui superiorib. bellis steterãt inconcussi, & hoc anno visi fuerant non male animati, ex legatione, qua hinc publice Bombardas, puluerem, ac globos, & petierunt, & impetrarunt.

Verum tantum pauoris illis & amissum Walpo, & magnitudo exercitus Turcici, incussit, vt Episcopus & reliqui optimates, plus præsidii in fuga, quam in vrbis munitionibus putarint: reliqua plebs quæ aut circumuenta ab antecursoribus Turcicis, aut propter inopiã fugere nequiuerat, missis legatis deditionem fecere, quibus quæ fides seruata sit, certe ignoro: hoc vnum tamẽ hic constanti fama relatum est, neminẽ Turcarum toto triduo vrbem ingredi ausum fuisse. Proxima fuit (de locis loquor in quorũ munimentis, vlla spes fuit resistendi) Soclosia. oppidulum primo impetu captũ dereptũ & incensum fuit. Qui vero in arcem cõfugerant, principio obsidionis pacti sunt inducias, quatuordecim dierum intra quos dispicerent, quid sperare deberent subsidii, aut quibus conditionib. sese dederent. Termino lapso confisi munitionibus (sita enim est loco, natura & opere munitissimo) vim repellere sunt conati. Ac primis aliquot diebus, se valde strenuos gesserunt, præsertim cum se à cuniculis Turcarum, quos 12. millibus fossorum agere instituerant, tutos & satis firmos esse intelligerent. Postquam adductę Machinæ, ac ex contiguis arci ædificiorum prius exustorum ruinis, multam murorum partem humi prostratã viderunt, diffisi se posse vlterius, tam violẽto hosti resistere, etiam ipsi deditionem fecerunt, ea conditione, vt libera corpora & res suas secum saluas aufferre li-

ceret: quæ res pauperibus ſaluti, ditioribus omnibus, exitio fuit: tenuioribus enim omiſſis, reliqui ob ſuſpicionem prædæ & diuitiarum interfecti, pœnas ignauiæ ſoluerunt. Nam ſi animum induxiſſent, ſola victoria, neq; pactione pacem pariendam eſſe, & locum & vitam, & res ſuas procul dubio conſeruaſſent. Fuerunt itaq; reliquis omnibus exemplo, quantum fidei Turcarum promiſſis aut pactis ſit adhibendum: vt enim neq; Rhodios neq; Taurinum referam, taceam etiam Budenſium & Peſthenſium magiſtratus eo prætextu interfectos, quod cum Chriſtianis commercia habuiſſent, ac boues ad nos adduci, paſſi eſſent. Item quod aliis, ſi qui reliqui in patria permanſerint, non vt mancipiis interdicto armorum vſu, ſed vt veſpillonibus, ad ſepelienda extra vrbem cadauera, plateas & cloacas aliaq; curanda, quanquam de illis optime meriti ſint, abutantur, nemo poſſet ſine ſummo mœrore referre, quod ſecundo adhinc anno, cum noſtri cladem apud Budam accepiſſent, in duas cohortes, quæ viuæ in poteſtatem hoſtium venerunt, eſt patratum. Quibus quaſi vitam dono conceſſurus edixit, vt depoſito ſqualore, arma ac veſtitum ſolitum reciperent, ac ſe in aciem & ordinem, vti Chriſtiani ſolent, redigerent: quod cum alacriter nihil ſuſpicantes mali noſtri factitaſſent, ipſeq; ordines aliquandiu obequitaſſet & circuluſtraſſet: tandem iuſſit rurſus arma abiicere, ordinibus tamen ſeruatis, ſelegit ex numero aliquot præſtantiſſimos viribus & corpore, reliquos omnes à tergo circumuentos, gladiis à ſuis iuſſit concidi. eorum vero, quos ſelegerat alios iaculatoribus oppoſuit pro ſcopo, alios duobus filiis ſuis propoſuit, in quibus ſeſe, ſuaſq; vires vter profundiora vulnera, formoſioreſq; & conſpectiores plagas ederet, pluſq; ſanguinis è corporib: Cautorum (ſic appellant Chriſtianos) hauriret, oſtentarent. Illud vero quod ſuperiorib. diebus geſtum eſſe, conſtantiſſima hic fama eſt, multum intereſſe puto, ne quis Chriſtianorum ignoret. Nam ſi qui tam vecordes ſunt, qui cum eo ad paciſcendum deſcendunt: illi hoc ſpectare videntur quod qualemcunq; vitam, etiamſi turpem, tamen cum viuere liceat, chariorem illam exiſtiment, quam ſi pro patria certantes, glorioſam & honeſtam mortem oppeterent: qui ſi conſiderarent illam ipſam ignominioſam vitam, quam honeſtiſſimæ morti præferunt, ſibi ne concedi quidem: ſed quoniam non vtri imperent, ſed vtri ſint, nobiſcum bellum geritur, pariter & victos & deditos, eodem loco haberi, potius compararent ſe vt ſtrenue bellando occumberent, quam dum animos ſpe longioris vitæ demittunt, deditionem paciſcuntur. Cum & illam ipſam conditionem quam prius habebant, honeſte ſcilicet pro patria moriendi, amplius non ſint habituri, quando illi qui paulo ante propter abiecta arma ſalutem ſperabant, nunc inſtar pecudum iugulantur mactanturq;. Cum igitur alterutro de duobus, aut per ignauiam, aut vti fortes decet, prorſus mori neceſſe ſit, certe vt eſt exoptabilius & cum minori ſenſu iniuriæ, ſic glorioſius & laudabilius hoc modo miſeriis calamitatibuſque defungi, cui hoc accedit vt ſæpe ſit minus periculi, cum & ipſa deſperatio ſalutis, imbelles armare & timidos excitare ſoleat. Dum igitur arcem Socloſiam obſidet, dediderunt ſe loca vicina, ac vti imperatum erat, omne genus commeatuum in caſtra detulerunt. Principio iubet omnes Iudices pagorum ſibi præſto adeſſe, ſtatim paretur: obedientib. deinde imperat, vt poſtridie ſinguli, cum ſibi ſubditis, rurſus adſint: cum & hoc pro imperio ſedulo factitatum eſſet. Ille neſcio ſane quam opinionem de ſe relinquere volens, iuſſit inſpiciente exercitu ad vnum omnes trucidari. Hoc facto puto nobis plus roboris ex eius immanitate, & inclementia, quam illis bonæ famæ aut potentiæ acceſſiſſe. Ex hoc loco caſtra mouit, ac Budam ingreſſus eſt, 11. Cal. Auguſti, hinc varii ſparſi rumores in quam partem primum ducturus eſſet, & quo nos incertiores conſiliorum redderet, tripartito viſus eſt inſtituiſſe. Pars nanq; incendiis & ruinis omnia vaſtabat circa lacum Balathonium, qua iter eſt in Steiriam & prouinciam Wandalicam, alii, quo ſcilicet nobis omnem ſuſpicionem de Strigonio ademerent, cuncta vſq; ad portas Albæ Regalis ſunt depopulati. Quod nobis non mediocrem metum incuſſerat? Præſidia enim quæ ſubmittebantur, adhuc Iaurini conſederant: & vix beneficio noctis effectum eſt,

vti-

va intra vrbem M. D. pedites partim Itali partim Germani reciperentur. Eram ego tunc Altemburgi & in vicinis locis, cum Bombardæ, quas itineri committere ausi non erant, retro in arcem vti tutiorem locum reducerentur. Postremo paululum infra Budam pontẽ supra Danubiũ facere instituit, quæ res mihi magnã sollicitudinem adfert ne in ciuitatulas mõtanas, ac in vniuersum patrimoniũ Sereniss. Reginæ Mariæ irruat, quod fama est pro magnitudine periculi nõ satis firmo præsidio custoditũ esse: quã rem certe mihi nõ videtur neglecturus, nam neq; sui interea dum Strigoniũ obsidetur, pontis curã abiecerunt. Situm est aũt Strigoniũ 5. milliari supra Budam, è regione vbi in Danubiũ influit fluuius Granus, à mõtibus Carpathiis & oppidulis quas nũc montanas appellamus. Atq; adeo vetus illi nomen erat Istro granum, quasi circa confluentia Istri & Grani situm. Cœpit igitur Strigonium obsideri 9. Cal. Augusti, nõ sine magna nostrum omnium perculsione, quod nullos adhuc milites præter consuetum præsidiũ eo submisissemus, neq; vlla potestas succurrendi videbatur, quod Turcæ omnem Danubiũ profligata nostra classe in potestate sua habere crederentur. Duo tamen adhuc restabant, in quibus aliquantulum spei reliquum erat, quod Vvilcigradũ (est hoc mediũ inter Strigonium & Budam, qua se Danubius à recto itinere terrestri nonnihil sinuat) videbatur interdiu facile prohibiturum, ne cõmeatus, aut etiam Bombardæ aduerso flumine castris subueherentur, quæ spes non fefellit, nam plus minus duodecim naues, inter quas duæ puluere & Bombardis onustæ erant à nostris submersæ. Deinde quod trãs Danubiũ omnia adhuc nostra, id est, Christianorũ essent. Archiepiscopus igitur Strigoniẽsis per Bartholomeũ Croacum, statim ducẽtos boues sub ipsa arce obsessis transmisit, & nostris Comaroni indicat tã arcte obsessam nõ esse, quin facile eadem via, aut etiam secundo flumine subsidiũ submitti posset. Redierat per eos dies vexillifer cohortis præsidiarię, & Hispanus quidam Sancius Cotta, qui ad Regem pro stipendio missi erant, hi intelligentes obsidionem, Viennæ pecuniam publicam reliquerunt, ac si vllo modo se ad suos recipere possent, tentauerunt, ipsi quidem serius venerũt: sunt tamen milites prope sexcenti & cum his annona & puluis tormentarius in arcem recepti, qui cum retulissent qua causa stipendium deuectum non fuisset, militum animis satisfecerunt, vt ad rem fortiter gerendã nihilominus animati essent. Rescripserunt igitur Ducibus Regiis, se de fide & liberalitate Regia nihil dubitare, neq; stipendium aut pecuniã eo tempore cõtra hostes, sed milites, quos ad se missos gaudebant fortius posse pugnare. His contra à Senatoribus regiis ita responsum est, ne quidquam de stipendiis dubitarent omnia illis satisfactũ iri, & si quis interea casus vllos iactaret hæredibus ea omnia integra & salua, quæ viuis debita fuissent permansura: quæ responsio (vti huc relatum est) mirum quãtum animi obsessis addiderit ad pericula cõtemnenda. Dum iã classis nostra quæ subsidiũ subuexerat, reuertitur, visa est sibi occasionem rei feliciter gerendæ nacta esse. Cum enim vti ibi fit, vbi nullus hostis formidatur: Turcæ liberius castra metati essent, nostri circa extrema castra quæ in ripa erant, irruentes subito tumultu omnia turbarunt & 50. fere interfecerunt: inter hos vnum ex principibus vt ex signo galeæ, quo nullis nisi ex familia Otthomannica prognatis vti conceditur est deprehensum. Principio obsidionis Turcæ Martinum Lascanũ natione etiam Hispanum præfectum præsidii, ad colloquiũ super deditione inuitarunt. Est è regione arcis alius colliculus eiusdem fere altitudinis. Hinc Turcæ bombardas interea dum colloquuntur, cõtra nostros erexerunt: pluteis & multa materia muniuerunt, dissimulante id præfecto ac suos clam admonente. Cum Turcæ se nemine prohibente, omnia quæ eo pertinebant procurare tuto credunt, nostri repente omnibus machinis in eam partem collatis, munimenta & custodias deturbauerunt, ac magnum incommodum fractis bombardis siue comminutis rotis, intulerunt: quare etiam nunc à iaculatione dicuntur cessare, creduntur q; hoc conari, vt eam cuniculis subuertãt: quæ res quem euentum habitura sit, non possumus

diuinare: vnum ſperamus, quod propter aſſiduas ab hoc nouilunio pluuias, is conatus non nimis fœliciter ſit ceſſurus. Præterquam quod à longinquo, & multis in locis per rupes, ſit inſtituendus, contra etiam huiuſmodi caſus, præfectus arcis, iam ad aliquot menſes, plus minus quinquaginta milites aluit, exercitos in aurifodinis, ita vt ſpes ſit, vel irritum fore hũc conatum, vel obuiam iri, & hoſtem in cuniculis obrui, non difficulter poſſe. Reliquum noſtri exercitus, quod poſt diſtributa vndiquaq; præſidia ſupererat, ducibus Ioanne Vngnad. Otthone à Diſcha & Comite Philippo Torniellio, ſubſedit Comaroni. Sita eſt hæc arx in inſula Danubii, quam Germani Schutte vocant. Inſula hæc totius Danubii prope nobiliſſima eſt, incipit ſub Poſonio bipartito fluẽte Danubio, ac deſinit decimo deinde milliari, fluuio rurſus coeunte: poſteaquam à læua & Septentrione, Polonia ſcilicet & montibus Carpathiis, flumen Vagam in ſe accepit. Colonorum habet ſupra duodecim millia, ac fuit ſuperioribus bellis ſemper intacta, in fine huius inſulæ, vbi rurſus Danubius in vnũ coit, eſt vetuſta arx Comaron, quam noſtri nunc opere & aggere terreo circundederunt: & ne hoſtes poſſent aduerſo flumine nauigare, vtrumq; fluminis alueum tribus ordinibus trabium obſepiuerunt, tanto interuallo diſtantibus, vt nulla nauis, niſi ſub arce, vbi ſpacium relictum eſt, pertranſiret: hoc loco noſtræ copiæ, quę ſane quam exiguæ adhuc ſunt, conſederunt: quid autem acceſſurum ſit, malo te ex re ipſa aliquando, quam ex noſtra ſpe cognoſcere. Viennæ tamen omnia præparantur, quæ ad obſidionem tollerandam opportuna ducuntur, vallum, foſſæ, turres reficiuntur, præter alia iam pridem cogitata munimenta, ante portam quæ in Carinthiam ducit, & alteram qua in Hungariam itur: quæ omnium hoſtium ictibus aperte patebant, propugnacula ex trabibus, lignis, & terra figura triangulari, ſuſcitantur. Ciues vxoribus & liberis quoquo verſus ablegatis, quàm multi è ſuo corpore arma ferrẽt, numerum iniuerunt. Conſcripſerunt adhæc vnum vexillum militum, qui nunc vna cum ipſis pro portis & turribus excubant. Mauritii Saxonis ducis, Reipub. Nurembergenſis, & Antonii Fuggeri, cohortes ſingulæ, in ſuburbiis collocatæ ſunt, præter has, tres aliæ paulo ſuperius, in ripa Danubii, vnde ſtatim in vrbem recipi poſſint, aliorum ſociorum auxilia indies expectantur. Item Italorum adhuc quatuor millia. Poſtridie Calend. Auguſti, equites quingenti luſtrati ſunt, qui neſcio an vrbi præſidio manſuri, an ad reliquum exercitum exituri ſunt. Maiores naues hic inſtruuntur decem, ſex ſunt biremes, reliquæ myaparones. Sunt Comaroni minores nauiculæ ſiue celoces, numero quadraginta. Hic eſt apparatus noſter naualis, contra triplo maiores copias hoſtiles: reliquæ naues quæ non exiguo numero hic vel in nauali, vel in Danubio ſunt, niſi inſtruantur, aut ſubmergendæ erunt, aut igne conſumendæ. In ſumma, omnia hic feruent, videas tota vrbe arma expediri, feſtinari, ingentes trabes, quæ de ſolutis ratibus in ripa Danubii, iacent (vnde etiam ſi neceſſitas poſtularet, vel quantũ totius muri ambitus continet, rurſus vallum conſepiri poſſet) conuehi: ligna item & faſces in pluteos, frumẽta, farinam, & aliam annonam: deniq; nihil non, intra vrbem & mœnia deportari, quemq; pro ſe ſedulo niti, inæqualia & foſſas, quę olim ſuburbiis circundatæ erant, adæquari & complanari. Ex alia parte, ruſticis iam præſcriptum eſt, quo quiſq; debeat aut fugere, aut ad reſiſtendum conuenire. In agris duntaxat meſſem triturant, vel ſerunt rurſus, ne poſt hoſtium diſceſſum inopia laboretur, reliqua, quæ in loca munita conuecta non erunt, à noſtris corrumpentur, ſic ſunt quidem in agris ruſtici, ſed ſine vllo inſtrumento, quod non ſit neceſſarium vſui quotidiano, ſigna itaq; & ignes è ſpeculis & montib. obſeruant, ad quæ, vti edictum eſt, in tutiora fugere, & ſeſe ſeruare poſſint, Dicitur Turca ducenta viginti millia in armis habere: in quibus etiam Tartarorum viginti quatuor millia, homines truces & feri, nulli tamen generi pugnæ, niſi ad vaſtandum agros, idonei, horum noſtri, qui albæ in præſidio ſunt, mille, dum incautius prædantur, interfecerunt. Rex vero Ferdinandus iam cœpit ex Bohemia verſus Dirnauiam mouere, eſt

id apud

id apud Vagam fluuium, post Morauiam primum oppidum Hungariæ, diciturq; magnum exercitum trahere. Certe si Turcæ (quod nunc creditur) segnius oppugnent (fama enim est, eos peste, dysenteria & fame, quoniã omnia circa Strigonium & Budam vasta, deserta & inculta sint, laborare) neq; huc veniant: nostri obuiam prodibunt. Quæ tamen omnia ex euentu pendent: parua enim momenta, etiam maxima consilia, in bellis mutare solent. Missi erant centum fossores aurifodinarum, vt Strigonium nauigarent. His nunc alii ducenti accesserunt, verum cum serius venissent, neq; Strigonium tenere possent, hic retenti loco huius vrbis suspectissimo, post monasterium fratrum minorum, ab interiori parte fodere cœperunt, hoc opus vel ad descensum in imam fossam, vel ad erigendum propugnaculum, vel quod magis credo, ad cuniculum eiaciendo igni, instituitur: vt scilicet tota illa pars, qua maxime de oppugnatione dubitatur, extra muros in aggere, cuniculo sit suffossa, vnde oppugnaturi, ignibus, male mulctati à mœnibus deturbentur. Hæc hactenus, quæ vero sequentur, si non tam fama constabunt, quam oculis videbũtur, non committam, vt minus curiose ad te perferantur. Vale Viennæ 9. Augusti, Anno M. D. XLIII.

II.

ET si sciam non iucundissimum nuncium me vobis esse allaturum, tamen cum fortuna, quam effugere potest: & superi, qui cuncta præuiderunt, in omnibus dominantur, visum est, quoquo modo ista sese haberent, eorum vos quam verissime possem, certiores reddere. Audistis igitur ex superioribus literis meis, non solum obsidionem, sed & oppugnationem Strigonii, nunc vero (tãto miserius & indignius, quanto minus timebatur) vel expugnationem, vel deditionem, vel etiam II. vultis desertionẽ audietis. Quid enim aliud dicam? aut quid conquerar? aut quem incusem? Sed malo vt vos culpam deiudicetis, ego quæ hic dicuntur & quæ acta sunt, vt potero describam. Principio cum cœptum esset obsideri Strigonium, nunciabatur non solum in vulgus, sed mandato regiminis, senatusq; Regii, etiam in cõcione dicebat Episcopus Fridericus Nausea, vir & pius & eloquens, quam fortiter, quam strenue, quam viriliter se gererent obsessi: non solum primam illam oppugnationẽ, in qua nostrorum soli decem obierant, de qua prius illam cõcionem secutus, scripsi: sed præter illam, tres alias violentissime repulissent, multa millia Turcarum, duos etiam Bassas occidissent, de reliquis bene sperarent, obsidionem ab hostibus desperatione obtinendi loci, vel nũc deseri, vel mox desertum iri, bombardas iam secundo flumine, (vt alia taceam) remitti. Hæc inquam in concione die Dominico, qui erat pridie Iduũ Augusti, prædicabantur: præces, laudes, hymni & cantus, ac modo non triumphus agebatur. Iam ciuium vxores & liberi reuertebantur, à multis quotidie quoquo versus literæ rei feliciter gestæ, scribebantur. Quin etiam instituta iam opera segnius administrari, rustici in agros cum instrumentis & suppellectile reuerti cœperunt. In summa, omni metu ac hostium pauore amoto, pristina vrbis facies reddita, decorq; & splendor restitutus videbatur. Sed ecce, vix erat dimissa concio, primum mœstum silentium totam vrbem inuaserat, murmur deinde ac rumor incerto authore, postremo aperta fama ac deploratio perditi amissique Strigonii. Et quod miserrimum erat, neque quo modo nostri periissent, neq; quid hostis ageret, quam mox nos oppugnaturus esset, aut quem modum victoriæ statueret, sciebatur.

Et cum die Mercurii, qui erat quinto Idus Augusti, deditio facta esset, nos hic die Dominico sequente: Te Deum laudamus, pro Io triumphe cantabamus. Mirum si hoc Primores ignorabant, in tanta vicinitate loci, solum enim absumus 25. milliaribus Hungaricis, ac potest totum hoc iter vehiculo cisio intra 20. horas confici: Si sciebant, nescio quo consilio populum vana alacritate & spe falsa erigebãt. At quid dixi ignorabant? cum acrẽ illã oppugnationẽ

in diem Iouis conferrent, quo die nostri armis exuti, & sub iugum missi erant. Reliqua erant multo atrociora, cum alii profectos proditionis, alii primores vrbis malę conscientiæ, plurimi magistratus ignauiæ, velut causam omnium malorum, accusarent, neq; mihi quidquam à seditione præter auctores, abesse videbatur: toto deinde triduo, ita incertis rumoribus, tota vrbe atrocissimà & dicta & credita sunt, vt etiam referre mihi ipsi sit molestum. Cæterum quod ad amissionem ipsam pertinet, ego pro eo atq; in talibus sum curiosus, à Germanis & Hispanis, qui ad nos reuersi sunt, diligenter & sedulo edoctus, rem omnes ita sese habere credo. Cum iam Turcas Budam oppulisse constaret, omnem ciues Strigonienses deserto oppidulo, alii alio aufugere, equites trecenti trans flumen, in pacata abiere. Itali vero, qui sub Francisco Salamanca Hispano militabant, numero quidem sexcenti, sed inter quos vix quingenti, ætatem & animum haberent militarem, difficulter tandem persuasi, in arcē sunt ingressi, quæ res non mediocriter animos Turcarum auxit, cum neq; oppidulum, sine bombardis, quæ adhuc retro erant, vti aliqui putabāt obtineri, neq; sine illo arx obsideri potuisset: deinde si illinc aliquandiu vim repulissent, potuissent interea nostris secundo flumine, plura auxilia submitti, neq; classis nostra quæ ibi portum & firmam stationem habebat. Turcis concessisset, per hanc enim semper potuissent, præsidio obiacentis insulæ, sese in arcem tuto recipere, nostri ergo oppidulum cuius nullam spem retinendi habebāt, exusserunt & diruerunt. Turcę aduentantes, in ruinis & vicinis locis, intra iactum vnius bombardæ tendebant, nullo nostrorum impediente: ne si vlla subsidia in itinere essent, bombardarum sonitu, percellerentur auerterenturq;. Hoc enim Iuliano Salazario pro tessera dederant, se maioribus machinis ante aduentum classis Turcicæ, non vsuros. Congrediebantur nihilominus quotidie leuib. prœliis, cum equitibus & lixis: qui, cum nostri otiose se obsideri paterentur, incautius liberiusq; castra metabantur. Tertio demum die, circiter trecēti milites Germani, duab. onerariis nauibus, vna cum puluere, & reliquis ad obsidionem necessariis sunt recepti. Id Turcæ obseruantes etiam fluminis ripas, ne auxilia submitterentur, obsederunt. Erant igitur nostri iam omnes in vnū coacti, paulo plus minus mille trecenti, qui ne pro paucitate sua pluribus quā opus erat, locis distinerentur, quædam velut arcis suburbia, exusserunt. Erant etiam cum nostris fere quadraginta Heydones (sic appellant Hungari suos Bubulcos, hominum genus ferox, rapinis & latrociniis assuetum: qui quod semper sub dio, niuibus & imbribus post armenta assueuerunt, optimi milites existimantur) Hoc præfectus arcis, paulo ante obsidionem trans flumen vsq; Marusium, quod è regione Vvizigradi est, miserat. Vnde per notos tramites recurrerent, ac aduentum classis Turcicæ nunciarent, ne, si auxilia à nostris in itinere essent, errore tesseræ ab hostibus interciperentur. Verū illi, nescitur sane dolone an timore, alio sunt auersi. Nostri cum iam nihil subsidii amplius sperarent, omnia extrema experiri statuerunt. Principio Turcas, qui liberius vti dixi, castra metati erant, bombardis & scloppis tanta iactura affecere, vt tentoria & prius occupata loca, deserere ac retro cedere fuerint coacti. Quare ex longinquo vineas agere, aggeres & moles iacere, operaq;, quæ ad bombardas necessaria, præparare, ac totum illum tractum orientalem, à mole siue castello aquæductuum vsque ad colliculum, quadraginta magnis bombardis æneis, ac minutioribus fere trecentis, quatere cœperunt, & ne vllum nostris tempus respirandi daretur, ita sibi inuicem per vices succedebant, vt quæ modice sparsim & crebris ictibus, à minoribus labefactabantur, ea maiores vno eodem tempore emissæ, funditus conuellerent. Habebant etiam aliquot bombardas, quas à similitudine, mortaria appellant: his multam ædificiorum ruinam & stragem ediderunt. Templum quod etiam pro munimento erat, ita cōminutum, vt fornix & tota moles corrueret, ac areā arcis, cui obiacebat, ita denudaret, vt eam plane sub conspectū hostiū, è colliculo proximo, quem diui Thomæ appellabant, daret. Alias præterea partes cōtinuis diebus & no-

ctibus

ctibus ita concusserunt, vt non solum propugnacula solo æquarent, illorumq; ruina, fossam prope implerent, verum etiam murum interiorem, ita complanarent, vt nemo se ex vlla parte auderet ostendere, sed quo se ab ictib. tutarentur in vicinis locis, pars humi prostrati, pars subtabulatis quæ in muris hærebant, hostis ascensum expectabant. Interea dum nemo nostrorum in muris ab illa parte conspicitur: Zenitzari (quod genus militum Turcarum selectiss. maximamq; virtutis opinionē habet) transuersis tramitibus contra montem, aut vineas agebant, aut sibi iter ad oppugnationem per fossas, quas trabibus & tabulatis, instratis storiis, contra saxa & ignes nostrorum cooperiebantur, præparabāt, quo ad muris & penitus sub ipsa munimēta subierunt. Hinc contis, marrhis & roncis, nostrorum pluteos, & iam recens in locū diruti muri extructa opera reuellebant, terramq; velut subter furabantur. Cum hoc modo per dies aliquot, hostes se & ea quæ ad oppugnationem necessaria, præparassent. Octauo Idus Augusti ante exortum solis, signum oppugnaturis datur, concurritur vndiquaque: alii per anfractus & secreto extructos tramites: alii, quia nostros multitudine opprimere posse sperabant, etiam apertis viis & plenis campis, magno (qui mos est gentis) vlulatu & truci clamore omnia complentes accurrerunt, summisq; viribus, quisq; pro se primus inuadere nitebatur. Adsunt spectatores & hortatores duces, quibus quisq; suam virtutem, quā testatissimam volebat esse, nostri contra se omni genere telorum defendere, neq; vllum in tanta multitudine, etiam temere iactum, irritum cadere, scloppis iaculari, hastis, contis, de loco protrudere. Erat nostris præparata magna vis globorum, ex pice, sulphure & puluere tormentario, quos ignem artificialem milites appellant: hoc genere teli immensa vis hostium interfecta & consumpta est, quidquid enim, vel solo attactu corripuerit, ad viuum plane amburit, ac si quis à se decutiat, ipsa agitatione magis accensam pestem, in proximū reiicit, contagioneq; corrumpit, & est hoc malum Turcis multo formidabilius quam aliis, quod pauci galeis, pleriq; lineis in capite tegminibus, vtantur, mulieres etiam & pueri, pro defensione, malleis & vectibus saxa sepulchrorū reuellere, ac trans murum in hostes, ex superiori loco deorsum per decliuia montis proiicere, hi pro salute, illi pro victoria cuncta conari. Hoc pacto summo ardore, octo totas horas, cum interea ab hostibus, septies fessis recentis submitterentur, contra nostros, qui pro pauciate sua, corona & in orbem prope pugnabant, certabatur, tandem hostes, vt conatum suum irritum esse vident suos cum maximo damno, à muris receperunt, nostri vero victoria recreati, vt ex captiuis rescirent, quātæ copiæ, & an ne ipse Solymānus in castris esset, per castellū aquæductuū eruperunt, hoc loco ipsa nouitate audaciç, hosti terrorem incutientes, alios ad naues alios alio fugarunt, reliqui deinde de muris, bombardis, scloppis, & saxis, insecuti, per decliuia montis, in præcipitia deturbarunt, creduntur q; in sola ea fuga, prope quingenti periisse, prçter hæc, copiarum naualium, quæ eodem, pars oppugnatum venerant, pars bombardas in insulā detulerant, multi cæsi, & 13. celoces submersæ, neq; magni negotii fuisset, earum pluribus potiri, si nostri pro paucitate sua, lōgius insequi fuissent ausi, ita tamen hoc die variis in locis pugnatum est, vt tria millia hostium occubuisse crederentur, præter sauciorum infinitam multitudinem, quos noctu in castra, cum nostri pugnam extra munimenta cōmittere non audebant, camelis & equis, reuexere, nostrorum vero tam ex pugna, quam incēdio prope ducēti, vel vulnerati, vel occisi, in medio nanq; feruore pugnæ, nescitur dolo an casu ab hostibus iniecto igne, cōflagrauit turris vna, vbi multum pulueris picis & aliarū rerum, velut condo reposuerāt. Sed neq; hoc labefactabat eorū animos, quin posteaquam iam paululū laxamenti ad respirandum, corporaq; curanda datum esset, intus collapsa repararent instaurarentque, tacita tamen quædam indignatio, mixta suspicione & metu, animos occuparat, quod paucis ante diebus adolescens quidam, qui iam primum arma gestare incipiebat, ex Turinis, non adeo magnæ experientiæ in re militari, post hunc vero Italus

quidam senex, cui inter milites nomen erat Presbyter: Italice el miser, natione Calaber, vir spectatæ fortitudinis, & de cuius fide nemo vnquam dubitasset, transfugerunt. senis huius consilio milites credere, priores cuniculos institutos, & turrim illam incensam fuisse, erat tamen omnibus vna sententia, extrema experiundi. Sub noctem huius diei, ac postridie quo pugnatum fuit, Turcæ rursus velut de nouo iaculari, ea omnia, quæ inter oppugnandum obstetisse visa erant, petere, ex insula etiam molem illam siue castellum aquæductuum, summis viribus oppugnabant, idq; adeo erat, quod fama ad nos retulerat, bombardas secundo flumine rursus ablegari, nostri illo die castellum fortiter defenderunt, ita tamen vt mandatum esset, quod ægri, infirmi, & mulieres se in superiorem arcem reciperent, ne, si rursus pari pertinacia oppugnatũ hostes venirent, aliquid periculi ex illorum tarditate acciperetur. Tertio deinde ab hac oppugnatione die, quæ erat vti ante dixi quinto Idus Augusti, cũ vndiquaq; iaculationes fierent, hostes iam sub ipso muro, tuto starent (quod nullis propugnaculis collateralibus arx extructa esset) neq; iam quidquam auxilii sperarent, multum de animi fortitudine ferociaq; pristina, remiserunt, omnibus tamen propositum erat, pugnando potius mori, quam indignis conditionibus locum deserere. Cum hoc statu rerum castellum aquæductuum acerrime oppugnaretur, aliis vel magnitudine periculi torpentibus, vel desperatione rerum omnium, mortem pro alleuiatione expectantibus, Italus quidam Cisenas agri Romani, quem sui commilitones presbyterum à massa appellabant, vexillifer cohortis, quæ sub Ioanne Baptista Marsso stipendia faciebat, cum videret suos in tam arctum cogi, vt munimenta contis subtraherentur, & sentiret omnia vndiquaq; cuniculis peti. ratus totam arcem suffossam esse, commilitonibus suis, nescio sane an fraude, an quia aliter nostris cõsuli posse non putabat, edixit, vt à iaculatione cessarent, ipse duobus comitatus, de muro se in castra hostium demisit, perductus ad proximum Bassam, petiit vt deditionem omnium nomine, saluis rebus & armis facere, deque ea, publica fide pacisci liceret. qua conditione data & accepta duobus Turcis comitatus in arcem redit & Francisco Salamancæ suo præfecto, Turcæ mandata & quæ cum illo egisset, exponit. Quæ omnia quanquam perfide fortassis ab ipso vexillifero acta non sint, sed cum locum retineri posse diffideret, atque tot fortium virorum interitum absque vlla vtilitate, videre nollet, sua sponte prodiisset: idque egisset, quod necessitas cogebat: tamen cum ea inconsultis reliquis tractasset, non desunt qui Salamancam reprehendunt, cur non statim, quod nemo iniussu ducis de præsidio exire, neque de priuata, aut communi salute, nisi imperio Ducis aut consensu omnium statui debeat, ad stabiliendam disciplinam militarem, exempla in eum ediderit. Dum iam cũ duobus Turcis agitur, interea per totos muros, torpor quidam mixtus pauore omnium mentes inuaserat. Lascanus (quem iam post hoc infortunium calumniatur nomen familiæ quam ex matre solum attingit, assumpsisse, ex domo Moricarum alias prognatus) tametsi saucius alia tamen aliis in locis procurabat, & cum veteranis quos variis locis dispertiuerat, colloqui studebat, vt cum sciret omnibus mortem chariorem, quam vlla conditione locum deserere, cui diu assueuerant, & vbi fortunas omnes habebant (multi nanque erant, qui hanc alteram Turcarum obsidionem pertulerant) per illos posset alios animatiores reddere, sed cum plerique militum animos deiecissent, neque ipse neq; Salamanca quidquam salubris monere potuerunt, metuebant enim, ne si quidquam in Vexilliferum statuissent, reliquos omnes Italos, in se concitarent, præsertim cum nescirent quam late hoc malum serperet, & salutem singulorũ, in concordia vniuersorum, positam videret. Nihilo tamen minus, ex altera parte Turcæ ab oppugnatione inferioris castelli cessabant. Accurrit igitur eo, nescio quis, qui & nostris & Turcis silentio facto, cessationẽ ab armis indicit, clamitãs illa esse cõtra iã pactas conditiones & datã fidem. Nostri, qui adhuc incolumes supererant, se in superiorẽ arcem vti iussi erant, recipiebant.

Turcæ,

Turcæ, nulla pacta curantes, quasi victis nostris, castellum inuadunt. Quæ res obsessis non multo arctiorem obsidionem, sed desperationem auxiliorum, subsidiorumq; adferebat. distento tamen hic hoste, Salamanca de consensu aliorum, de præsidio egressus, ad Turcam est adductus. vbi quid aliud actum sit, neque sciebant nostri milites, qui reuersi sunt, neque aliud fama ferebat. Cæterum cum prohibitus ab hostibus in arcem redire, apud eos in castris pernoctasset, postridie, qui erat dies Iouis, quarto Idus Augusti, misit dyploma Turcicum, quo pacta illa superiora, ac obsessis liber abitus, cum rebus omnibus & armis permittebatur. Iussus est etiam Lascanus, ad Turcam claues arcis deferre. concurritur itaque, ac custodiis, murisque relictis, dispicit vnusquisque, quid potissimum inter multa impedimenta, secum auferret. erant præterea multa illic à mercatoribus, exercitus nostros superioribus annis, in Hungariam secutis, deposita, quæ primum nostris, deinde Turcis, in prædam concessere. Dum igitur omnia per arcem conuasantur, ac sese agmē velut ad profectionem componit, Turcæ vndiquaque ad diripiendum, munitiones superantes, nostros circunstetere, qui mœsti in terram demisso vultu, sibi mutuo valedicebant, modo arma, quæ mox tradituri erant, modo loca quæ relicturi, extremum aspiciebant, neque amplius vllam vitæ suæ, aut honestæ mortis conditionem expectabant. occurrebant animis exempla Soclosiæ & Vvalpo, quantum pactis huiusmodi credere deberent. Sperabant tamen adhuc, neque diffidebant, quin cum primi in eos non irruissent, etiam in reliquis, fides seruaretur. Vbi vero adsunt, qui iubent Scloppos, hastas & bipennes, in proximam fossam, qua nostri contrarium cuniculum instituerant, abiicere, omnium vultus non aliter quam ad præsentem mortem, mutabantur. Cum vero portam egressis alii adsunt, qui gladios adimunt: postremo vbi in vicum peruentum est, cætera illis arma, galeas, cassides, thoraces, & quod supererat detrahunt, nullum vulgare genus mortis, sed exquisitæ cuiusdam crudelitatis, expectabant. Attamen tandem cum diu secum Solymannus deliberasset, præter omnium opinionem, ac suam consuetudinem, vt scilicet fama clementiæ aliis præsidiis, pari modo potiretur vitam illis incolumem seruare decreuit. sed priusquam dimitteret, ad ludibrium nominis Christiani, omnium iniuriis contumeliisque expositos, postridie nudos & inermes turmatim, rursus in arcem, additis Turcis, qui fustibus latera detunderent, imbelliamq; exprobrarent, ad cadauera sepelienda, fossas, rursus curandas, ruderaq; mœnibus decussa, in arcem referenda, deniq; omnia purganda, duxit & reduxit. Postremo, per interpretem interrogauit, ecqui secum militare, præmia, equos, & arma accipere vellent. quam conditionem non pauci acceperunt, metu fortassis mortis non aliter euadendæ. alii ne minis quidem ad hoc neque terrore mortis, adduci potuerunt, quorum nonnulli, dum pertinacius renuunt, interfecti, pars non sine noua iniuria, trans flumen vecti. horum aliis, vxores abductæ. aliis coram, per vim stupratæ: aliis, qui vim violentius ferebāt, in fluuium abiectæ & submersę. pueruli etiam, quorum ætas iniuriæ adhuc obnoxia non erat, neque alias idonea, vt inter Zenitzaros tyrones describerentur, in flumen præcipitati. vidi ego hic vnam mulierem, cui cum tricis etiam crines euulserunt, dum se in Danubium deiecit, ac singulari in maritum fide & amore, ad nauem adnatauit. Postquam traiecisset miserabile & inerme agmen Germani Hispani & Itali permixti, laboribus, fame, vigiliis, itinere & suspiriis consumpti. Schindam proficiscebantur. Vbi autem res hæc vti gesta erat, clarius Viennæ rescita est, indignatio & metus simul omnium corda, cogitationesq; occupauere, alii negabant, tectis aut mœnibus recipiendos, tam imbelles, siue infidos socios. alii etiam laudabant, quod se melioribus temporibus, cum suam mortem nulli vtilem fore cognoscerent, conseruassent, præsertim cum tam pauci, tam amplo castello tutando, contra tam potentem hostem, impares fuissent. Vtvt sit, ipsi Duces cum reliquias semilaceri exercitus Posonium vsq; deduxissent, in vincula, facti sui rationē reddituri sunt coniecti.

Turca hac victoria lætus, ad Comaronem vsq; processit ac castellum Thata quod è regione est, in suam potestatem etiam deditione redegit. dicebatur quidem hic facta proditio, cumq; Cancellarius regius mihi dixisset se rem omnem vti gesta erat, narraturum, quia eadem nocte eius vxor obiit, nolui ad mœrorem molestias addere. Cæterum Turca eam demolitus, retro iter Albam regalem flexit. quod sibi ad nos propter paludes circa Altemburgum, esset iter minus expeditum. Illa etiam fama indies magis magisq; confirmatur, quod parte copiarum Albam, reliquo exercitu, nos sit oppugnaturus. quæ qualia erunt, si ante obsidionem alias literas mittere potero, curabo ne ignores. Rex iam ex Bohemia versus Morauiam mouet, quanto autem exercitu & quibus copiis, adhuc ignoramus. Nos hic sedulo vrbem munimus. in quo Leonardus à Felß Regius Legatus, omnem operam industriamq; diligenter nauat. Vale Viennæ VIII. Calend. Septembr.

III.

VVLGO dicunt mala nuncia semper satis mature nunciari. adeo vt non debeam vereri, ne tibi videar tardior aut negligentior, dum curiose studeo, vt quæq; hic aguntur vel dicuntur, quam verissime referre. Præsertim cum nihil tale nunciare possim, vbi debeam metuere, ne te alius gaudio preoccupet. Ego tamen in alia sum atq; vulgus opinione, qui qualiacunque sint, quamprimum cupiam rescire. vt si bona, tanto gaudeam diutius: sin mala, possim maturius prospicere, meq; aduersus ea præmunire. Vt igitur intelligas, quam nulla hic sit à malis respiratio alleuiatioq; miseriarum, statui tibi ea scribere, quæ hactenus post fœdam illam Strigonii amissionem successere. Inter dedendum itaq; & tradenda arma, cum nostrorum militum Scloppi in locum vnum coniicerentur, temere factum est, vt funes fomentarii quibus ignem seruant, & lagenulæ scloppetariorum eodem congererentur. sic male extinctus ignis, in comminutam forte ipso casu thecam, incidens, omnem vicinam sulphuream materiam corripuit. vt ea res Turcis multis exitio, nostris summo pauori fuerit. Cum igitur pars nostrorum portis emissa, pars adhuc incomposito staret agmine: plurimi, metu ne casus huiusmodi asignaretur illorum culpæ, quo præsentem mortem euaderent, inter tumultuandum alius alio per arcem diffugere. Horum nonnulli his diebus postliminio reuersi, vna cum Hispanis aliquot, qui quarto abhinc anno, in sinu patrensi apud Præuisam, vti dicebant, fuerant intercepti. inter quos erat nobilis quidam filius N. figaroæ, qui tam liberaliter seruierat, vt patrem cum quo captus fuerat, singulari pietatis exemplo, seruitio liberarit. Ex his sane intellectum est, quāta peritia esset rei militaris apud hostes, & quam longe nos & scientia & patiētia, laborumq; tollerantia superarent. Ne enim referam, quibus artibus & qua fortitudine arcem munitissimam, intra 18. dies, quam nostri vix intra annum expugnari posse sperabāt, obtinuerint cuniculis in loca arcis, etiam nostris incognita, peruenerint, ea solum quæ subsecuta sunt, describam. Cum igitur spe sua & omnium opinione celerius, loco munitissimo potiti essent, non cessandum rati, sed victoria pro instrumento ad debellationem vicinorum vsi, ad Tata & loca circa Comaronem exercitum duxere. Erat Tatæ præsidium nostrorum satis firmum, partim Germanorum, partim Italorum. Italis præerat Annibal Tasso Bononiensis, ductor cohortis, quæ sub nob. adolescente N. Goniadino, equite Bononiense militabat. Cui Philippus Torniellius hunc honorem tribuerat, propter egregium virtutis specimen, editum superiori anno, in oppugnatione Pesthi. Erat autem Annibal cætera quidem vir multæ experientiæ in rebus bellicis, sed vitæ corruptissimæ, & in Deum ac diuos omnes blasphemus maximus. Ne illa tamen dicam, nostri non expectata oppugnatione, hostibus arcem tradidere, qua fide quibusue conditionibus, nondū potui intelligere, quam tamen fortiter, hinc scire potest, quod eum Torniellius, supplicio capitis affecerit. Turcæ demoliti arcem, retro iter flectentes,

Albam obsederunt, quæ ideo cognomen regalis habet, quod ibi Reges Hungariæ inaugurari & sepulchris condi solent. Ego Albæ nunquam fui, eius tamen situs mihi talis describitur. Vrbecula ipsa exigua, vndequaq; cincta altissima & latissima palude, præter vnam atq; alteram, aut ad summum tres vias, quæ per eminentiores, vel natura vel opere excitatos aggeres, in oppidum ducebant, per has solas facultas dabatur oppugnandi, & erant hæ viæ quam ipsa vrbs, ædificiis frequentiores, nostri, quæ sibi obfutura opinati erant, prius fuerant demoliti, vnum suburbium operibus, de ipso oppidulo parum soliciti, fossis & vallo validissime muniuerant, erat adhæc eo loco monasterium quoddam, cuius templum & turrim, pro arce in ipsis munimentis constituerant. Vnde hostibus multa incommoda magnamq; cladem intulerunt. Principio obsidionis simulabant, se extra has munitiones ædiculam quandam sacram, velut frontem retinere velle, eam Turcæ, non ignari, quantum sibi allatura esset vtilitatis, summis viribus oppugnabant, nostri quasi inuiti locum deserentes, diu restitere, & tandem tanquam frustra repugnassent, se ad suos recepere. Hunc hostes velut cuneum habituri, contra nostros etiam munire & bombardas eo adducere cœperunt. Interim ignis sub materia ac aliis velut temere desertis, subito accensus, & ædem illam sacram discussit & hostes multa clade male mulctauit. Nostri in hanc occasionem intenti, erumpentes, omnia longe lateq; turbauere, & post multa damna illata, victores in oppidum rediere, ceciderũt in pugna illa tumultuaria multi nobiles ex Turcis, ac inter eos maximæ existimationis Bassa quidam Eunuchus, captus etiam est vnus ex Bombardariis, vt verbo militari vtar, quos Rex Galliæ illi transmisisse dicebatur. Verum hostes nihil eo animis remissiores, omnia quæ ad obtinendum locum opportuna putabant, administrare, contra illud monasterium quod dixi, etiam ipsi altam molem, lignis & terra congerere, pontonibus & tabulatis, per paludes iter instituere. Erat vicinum nemus quoddam, hinc sexcentis quotidie curribus, tantum cæsæ materiæ conuehere, vt paludem, quam nostri hactenus nisi hyemis rigore duratam, inuiã & insuperabilem putauerunt, minori spacio, quam duodecim dierum, plurimis locis sibi peruiam effecerint. Hinc effossis transuersim semitis, ad fossas sub ipsum vallum accesserunt, cumq; iniecta terra & materia, sibi ad nostras munitiones iter strauissent, quater conati sunt, si per vim irrumpere & locum expugnare possent, verum & opportunitate operum, & nostris fortissime contra resistentibus, cum conatus suos supra vires esse videt, intermisere. Erat .n. inter alios cũ nostris Octauianus Scruzatus Mediolanensis, vir valde industrius, qui breui tempore ex terra & lignis, commodissima à lateribus propugnacula, quibus hostium adscensus impediretur, excitarat. Turca volebat excitata alia, in contrarium mole, multo quam nostræ erant altiori, istas defensiones nostris adimere, sed neq; sic efficere potuit, vt munitiones desererentur. Talis erat rerum status vsque ad Calend. Septembr. Postridie vero cum dies sereno & claro sole illuxisset, repente (excitata, vt hic vulgus fert arte magica, vt mihi vero videtur naturalis, vtpote loco palustri, & vbi magna hominum pecudumque multitudo, in angustum coacta erat) nebula & densa caligo, omnia circa vrbem occupauerat, cum aliis locis, mira serenitate sol fulgeret, hostes hanc occasionem non negligentes, quam occultissime possunt, per vineas & opera sua, ad nostras munitiones accedunt, ac prope prius, quam ad arma conclamaretur, in propugnaculum quod milites Germani seruabant, euadunt, oritur vt in re inopinata & perdita, miserrimus clamor, concurritur vndiquaque, crudissima pugna, qualis in extremis fieri solet, committitur, hi pro obtinendo loco, in quo omnem victoriæ spem, illi pro defendendo, in quo suam vitam & incolumitatem positam videbant, omnibus & extremis viribus contendebant. Sed superatis nostris, & multitudine & virtute hostium impetum diutius sustinere nequiuerunt, alii etiam, qui longius ab ipso periculo aberant, minus pertinaciter (vti fit, vbi adhuc alia refugia superesse putantur) succurrebant, & quo-

modo se in interiorem vrbem reciperent, dispiciebant. Ab his igitur fugæ initio facto, etiam reliquos secum traxerunt, & hostibus faciliorem expugnationem, victoriamque minus cruentam præbuerunt. Erat ingressus in vrbem angusto inter paludes aggere, in quo ostium ex clathris instar rastri, modico ante portam interuallo, pro obice obiectum, & tunc nescio an alicuius imperio, an temere occlusum erat, nostri igitur ex vtraq; aggeris parte, se in aquam deiecere, quorum multi alto cœno & aquis, sese mutuo demergentes, absorpti: multi, in hac turba & angustiis, ab hostib. à tergo, cum nemo ad resistendum, vel vires vel animum haberet, concisi, pauci vado aut natando, in vrbem recepti. Neque tamen ibi sese res aut melius aut sanius habebant, occupatis nanque præsenti periculo & terrore omnium animis, nihil videri vel audiri potuit, quod in medium pro communi salute consuleretur. Amissis enim ducibus, qui omnes, ac fortissimus quisque ceciderant: è Germanis Erasmus Witzenberger, iuuenis omnibus liberalibus artibus ornatissime institutus, & de quo magna spes virtutis habebatur. Ab Italis, Scruzatus, Ioannes Dominicus Torniellius, Carolus Secius Mediolanenses: & Oscasallus Cremonensis, his inquam occisis, nemo erat, qui vel multitudini imperare vel alteri commode parere sciret, nihil tamen æque ciues deiecit atque mors ipsius Præfecti Georgii Barchoth, viri integerrimi & qui regiæ corporis custodiæ, multis annis fidelissime præfuisset. In hunc Turcæ etiam mortuum, suum odium & sæuitiam exercuere, amputatum caput, & dextrum brachium, in fortunæ contumeliam, pro spectaculo circumtulerunt. Varii igitur intra vrbem motus animorum, aliis sese dedere, aliis potius omnia tentare, ac vim vlterius repellere volentibus, tandem magistratus ciuium, vt quorum post hanc cladem, maior proculdubio quam militum, & numerus & auctoritas erat, maluerunt paciscendo clementiam victoris, quam irati hostis immanitatem experiri. Iudex igitur eodem die, ad hostes egressus deditionem omnium nomine, retenta rerum suarum vniuscuiusq; cum libertate pristina possessione, paciscitur, milites etiam quocunque vellent, libere profecturi, ex oppido ademptis armis, dimittuntur, qui ex quatuor vexillis nominis Italici & mille Germanis, (Heydones enim, quorum ab initio numerus supra millenarium fuerat, peritia locorum freti, alii alio, nullius expectato imperio, sibi per paludes consuluerunt) ad trecentos redacti, ex equitatu satis copioso, vix ducenti supererant, his ex itinere Tartari, spe prædæ insidiati, totum agmen turbauere, ita vt quisque qua sibi commodissime poterat, fuga per paludes & siluas, salutem quærere cogeretur, qui ignari locorum & viæ, vel inedia in solitudine, vel ab ipsis Hungaris interfecti, plerique periere, pauci ad nos nudi, inermes, tetri, squalidi, vmbræ potius quam homines, ac solum non confecti fame, rediere. Turca principio velut clementer, cum deditis acturus, in vrbem admissus, sepulchra regum visitauit, proponit deinde edictum, ne quid durius de se timeatur, non enim Hungaros debellatum, sed à seruitute Germanorum venisse liberatum, quo posset regnum vero regi, legitimoque hæredi, Stephano scilicet filio regis Ioannis, pacatum & integrum restituere. Tribus deinde vel quatuor interiectis diebus, Principes ciues, velut solenne ab iis fidei iuramentum accepturus, in campum non procul ab oppido, quo corpora damnatorum, deferri solent, euocauit. Quo cum omnes, quam poterant ornatissime, velut ad solenne festũ instructi, conuenissent, Turca nullius pacti aut conuentionis religione motus, ad vnum omnes interfecit. Hunc exitum habuit præclara illa & nobilissima totius regni ciuitas, omnisq; Germaniæ velut alumna, & villa pecuaria, certe multo minoribus impensis potuisset seruari, quam vnquã poterit recuperari, nisi à nobis omnia adhuc imparatiora fuissent. Interea vero temporis dum adhuc circa obsidionem hærebat, quo vicinorum animos ab omni cogitatione subsidii mittendi auerteret, equitatum Tartarorum, cuius alias inter obsidendum modicus vsus erat, ad populandum proxima loca, dimittit, hi studio rapiendi incautius vagantes, ab Hungaris circũuenti, amissis

suorum

Exemplum s. quod Turca fidem servet nullam christianis sed occidat omnes.

suorum plus minus, tribus millibus, male mulctati, in castra rediere, fuit insignis in hoc certamine, opera comitis Nicolai Yzrinii Croaci, qui cum principibus aliquot Hungariæ, Nicolao scilicet Kadovvith, duobus Bartholomeis Horvvath, Emerico Vverbecio & Andrea Bathori, viris olim summæ inter Hungaros potentiæ & nobilitatis, pro patriæ recuperatione, omnes fortunæ casus subeundi, fœdus percusserat. Cæterum vulnus ipsius Nicolai obstetisse dicitur, quo minus nobilem de se victoriam Tartari præberent. Conuertit hoc loco omnium oculos in se, captiui vnius tetra & immanis barbaries, cui in pera annotina dimidia pars infantis bimuli, adhuc de obsonio, nondum commesta supererat. Alio loco æque infeliciter Franciscus Capolnaii, dum hostium excursiones, agrorumq; vastationes, septingentis equitibus prohibere conatur, cum pluribus congressus, vna cum equo in terram collapsus, indigne & summo multorum, propter egregiam virtutem mœrore, est interfectus. Turcæ hac victoria læti, castra versus Comaronem mouisse creduntur, est in itinere arx quędam Pappa, vbi noster equitatus se antea continebat, hanc, nunc vel expugnarunt, vel certe oppugnabunt. Ego superioribus literis meis tibi situm Comaronis descripsi. Nos ibi in præsidio habemus reliquias Italorum, quos Philippus Tornellius adduxerat, qui interea nihil omisit quod ad loci munitionem, vlla ratione facere posset, misimus etiam suppetias, reliquias scilicet Germanorum, qui à clade Strigoniensi in vnum colligi potuerunt. Nam Italos exauthoratos, vti intellexisti, & stipendio frustratos, nisi quod singulis, aureum pro viatico numerarint, quo vellent, abire permiserunt. Illos vero eo meliores milites fore sumus arbitrati, quo minus clementiæ ab hoste, contra quem iam secundo arma ferunt, sperare possunt. Hæc fere hactenus in Hungaria gesta sunt, contra quæ à nobis nescio sane quam salutaria, certe sera præsidia comparantur, Rex nondum exercitum in vnum locum contraxit, neq; quando huc sit venturus, certo scimus. Circa hanc vrbem habemus militum Germanorum fere septem millia, Italorum quatuor, quos Pont. Max. ductu Ioannis Baptistæ Sabelli, nobis subsidio misit. Et quanquam sit vir ille summa integritate & iustitia, vt qui vnum è suis militibus propter furtum duorum panum, vna cum ipsis panibus, ad exemplum suspenderit, tamen nescio, quo modo illis & nostris adeo male conueniat, alii Strigonii proditionem, alii illis cum Turcis omnia conuenire, criminantur. Hoc sane hic pro certo rumoribus relatum est, cum Caradinus Ænobarbus siue Barbarossa, obsessurus Niceam Massiliensium Hostiam præternauigaret, quod neq; pontificios læserit, neq; suos rursus, ab illis aut læsos, aut male habitos, sed commeatu adiutos fuisse. Verū enimuero quoquo modo ista sint: pontificii sibi pacem cū essent ad resistendum imparatiores, redemerint: mihi tamen nondum de pontifice suspicio incidere potuit tanta, vt eum de repub. Christiana male sentire credam. Extant etiam vetera exempla, tam Periclis apud Athenienses, quam Fabii Maximi apud Romanos, quorum agri ab hostibus intacti, quo illis apud suos suspicionem crearent, relinquebantur. Quid enim aliud credam, quam hæc hostium consilio gesta esse, quo maiorem inter nos seditionem concitarent? Principum tamen consilio & authoritate temperatur, ne odium in apertam seditionem erumpat. Quod haud scio an difficillimum sit eorum, quæ toto hoc bello videre potui, nam reliqua fortassis, æquioribus animis Germani paterentur. Illud vero indigne eos ac sane male habet, quod nullius pudicitiam ab illorum libidine satis tutam arbitrantur. Ecce enim, quid nudius quartus hic sit actum, redibat forte ciuis quidam ex vicina villa, sequebatur famula canistro portans nuces, socii aliquot nauales, quorum fere trecentis in illo suburbio, hospitia assignata sunt, satis lasciue à puella nuces extorserunt, ea ad vim inclamabat herum, qui credens virginis pudicitiam attentari, ciuibus suis & militibus, qui ad portam in statione erant, ad vim arcendam acclamat, adsunt & Itali, ac suis è propinquo subueniunt. Quid dicam? multis hinc atque inde concurrentibus, atrox prælium committitur, saxis, hastis, gladiis,

& sclopпis, res geritur, multi vtrinq; vulnerantur, tandem socii nauales multitudine superati, (ex tota enim vrbe eo accurrebatur) tribus aut quatuor occisis, plurimis vulneratis, retro cessere, neq; fuisset dies illa sine magna transacta calamitate, nisi nox pugnam diremisset. Iam enim Itali suos trans flumen, intra vnum milliare castra metatos, ad opem ferendam accersebant. Hinc vides quo statu & conditione rerum hic viuatur, sane ni superi nos respiciant, metuo quem exitum tam multæ calamitates sint habituræ. Spero tamẽ, quod in nos benigniores erunt, quam ipsi promereamur. Vale Viennæ 6. Idus Septembr. Anno 1543.

IOAN. MARTINVS STELLA, GVILIELMO fratri S. D.

IV.

ET si te Guilielme frater mihi credere certo sciam, inter has molestias peregrinationis, nihil mihi grauius accidere potuisse, quam quod te mei videndi desiderio valde angi scriberes, tamen in maximo amore & pietate erga te, alia omnia tollerabiliora fuerunt, hoc certe tenerius tuli, quod superioribus mensibus, tunc, cum maxime cuperem: propter causam captiuorum Lascani & Salamancæ, quorum (ne indicta causa captiui detinerentur condemnarenturue) etiam ego patrocinium mandato regio suscipere cogebar, venire non possem. Quare etiam nunc, cum in causa ita à nobis pro illorum innocẽtia laboratum sit, vt procuratores fisci, quartum iam mensem nihil porro agant, neque contra nos vti loquimur, triplicent, impetrato publice commeatu, vt vos viderem itineri me accinxi. Veni itaq; Speiram pridie 9. Maii. Vbi certe cum ab omnibus fuissem humanissime exceptus, tum meã ipsius expectationem superauit humanitas patroni, domini Grãuellani & filii eius Episcopi Atrebatensis. De literis vero, non est quod sis sollicitus, saluæ sunt apud me omnes. Et quanquã cuncta à me tibi commodius coram narrari, quam scribi potuerant, tamen cum nescirem, quando hi me dimissuri essent, nolui tempus hoc sine scriptione aliqua ad te transigere. Mitto igitur expugnationem Albę Regalis, quam requirebas. De reliquis vero anni illius gestis, in hunc vsq; diem, breuiter ita habe. Dum Turcæ Albam expugnãt, iam nostræ copiæ circa Posoniũ conuenerunt, erant expeditũ Germanorum 8. milliũ: Italorũ quatuor, qui circa Viennã retenti fuerant, vt subito in vrbẽ, si hostis eam tentare voluisset, reciperentur. Boemorum & Morauorũ erant circiter 20. millia, quibus accedebat ordinarius equitatus Hungarorum; cum Austriacis, quorum ego numerum vix puto octo millia excessisse. Cum his copiis Rex Posonii ex vtraq; parte Danubii castra metatus, triduum in construendo trans fluuium ponte, consumpsit. Erat illius pontis eadem ratio, atq; secundo supra proximo anno, ad obsidionem Pesthi, vsi fueramus. Vehebãtur singulis carris, singulæ scaphæ, cũ binis pontonibus ex trabibus & tabulatis Principio ergo, scaphæ in aquam demittebantur. Hæ anchoris & rudentibus ex superiori loco, contra vim fluminis reuinctæ & inter se arctissimis vinculis colligatæ, pontonib. insternebãtur. Quod opus certe valde solidũ erat, & satis latum qua pedites quini, equites terni, sine offensione pertransirẽt, adeo vt tantus fluuius à maximo exercitu, intra vnum diem, traiici potuerit. Cum ita instructa & parata omnia essent à parte nostra, neque difficile plerisq; videretur, quin eodem anno, non solum Albã sed etiam Strigonium recuperari potuissent: insuper etiam pro certo ad nos allatum esset Solymannum dimisso exercitu retrocessisse: sciremusq; exercitum hostium semel solutum, quoniam non voluntariis sed plærisque coactis constaret, difficulter ad officium reuocari potuisse. Vide quæ malignitas tẽpestatis & auræ fuerit, adeo vt ipsi superi nostrũ progresũ impediuisse videri possent, tanti imbres cõtinuis dieb. de cœlo lapsi sunt, vt vix locus editior metandis castris, ibidem reperiri potuerit, fuit ea ventorum & procellarũ vis, vt

hec ta-

nec tabernacula erigi, nec ignes in castris potuerint excitari. Hæc sane caussam præbuerunt, vt Bohemi, qui se solum suos fines tutari velle dixerant, difficulter mouerentur, metuebant enim, ne si semel pontem transissent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Populariter ergo Regem adeunt, orant ne summa hyeme, inuitis superis, in hostem pergat ducere, sese primo vere omnes presto adfuturos, quocunq; etiam mouere vellet. Rex itaq; partim illorum voluntatem, partim necessitatem secutus, quod videret sub dio & pellib. militem contineri non posse, exercitum dimisit. Et cum tam ingentia fuissent frigora, vt multi nostrorum militum, dum auscultatorias siue sentinellas, siue vt Germani eas vocant, scutarias vigilias obeunt, frigorib. obriguerint, tanta tamen post solutum exercitum secuta est ad aliquot hebdomadas aeris temperies, vt omnibus res admirationi fuerit. Rex igitur Viennam reuersus, omni consilio in curam sequentis anni, quibus artibus & viribus bellum geri posset, intendere cœpit. Conuentus regni Hungariæ, alios Bohemiæ habere instituit. Ab Hungaris qui adhuc in officio erãt, multa sedulo promissa. Quin & frater Georgius Episcopus Waradinensis, qui nomine puerili Stephani, filii Regis, Proregẽ in Transyluania agit, pro magno habuit Gasparem Horvvath, de concordia, & nescio qua ratione, qua non partibus, sed ipsi regno consuleretur, conuenire. Gaspar etiam, quanquam esset valetudine prope desperata, tamen omnia pro nihilo duxit, dũ per intensissima frigora, magnis itineribus, ad regem Pragam vsq; contendit, vt inclinãti fortunæ aliquid opis adferre posset. Quæ tamen omnia, qualia futura sint, magis ex euentis, quam consiliis iudicabuntur. Fuit hæc hyems satis quieta, nisi Turcæ per concretum frigorib. fluuium traiicientes, nostris plus terroris, quam periculi creassent. Erat præter hæc oppidulum quoddam Hungariæ, Regibus nihil tributi aut vectigalis pendere solitum, nisi quod ianitores aulæ regiæ suis stipendiis esse cogeretur. Isti sese frequenter Turcis dediderant, etiam superioribus annis. Accolæ aũt & vicini, vt viderunt illis adhanc diem fidem seruatam, multi ad illos in tantis periculis commigrarunt, ita vt ex minimo oppidulo, vrbs fieret & frequens & populosa. Hos Turcæ ab omni suspicione remotos, circunuenientes, partim occiderunt, partim captiuos abduxerũt. Vnde statim ad dubia etiamnũ signa veris, circum omnia vagari, & cum à nostris nullos obuios haberent, retro cõuersi à Wizigrado, quod ex superioribus literis, inter Strigoniũ & Budam esse intellexisti, initium belli gerendi facere cœperunt. Arx hæc etiam duplex est, altera ad ripam Danubii, altera in editissima & inaccessa rupe, ita tamen vt superior, nisi siti præmerentur obsessi, inferioris nihil indigeret. Hanc Turcæ iam aliquot dies, priusquã ego Vienna exirem, obsederant. A nostris hæc contra præparabantur Viennam per otiũ munire volebant, in quo plæraq; eorum quæ ego de illius munitione scripsi, obseruare decreuerant. Fossas anno superiore ita dilatare cœperant, vt in imo fundo spacium pateret perticarum decem. Nunc duobus angulis, vno scilicet post monasterium Dominicanorum, altero post Franciscanorum, non procul à porta quæ extrà arcem ducit, duo validissima propugnacula instituunt. Alio loco Leonardus à Felsz equitatum nostrum ex præsidiis colligebat, ad obsidionem impediendam. De cuius conatu vti huc rumoribus & literis est perlatum, fortuna ita indicauit. Turcæ multos dies Vvizigradum obsederant, ita tamen vt obsessis parum fuerit timendum, propter loci naturam, priusquam tamen succurri posset, sic sunt ad extrema omnia redacti, vt constet vniuersum præsidium totos quatuor dies non bibisse, tandem itaque siti coacti, sese dedidere, solam vitam, & liberam abitionem pacti. Porro Turcæ nullis pactis stantes, ad vnum omnes, præter Petrum Amandum præsidii præfectũ, interfecere. Bassa enim qui obsederat, eum sua manu multitudini subduxerat. Erat Petrus Amandus vir magno ingenio & singularibus moribus, natura abstemius, quod illi causam excolendi ingenii, inter corruptos aliorum mores, fuisse credendum est. Hostes hac arce potiti sese accingere dicuntur, vt duorũ Bassarum exercitibus, quæ quin-

Oo 1

Digitized by Google

quaginta millia hominum excedunt, ptiusquã nos parati simus Comaronem oppugnatum veniant. Torméta & bombardas Budæ ea gratia in naues imposuerunt. Comaronem ego aliis meis literis descripsi, sita enim est vbi Danubius rursus coit, cũ in se fluuium Vagam accepit. Hãc nostri toto biennio muniuerunt, & fossas ita duxerunt vt eam à continenti absciderint. Propugnacula ex terra & lignis opportunissima duxerunt, quibus veterem arcem velut incluserunt. Cumq; munitiones has extrinsecus muro circundare vellent, atq; id operis fabros & qui lateres coquerent, ex superiori Austria coegissent, quia semel ad arma conclamatum fuerat, homines insolentes talium turbarum, in officio retineri nequiuerunt, ita opera illa adhuc solum terrea sunt, circundata tamen vti audiuisti, duobus fluuiis latiss. & fossa manu ducta: loca tam opportuno & cõmodo, vt nisi illa retineri à nostris potuerit, nihil videam in illis regionibus munitionum, quod tam potenti hosti obiici possit. Deus opt. max. à populo suo timorem auferat & contra hostes nominis sui, fortitudinem tribuat & virtutem. Vale Speiræ 6. idus Maii, Anno 1544.

FINIS.

REI CONTRA TVRCAS GESTAE ANNO M. D. LVI.

BREVIS DESCRIPTIO, CVM ADIECTA CHOROGRAPHIA: vbi præliorum, pugnæ, oppugnationum & expugnationum, locorum item, in quibus præclare quidque gestum est, regionisq; situs & confinia elegantissime exprimuntur: WOLFGANGO LAZIO Viennensi, Regio historico ac Medico, autore.

QVVM inducias quinquennio elapsas Turcarum tyrannus Ferdinando regi renunciasset, vt qui iampridem patefacere sibi viam omnem in Austriam, Styriam, atq; Carniolam cogitasset, extemplò munitissimum castrum, haud procul Quinqueecclesiis situm, Sigeth nomine, quod solũ in medio hostilis agri in fide Regis virtute præfecti manserat, obsidione cingere cœpit 1. Aprili, anno quo hæc scribimus à reparata Salute M. D. LVI. Quod vbi Regi inclyto allatum est, qui tum aduersus contumacem quendam in comitiis Hungariæ proscriptum, & qui in Transyluania res nouas moliebatur, iusta arma parabat, comitiis prouinciarum suarum hinc inde transactis, qua potuit celeritate atq; fide Oratores etiã petitum auxilia ad Proceres Germaniæ, qui tum apud Ratisponam conuenerant, misit. Et ne mora præsentibus obesset, collecta ex censu pecunia, & quod in proprio fisco supererat insuper elargitus, militem duobus in locis scribere pergit: dato negotio Nicolao à Bolvvila Alsatæ impigro homini, vt per Sueuiam ac lacum Acromium legionem peditum, quam Regimẽtum vocant, in verba adactam, magnis itineribus Viennam deduceret. In Austria interim aliam Theodericum Marcellum scribere iussit. Ipse cum paulo ante prouinciarũ superiorum in Oeniponte, Austriæ vero inferiorum apud Viennam, & Hungarorum Posonii conuentum absoluisset, nondum elapso Aprili, Pragam Bohemiæ maturauit, vt in communia belli consilia, suppetiasq; tam necessarias, eius quoque regni incolas pelliceret. Id cum feliciter ac magnis sudoribus, ac infra dignitatem etiam, corporisque vires tandem omnia confecisset, nihil antiquius habuit, quam vt obsessos in Sigeth castro, quamprimum obsidione, quæ iam in multam æstatem trahebatur, liberaret. In eius consilii exitum, equites cataphractos iaculatores, quos Nigros nominant, ad summam 300. ex Austria contractos, & leuioris armaturæ Hungaros, quos Husserones dicunt, pene mille, in Hungariæ mediterranea præmisit, vti ad Canisiam in finibus Styriæ & Hun-

&Hungariæ peditem præstolarentur,& quos prouinciæ cæteræ Austriæ armare equites iussæ fuerant. Dum hæc in Pannonia secunda agũtur, Theodoricus Marcellus cum sua legione,& equitibus Hungaris, grauisq; armaturæ Germanis haud paucioribus 600. aduersus Bebecum, qui Austriæ agrum vlteriorem infestum reddere haud desinebat, pene sub exitum Maii mensis mouit, & ex itinere aliquot in finibus Cassouiæ ac Cepusii munitiores Bebeci arces in deditionem accepit. Quo tempore, adulto iam Iunio, altera etiam legio quam Bolvvilerus ex Sueuia adduxerat, se cũ vtriusq; generis equitibus ad Canisiam coniunxerat: & nulla interposita mora in hostilem agrum transgressa, adscitis leui Hũgarico equitatu,& perpaucis admodum grauioris armaturæ Austriacis equitibus,& Styriensibus, Baboczam munitum castrum, quod superiorib. annis Turcæ nobis eripuerant, quatuor milliariorũ interuallo à Segetho dissitum, obsidere cœpit: eo consilio, vt hostem ab obsidione Segethi remoueret. Cui etsi consilio euentus responderit, animaduersum est tamen postea, haud sine periculo id nostro factum. Quippe, vt fit, vbi de exploratorum fide dubitatur, prius ad Baboczam Turcæ conspecti sunt: ac machinæ loco edito,& vnde cõmodissima in nostros erat iaculatio, locatæ fuerant, quam fama in castra de soluta obsidione Segethi peruenisset. Cuius rei vtpote subita trepidatio magnum attulit terrorẽ, tempestate præsertim tormentorum obrutis nostris, impeditisq; ordinibus:& quod eques læsis equis, aut omnino etiam sublatis, haud parem audaciã ad præliãdum cõferre videretur. Ibi in eo ancipiti casu Comes Serinius Croata, qui Turcas primus aduerterat,& procursando præludiũ prælii fecerat, vir omni expectatione virtutis bellicæ superior: Nadastinus item ac Pethius Hungari, cohortati expeditioris armaturæ equites, ne victi metu tempori deessent: docent, quantopere regni cõmunisq; salutis intersit, si adsistentes Germanis memorabilẽ eo die de hoste victoriã referrent, cuius memoria magnã sibi autoritatẽ, magnosq; spiritus in re militari adiicerent. Nec minori animi præsentia, eo in cõflictu & Bolvvilerus pedites suos allocutus, vt parem virtutem ad cõmunem necessitatem cõferrent, cæterorumq; famã facinoraq; & locum imitarentur, rogabat: victoriam facilem sæpenumero ex rebus difficillimis accidisse: accõmodarent animos modo, ac corpora pro patria ac auita nationis gloria obiicere periculis non horrerent. Itaq; cũ toto die extracta pugna esset, & ad virtutẽ nostri nihil reliqui fecissent, non semel deniq; in proximas paludes, quas stagnans aqua Rynniæ fluuioli efficit, barbaros cõieciessent: postremo tamen destituti puluere tormentario,& quod expediri in his turbis machinæ Regiæ, quæ procul aberãt, citra discrimen non possent, cedere Turcis coacti, qui & numero & loci cõmoditate superiores fuerant, quorumq; res ob expeditas exoneratasq; feciliter machinas haud dubie firmiores tum erãt, pedem lensim referre occipiunt. Ne tamen pauoris opinionem hosti darent, quando in eã fortunam res recidissent, capientibus id consilii ex tempore ducibus, Baboczam castrum, quod diximus à nostris obsidione fuisse cinctũ, ex discessu adorti sunt, ingentibus animis:& non ambigitur, si pulueris tormentarii tum copia adfuisset, vel tum, circundatis ceu ad spectaculũ Turcis, expugnaturi castrũ fuissent. Ita accidit sæpenumero, vt fortuna ad vtrũq; victoriam transferat, quo bellum extrahatur, animosq; nunc horum nunc illorũ ad virtutem accendat. In eo discessu accidit res incredibilis, quod non omnino trecenti equites Austriaci, quos Nigros vocant, cũ vniuersa pene Turcarũ multitudine congredi ausi, dum nunc eminus, nunc cõminus explosis sclopetis insequentes à tergo morãtur, cędem ingentem fecerint: coniectisq; in fugã hostibus, adiuuantib. leuis armaturæ equitibus Hungaris, viam salutis suis primi ostenderint. Ita sine iactura Czorgam reducitur exercitus, machinæq; omnes incolumes ex via recipiuntur. Desiderati sunt tamen ex nostris, qui eo die ad verę laudis famã contendebant, præter gregarium militẽ, pleriq; magno loco viri, ex quibus præcipui, & quorũ nomina posteris celanda non reor: Nicolai Bolvvileri frater germanus, adolescens ad magnam virtutẽ expectatus: Stayn-

apronnius Alsata, præfectus castrorum: Sigersdorfius, tribunus peditum Styriensium: quorum duo primi ictu tormenti oppetiere, tertius iugulatus dicitur. Egenolphius Cellensis, ciuis ad lacum Acromium, signi vnius Germanici tribunus, non quod primus in discessu esset, sed quod ante ordines in oppugnatione Baboczæ, milites ad virtutem hortaretur, cum aliquot aliis sui loci laudisq; strenuis hominibus, gregariiq; milites, ad summam, vt putant, 200. in seruitutem longe fœdissimam cessere. Occisorum, quos 300. aut paulo minus autumant, Barbarus maiori ex parte capita præcisa, ac longis contis affixa, Segethinis postea exultans nequicquam ostendit, vt opinione ceu relatæ victoriæ animos tandem obsessorum expugnaret. Sed nec hosti incruenta illa victoria fuit: si modo victoria appellanda est, in qua maiore ac meliori parte exercitus amissa, captis primi nominis satrapis, loco insuper cedere coactus est, vsq; adeo vt cognitum posterius fuerit explorata à transfugis fama, nunquam alias æque tot bellatores viros tyrannum amisisse, quos adhuc deplorat. Ipsum præterea Bassam, cæterosque omnes Turcas insolito terrore perculsos ex illo nouo genere equitum Nigrorum, quos patrio sermone Diabolos nuncupant, plusq; ignis euomere illis, globosq; conicere vnum in plures suæ gentis ab experimento condunt, quam acinacibus suis nocere olim Christianis potuerũt, quos tanquã deinceps inutiles è conflictu abiecisse quidam memoratur. Dum hæc ad Baboczã fiunt, interea factus certior Rex Ferdinandus de reducto atq; incolumi exercitu, deq; cuiusq; virtute singulatim cum inquisiuisset, quot laboribus, periculisq; perfunctus quisq; foret, Comitem Serynium præsertim & Bolvvilerũ peditum legatum, qui eo in conflicto sclopeto pede percussus fuerat, Ottonem Henricum à Puechaym, item Ruberium & Gilium Austriacos, qui equitatũ trecentorum duxerant, ob res præclare gestas, & quod consensus militaris in hosce vt primos victoriç autores, salutisq; custodes inclinaret, liberaliter prosecutus sermone & scripto, ornamentis condignis condecorauit: & ad exitum belli intentus, Boemos & Morauos excire pergit, qui tum forte mille equites iaculatores, quos Nigros vocant, in Morauia armabant, designato delectus loco ad Straczniczam, haud procul Austriæ Hungariæq; finibus: simul filium Ferdinandum Austriæ archiducem, è Praga, vbi regiam is tenet, euocatũ, huic tantæ atq; adeo repetitç expeditioni Imperatorem designat: quo ex auctoritate nimirũ animi militũ confirmarentur, ac in spem certam victoriæ optimus quisq; excitaretur. Qui antequã copias omnes apud Viennã educere in aciem potuit, Turcæ Segethum castrũ denuo, ac eo quidem grauiori obsidione cingere pergunt, quo ceu exploratam se iam victoriam habere confidebant: ostensisque his de quibus præfati sumus, capitibus occisorum, in leui prælio tanquam spoliis quibusdam atq; trophæis, nunc amice ad deditionem, nunc decussis parietibus, geminatisq; oppugnationib. hortabantur. Sed elusit omnes hostis tam atrocis minas præfecti virtus (nec nomen quidem posteros celandũ reor, Marcum Croatam vocant) qui quantumuis fame adfligeretur, penuriaque non solũ cibi, sed pulueris quoq; tormentarii laboraret: ad extremum, nihilo magis tamen lãguido animo, cognita hostis calliditate, quod alii mortales rebus prosperis facere cõsueuerunt, is necessitate adductus, ac pene deploratis rebus ausus est. Quippe vltro facta eruptione, ad dimicandum cum præsidio suo processit. Quod cum sæpe, & id quidem feliciter tentasset, relatis identidem in castrum opimis spoliis, ac præda non contemnenda: ad postremum Halybassam coegit, qui Turcicis copiis præerat, & nullam partem nocturni temporis, tot mensibus, Segethanis concesserat, tot frustra explosis globis, omnib. parietibus castri nequicquam quatefactis, vti diffidens reb. suis, cum prius in omnem partẽ mente atq; animo traheretur, minasque Tyranni formidaret, cuius dubio procul victima foret, si re infecta recederet, proiectisque omnib. rationibus, de discessu consilium caperet. Ferunt, Barbaro insolitam Segethinorum virtutem, multisq; retro annis non auditam audaciam, lachrymas excussisse: adeo aduersus opinionem expectationemq; omnem Segethi

gethi obsidio potentissimo hosti cesserat. Quod vbi fama explorata ad Regē inclytum fuit perlatū, qui consultando cum suis, nullā omnino eo bello intermiserat operā, filiū (de quo supra diximus) ducē expeditioni designatū, vt grauiori bello occurreret, antequā nouæ ex Turcia, Seruia, Bosniaq; copiæ cōfluerent, maturius ad exercitū cum supplemento mittendū existimauit. Qui sub exitum Augusti mensis, adsumpto equite Boemico Morauicoq; , quem diximus in delectu ad Stracznic̄zam mille numerū expleuisse, adiunctis etiam tribus signis peditum Austriaci nominis, ac nouis maioribusq; machinis, quas è Praga adduci curauerat, inuocato prius publica supplicatione numine diuino ꝙ cum omnib. casibus belli, tū præcipue pro nomine & gloria eius pugnantibus adesse semper consueuerat, egressus Viennam (quod fœlix & faustū fuit) ipso solenni D. Bartolomæi Apostoli die, non sine lachrymis multorum, quas partim commiseratione, partim vi letitiæ emiserant, quod tantum viderent principem pro suis larib: saluteq; subditorū se deuouere: tametsi propter machinas tardiori agmine incedere cogeretur, primo tamen Septembri sine omni maleficio eorum per quos transibat, comitatum videlicet Saproinensem & Castri ferrei, ad exercitum peruenit, qui ad Canisiam in finibus Styriæ hilaris aduentum eius in armis expectabat: progressusq; obuiā instructa acie, more militari, atque exoneratis cum machinis omnibus; tum sclopetis singulorum, publicam eo die lætitiā testabatur. Erant in exercitu archiducis celebres viri quamplures gloria rerum gestarum: quorū Burggrauius Misnensis, dominus à Plavu, qui partē Bohemici equitis ducebat, totius exercitus signifer cōstitutus fuerat: Carolo Czerotino, & Barcouio, reliqui eqtes Boemici Morauiciq; parebant, Cęteri, Franciscus comes à Turre, Iulius comes Hardecensis, Erenricus à Kunigsperg, Ioannes à VVeyspriach, & alii quam plures ex nobiliū baronumq; ordine; consultanti principi operam dabant. Nec defuere qui propriis sumptib. huic tā honestæ necessariæq; expeditioni nomina darēt: è quorum numero & fratruelis tuus Hulriche splendidissime illustris viri, ac de domo Austriæ bene meriti, domini Antonii Fuggeri filius fuit, quinquaginta equitibus comitatus: qui omnes nullum non periculum cum tanto principe adire, nullumq; adeo labore sumptumq; suscipere detrectabant, quo rē Christianā aduersis tot seculis victorē, crudelemq; ac cōmunem patriæ hostem, adsererent. Itaq; cū in spem certam erectos princeps singulorū animos videret, ne mora præsentib. noceret, BolvvIlerū, altero ab aduentu suo die, cū legionē sua, & equites Austrię cataphractos cū aliquot alis expeditioris equitatus, ad præoccupandum munimentū Karothnā, trium milliariorū spacio separatū à Babocza, prę mittit. Qui in omnem euentū ac fortunā intenti, ingentib. id animis adgressi, primo statim insultu expugnāt: tantoq; ardore sæuitū tum fuit in illos qui ibi præsidiū agitauerant, Turcas, Hungarosq; (vt multi coniiciūt, 606 numero) vt iugulatis omnibus, vix duo in captiuitatem rapti fuerint. Hic rursus BolvvIlerus egregii facinoris famā consecutus est, quū pene sine sanguine; 20. modo desideratis, absq; etiā operibus vllis locū natura munitū, præsidioq; probe & machinis firmatum memento temporis cœpisset. Ferunt à militibus aurum in uētribus Turcarū dissectis tum repertum fuisse; quod illi desperatis rebus, ne Christianis cederet, re subita deuorauerant. Ita Karothna à nostris recipitur, cuius rei fama perculsa reliqua quæ in Babocza, S. Martino, Geresgalio, Calamācia, atq; Sallia, præsidia Turcica excubabāt, omnia victa terrore succensis castris, ac machinis corruptis, effusa fuga abeunt Quinqueecclesias: vbi hostis subsidia, ex Hūgaria, Seruia, Thracia, & Bosnia cōuenire dicebātur. Sequitur tum eadē vestigia fortunæ tā lætæ, qui Segetho præfectus erat Matcus: ac cum præsidio suo, ad S. Laurentium, Salliamq; vsq; ac pene etiā ad ipsa mœnia Quinqueecclesiarū excurrit: occupatis iis de quib. locuti sumus muninnentis: ingētiq; præda abacta, ad suos victor reuertitur. Eiusdē expugnationis occasione, ingens etiā facinus ausus Adamus Gallus Germanus, qui Iaurinū ad confluentes Arrabonis tuebatur, cū suo præsidio & aliquot aliis leuioris

Hungarici equitatus, secus Danubium, Strigonium vsq; depopulatis circum agris, excursionem fecit. Quod noctis silentio adortus, prius inflammauit, quā Turcæ somno sepulti, id intelligere possent: quibus in stratis vt plurimum vagabundisque per cæcas vias trucidatis, opimam prædam triumphans Laurinum abduxit. Cuius præterea paulo ante eodem in bello, alterū perpulchrum stratagema, non æque fœlicem habuit successum, quippe centū rhedis Hungaricis, quos Gotschones appellant, clam hostibus egressus Iaurinum, magnis itineribus Albā Regalem maturauerat. Neq; ambigitur, si non ob nundinas, frequentior tum in suburbiis populus confluxisset, simili Albā audacia occupasset, abductis nihilominus aliquot millibus iumentorum, vt profectionis operæ precium faceret, incolumes suos in præsidium ex via reduxit. Ita accidit interdum, vt prudenter instituta plæraq;, nullum tamen exitum consilii consequātur: nempe, quo bellum extrahatur, animos nunc horum, nunc illorum ad virtutem accendente fortuna. Sed redeo, vnde digressus sum, ad Karothnæ videlicet expugnationem. Quam vbi ex nunciis Ferdinandus archidux cognouisset, qui castris promotis ex Canisia ad Czorgonem, Bolvvilerū cum maiore exercitus parte sequebatur, lætus his belli primitiis, cum suis de residuis etiam consultando cogitabat. Qui tametsi animos haberēt, vlterius progredi, ac cætera in vicinia, ante paucos annos amissa munimenta Vesprinium Cuposuyvuarum scilicet recipere, neq; eo tam remisso ac lāguido animo quisquam esset, qui non grauiora etiam perferre vellet: non est tamen visum, inconsulto parente inclyto Romanorum rege, quicquam facere, aduersus hostem præcipue dolis omnibus instructissimum, & qui vndiq; ex omnib. pene Pannoniarum, Mœsiarumq; ac Croatiæ latibulis, excire militem dicebatur, atq; instructa iam etiam acie, à Quinqueecclesiis Calamanczem vsq; obuiam procedere ausus fuisset, ductis secum ingenti numero moleq; machinis, exploratores insuper quam plures in nostra castra præmisisset, qui 60. millib. armatorū exercitum Turcicū constare, capti adfirmabant: de quibus & postea, cū Christiani fuissent, optimo publico supplicium sumptū fuit. Ne tamen remissius administrare, hoc tā piū, tamq; necessariū bellū archidux videretur, donec à parente certior fieret, Carolū Czerotinū, Bohemorū Morauicorūq; equitū cataphractorū ducem, cū suis exploratorū circum loca vicina præmisit, qui hostis consilia specularetur: ac sibi technas nectere, ac in armis esse viderentur, & quònam itinere intenderēt, ad se primo quoq; tempore referret. Is pacato agmine ad Segethum vsq; excurrit, deq; necessariis reb. ac principis mēte collocutus cum loci præfecto, quum & rem frumentariam intulisset vberem, machinasq; plures nouas adportasset, paucis in hoc consumptis diebus ad archiducem reuertitur. Quo itinere, haud procul abfuit quin in hostiū insidias incidisset: & iam sublatis excubiis: res in periculo vertebatur: ni ex pristina bellādi cōsuetudine cōsideratior dux, totam eam noctem, equitē in statione tenuisset, ita sine damno ad archiducem Czerotinus reuertitur, qui iam secunda castra, vt diximus, ad Czorgonem haud procul Babocza præmunierat, in omnem pugnæ euentum intentus, ceu mox exploratæ victoriæ finem impositurus: quū literis à parente certior factus, quid sibi deinceps agendū esset, ne in discrimen exercitum suæ fidei cōmissum daret, diligenter secū perpendebat: frigore brumali primum omnium ex anni tempore incidēte, penuria deinde rei frumentariæ quotidie magis increbrescente, quum & militū corpora morbis ac laboribus, & vt prius æstu solis immodico, ita nūc gelu insolito confecta, in regione Germanis semper aduersissima, nō satis ad profectionē longiorē idonea viderētur: Turcas deniq; ad Kalmanczā lentius agere animaduerteret, qui non sane magnam ineundi prælii audaciam præ se ferre viderentur, quod apud illos quoq; ex superiorum mensium depopulatione annona grauis esse cœpisset, & memoria facinorum à Nigris equitibus superiori mense editorum, tot insuper amissis eo bello strenuissimis viris (quorum vel Segethinos septem millia occidisse, ex transfugis auditum est) animos præter consuetudinem remitterent.

Itaq;

Itaq; satis & ad gloriam sui nominis, & regni vtilitatem factum arbitratus, si liberato Segetho, propter quod expeditio primum omnium esset suscepta, ac cæteris succensis, soloq; æquatis munimentis, Babocza, Geresgallio, S. Martino, Salliaq;, quo patefactum iter Segethinis maneret ad commeatus inuehendos, victorem exercitum, antequam iniuria illum cœli magis adfligeret, incolumẽ reducere statuit, & longe charissimo parenti rationem rerum gestarum reddere, qui apud Viennam cupidissimo animo filium reducem operiebatur. Ad cuius reditus commoditatem atq; securitatem iam antea Drauum amnẽ, ad confluentes Mueræ nauali põte iunxerat: per quẽ traducto exercitu, ut palustria loca secus Mueram euitaret, memor quod ex secundis rebus milites licentiam sibi sumere possent, immoderatius peccandi in miseros colonos, bipertito eo incedere voluit. Cuius partem Bolvvilerum ac Czerotinũ secus Arrabonem flumen in secundæ Pannoniæ agro, per eius confluentes, & Altemburgũ ducere præcepit, ad Lythaæ pontes, in Austriæ Hungariæq; finib. positum oppidũ, vbi lustrationis locus & dies dictus fuerat. Ipse cum equitatus altera parte, & præcipue his qui in comitatu suo fuerant, Hũgaris pręterea leuis armaturæ equitibus, è Kakherspurgo Styriæ, vbi machinas ad sequentes æstatis belli opportunitatem reliquerat, per fines Styriæ, Hũgariæ, Austriæq; Viennam maturauit: quo sub exitum Octob. incolumis tandem peruenit. Quanta vero eius principis non solum in laboribus subeundis, periculisq; adeundis, lustrando exercitu, castrorum locatione, acieq; instruenda & industria extitit & animi vigor, atq; in iustitiæ administratione aduersus blasphematores præcipue, & raptores seueritas: tanta rursus in miseros afflictos cæsosq; milites misericordia, indulgentia & prouidentia pene popularis fuit, eos qui in expugnatione Karothnæ vulnerati, aut tormentis icti fuerunt: cum cõsolatione prius, laudibusq; liberaliter fuisset prosecutus, medicos proprios atq; chirurgos adhibuit, pecuniamq; impertiuit vberem: alios in discessu à Czorgone, qui exercitum sequi æquis passibus ob afflictam valetudinem non poterant, ne in itinere perirent, aut hostibus colonisq; victima fierent, curribus imposuit, non paucos deniq;, qui in reditu in morbos incidissent, vt est cœlum Hũgariæ corporibus Germanorum aduersissimum, per viam colonis passim commendãs, tãquam pater quispiam, aut frater, liberali etiam viatico prosecutus fuit: adeo vt militari consensu, atq; etiam incredibili prope adfectu ab omnibus mirificè diligatur, ac præconiis extollatur passim non dicendis. Cuius vitam principis genere suo dignissimi, Deus opt. max. diu incolumẽ tueatur, ac in annos Nestoreos prouehat: faxitq; filius Dei Christus, vt quæ superiori æstate ob copias perquam exiguas, contra tam potentem hostem non potuerunt confici: sub hoc rursus duce totius Germanię auxilio, vt imposita necessitas valde requirit, accedente fœnore consequamur, vt pulso procul à ceruicibus Germani immani hoc hoste, nominis nostri acerrimo persecutore, pacis munia fouere, aruaq; & lares colere in Dei laudem possimus, Amen. Quod olim Claudianus poeta de Honorio Cæs. & Stilicone Principe, eiusdem prouinciæ liberatoribus eleganter cecinit:

Hinc Pœni cumulant laudes, quod rura tyranno
Libera possideant: hinc obsidione solutus
Pannoninus, potorq; Saui, qui clausa tot annis
Oppida, laxatis ausus iam pandere portis,
Rursum cote nouat nigras rubigine falces,
Exesosq; situ cogit splendere ligones:
Agnoscit casas, & collibus oscula notis
Figit, & impresso glebis non cedit aratro,
Exectis inculta dabant quas secula syluis,
Restituit terras, & opacum vitibus Istrum
Conserit, & patrium vectigal soluere gaudet,
Immunis qui alade fuit, te sospite fas est,
Vexatum laceri corpus iuuenescere regni,
Sub tot principibus: quæcunq; amisimus olim,
Tu reddis, solo poterit Stilicone medente,
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix,
Inq; suos fines tandem redeunte colono
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.

F I N I S.

RERVM CONTRA TVRCAS AVSPICIIS FERDINANDI AVSTRIACI, CÆSARIS F. IMP. TVRCIC. MAX. Anno M. D. LVI. in Interamnensi Pannonia gestarum, historiola, Dialogo conscripta:

AVTORE BASILIO IOANNE HEROLD.

PLATO ille, cui in omni doctrina, omnium doctorum iudicio, semper summa excellentia delata fuit, is tam in verbis ad rem fictis, quam in rebus inuentis clarissimorum suorum verborum lumine exornandis, eo dicendi genere vsus est: quo, quoscunque ipsi visum fuit, de eo quo illi sermo erat, loquentes & disputantes introducere liceret: vt in Dialogis illis Menexemo & Critia videri potest, quandoquidem in hoc de rebus à ciuibus suis ante diluuium Deucalionis bene gestis: in isto, de iis qui pro patria gloriosè occubuerant, tractatur. Id ipsum in Catone, de consulatu ipso suo Cicero elocutionis & philosophiæ parens fecit, liceat idem nunc & mihi, quod grauissimis atq; excellentissimis viris, cum libitum sit, de rebus in Pannonia Interamnensi contra Turcas, anno præterito gestis, paucula quædam scribere, quæ Deo volente, copiosius alias à me describentur, hac etenim scriptione huius excellentis & admodum recentis facti, gratulationis meæ publicæ lætitiæ coniunctæ testimonium, apud viuos deponere volui, cum instituerim ex magnitudine rei exemplum hoc memoria sempiterna dignum, posteris totius mei ingenioli viribus excultum aliquando proponere. Quapropter nullius intemperantiam vsque adeo grandem puto, qui mihi vitio vertere velit, collocutioni huic inclusisse, atque sermonem omnem communicasse me, nobilissimis hominibus: quorum duo illi Franciscus Thaius, Ioannes Pethe-ius, Hungari clarissimi, de facie mihi nunquam noti, auditi fama ingenti, non solum interfuerunt, at summa cum laude magna ex parte rei præfuerunt, quiq; iamdudum in celebratissimorum virorum scripta facinoribus splendidissimis peruenere. Augusti autem ac Regum maximorum grauissimo iudicio, equestri ordinis dignitate exornatus, & senatui Mediolanensi amplissimo allectus, ex collocutoribus Tertius ille Carolus, qui Boiorum ex veteri stirpe, per tot regum et principum successiones, illustrissima atq; succrescenti Vicecomitum familia ortus est, coniungi iis, optimo iure potuit: cum iuuenis ipse nec bello expers, sed in Parmensi expeditione superioribus annis, militiæ decora plurima acquisiuit. De eo autem qui huic Dialogo adiunctus est quarto loco, videlicet M. Antonio Ghiringhello, quid dicam aliud, quam ipsum experientia rerum & vsu, doctrinaque vbicunq; ingenium intenderit, plurimum valentem, dignissimum esse, qui omnium monumentis inseratur, quiq; fidissimus Carolo Achates, disiungi ab eo non potuit: tanta vero omnes hos animi & morum lenitate præditos, vt frigidioribus meis scriptis sese inseri, nullo modo ægre ferant. Fictos igitur à me illorum congressus, & honoris causa ipsis attributos sermones, age audiamus. Legatione honestissima pro patria obita, atque ea apud Philippum Augusti F. potentissimum Regum optime perfunctus Vicecomes noster, in reditu, itinere quod illi longum & rectum erat ex Morinis, domum repetens, defatigatus & via languens, hanc in vrbem nostram Basileam peruenerat, ad quam paucis horis ante, idem in diuersorium cum Ghiringhello comite & Hungari iam dicti duo, ad celeritatem mutatis equis, dissimulatis persona & negotiis, applicuerant. Hos itaq; inter cœnandum, vt fit, ex comi affabilitate, tacita quadam animorum generosorum & virtutis conspiratio, ad mutuum amorem illexerat, tanto ardore, vt de præclarissimis pacis bellique studiis, post ponderosas quasdam dissertationes, familiarioraque

quædam

Digitized by Google

quædam colloquia, beneuolentiæ & amicitiæ initium quoddam inter seipsos conciliarent. Vt igitur inchoatam iam familiaritatem, quibusdam officiis stabilirent, in eo ipsis conuenit: quandoquidem per plures hærere illis non liceret, vnius dieculæ iacturam facerent: qua simul consumpta, auspiciis perennibus veram amicitiam confirmarent. Hanc procrastinationem in negotiis moræ impatientissimis hominibus tolerabiliorem reddebat amplitudo atq; amœnitas nostræ vrbis: quæ vt excellentissimorum ac doctissimorum virorum altrix semper fuit splendida, sic T. Minutii Basilli, à quo nomen accepit, ab ipsa Iuliorum memoria, clarissimorum nonnullorum etiam virorum monimentis exculta, atq; Schola ornatissima percelebris est, artisq; Impressoriæ præstantia toto orbe claret: floret autem sacris, legibus, moribusq; antiquis, ac ad imitationem Romanorum, senatus maxima maiestate, & populi grauitate fulget. Gestiebat hic, Amerbachium, huius sæculi celeberrimum Iurisconsultum, nulli vel eloquentissimo secundum, alloqui: Cælii Curionis nostri Secundi, diuinam eloquentiæ vim audire cupiebat ille: Oporini mei, viri eruditissimi, in excudendis authoribus admirabilem diligentiam, & incredibiles labores in iis castigandis, contemplari coràm volebat alter: is Petreanam, Frobenianam, Heruagianam, atq; alias celebriores, instructissimas impressorum officinas inuisere, quiq; sub prælo gemerent autores perscrutari. Omnes autem simul desiderabant, ad summum templum in area illa peramœna, montes, valles, nemora, flumina illa, quæ omnia longè lateq; sese exhibent, illinc prospectare: in Petreo colle lucũ, armamentariumq; mirè instructum: deinde inambulantium & auram captantium frequentatum, illabenti, vrbem scindenti, atq; ceu iugum fastidienti iniectum Rheno pontem: Prætorium Augustum: Forum amplum, fonte frigidissimo & limpidissimo exornatum: ædificia publica priuataq;, arte, situ, sumptuq; superba perlustrare & videre: tali deliberatione læti mensas relinquunt, vectione fessi, refecti cœna lauta, quieti se tradebant. Prima post luce, inuocato diuino Numine, diem illum felicem votisq; parem optantes, in aream, quæ summo templo adiacet, diuersorio non multum distantem contendunt: illic qui ex gymnasio redibat, & profitentem suum præceptorem audierat, puerum, domum properantem obuium habent: quem de nomine percunctatum, ipsum sese Imanuelem appellari Vicecomes percepit, ac: recte, inquit, sodales optimi, certè bono & fausto inprimis augurio (si Hebrææ dictionis etymon inspiciamus) quod significat, Deum nobiscum esse, qui hunc ostendit & obtulit. Renidenti tum ore Ghiringhellus refert: Sequamur omen: forsan qui peregrinis nobis, quæ videre cupimus omnia, indicare & designare in hac vrbe possit, aliquem hic puer demonstrabit: apparet siquidem in eo læta indoles, atq; is habitus, ii mores, vt bonorum notitiam bonam illum habere crediderim, aut certè ex humaniore aliquo viro generatum. Heus tu, puerum alloquens, inquit, cognomen tuum quod est? qui cùm respondisset, Herold: Deorum benignitatem, exclamat Vicecomes, Túne veteris amici filius Ioannis? quid pater? quid vir? at præstat sanè auolare hinc, & inquirere hominem ipsum, quàm de eo plura interrogare. Duc eia puer optime, deduc nos ad patrem, quem absolutis tabulis Franciccæ cognatæq; mihi stirpis, Commentariis efflorescentis Germaniæ insudare, ac in exhausto labore iniquæ fortunæ reluctantem, ad posteros aliquid vt transmittat, ingenio suo dignum, niti existimo. Salute itaq; accepta & data, in manu deprehendunt Panegyricum, quem à quinq; diebus inchoatum, absolutumq; exscribere, editioni parare, atq; dicare Ferdinando Cæs. F. cœperam. In eius inscriptione cùm Basilii inscriptionem legisset Vicecomes, causam additi prænominis rogare atq; sciscitari incœpit, quare id in tabularum nuncupatione non edidissem? Huic cùm senatus huius vrbis amplissimi in me beneuolentiam, atq; in exornandis meis laboribus studium singulare enumerassem, quo me, puerumq; meum Imanuelem ciuitate donassent, fouerentq; tenerrimè, gratitudinem meam collaudare visus est, atq; probare maximè, quod liberalissimum & spectabilissimum tantæ Reipub. donum, in perennem & famæ & nominis mei vsumfructum ac honorem fausta appellatione verterim: quod etiam Ghiringhellus interpretari cœpit, tale esse, quod in consequendo desiderio ipsis omnibus commodum foret: quandoquidem authoritatem inesse aliquam apud ciues suos, & gratiam non vulgarem, neq; earum rerum, quæ honestæ & visendæ essent latere aliquid eum posse, qui omnibus tam charus, vt etiam senatus authoritate ciuitati, id est, communioni fortunarum omnium vltrò adsci sceretur: subinde Erasmi Roterodami il-

lud dictum inculcans, Romanum ciuem hoc tempore, quàm Basilliensem, aliquanto sanè minus esse. Quivnà aderant Thaius & Petheius, ad Principis optimi laudes omnino exhilarati, cùm in Panegyrico Apollauuyleriana legionis & copiarum auxiliariarum mentionem factam legissent, num rem gestam ab aliquo rescissem, ex me quarere: ego præter rumores varios nihil affirmare: tempus transiisse, si quid etiam ea de rescribere vellem, quod proximo Francofordiæ frequentiori mercatu diuulgari posset: ægrè id se ferre fatebantur: instabat enim Calend. April. 10. dies. Extemplò Vicecomes: Petheie, inquit, quin tu huic sermonem eum, quem de eo contra Turcas victoria successu felici, cùm heri noctu cubitum ieramus, apud somniculosos habuisti, enarras? breui is, meo hortatu, atq; contracto hoc temporis spatio, pro patria labores vestros, hominibus nostris commendabit, æternitati autem consecrabit maiori otio. Lubens certè, infert ille, ac bona fide, quæ mihi perspecta & nota sunt, indicabo omnia: at in ambulando auditui huius, oculorum animorumq; nostrorum desideriis satisfieri multò melius posse iudico. Comitabor, inquio, atq; patriæ amantes fortes viros vos, ad quercum illam annosam deducam, ex qua maiores nostri Germani, vt fertur, Imperatores, Reges, & Respublicæ coronas decerpere soliti fuerunt, quibus coronarent eos, qui ciues seruassent magna solennitate: deberi autem illam vobis à Repub. Christiana, quis neget? Imus. En hic in luco. Hui, platano omni diductiorem, infit Ghiringhellus: hæccine illa, quam Roterodamus vester in dies contractiorem fieri dicit? Forsan, inquam, melius, si ab ea ætate, qua virtuti pretium & præmium desiit, illam iusto diuinitatis iudicio & naturæ condolentis quadam misericordia imminui, indicasset. Intremus. Cùm iam omnes ad fontem ibi consedissemus, Petheium, vt sermonem hesternum, somno interruptum renouaret, vrget Vicecomes. Is ea lege onus suscipit, vt Thaius prolapsum ipsum memoria admonere, alii subinde commodè interpellare debeant: & collegam ad dicendum cogere, quod ipsum fugeret. Recipit conditionem Thaius: placet omnibus consilium. Ea igitur, quæ iam dicentur, exclusis illis vocibus. Inquit & inquam, ita proferam, vt tanquam à præsentibus coràm hæc haberi narratio videri possit.

PETHEIVS, THAIVS, VICECOMES, GHIRINGHELLVS, HEROLD, PVER: INTERLOCVTORES.

QVANTA perfidia Soleymannus veterator, inque fraudem, quàm ficta persona, Pannoniarum regnum opulentissimum fortibus viris inprimis firmum & illustre, ac olim Christiani orbis arcem munitissimam petierit, dum in regnum deducto Ioanne, filii denique eius Stephani se tutorem vltro profiteretur, cùm Elisabellam ipsius viduam, & regni sedem à Germanorum obsidione liberat: quam, inquam, in omnes se formas tum commutarit, donec in libero regno tyrannidem suam constitueret, heri audiuistis: factumque id orbis totus, iamdudum execranda memoria prosequitur. In hoc enim euertendo postea non Deum vllum, nullum Numen, cœlestem vim nullam superesse, se credere palàm, ostendit: nulla namque res fuit, neque in cœlis tam sacra, neque in terris tam religiosa, aut apud inferos tam horrenda, per quam dum insidiatur vicinioribus locis, non iuraret, quam non violaret, non læderet, quando in potestatem ipsius venissent. Adfuit autem præstò Nemesis illa, adfuerunt scelerum flagellatrices Furiæ illæ, quæ armis Persarum excitatis, in omnem desperationem, calamitatibus horrendis diuexatum adegere: contumaces illi fregerunt spiritus, ac tandem summa mendicitate emercatam pacem à Germanis recipere coegerunt: ac nescio, quas quinquennales inducias, quibus omnino nondum finitis fœdissimum ac immanissimum monstrum, toties desperans ac diffidens rebus suis, in sordibus lamentis atque luctu ex parricidio execrando latitans, sceleratissimos famelicosque latrones suos,

suos, mense Martio ex hybernis in expeditionē vocauit: quibus hoc regnum, euertendi manupretium, quibus scelerum pactionem libertatem nostram effecerat: iis adiunctis, ex omnibus præsidiis improbissimis & teterrimis hominibus, scelerato impetu Interamnensi nostræ Pannoniæ immisit, cum plures proditione & immanitate, ex quorundam facilitate & patientia inter nostros niti sentiret. GHIR. Non interpellassem te Petheie, si de Interamnensi illa Pannonia, sententiam tuam ab aliis variam, & quare hanc, in qua res gesta est, ita appelles tu, clarius paulò dixisses. PETH. Ptolemæum secutus video, ab occidente hanc Arrabonis diuertigio & Zalæ amnis fluentis, nec non Balathonis lacus amplitudine terminari. Vbi vero se ad meridiem latissimè extendit, Daro, qui nunc est Drauus, coerceri: qui eam quoq;, vbi se exonerat, Orientali plaga includere videtur; & certum est, Danubio à septentrione eam omnem allui. Hanc inferiorem author ille appellauit & loca illa quæ remotiora à Danubio enumerat, constituit inter duos amnes Sauum & Drauum, in ea regione quam nostri Possegam dicunt, Crasso fluuio ab occasu, in insulam pene redactam; quam quidem ab Illyride Pannonum virtute decerptam crediderim magis, quam vt veteri Pannoniæ quis eam, vbi Sauo adiacet, totam adnumerare possit; Almi & Claudii montium iugis diremptam; nam & Strabo eam in Dalmatiam illic extendi innuere videtur. HER. Quo me coniectura rapiat, habeo certè: ex Possegæ nempe vocabulo, magis Germano, quàm Illyrico: nam nostros olim non solum Pannoniis imperasse, verum etiam in Daciam extremam, atque Mysiorum prouinciam dominium exercuisse, probare ipse, rationibusq; firmissimis demonstrare possem: quorum gentium nomina, varietate fortunæ, mutata sæpius, Bosnensibus locum dederunt in Illyrico, huic regioni quàmproximis: quibus forsan inde eiectis, nostri qui eam occuparant, das Bossengaw nominarunt pagum illum omnem: at de his vt agam multis, hic locus non est. Perge Petheie, atque narrationem de bello institutam prosequere. PETH. In hac regione de qua dixi, insulam, quam vt omnes alias, patrio sermone, Zygeth vocamus, Alma fluuio circumfluam, atque à Cæsare nostro, in planicie limosa sitam, multo opere munitam, Calend. April. ingens Turcarum exercitus circumsidet, machinisque omnium generum expugnare eam aggrediuntur, festinantes maxime, illam tormentorum ictibus labefactam reuertere, priusquam Cæsar periculi admoneri posset: rati, id quod negotium erat, obsessis auxilio eum ad primum nuntium, non defuturum: se verò, quamprimum insula ea potiti essent, vicinorum locorum dominos sperabant. At in oppido insulæ, virorum atque armorum satis magna vis, & frumenti ad aliquot menses copia: idq; aqua, fontibus, aggeribus, turribus & propugnaculis importunum erat, tormentorum aliarumq; rerum necessariarum facultate ad defensionem probè instructum: iter ad insulam vnum cœnosum & angustum; quam capi non posse, neq; vi expugnari cum Turcæ viderent, fossa & vallo castra circumdant, per dies & noctes dolis tentant præsidiarios, spe auxiliorum illos priuare, & penuria exhaurire velle: nostri præfecto Marco Croato, homine impigro & fortissimo, horum subdole amentiam augere, eruptionibus factis & simulata fuga, per impedita lòca in insidias insequentem hostem abstrahere: insolitis deinde ac miris terroribus illi insultare, cædere & trucidare pauentem: ita tractare, vt tandem obsidentiumne an obsessorum conditio peior esset, in incerto haberetur. Interim cœlesti cura Cæsar salutem Reipub. Christianæ hoc in præsidio collocatum considerans, maxima celeritate Bohemici regni prouincias ingressus diuersis in locis, diuersum militem euocabat equitatum & peditatum cogit. Ad hæc Styriis per Georgium à Danhausen virum nobilem imperat, tormentorum bombardas suas maiores omnes, secunda Sabaria aqua (quæ Muera nunc vocatur) ad Rakelspurgum oppidum celebre, nauigiis impositũ, Nazadarum, id est, classiculę pręsidio demitterent: atq; militem quem ad periculi famam delegissent, æquitatumq; omnem vna

Digitized by Google

proficisci iuberent. Tormentis itaq; ex Rakelspurgo Lymbachum eodem flumine delatis, atque per decem millia passuum, abinde Canysium terrestri itinere traductis: id hoc bellum administrandum Illyrii, qui nunc Sclauinorum, Dalmatarum & Croatarum nomine censentur, vltro auxilia mittendo, postremo socii Pannones omnes summo studio adnitebantur, maximis itineribus Canysium omnes properabant, vt loco opportuno, omnia quæ in bello vario & rerum multarum egenti, vsui esse solent, viresq; colligerent & compararent omnes, deq; summa rei ibidem consultabant. Expectabatur quoq; Appollævvylerus, magno ac longo quidem omnium desiderio, quem caussa quæ retardarit, vt pro votis paulo serius Canysium veniret, nondum intelligere potui: quam ex te Herolde discere cupio, vtpote Germano, qui à plurimis, qui sub hoc meruerunt audire potueris, & commode haurire ex quodam ciue tuo, cuius nomen mihi excidit: nam & rebus ipse interfuit. HER. Ciuem? non occurrit equidem, quemnam dicere velis. THA. Tamen apud vos honesto loco, senatore patre natum, præferoci spiritu, atq; magnitudine animi notum satis hominem audiui, qui, ni fallor, multis peractis stipendiis, decora militaria plurima consecutus est, belloq; quod inter Augustum & Galliarum regem in Morinorum regione gestum fuit, voluntariorum Heluetiorum tribunus, cohortem quingentariam duxit. HER. Teneo: Iacobum Hutschi ciuem Basiliensem intelligis? THA. Eum ipsum. HER. Vnde notum tibi? THA. Grata commilitonum omnium recordatione. HER. Felici forsan dicere volebas? THA. Ante mortem, felicem aliquem dicas, Solon prohibet. HER. Mihi persuasum est, feliciter viuere ciuem illum, qui à patriis sacris & institutis piis, animam iam agens, neq; disputationibus diuelli, neq; minis diduci possit, Beatitudinis fiducia in Deum certus, & sepulchri iacturam, & dissidentium morsus, tutus floccifacit. THA. Ergo obiit affecta valetudine ex globulo, quod illi à tormentulo minori excusso in suram languens deciderat? Domi ne? HER. In Norico. THA. Condoleo hercle viro optimo: nullum enim neque militis boni officium, nullum fortissimi hominis munus, nullum in patriam pii ciuis opus intermisit, pugnando & strenue agendo quæ in eo fuerunt, omnia Christianæ Reipublicæ fideliter præstitit: nam optime in Germaniam eius meritis, testimonium à consensu totius exercitus perpetuo illi datum fuit. Quæso, eum in scriptis tuis perpetuæ memoriæ mandes.

Interea facili corpus requiescat in vrna,
Nec grauis incumbens vrgeat ossa lapis.

HER. Curabitur pro facultate. Ex alio autem quodam percepi: posteaquam Apollævvylero à Cæsare iniunctum fuerat, vt per Germaniam militem conscriberet ex omni illa veteri & vera, prima quæ Alpibus, Vogeso, & Martia includitur sylua, ad Rhenum Sequanorum & Alsatarum, ad lacum Acronium, & Danubii origines Sueuorum: florenti ætate, atq; patriæ amantiores, tanto numero coisse ad famam sacri belli, ad sermonem qui de huius felicitate & virtute multus increbuerat, tantumq; veterum ac nouorum militum concursum factum, vt eo in loco quo delectus habendus erat (ad insulam videlicet, quam Danubii & Vernitii confluentes conficiunt) tanta & tam ingens turba conflueret eorum, qui nomen dare cupiebant, quæ legionibus tribus explendis satisfecisset. Incredibilem enim numerum illorum suspiciunculam tunc nonnullis iniecisse clandestinæ alicuius molitionis: trepidatumq; fuisse Augustæ inter Vindelicos primaria in ciuitate, adeo vt, quæ periculo proxima esset, si tumultus aliquis excitaretur, præsidia vrbe imponeret validissima, ne eorum Respub. detrimenti aliquid acciperet. Tandem delectu veteranorum habito, atque ex iuuentute valida tyrociniis institutis, expletaque legione Apollævvylerum florem Germaniæ secundo Danubio, primo in superiorem illam Pannoniam ratibus & lintribus Viennam vsque deuexisse: citis deinde itineribus ad Pappam oppidum, quod Bakoni syluæ longissimæ

gissimæ

Digitized by Google

gissimæ adiacet, magnum & valens: subsistisse iussu Cæsaris, quem cupito inuaserat potiundæ Vespronii vrbis Balatonis lacu impositæ, abinde itinere hominis expediti diei vnius distantis. Plures deinde dies eo in loco disputatum fuisse aiebat, an progredi legionem, auxiliaque ex Canysio accersiri, vrbem oppugnare inimicam & opulentam expediret, posteaquam compertum esset, non adeò firmis præsidiis ipsam custodiri, atque ciuium animos à nostris non esse omnino alienos: hostes verò ad Zygethum positis castris, de possessione eius loci tantum laborare, vt ipsam Vesprinii iacturam nihili facturi viderentur. At cæteros cautiores, rerumque Turcicarum magis expertos, vestros homines, feruidis atque ponderosioribus sententiis dictis, omnem moram grauissimum detrimentum cessantibus allaturam edocuisse, idque temporis deperiisse, quodcunque Vesprinio occupando insumatur: interim in Zygetho obsessos, absumptis necessariis, propter commeatus inopiam deditionem facturos. Extare verò supra Rhymniam fluuium, Baboczam firmissimam arcem, nuper ab hoste occupatam: eamque castello Zygeth, & castris obsidionalibus proximam: quæ si oppugnetur, fieri non posse quin intermissa Zygethi obsidione, hostis inclusis arce ad opem ferendum acceleraturus sit: ad quē perdendum & profligandum satis esse virium, si Apollævvyleriana legio, auxiliis, quam aduentantem expectarent, coniungeretur. Exclamasse tunc omnes, ac in eam sententiam pedibus itum referebat: eoque edicto à præconibus tympanistis, per omnes ordines promulgato, iter quod planius ac nihil difficultatis habere videbatur, ad Canysium susceptum fuisse, tertioque die postea eò profectos esse, & applicuisse. VIC. Effare Petheie rogo iam, coniunctæ copiæ censitæ vt sint. PETH. At meliore ordine omnia describet Thaius hic noster, disciplinæ veteris in re militari æque ac nouæ callentissimus. THA. Id tu ex animi beneuolentia in me tua, amantissime Petheie, mihi attribuis, qui eius rei te scientiorem non habes: at ne mutua testimonia inter nos ab æmulo rideantur, edisseram breui, tunc quid ego viderim. Coierant ad Iesu Christi redemptoris nostri signa, sub Thoma Hungariæ spectabilissimo Palatino, in omni literatura excellenti, atque in belli artibus ingenii peracris, ac incredibilis prudentiæ viro, quem Cæsar toti exercitui Ducem summum præfecerat, leuioris armaturæ, equitum eorum quos Huserones vocamus turmæ Nadastianæ duæ, quarum vnaquæque continebat homines egregios trecentos. Banus ille, qui Illyrici præfectus est, Serinius regulus, eiusdem disciplinæ equitum alam Seriniam adducebat, quæ mille capitum censebatur. Huius proprætor Ioannes Lenkovvyzius, globo procursatorum, qui tercentos Huserones habebat, comitatus aduenit; iis coniuncti erant, quam fulgentibus armis ducebat Andreas Rindschidt Styrius, sexcentum equitum ferratam cateruam. Ferentariis Austriacis sexcenti stipati erant Otthohenrichus à Puchheim & Iohannes Ruberus, qui & ipsi in equis armati, à cultu, nigrorum diabolorumque appellationem vulgo habent, & tormentulis manuariis vtuntur. Erat præterea ala sacra, vna, quæ quinquaginta equitum. Petheiana, huius nostri, ex velitibus confecta, & liberali pietate largissimis tuis Petheie stipendiis per totum hoc bellum sustentabatur. Hic erat equitatus, si recte memini, qui numerum termillesimum non excedebat, vel certe non multum Nicolaus Apollævvylerus legionem conscripserat, quatuor mille & octingentorum peditum Martiis, Iouiis, Mineruiis & Herculeis omnibus pietate, audacia, robore & generoso spiritu longe præferendam. Styrenses auxiliariam manum conscripserant, ad primum belli nuntium, sexcenti peditum: eos ductabat Tribunus Sigersdorffer. Montanam & Albicanorum paganam cohortem Nadastus his coniunxerat, eius generis homines, quos Haybones nostri, Illyrii Hurschochi, alii Martelosios, Chymeriotas, & Morlachos vulgus vocat, agrestem herclè peditem, syluis prædaq; assuetum, dirum, velocem, quiq; nulla cœli intemperie edomari potest: in omne scelus is promptus est, ad belli crudeliora fa-

cinora semper expeditus & paratus, qui nudis pedibus incedere, confragosa quæq; discurrere caprearum more atque inscendere solet, sagitta & funda eminus vti, cominus rem agere sparro præpilato, paruam aliquando, mucroneq; ancipitem securim in aduersarium contorquere: quadringentos qui sub Palatino merebant, qui tuis stipendiis alebantur, quinquaginta fuisse puto. Ita peditatus quinque millium numerum paulò copiosius explebat, vt nouem millium totus exercitus summam non adimpleret: cui aderat tormentorum apparatus neque contemnendus, neque adeò validus aut numerosus. Dinumeraui iam, quem iusseras exercitum Pethei. Eia, educ tu illum in hostem, age. PETH. Vrges nimium ô amice. Velim prius rescire, homini amico mihi, Nicolao illi summo atque Martii vigoris duci inclyto, Apollinis cognomen vnde? GHIR. Ego à sacri ordinis senatore, ac inter purpuratos splendidissimo viro Christophoro Madruccio, pontifice Tridentino, principe senatus Mediolanensis, æquissimo atque ingeniorum æstimatore perspicacissimo homine, ipsum ab innato in literas bonas & flagranti amore, ob omnibus disciplinis excultam quandam illius scientiam, hunc commendari & perlaudari audiui sæpius, & Apollinis illum alumnum serio sermone appellari. Tanti ergò hominis iudicio, nomen huic ab Apolline literarum patrono inditum credere, quid vetat? VIC. Pulchrè ac rectè tu quidem Ghiringhelle argumentaris. Atqui nobilissimam huius familiæ, ex qua ortus est, stirpem, ab Apolla quadam, regis cuiusdam in Alsatia filia virgine nomen sumpsisse tàm clarum est: quàm hoc certum, dum ab Augusto & Cæsare splendor dignitasq; illius gentis, qui vetustate elanguerat nonnihil, in Baronum Imperii ordinem de integro restitueretur, quod hic monumenta & tabellarum ornatissima fidelissimaq; testimonia in medium produxerit, quibus probauit, Apollam illam, cuius cum D. Martino ara adhuc sacrata extat, abhinc plusquam mille centum annos ad Christi fidem conuersam, patrem quoque regem idolis deditum, ad sanam Euangelii doctrinam traduxisse, habitasseq; eo loci, vbi à Bollenburg, prope Rubeacum, elisis aliquot literis, qui nobiles censebantur, ante octingentos annos moram fecisse constat. Posteri verò, cùm loci commoditate allecti, atque rebus auctis oppidulum, quod hucusque possident, exædificassent, patria appellatione VVyler dictum, simplex illud seculum ex oppido, quam ab arce plus dignitatis illis accreuisse existimans, eos Polleburgios dicere incœpit: cùm Apollævvyleri dici debuissent omnino. Hæc in ipsa Augusti aula ab iis, qui rebus secretioribus præsunt, percepi iampridem. Quid obstat nunc, quò minus cum legione illa Fulminea victoriosa procedas? PETH. Expeditione itaque hac grauissimi certè momenti suscepta, cùm omnia summa consideratione agenda esse viderentur iis, quibus administratio belli iniuncta erat, satis commeatus ac annonæ, qua tamen non abundabant, satis virium in castris esse, Cæsar arbitrabatur. Ne igitur duces consilia, atque militum desideria superfluis deliberationibus eneruarent, vrgere profectionem cœpit, misso in hoc Scipione ab Arch regulo. Per speculatores enim certior est factus, apud Zygethum omnia ob commeatus & annonæ ærumnam ad periculum declinare. Itaque Nadastus cogentibus imperiis à Canysio mouet, magnisq; tandem itineribus, & difficillimis, propter prægrandium tormentorum vectionem ad Baboczam, quæ circiter nonaginta milliaria à Canysio aberat, 14. Calend. Augusti peruenimus, vbi statim effusis ex arce hostibus, leuia certamina conseruntur: eo tamen euentu, vt Turcæ cæsi pulsiq; ad tutiora sese reciperent: nec mora, ipsa aduentus die, intra vallum, quo Turcæ ipsi in expugnanda arce antea vsi fuerant, positis castris, atque tormentis promotis, mœnia vehementer quassata sunt ex orientali parte: quandoquidem arx ab occidente, qua illam affluit Rhymnia amnis, tumulo imposita, accessum habebat palustrem atque planiciem, quæ lubrico cœno oppugnantes præpedire videbatur, aditumq; difficilem præbere: nihilominus ea, quæ insecuta est die, complanato quod occuparant vallo, ca-

lo, castra in alteram partem posita sunt: Francisco à Steynenbrun præclaræ nobilitatis & militari arte inter Germanos perillustri viro, exercitus totius legato, quem Marescalcum vocant, castrorum muniendi causa imperatum, vt pontem fluminis subiecti, quem veteres Mansuetinum vocabant, deiiciendum curaret, quamprimum exercitus totus transuectus esset: ita noctu disiecta tignorum materia, succisisq; sublicibus intercisus est: quo tempore ipse Legatus, glandula tormentuli ex arce euibrata, in brachio leuiter perstrictus & vulneratus est: sclopetarii autem omnes in aciem expositi, atq; arcis mœnibus ad oppugnationis speciem admoti. Imminebat namque arci & castris nostris collis planè latus & arduus: in quem Turcæ, qui iam omissa expugnatione Zygethi, excepturi nostros, ea nocte aduentare nuntiabantur, & tormenta & vim omnem, vt nemo dubitabat, collocaturi erant: nostrisque in planicie positis detrimentum magnum illaturi, nisi aggere & vallo obiecto, munirentur: quod quidem assiduo opere erectum nonnihil profuit, obfuit autem hosti multum, cum ex eo per totum diem, dum alii laborant, tormentorum magistri assidue ex ea parte vbi palustris est aditus, portam adeò vsque diuerberarent, vt magnoperè deformata iam ruinam minari videretur. Ea nocte, ad deiecti pontis vestigia, in ripa aduersa præclaræ voces auditæ sunt Illyrici & Turcici idiomatis, quæ adclamarent in arce positis in hæc verba: Viri Turcæ, milites fortissimi, hanc quam nacti estis arcem, strenuè pro virtute vestra defendite, nullus timor animos vestros occupet. Aderit vobis summo mane Hali Bascha (sic illi præsides prouinciarum vocant) is qui iurauit, Deum & Mahmet illius prophetam, se vos egregie liberaturos. Itaq; 12. Calend. Augusti cum illucesceret, equitatu viginti millium Turcarum comitatus aduenit Hali: his aderant Ianitschari, Turcicæ militiæ neruus, manus prætoria deducta ex singulis prouinciis: peditum genus ex Christianis ortum, imbutum verò sceleribus & superstitionibus Turcicis, à teneris, tormentulis manuariis admodum valens: quingentos fuisse, relatum est. Adduxerat quoq; 10000. peditum, præsenti pecunia conductorum, eorum videlicet quos Martelosios dici supra docuimus. Hos consequebatur, decem ipsa millium numero stipata turba ex Rascia, Seruia, aliisq; locis, spe stipendiorum & prædæ allecta, dum singularum regionum Turcici quæstores, voluntariè coeuntibus ad signa stipem largam promiserant. Copiæ autem huius, vt ex captiuis aliquot cognitum fuit, superabant in vniuersum trigintaquinq; millia. HER. Ex mancipio, quod adhuc in Alsatia apud nobilem quendam, pro fortuna benignius alitur, audiui, excessisse quadraginta millia exercitus Turcici multitudinem. PETH. Maiorem certe numerum, ne iactanter loqui videar, exprimere nolui: forsan & huius relatu amplior fuit. Aduentanti obiectus erat Rhymnia fluuius, qui præter pontem deiectum, duobus in locis vix quindecim passibus à se inuicem distantibus, vada habebat duo, quibus quatuor, aut ad summum equites quinque simul & latere coniuncti, pertransire potuissent: ad ea statim magna vis Turcarum, vti quosque fors conglobauerat, decurrerant, & nostris infensi, fluuium transmittere parabant, conabanturque in nostram ripam euadere. Hoc animaduerso periculo, Apollævvylerus eò cum expedita cohorte, quæ sclopetis vtebatur, Tribunum Georgium VVeldner ab Hohburg, (quem vos **den langen Jörgen** vocatis) mittit, eique imperat, vt ad vada Turcarum agmina, quæ iam traiiciebant, prohiberet: quo fortiter omnia administrante, ita coniectis scite tormentulorum glandulis Turcæ repulsi, amnem transire non potuerunt: at fortiter adnitentibus nostris, nonnullisque flumen tranantibus, in hostem impetum faciunt, Tribuno ipso incredibili quadam audacia decertante, tantoque pugnæ studio, vt fugatis, vulneratis, prostratisque hostibus permultis, iam ipsa Turcica acies tota ad pugnam incitatior progrederetur: nam Hali, aliquot mille equites, Ianitscharorum delectam manum, in nostros præmittit, ipse omnibus copiis subsequens: ac impetu facto, adoritur obuios.

Digitized by Google

Noſtri verò inſtructis aciebus, ciuem illum tuum Hüthſchium Baſilienſem, Herolde, cum reliqua velitum manu, quæ tormentulis & ſclopetis vtebatur, laborantibus ſuccurrere iubent: is ſtatim, vbi hoſtes confertiſſimi inſtabant, cum ſuis acerrimè pugnans, vagabatur paſſim, hos manu inuadens, aduorſos obtruncans: quibus imperare non poterat, militibus conſulebat, vndique circumfuſos explicabat: ita extraordinariis præliis, quos locus, quos caſus coniungebant, orbibus factis, inſtructi ex omnibus partibus & ſimul tecti, hoſtium vim ſuſtentabant: cum aptè collibratis in Turcas, duobus tormentis maioribus, quæ à velocitate ictus accipitrum nomine, Germano veſtro vocabulo Falcones vocantur, crebris illorum eiaculationibus, à flumine pellerentur, qui vada tranſmittere nitebantur, hoſtes. Iamq; dies conſumptus erat, atque in multam noctem velitatum, cum Hali ex opportunitate loci conſilio capto (id noſtri ante euenturum proſpexerant) vti ſuis receptus eſſet, collem illum ſuperiorem, de quo diximus, occupat: militem ibi in vnum contrahit, ac cunctos pleno gradu ſubducit, crebris ignibus factis, plerumque noctis more ſuo ſine ſomno tranſegit. THA. Certè poſt pugnam magnum tui erat deſiderium; rumor enim peruaſerat caſtra, te adhuc nihil remiſiſſe: noctem verò pro te eſſe arbitrantem, inſtare Turcarum tergoribus: ſed pro metu repentè gaudium exoriebatur, quando vix vigilia ſecunda, cum ala illa tua ſacra ad nos lætè redeuntem conſpiciebamus. Anhelantem igitur, atque ex labore defeſſum, donec ſpiritu augearis, & reficiare, huius ſermonis onere te ſubleuabo, atque ea nocte, quid actum ſit, explicabo breuiter. PETH. Dic ergò. THA. Neque nobis tunc quidem multa fuit quies: nam præter id, quod ad vigiliam vſque tertiam tormentorum ictibus arx continuò impetita ſit, Apollævvylerus per ſingula propè horarum momenta, Hungarorum vſus induſtria ac celeritate de hoſtium rebus, qui explorata referrent, flumen tranſcurrere iubet: militem ſuum ad vada, mutatis ſubinde vigiliarum ſtationibus & intenſis excubiis inſomnem habuit: inſeſſis quoque longè lateq; per alternantes equitum procurſationes itineribus, molitiones hoſtium obſeruabat. In caſtris autem per proceres cœpta fuit conſultatio, cum feruidis & audacibus ſententiis in id nonnulli declinarent, vt candidis illis lineis imis tunicis, armis ſuperinductis, intempeſta nocte & ſilente Luna, in hoſtem cura peruigilationibus & ſollicitudine afflictum, indormientemq;, ac terrore perturbatum, irruptio fieret. At occurrebant progreſſuris vada fluuii, ſtricta illa, cœnoſa & profunda, præter quæ aliud nullum extabat, quæq; ordinibus inſtructis tranſiri non poterant, neque tormenta vlla tranſuehi: ac quod ſummum impedimentum erat, inopia commeatus omnis, præcipuè tormentarii pulueris, & globulorum ferreorum penuria: nam ex eo non ſupererat, quod in medium diem tantum excutiendis tormentis ſatisfaceret, neq; quod ſclopetariis ad manuaria tormentula ſufficeret die integra: iis enim deferendis accuratè atque opportunè, nihil in tanta feſtinatione potuit ſuſcipi: neque ea miniſtris, qui id procurarent, vt celeritate exercitum aſſequerentur, diligentia vlla fuit. Proinde viris fortibus, atque tot neceſſitatibus adſtrictis, experiunda omnia cenſebant: ſedendo verò famem, & hoſtis vim accreſcere & augere, periculoſiſſimum eſſe; neq; recedendum vllo modo: omnem etenim fugam fore non ſolum turpiſſimam, ſed etiam iis, qui in Zygetho conſtituti eſſent, omnino exitioſam, qui ipſi abſq; ſumma Reipub. calamitate perire nequirent, neq; ſine infamia atq; dedecoris nota fœdiſſima deſeri. His de cauſis confligendum eſſe, magno illo noſtro Deo pro religione & Chriſtiani nominis gloria decertare paratis iam propitio: at vt cautius pugnaretur in campum qui decliuis contra arcem aperitur, tormenta ex vallo transferri debere: occupatoq; aliquo eminentiori loco eò collocari, vnde commodius in progredientes Turcas dirigi & diſplodi queant. Vada præterea, remotis præſidiis, deſerenda, diſiicienda tabernacula, vt hoſti tranſitus pateret, quem ex parte tranſuectum, vel toto campo inſultantem iam, à tergoq; flumine coercitum,

ercitum, fortiter deinde aggredi possemus. Interim Hali conuocatis fabris, & adnitentibus omnibus, pontem reficiendum curauerat: nam peruicacia summa ferebatur, atq; ardenti animo in nostrorum perniciem, quos summo mane aggredi animo statuerat, in id quoq; parauerat tria grandiora tormenta, quæ in collem traduceret: quem in hunc finem sibi elegerat, vt illinc in nostros, ceu in signum aliquod iacularetur, igitur ante auroram singulos suorum manipulos circumiens, omnes admonet & obtestatur, vt pristinæ virtutis memores, sese ab infamia, Solymannum à periculo & Germanorum dementia defendant: fore certamen cum iis, quò toties victos, ipsa calamitas & desperatio ad aliena rapienda instiget. Nouos esse duces, imperitos sed veteres & degeneres animos. Iam sibi omnia prouisa esse, quæ ipsum decuerint: locum superiorem, vbi expediti cum segnioribus & temulentis, plures cum paucissimis, veterani cum rudibus & ignauissimis manum conserere possint: Proinde illos intentos paratosque esse debere, vt signo dato prouolent ac Germanos inuadant. Hac equidem die, vna pugna egregia victoriam posse confirmari, & seruitutis æternæ Germaniam initium sumere. Itaque illucescente die, Turcæ alto silentio cum copiis egrediuntur castra, agminibusque factis in prælium ruunt, signisque infestis procurrunt. Nadastus dux noster officium suum acturus, cum consulto, nonnihil à flumine noctu suos cædere iussisset, ac pettoritis, quos Gotschos appellamus, curribus carrisque pro vallo obmunierat, mane remotis omnibus expedito milite, expectatum casum subiturus, bifario exercitum diuidit. Apolæwylerianæ legionis partem quæ sex signis constabat, quadrata acie instructam, Steinenbrunnio ac fratri Apollæwyleri Christophoro, iuueni bellica & omnis generis nobiliori disciplina illustriss. ducendam dedit, adiunctis ferentariis Nigris Austriacis illis, atq; millenaria ala Serinia, reliqua vero sex signa eiusdem legionis, sub Ludouico ordinis D. Ioannis equite, cui Mullenburgum in Austria sodalitatis præsidium commendatum, qui etiam Apollæwyleri vicarius & frater erat, ordine suo, vt postsignana esset, commode collocauit. Attribuit autem huic Nadastinas turmas duas, & cateruam ferratam. Phalangi autem sic instructæ vnicuique in alarum speciem velitum sclopistarum manum circumfuderat, ordinatis nonnullis tormentis maioribus, quæ eam præcederent, aut pro rei commoditate sequerentur, quorum tamen vsus nullus esse potuit, cum præpropera festinatione etiam id neglectum, quo carri fathiscentes pondere æris solidarentur, neque erant equi, qui tantam molem, quo opus esset, circumducerent. Castrorum custodia montanis cohortibus Styrensibusque auxiliariis relicta. Iaculatorum vero cohors, vt supra diximus, VVeldnero tribuno contributa, ad latus dextrum tutandum, atq; cum globo Lenkewizio, laborantibus vbiq; vt adessent, procurrere iussi sunt, atq; libere illis vagari permissum. Nadastus ipse, Apollæwylerus, ac Nadasti frater ala sacra delecta, atque nobilissimorum hominum globo stipati, eo in loco hostem expectabant: quomodo in primis, modo in postremis, etsi vellent in medio suis adesse pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare atque instruere omnes possent. PETH. Video hostem, cuius equites vadis transmissis, magno impetu, multo clamore in nostros ferri audio. Meum igitur erit, ad pugnam redire. Vix in nostra ripa constiterant Turcæ, cum pauca pro tempore milites cohortatus Apollæwylerus, antesignanam aciem hostem excipere iubet: classico itaque audito acies æquabiliter mouebantur: & appropinquantibus hostibus magis atque magis, iaculatores VVeldnerii, ferentariique Nigri, cum ala Serinia, à dextro latere magno impetu, in hostem procurrunt: ibi dum nostros Turcæ equites ferocius vrgent, indignatio nostrorum suborta, facto globo adeo insolenter incumbentem hostem in paludem proximam, quæ ad arcis sinistram limosa & aquis restagnantis Rhymniæ fœda & inaccessibilis est, propulsant: vbi magna pars subsidentibus equis, aut cœno obruitur, aut fœdè à nostris contrucidata fuit; euasissent certè pau-

Digitized by Google

ci, nisi celeritate equorum vsi, cum phalanx nostra neq; eos assequi posset, neq; ordines laxare auderet. Densatis igitur ordinibus, atq; obuersa acie ad suos redeuntes, in cornua, vacuumq; circa campum se retulere. Barbari autem iterum contractis ex fortissimis quibusq; magnis agminibus in pugnam celeriter reuertuntur: ac recenti pedite adiuti, quem per pontē traiecerant, tria tormenta grauia in tumultum quendam subducunt: atq; acie tam pedestri quam equestri firmata, tormenta illa, atq; ea quæ in colle circa fluuium liquerant, in nostros dirigere cœperunt: quibus perite administratis, fiebat, vt nostri à coniectis subsilientibusq; tormentorum globis certum acciperent detrimentum, neq; hostium vti cupiebant adoriri possent exercitum. Ad eos igitur deiiciendos Christophorus Apollævuylerus, cum acie sua, cuius sinistrum cornu ductabat, omni per arduum & impeditum tramitem inter primos contendit: cum Hali ex coniectura directæ phalangis animaduerso nostrorum consilio, omnia tormenta tribus In locis arce, ex tumulo occupato, & colle vltra flumen sito in nostros contorqueri, explodi & exonerari iubet: quæ tanto impetu, proh dolor, tamq; certis ictibus in nostros ferebantur, vt ex iis quod citra flumen excussum erat, Christophoro pedem sinistrum sub femore totum deiiceret, nouemq; alios milites perpendiculariter se inuicem in ordine sequentes prosterneret. Apollævuylero ex acie in castra delato (is autem intra horam deinde Deo spiritum reddidit) suis vim hostium ægre sustinentibus, iaculatores VVeldneriani subsidio aduolabant, ac mox virtute Nigrorum pulsatus hostis, incommodo licet ex ducis morte maximo accepto, saltum tamen inuadunt, tormentis hostium euersis, atq; in potestatem redactis. Iam etiam Turcę, qui ex arce suis adcurrerant, militū qui in dextro cornu erant alacritate, strage magna reiecti, cedendo in arcem sensim, desertis sociis se receperant, atq; in hoc nitebantur plurimum vt pontem pensilem clauderent, quanquam nullis viribus leuare aut attrahere funibus possent, quia ex porta illa, nostrorum tormentis ac crebris ictibus verberata, quæ in ipsum inciderant maxima fragmenta, ponderosiorem reddebant ac grauiorem, præterea sclopetarii continenti procella glandularum ipsos impediebant: erant autem forsan quinquaginta, qui dextri cornu duci, Steynenbrunnio adhærebant. Is namq; magnam vim annonæ, commeatus, tormentarii pulueris & pilarum ferrearum, in arce asseruari audierat, qua capta, commodum ingens monstris, hosti vero detrimentum maximum accederet: quapropter supremæ virtutis conatu, atq; admirabili animi fortitudine, in pontem vsque insiliit, vbi cecidisse eum dicunt: hominem certe diuturna militia, atq; fortibus factis, fama late parta, honoratissimum: qua vero (hactenus id audire nequiui) tamen honesta morte eum occubuisse certum est. HER. Dicunt, qui vna rei gestæ interfuere, extincto Apollævuylero, sinistrum cornu duce iam orbatum, occupatis tormentis, vt ea auferrent laborasse: sed cum nulli adessent equi, frustra grauiter defatigatos milites: adeo vt properantem in sua fata, alterius dextri cornu ductorem Steynenbrunnium, dum tardius suis iunguntur, adsequi non potuerint, neq; pulcherrimi facti gloriam acquirere. Iam enim is portam ipsam irruperat: traiectus autem glandula tormentaria, delinquentibus ipsum viribus sensim prolapsum esse, immortali ac diuina voce hac edita: Amantissimi commilitones, de me equidem actum est. Vos date operam, in hoc incumbite fratres, ne totius orbis spem fefellisse videamini, aut Imperatorem nostrum Iesum Christum deseruisse. Videte vt victores euadatis, vestra siquidem victoria est. Ad casum tanti viri, tunc cum acinacibus incuruis ac strictis adcurrerant non minus quam duodecim Turcæ: quorum is in terra prostratus, vnum manibus correptum, magna vi sibi iniecit: an vero cum illo tunc excarnificatus sit ab hostibus, nemo vidit: quum sint qui captum putent, quod à vero omnino dissimile: omnium autem ore consentienti testimonio, ipsum ea die paulo minus 15. Turcas cruentissimo certamine confecisse constat, & vsque adeo in hostem ipsum debac-

debacchasse, vt manus eius cruore conspersæ, illi iam languescerent, neq; nisi satiatum barbarorum cæde occubuisse. At duobus ingentis animi, efficacissimæq; virtutis & industriæ singularis ducibus gloriosa morte sublatis, ingruentes vndique barbari quomodo repressi sint, cupio scire. PETH. Consternatis militibus aderat multis & maximis præliis, exercitatus ille Apollævvylerus, inclamitans: Adnitimini ô commilitones, capessite mecum Rempub. Christianam fratres optimi, nullus vos ex calamitate mea occupet metus: fratris dulcissimi, commilitonis fortiss. casus, exemplum nobis omnibus est, satis excellens, qua animi magnitudine pro Christo pro patria pugnandum. Egomet in agmine, ego socius omnis periculi vobiscum ero, meque vosque in omnibus rebus iuxtà geram: & Deo adiuuante, præclaras illas animas, quæ iam ex ipso cœli prospectu testes nobis rerum sunt, & adhortatores, inultas certè nunquam sinemus. Vix hæc fatus, barbari cùm adessent, qui perturbationis alicuius signa conceperant ex casu ducum, vndique truci vlulatu edito ingruentes, atque omni ex parte se circumfundentes renouabant impetum: quos nostri egregiè sustinentes, multa simul prælia per totum campum conserebant. In eo tumultu Apollævvylerus, ferentarios nigros adiit, eosque obsecrando & prensando alloquitur, hortaturque vt virtutis suæ, in qua plurimum spei situm esset memores, quod fortuna nunc discrimen inferret, pro religione, pro pientissimo Cæsare, pro patriæ Principe, pro Germania susciperent. Ii statim ad signum indictum, ipsum Apollævvylerum cum ala sacra secuti, phalangem magno affectam detrimento, & planè fluctuantem præsenti auxilio confirmarunt. Pugnatum est eo in loco ardentissimè, ita vt ab hominum memoria nusquam acrius aut periculosius certatum fuisse, dicatur: etenim eximia virtute depugnantium hostis iterum in palustrem locum adactus, magna pars quæ fugiebat, ibi iterum cæsa, à sclopetariis traiecti plures. Nadastus dux vetu, & planè cautus, cùm iam de Turcarum fuga nonnihil subdubitaret, eamque simulatam arbitraretur, timere cœpit, ne in locum aliquem iniquum nostri pertraherentur. Visum ergò illi, atque nonnullis aliis claris viris, quandoquidem paucis horis omnis puluis tormentarius absumi possit, præterea iam denuò glorioso euentu in hostem depugnatum sit, vt signo dato miles bellator in castra reuocetur, canteturq; receptui. At Apollævvylero præceps illud, atque parum forte consilium apparuit: nam exercitum victoriosum totius Reipublicæ præsidium atque ornamentum, nunquam discedere posse, nisi fugæ potius, quàm profectionis speciem hosti præberent: progredientibus enim postsignanis, victricem illam aciem antesignanam laxare tunc oportere, atque animis statim & corpore concidere: equitum quoque præsidiis semel nudatam hosti à lateribus, à tergò obiectam & circumuentam, neminem amplius defensuram, neque qui opem ferat adfuturum amplius. Quapropter nisi teterrima atque ignominiosissima nece perire quis velit potius, quàm fortiter agendo victoriam gloriosam, cumulatam & certam consequi, reliquias Turcarum iam omnino delendas & profligendas esse. Itaque maturrimè aduocata postsignana acie, fratrem Ludouicum Apollævvylerus hortatur, vt necem Germani barbarorum sanguine expiare velit: qui statim aduolans, sibi omnino constitutum esse aiebat, deletis hostibus, & tumulum & tormenta occupare: aut cum ipso fratre egregiè pugnando, simili fratris ac decoro exitu mortem oppetere. Tibicines tunc omnes simul tuba canere, tympanistas classicum ciêre, milites clamorem attollere, & appellationem Christi ingeminare, ex omni parte in hostem irrumpere iubet. Hostes eo terribili sono perturbati, atque subita nostrorum vehementia attoniti hærere, omnino nihil facere primo: spiritu verò resumpto, desperati iam nostris occursare, iam iusta acie totis viribus confligere, in carpendo procursare, à quibus extra ordinem fortissimè pugnans Egenolphus Zellensis nobilis tribunus, telo ictus ceciderat, interceptus continuò, & abductus est. Pugnabatur magna vi vtrinque:

vbi quisque ductor siue tribunus curabat, ibi acerrimè nitebatur: nullus vel subsidii, vel vitæ spem maiorem, quam in seipso ponebat: auidissimè quisque alterum sauciabat, cædebat, cùm negligentissimè semet tegeret, clamor succumbentium permistus execrationibus, precationibus, & cohortatione: hic lætitia infrendens, illic gemitus & patriam & sacra lugentium: strepitus armorum, fragor ante omnia tonitruorum: quem imitari videbantur, dum ex tumulo, ex arce, ex colle, quem in altera ripa occuparant, omnem puluerem tormentarium, omne sulphur, omnem Æthnam, omne ferrum naturæ in nostros euomere, atq; tormentis proiicere conantur. HER. Audio perniciem hanc tam horrendam fuisse, vt fortissimi viri, qui ex Styria caterua illa ferrea continebantur, vecordi instinctu, detracta acie, imperata recusare, atque se elongare ab aliis cœperint. THA. Vt maxima fuerit certè, tamen calumnia hæc est, atque ex inuidia conficta quædam iniuria: nam Rindtschidtii ducis iussu, vt grandinem pilarum ferrearum declinarent, morulam fecerant, cùm vulgus eos fugam moliri incusauit. HER. O dii, quàm liuor semper summa, abiectissimus ipse, petit? Sunt qui audent affirmare, Apollævvylerum adæquitasse Rindtschidtio, & intento minutulo tormento ei minatũ fuisse, confestim illum se traiecturum, nisi in ordinem redeat, quandoquidem illi etiam turpiter fugienti moriendum sit. THA. Masculum responsum tulit Apollævvylerus à viro doctissimo, ni fallor. HER. Tale dicunt: De honesta morte sibi curam esse, non de fuga; attamen ciuibus suis consulendum fuisse, eosque manifestis periculis non obiectandos: nisi omni fera stolidiorem se æstimet, quæ etiam in periculis catulis suis consulere soleant. Ad summam, vnà se cum aliis vincere, aut cœlum petere velle. THA. Vidi certè, ego omnia ipsum suis prouidere, apud omnes adesse, laudare, increpare; nam equitatui suo omni in partem eam traducto, qua extra iactum tormentorum securus esse potuit, in hostem procurrere, & nullam contumeliam in eo remanere permisit. Interim Nadastus, Serinius, & Nadasti frater, læti modò, modò perterriti obuersari suis, monere hos, illos hortari, manu significabant: nonnunquam quæ volebant, nitebantur corporibus hinc illinc inter tormenta, inter tela, inter tot ictus quasi virabundi atq; taciti alios agitabant. Hostes tandem de pugna sua remittere inceperant, cùm hi consultò leuius agere, & hostibus desperatè contendentibus fugam aperire, neq; militum, neque ducum excellentissimorum officiũ vllum intermittebant, donec Styx illa Turcarum, & Phlegethontea barbarorum Baboczica palus nullum amplius reciperet, atque Cocytus Mahmetanorum Rhymnia ex cadaueribus immersis pontem fugientibus latronibus præberet. PETH. Tunc certè in summo tumuli totius iam campi, iam tormentorum certi & veri domini & possessores, illi nostri aciem suam extenderunt, lixis & vulgò ad prædam discurrentibus. Iam tertium victores, miles alius alium lætus appellat, acta edocet, atque audiunt gesta: vnusquisque (nam ignauus nullus fuit) ducum facta ad cœlum effert, de suis gloriatur, gratulatur de alienis. Cæterùm Nadastus, Serinius, aliique ex nobilitate magni viri, consiliis belli præfecti, cùm puluerem tormentarium in secundam horam non sufficere amplius viderent, Baboczam præterea non adeò immunitatem arcem, vt absque tormentorum concussione expugnari posset, hostem verò indies auctiorem futurum: iis tot tantisq; difficultatibus impeditos se consilio diu sustentare, aut explicare quomodo vellent, vix perspicere eos fatentur: itaque Apollævvylerum adeunt atque orant, vt quadrata acie instructa profectionem instituat, Canysium versus: satisfactum honori, satis gloriæ, obsessione quoq; liberatos, qui in Zygetho includebantur: & manifesta demum fuga Turcas profiteri conditionem ipsorum, nostra iam multò peiorem esse. Huic sententiæ Apollævvylerus, qui internecione omnium Turcarum fratri parentare, eiusq; mortem vlcisci cogitabat, ægrè quidem primò, vix tandem difficultatum rationibus euictus, cessit, ac receptui canere iussit: legioniq; omni indicare, decretum iam atq; opus

esse,

Digitized by Google

esse, vt intra fossam, quam tumultuariam aggere nouo egesto confecissent, sese reciperent, arcem exinde oppugnaturi. Quò vbi peruentum est, ordinibus adhuc & acie omni integris, videri sibi consultius inquit, vt vallem quod ex curribus, vt antea dictum est, confectum erat, repetant, illic quid nam contra hostes moliendum sit in tuto consultaturi. Vix ita inclusi, progrediendum esse ipsis ad Drauum flumen, indicat; nam commeatum eo applicuisse, quo reficerentur largius. His artibus, defatigatum laboribus & vulneribus ęgrum militem, ad sustinenda incumbentis itineris incommoda, paulatim promouendo, nihil vrgendo, promptiorem facit, atque absque omnis fugæ suspicione è conspectu hostis abducit: habita ea sauciorum ratione, vt quadrigalibus equis, vel infirmiores equitum iumentis in clunes impositi, arctiore se complexu retinentes, deducerentur atque sustinerentur. Iam per horam aut amplius acie instructa processerant nostri, cum octo millia atque amplius Turcarum à tergo nostris instarent. Apollævvylerus ex tormentis maioribus, quinque leuiora: quanquam difficulter post agmen collocat, addita VVeldneriana iaculatorum cohorte, ac sclopistis Hütschiis, qui Nigris ferentariis immixti, postrema agmina defendentes, impressione facta omnem Turcicam velitationem propulsabant, atque in fugam vertebant. Illi autem crebro impetu & transuersis præliis iter nostrorum remoraturi, quoniam ignauiæ suæ diffidebant, lassitudine nostros tentabant, à dextra, à sinistra iterum atque iterum aderant, pernicitati equorum confidentes, eminus omnes sauciabant: cum nostri contrà feriendi, aut manus conserendi nullam darent copiam. Hæc inter propè VVellevvarum oppidum legio peruenerat, quod à Babocza sex millia passuum distat, vbi tandem etiam virtus nostrorum eos superat, cum ardentissimo animo in lacessentes ferebantur ita Turci fusi & fugati, velocitate equorum tutati sunt, nunquam amplius nostris comparuere. Demum progressu nostrorum, hostium importunitate sic multum impedito, magna difficultate confectis aliis quinq; miliariis eoq; modo vesperi ad Perlenkze nostri castra metantur, quo etiam vnà qui postremus defenderant perueniunt. In castris tum Deo Opt. Max. gratias actæ, pro concione vniuersi laudati, ad cætera quæ leuiora forent adhortati: pro victoria iam pugnatum satis durè, omnes alios labores pro præda subeundos fore. Saucii tunc summa cura foti, refecti omnes esculentorum & poculentorum copia, & recreatæ vires. Censiti deinde, vbi nostris non incruentam victoriam contigisse compertum fuit: maiorem autem partem eorum qui in bello occiderant, dicunt ex Germanorum nobilitate clarissimos & fortissimos viros veteranorum quasi florem fuisse. HER. Ducenti paulò amplius apud nos desiderari dicuntur, quos inter cum nulla adhuc eorum fuit mentio, censentur Iacobus Reyschach quidem, & à Turre alius. Tribunus legionarius Theobaldus Ziegler à Senheym, qui fortiter pugnans, quinq; horrendis vulneribus exceptis, non inultus cecidit: auxiliariorum peditum Styrensium tribunus Sigersdorffer pari modo occubuit: pede vulneratus inter infinitos ipse Apollævvylerus legionis præfectus virtute euasit sua. THA. Pulchra certe morte, Nadasti frater, exemplum pietatis & fortitudinis reliquit; is enim aduersis vulneribus concidens, quem pugnando locum viuus cæperat, eum amissa vita exanimi corpore obtegere repertus fuit. HER. Felices animæ, quibus hoc datum fuit, vt effuso sanguine, aut reipublicæ salutem & felicitatem fundarent, instaurarent & stabilirent: aut certe nunquam intermoritura bonorum recordatione, & nominis gloria sempiterna, calamitatem communem subterfugerent, ac priusquam mortalitatem sentirent, immortalitatem assequerentur. THA. Infelicissimos ergo Turcas, nam apud eos nihil nisi luctus & mœror agitabatur, quarum duo millia ac quingentos desperatè agendo, timidè pugnando, turpiter fugiendo periisse, tam certum est, quàm mancipiorum verissimo relatu compertum, ex pugnacissimis inter ipsos reliquum esse nullum, neque non profundissimè vulneratum vllum; signa mili-

taria ipsis erepta quinque, & à labaro Solimanni proximum pandum tormenta illa tria cum puluere & pilis extorta, triplicis tandem fugæ ignominiæ labes perpetua illis inusta. HER. Victi, fusi, quo abierint, nondum audiui. THA. Fatale certe Rhymniæ flumen, dum in vniuersum eorum vnusquisque animum despondisset, transgredi amplius non ausi, in colle illo quem pro castris primo cæperant, triduo commorati, inopiam & famem non diutius laturi, ex vulneribus deniq; & tabescentium cadauerum fœtore ægri, magno pauore Christianos sibi instantes semper, etiam in somnis exhorrentes, tandem aufugiunt, atque ad dolos consuetos conuertuntur, detruncatis iis quos fors in bello neci dederat capita eorum sanie diffluentia hastis infigunt, ex paganis mulieres colligunt, quarum trecentas amplius comprehendunt & secum abducunt, acceleratisque itineribus progressi Zygetho castri iterum admouent. Anteuerterant hos ex nuntiis præsidiariis, duo qui rebus gestis ad Baboczam interfuerant: qui confirmatis victoriæ nuntio omnium animis, insidiarum hostis eos admonuerunt. Interea etiam qui erant in præsidio, disiecto aggere & vallo, oppleuerant fossam, quam Turcæ prima oppugnatione pro munitione castrorum obiecerant, eam quoq; mœniorum partem, quæ ex frequenti eiaculatione tormentorum corruerat, iam lorica circumdatam, fossa, vallo & muro cinctam, ingenti virtutis & animorum conatu defendendum suscipiunt. Turcæ ostentatis à cadaueribus resectis capitibus, fœminabusque paganis, quas vxores fuisse Germanorum mentiebantur, præsidiarios & ciues simul hortantur ad deditionem: quod si pertinatius resisterent, pro honoribus & muneribus, quæ ampla omnia pollicebantur, in omnem sexum & ætatem gladio se sæuituros minabantur. Ea vero tum omnium constantia, atq; in virtute nostrorum tanta spes, vt surda aure minas atq; promissiones barbari omnes transmitterent; nam vti ab stolido hoste propter desperatam expugnationem prolata, irriserunt omnia; sic vt etiam Baboczicam illi cladem, contumacioribus verbis in faciem exprobrarent: nulla dissimulatione nostrorum decretum iactantes, nisi cedat, Baboczam expugnatum iri, & euersam tandem in cineres nostros eam redacturos. Secundo igitur noctis vigilia. Hali occulto quodam pauore consternatus, non amplius cessandum sibi, sed decedendum ratus, tormenta educere, & maximo silentio præmittere iubet: illachrymans mox, peruicaciamq; nostrorum detestatus, conuulsis signis, turbatè confuseq; suos subsequi præcepit, ac ad Quinqueecclesias iter conuertare, atq; deflectere. In eo dilabentium tumultu nostri erumpunt, ac egregiè pugnantes, postrema agmina, magna cæde afficiunt, hostem per aliquot horas insecuti. Croata præterea auecto aut corrupto commeatu, ex S. Laurentio & Kelamankze oppidis funditus euersis, direptis castris, maxima præda ditatos suos domum reducit. Occisus est ea pugna magni nominis apud Barbaros latro: in qua etiam cum iis qui in prima obsidione perierunt, septem millia Turcarum desideratos, qui capti sunt retulere. Hali autem pacatioribus quam antea itineribus ad Tulnam, deinde Budam peruenit: vbi dissolutis cohortibus cum execratione infaustæ militiæ vnumquemq; in suum præsidium dimisit, mercenariis potestate domum reuertendi facta. HER. Exercitus victor quo se deinde, quæso, conuertit? VIC. Consummata omni belli gloria Matthias Coruinus, ignauiæ tantum & dedecoris locum reliquisse in Pannonia, longo iam tempore, per totum orbem indignantium fremitu contestatum, & paucorum ignauia, Germanorum inuictæ vestræ gentis nomen & virtutem, continuo prodi cernere erat: at nunc Apolkevvylerianæ legionis excellenti virtute, Germanorum decore instaurato, timor de Turcis non abs re conceptus, plurimorum animis detersus, cum illa tanta mole virium incubuisset, vt tantæ arrogantiæ fastusque insolentissimi tyrannum, fuga suorum exterritum, vna cum totius gentis infamia æstimatione sua exueret: maius aliquod opus cœpit cœlestis cura Cæsaris, ideo ad Betsenkze dimidium diem cunctantem legionem, Canysium euocauit, quod quin-

quinquaginta passuum millia distabat. Eo mittebatur tanti roboris exercitu dignus, & omnium votis diu exoptatus Imperator Ferdinandus Austriacus Cæs. F. quem amantissimum & dulcissimum pietate simul tenerrimus & durissimus pater, dum patriæ consulere studet, irritato & desperato hosti obiicere non dubitabat. Is iam mense Septembri Canysium venit, deliberatione obstinata, vt iter ad Zygethum vsque Christianis expediret, ab insidiis & iniuria Turcarum liberum redderet. Aderant illi ex Bohemia, Morauia, Carinthia ac aliis ditionibus lectæ equitum grauioris armaturæ, alæ millenariæ tres, quorum pauci hastis, venabulis vero simul ac sclopetis ferme omnes vtebantur. Husserones siue leuioris armaturæ equites hos comitabantur numero octingenti, vexillationibus Dalmatica & Hungarica distincti. Alam sacram liberali & pio in patriam animo priuatis sumptibus & stipendio hilari conductam, Iohannes Fuggerus Ant. F. ducebat, quæ equitibus quinquaginta fulgentibus armis conspicuis constabat, quorum etiam equi ipsi ferro erant contecti. Prætoriæ cohortes duæ Austriacæ comitabantur Imperatorem, vt decore eximio exornatæ, sic bellicum spirantes, generoso animo Martium vigorem ostendebant. His omnibus legatus ab Imperatore dictus erat Sforza Palauicinus, Italici splendoris homo, nobilissimæ & Germanæ suæ originis æmulator cordatissimus. Equorum iugis trahebantur tormenta leuiora falcones & colubrinæ ad campestres vsus, nec non Basilisci ad oppugnationes cum maxima pulueris & globorum ferreorum copia; iis & omni officinæ machinatum bellicarum præpositus erat Iohannes Osostki, vir strenuus, vsu & consilio grauis: cui parebant fossores ducenti; annonæ vim magnam secum aduexerant. Aderant quoq; natu grandi homines, itemq; omni consilio pacis & belli exercitatissimi, Plauensis, Barcouius, Carolus Ticheretinus, Iulius Hardeccus, Iohannes VVeyspriachus, Franciscus Turarus, Erencychus Kunigspergius, Paulus à Zeltingen, aliiq; ad munia belli obeunda idonei viri, ad consilia delecti, qui Cæsaris filio, Imperatori, iuueni ardore mentis in gloriam properantiori vbiq; adessent tam in ipsa militia, quã in conciliis. His ac tantis confirmatus auxiliis, eaq; copia exhilaratis nostris, de explorandis hostium consiliis, de eorum incommodis augendis, deq; Zygetho communiendo consultari cœptum est, ob id quod præsidium illud, ad inuadendos hostes, maximam opportunitatem, ad defendendos fines commoditatem ingentem præberet, si frequenter erupturis egressus facilis & tutissimus receptus pararetur: & commeatus, pecuniæ, milesq;, quem adduxerant recentem, intromitteretur. Prouidebant nonnulli id esse rem summi discriminis, quoniam plura oppida natura & opere ferme inexpugnabilia in circuitu & itinere Zygethi extarent, quæ rectam illac viam ad rerum necessariarum subuectiones libere commeandi penitus eriperent atque intercluderent, Turcarumque velitatione omnem regionem intutam redderent: quorum insultantium perpetuoque insidiantium arma cum non tolleranda, certe tollenda à fortibus viris atque pericula, nisi victoriæ recentis fama ea imminuat, subeunda esse maxima. Si tum quoque in propinquo ad Zynnam amnem Carothnam arcem, cum oppido & flumine munitissimam; ipsam nisi fama Christianorum illustri, & victoriæ accessu læto, magno autem Barbarorum incommodo, in nostram potestatem nunquam venturam, neque sine summo periculo eam hostibus adimi posse. Hanc autem, ad oppugnandam ipsa spe difficiliorem, eum inuenturam, quicunque aggredi ausus fuerit, licet prædam & laudem vberiorem sibi paret, cui ad expugnandam diuinitas adfutura sit. Hæc sententia viris decentior nobiliorq;, etsi periculi multum præ se ferre videretur, eam tamen amplectendam arbitrabantur omnes, quando bellum trahere admodum perniciosum esset. Imperator igitur Apollævvylerianam legionem illico arma capere iubet, & ad occupandum cum arce properare Linkevvytziano globo, Nigris iaculatoribus atque vexillationi. Turaci iniungit, vt peditibus præsidio exiret: pro-

ductus est quoque apparatus tormentorum octo cum fossoribus sub Ossstko. cum reliquo exercitu Imperator castris metatis apud Canysium consedit, vt maturam opem ferat, si quæ hostis vis aliquacunque ex parte ingruat. Sentio autem, & mihi iam abeundum esse, Petheie: quare, rogo, ea quæ restant, explices. PETH. Non abibis, noui: at tunc accelerabas imperium, quando cum ala Serinia, legionem quæ adhuc vix quinque millia passuum confecerat, in castris ipsis assequebare: hoc vix ab Imperatore impetrato, vt in summo discrimine, summæ rei non deesses. Paulo post, Turacus cum sua vexillatione mittitur, vt quæ certiora essent, atque ad expugnationem opportuna specularetur. Is cum hostibus porta excurrere ausis ad manus venit: vbi res ita gesta est, vt interfectis Turcis pluribus, contis infixa eorum capita in castra retulerit. Orto deinde Sole, legatus legionis præfectus ipse tormentorum magister, ac alii, quorum in militia vsus & authoritas, delectis cataphractis, & iaculatoribus equitibus ad inspiciendam loci munitionisque naturam, ægerrime oppidum à ciuibus defendi, sed multo difficilius arcem à nostris occupari posse vident, cum in ea tanta mœniorum & muri firmitudo & soliditas, vt per mensis vix spatium quantumuis tormentorum assidua diuerberatione, deiici non posset, neque labefactari: prominebant ab ea parte, vbi oppido imminet, arcis extantia propugnacula, per quæ emissis tormentis ex omni parte subeuntes, certis fenestris feriri possent, mœnia autem quadraginta pedum altitudine, spissitudine horrenda. Prætereea audierant fossam post murum latissimam, eique vallum deinde obiectum, hac autem qua castra respiceret, atque fluuio alluitur, paludem esse profundam: quapropter ipsas bombardas, quibus diuerberare & deiicere muros opus esset, trans fluuium vehendas fore. Hæc cum in castris renuntiata, atq; deinde quorundam exploratorum relatione vulgo auditum esset, eam oppidi & arcis frequenti præsidio, rerum copia confirmatis munitionem esse, vt inexpugnabilem crederent: præterea hostem octo millibus equitibus prope esse, exercitumq; iustum subsequi, plurimi deposita animi audacia, de oppugnatione relinquenda cogitabant; licet Apollævvylerus Nigros illos, atque cum Ossstko fossores, vt egesta fossa, obiectoq; aggere tormentis collocandis opportunum locum caperent noctu præmiserat, adiunctis illis quatuor peditum signis, quæ Ludouici Vicarii ægrotantis ducebat vicarius, inclytæ virtutis tribunus Humbrechtus Stoer. GHIR. Hanc familiam originem suam à vetustate quadam veneranda & horrenda repetere, à nonnullis audiui, honoratis denique viris eam & florentibus opibus semper inclaruisse. VIC. Quid ni? Hos inter enim hodie est, qui cum cæteris proceribus Imperii, ex sodalitatis cuiusdam authoritate sacratus vir, gradu & ordine præcipuus habetur: quemque animi virtute, dignitate morum illustrem, benigna insuper in egenos & studiosos eius summa beneficentia mirum in modum exornari audio, ac, ni fallor, Ioannem Rudolphum vocari. HER. Is quidem ipsus est, Murbachi & Luderi Antistes: de cuius nobilitate & stirpis vetustate, mihi videre olim contigit monimentum certissimum, apud Theobaldum huius fratrem virum diuinnm, priscæ virtutis & frugalitatis æmulatorem: habebat is libellum, in quo insignium familiæ cristæ, quas Clinodias recentiores vocant, innumeris vicibus variabantur, magnæ vetustatis, magnæ & late propagatæ stirpis, apud Germanos maximum argumentum: cui vel hoc testimonium accedit, quod Apollævvyleriis tantum, qui ætate alios præcedebant in galea virginis D. Appollæ imagunculam ferre licebat, cum minores aut re omnino nulla, aut pauonis cauda cassidem exornarent. De huius quoque magnificentia id ingenue me testari posse, & fateri debere agnosco, meorum studium liberalissimum mihi semper fuisse eum, ac esse patronum & fautorem: at tu Petheie rogo perge. PET Ad famam Turcici aduentus atque tanti & difficillimi laboris legatus, vti decebat ducem sollicitum, de salute exercitus cogitare plurimum cœpit: conuocatis decurionibus an progredi-

grediendum? num certiores nuntii expectandi essent, interrogat: cum illud ad veræ virtutis laudem, ad certum tamen periculum inclinare videatur. Tunc securitatem nonnullæ ambitiosæ gloriæ proferre: Apollævvylerus adolescentes duos Turcas, ex Bosnia oriundos, fratres Germanos in medium producit, qui ab arce ad nostros transfugerant. Hos inauditos protinus, qui erant suspicaciores, iugulandos esse exclamabant: quos vt insidiarentur nostris, emissos fuisse: aut vt effugerent, quas apud suos meriti essent malefi-cii pœnas, huc venisse dicebant, vera pro falsis enarraturos. At illi freti innocentia & benigni in nostros animi sinceritate, inferunt: Mortem recusare ex hoste, gratitudinem erga benefactores abiicere, aut peius morte pati aliquid se non velle: nostros autem ex ipsorum vita optima assequi posse. Tandem publica fide data, & dicere iussi, foribus atq; selectissimis viris arcem custodiri indicant, eamq; annonæ, commeatus, magna copia, atq; etiam diuitiarum abundantia refertam. Vnam solummodo præsidiariis ante quindecimum diem subsidiorum spem deesse: neque Turcis, qui blanditiis, minis, atque omni genere persuasionis in illum terminum liberationis expectationem reiecissent facultatē superesse comparandi exercitus, aut ad ducendi minori temporis spatio. Tam sanctum hoc esse, tam certum testimonium, vt ipsi vitæ necisq; potestatē diffidentibus vltro iam detulerint, & religione liberatis deferant adhuc. HER. Liberali satis ingenio mihi videbatur, quem ex iis nuper vidi, apud antistitem, de quo Carolus dixit: cuius opera ni fallor, imbutus adolescens, nostris sacris regenerationis lauacro propediem initiabitur. PETH. Auditis istis, erecto in sententiam Apollævvylero, in id omnes in quod ipse maximopere adnitebatur, tandem matura deliberatione descensum est, vt quod sub castello erat, oppugnaretur oppidum: ac tormentis in aduersam partem delatis, arcis mœnia quaterentur. Extemplò igitur: singulari diligentia, longissimum iter emensi, vno tempore ad oppidum perueniunt, & tormenta in aliam partē collocantur, militum inde vehendis opera fideliter adiuti. Oppidi ingressum, statim circumuallant atq; præsepiunt, & ad fossam subitaria iam opera Osostkii productam, tormentis custodiendis tria signa ex sua legione Apollævvylerus dimittit: quæ cum adhuc nouem signis constaret, ipsa in tres acies diuiditur, vt vna oppidum inuaderetur, altera in omni periculo primæ subueniret, succederet postrema, quæ circumfusa oppugnantes defenderet. At milites primi summa alacritate oppugnationem capessunt, rati se occupaturos oppidum vnde optima præda peti posset, quo primorum insultu expugnato, tanto ardore animi, tanto impetu milites vniuersi laxatis ordinibus, relictis stationibus in arcem nitebantur, vt nullius authoritate, nullius reuerentia, neq; precibus, neque minis reuocari potuerint, minus ad custodiam tormentorum detineri. Plurimum tunc fuit Apollævvylero ex obsequentissimo alias milite, cohortem vel vnam, quæ curaret tormenta, colligere & retinere posse. Diuini, vt ita dicam, huius furoris, quem veteres Panicum dicunt, præbuisse causam ferunt sclopetarium, qui occupato oppido, curiosus ad propugnacula arcis vsque prætergressus, per fenestellam quandam introrsum inspiciens, perturbatos discurrere præsidiarios cum vidisset per foramen tormentaria glandula effulminata, ad vallis tumulum custodes effugarat; qua de re celerrimè anhelantem, ac vix spiritu recepto, præfecto legionis Apollævvylero, quid egerit, quid speret, quid conetur, differentem, qui propè adstabant, abeuntem iterum, magno clamore tessera nominis sacrosancti IESV, data & recepta sequuntur. Hos vnusquisque intentione virtutis, aut assequi, aut prægredi conatur. Eo tumultu oppidum incensum est, quo difficultas oppugnanti militi multiplicata fuit: siquidem multi in domos arci proximiores ac eminentiora tecta euaserant, vnde minutioribus tormentulis manuariis, & propugnacula omnia & vallum ipsum hosti tam infestum reddebant, vt ex iis nullus defendere se amplius, neque conati in nostros quicquam posset: etenim in ipsa corona mœnium certissimis

ictibus vulnerabantur. Itaq; quo incendium restingueretur, maximum opus fuit & ingens labor, ne ii qui optimè rem gerebant, ignis inclementia à pulcherrimo facinore impedirentur: aut inualescente incendio, concremarentur ipsi. Atqui negotium iam, quam pro opinione, moræ impatientissimi militis, lentè procedere arbitrabatur; quapropter explorato situ, sicciorem paludem esse: & quæ parua superiniecta materie calcari posset, paratis ab Apollævvylero omnibus ex omni parte arcem circundant, scalis iniectis scandere murum nituntur: ac vera iam vi intenti, triplici acie propugnacula subeunt: tandem neglecti alicuius loci perspecta opportunitate, Apollævvylerus ipse accurrit, & hortator enitentibus, & virtutis & ignauiæ testis adest, recenti milite fessas acies reparat; securibus, dolabris ac vectibus allatis, qui portam arcis perfringerent, immisit: eos autem necquicquam laborantes, ad propugnaculum deducit, quod peramplum, in cuius fastigio vexillum barbaricum erectum erat. Id dum Turcæ tot conatibus, vno tempore variis in locis sese opponunt, tanquam ad expugnandum difficillimum incustoditum reliquerant, ad ima igitur eius suffodere & scalpere iubet: & perforato muro in uallum ascendere. Iam perforato & hiante muro certamen initur: quod minimè reticendum duco, sed prodendum, quia optimum ad exemplum posteris videtur. Scipio à Landenberg, patre nobilissimo legionum fortissimarum olim præfecto, ortus, iuuenis, qui aduersus pericula & labores indefessi inuictique corporis & animi laudem tulit, cum quinquaginta illi quos secum per foramen deduxerat, de euentu nonnihil dubitarent, ac eo tardius in arcem irrumperent: interiore in loco, sub ipsa munitione solus aliquandiu hostem sustinuit, donec bini & terni pro scutis planas tabulas testudinis modo in caput elatas, ipsi coniungerentur: atque in altum progressi, mira quadam animi constantia occurrenti & fremebundo hosti congrediuntur; nec mora ex tota munitione in hunc vnum locum confluentibus, cruentissimum barbaris inceptum est certamen, sed nostris iniquius; nam adiuuantibus etiam fœminis: pro vita decertantes Turcæ exploratis notisque locis, certis ictibus nostros vulnerabant, innumerabilibus glandulis tormentariis petitos propellabant; erant enim ex nostris nonnulli, qui breues suos gladiolos tantùm in tanta festinatione, ac telum aliud nullum per foramen muri intulerant: quapropter longis Turcarum hastis, incuruisque acinatibus detrudebantur facilè. Iam propulsati, cum per eam rimam, qua arcem inuaserant, cum densati proiicere se eò, & periculo eripere vellent, qui nitendo primus fuerat, cedendo vltimus Scipio, huius æui pudendo & execrando cultu caligarum diffluentium largitate, palo qui vallo infixus erat inhæsit: nec explicare sese, nec à sociis eripi aut enodari potuit, priusquam irruentibus barbaris, septem atrocissimis vulneribus læsus sauciusque, paucis post diebus vitam amiserit: quo vno fortissimi iuuenis casu, duo auditu horrenda memorandaque exempla comperta sunt. Primum, quod ab omni ratione alieniss. habitus, nobilissimum adolescentem non solum extinxerit, sed etiam hosti vilissimo ad deridendum propinarit: eos enim prolapsum iam & hærentem impetentes, incaligatum Diabolum excutere se acerbissimo scommate atque inconditis cachinnis iactare auditum est: alterum, quod tanta immanitate, tanto odio in nostros feruntur, vt singulis ictibus cæsim vnumquemque diuidere nitantur. Excepit enim inter alia is in femore vulnus, quod nullius viri pollice, tertiadecima dimensione obtegi potuit. Perculerat omnium animos luctuosissimus casus: quapropter viribus inferuntur vniuersi, ac pro ingenio quisque, hic eminus glande, ille tragulis, hastis, aut omni quod fors obtulerat telo, intus, infensus, ad summa scandere gestit: alio loco hi murum suffodere largius, scalis subniti, cupere prælium, vel manibus conserere. Neque Turcæ segniores erant: ii enim saxa deuoluere, sudes pila proiicere: sulphur, picem, tædam mistam, arenam ignitam, oleum feruefactum, quicquid tormentis, quicquid manu emitti potest, in nostros

stros

ſtros dirigere, comminutis ingentibus ſaxis, & deiectis ſcalis multos deiicere. Pari itaq; ſpe, virtuteq; ſimili pugnatum eſt per ſeptem, easq; integras horas; ſed ad extremum furore noſtrorum cum maximè vrgerent Turcæ, multis rerum difficultatibus circumuenti, ſauciati plerunque ex tectis adiacentibus, in interiorem inferioremq; arcis aream ſe recipiunt, irrumpant vndiq; noſtri: hoſtes ſupremum virtutis conatum edituri, conglobantur, vt non inulti cadant: tandem duobus in locis puluere tormentario ſuppoſito & ſparſo, deſperatis rebus ignem ſubdunt: quo multi ex noſtris afflati, læſi atrociter atque ambuſti nonnulli perierunt: quod vbi Apollævvylerus vidit, victori militi adclamat, vt nulla deditione cuiuſcunque vitam paciſcatur, nullum incolumem dimittat, omnem concidat hoſtem. Miles ad ſignum indictæ cædis debacchari, haurire viſcera, inque iis quas nonnulli deglutierant opes inquirere, ſorbere cruorem hoſtilem: atque ita ſæuire, vt præter quatuor ad ſummum, teneræ illi & decrepitæ ætatis, nullus hominum in ea arce vita ſuperſtes manſerit; cæſorum inuenti ſunt octogintaquatuor ſupra ducentos: ex noſtris deſiderati viginti: vulnerati centum paulo plus: inter quos glande tormentoria læſi ex tribunis legionis, Georgius ab Haſemburg, vir nobilitate generis ac animo generoſo excellens: & VVernherus à Reitnauu, vt ſummis claritate generis par, ſic animi magnitudine nulli ſecundus. HER. Mira narras. Tormentis igitur maioribus nihil actum? PET. Eorum certè, niſi in noſtros exploderes, nullus tunc fuit vſus. HER. Qui noſtro æuo abſque horum ſubſidio, munitiora oppida expugnarit, à nullo veterano hactenus mihi laudatus eſt, dolo enim aut proditione id effectum eſſe dicunt. PETH. Manus Domini, digitos Dei hic eſt, neque viribus hominis datum, neq; profectum. Et igitur gratiis actis, cum nox ſe infunderet, Georgius à Liechtenſteyn legulus, regionis tribunus cum cohorte ſua quingenaria, in ipſa arce excubias peregit. HER. Hunc artium & militaris diſciplinæ diligentiſſimum obſeruatorem, multis fortibus factis, conſtantis atque impigri ducis opinionem audio conſecutum, in ſummam gratiam, ob bene nauatam hoc bello operam ſummis atque infimis charum vidi. THA. Ad prouidi & ſtrenui officium ducis, ingenium & habitum corporis decentiſſime tranſtuliſſe etiam fratrem ſuum vidimus omnes. HER. Illum dicis? quem grauis pariter atque periucundus oris geſtus, facundia inſuper, & improba ſtudiorum aſſiduitas illuſtrem reddidit Maximilianum Philippum, cuius fideliſſimum teſtimonium in iis tabellis, quibus officio tabellionatus olim inaugurabar, apud me adhuc extat. Tu Pethcie perge. PET. Illuceſcente die acceſſitis fabris, atque omni milite ad opus coacto, triduario ac ingenti labore arx cum ipſo oppido funditus euerſa eſt. Veteri militiæ inſtituto, ne receptaculum Turcis in poſterum præbere poſſet. Ea ipſa die, quæ Carothnæ vltima fuit, imperator ex Canyſio turmas Nadaſtinas, Seriniam alam, vexillationem quoque Dalmaticam immittit, qui ad Zygethum prædabundi excurrerent: legio Apollævvyleriana vt ſequatur, mandat, atque ad expugnandam Baboczam iter intendat. Ea autem iam accelerato imperio, Gorgonem vſque profecta, cum Barbari ex prælio & amiſſa arce, animi omnem iam exuiſſe ferociam nuntiantur, deque ſalute deſperatos eſſe, quod victorioſiſsimum exercitum, pertinaci admodum animi propoſito, in vnam illorum omnium perniciem proruere viderent & ſentirent. Adauxit quoque metum, & exploratoris eiuſdem aduentus, qui cum iis, quos à Baboczain caſtra ad Carothnam miſerant, comprehenſus ac ſolus, tamen prius labiis, naſo, palpebris & auribus reſectis, fœdè deformatus, ad ſuos dimiſſus eſt: cæteris iam palis infixis, aut in quatuor partes dilaniatis. Is ergo aſpectu crudeli horrendis, cladis ſociorum oculatus teſtis, diſciplinæ, virtutis, & munitionis noſtræ inſtructiſſimæ explorator certus (nam deprehenſo & pœnis afflicto omnia per noſtros oſtenſa fuerant) ex calamitate ſua effusè mentiendo, vires noſtrorum adaugebat. Diffiſi igitur munitionibus, vſqueadeò præ-

cipiti fuga, ex Babocza, Sellye, sancto Martino, Geresgalo abierunt, vt perturbati & perculsi animo procursatorum nostrorum assultus, nullo modo expectare vltrà vellent, tantum peculio pretiosiore correpto: neque tormentis confractis, neque corruptis commeatibus, neque, ne nostri illis non potirentur, oppidis incensis recesserant: quæ omnia alia Serinia & Dalmatica voxillatio diripuêre. Præda quæ ditior, fuit tormentorum triginta quinq; , eorum qui carrucis solent perferri, exceptis iis, quæ manu promoueri possunt. Horum etiam fundamentis emotis, disiectisq; ædificiis, Serinius Tschretinusq; præmissa equitum manu, quos aduexerant commeatus, præsidium & pecunias Zygetho imponunt: recrearuntq; ærumnis confectum locum nouo milite; neque præclaro hoc facto contenti, sed auidè & festinanter ad prædam Quinquecclesias vsque prouehuntur: quod futurum, haud sinistro consilio præsenserunt Turcæ, qui ea erant in vrbe, egressi igitur ex insidiis palantes longius aggrediuntur, atque impetu facto ex iis quindecim interceptos abducunt. At summæ virtutis duces nostri conglobatis agminibus, facta impressione reliquos ea celeritate & alacritate liberant, vt plurimis Turcis interfectis, fœda fuga terga vertere coegerint. Re itaque benè gesta, in castra ad legionem Apollævvylerianam redeunt. Vnum præcipuè commoditatis castellum, nomine Capozvvyuar, accuratissimè communitum, pari turpitudine ab hoste relictum nostros latuit: id nullo negotio recipi, ac belli nostri omnis arx esse potuisset. Interea Begler, qui incomparabili, adeoque summa apud Solymannum præter alios gratia pollet, atque ob id Begg dictus est, & post ipsum præcipuæ autoritatis Hentstko Begg, proinde Hali, qui Budæ præest, cum iis, qui Taurunò, qui Mœsiis & inferiori & superiori præsunt Baschis, tanta discriminis fama permoti, numeroso exercitui ex recenti victoria præferoci Imperatorem additum multarum gentium auxiliis confirmatum, exhorrebant. Conuento igitur indicto conuenere: vbi omne consilium eò dirigebatur, ne ex occasione victoriæ recentis Chauri (sic enim Christianos vocant) in intima regni perrumpant, diligenter prouidendum, atque supremum periculum capessendum esse. Copias igitur cogunt: quibus recensitis, sexaginta millia hominum amplius coisse, nostris compertum fuit. At antiquum Germaniæ decus, tot calamitosissimis amissum in Pannonia præliis, magnanimum & in arma ruentem Imperatorem nostrum accendebant plurimum, ob id gestiens & exultans, quod collectum & innumerabilem hostem totis viribus obuium habiturus esset, ex quo, vt non incertam victoriam reportaret generoso consilio, fortunam suam experiri constituit. Accessit igitur Gorgonem, ac Apollævvylerianæ legioni vires suas coniunxit, vt hostem exciperet numero incondito, quàm virtute, quàm fama, magis ferocientem, proposuerat quoq; omnibus modis, domum nisi victorem se non rediturum, ac iamiam parabat egressum: sed quod diei serum erat, & parum lucis superesset, in posterum diem profectionem distulit. At interim consauciatos omnes petoritis, curribus & vehiculis impositos, additis ex domestica nobilitate splendidioribus & liberalioribus, qui in ipsis fouendis, cubiculis, esculentis & poculentis eorum, cum medicis & chirurgis præessent, & famularentur affectis, Canysium extra periculum deducere iubet. At qui aderant duces & consiliarii, cum magis atque magis ingrauescente iam Autumno, difficultatibus multis se circumueniri viderent, hyeme scilicet & frigore, lethales morbos ex resoluto militum aluo vulgari in exercitu, itinera omnia inclementia cœli lutulenta cœlum semper pluuia turgidum, his præter innumerabilia illud quod intolerabilius omnibus accedere frumenti inopiam: ardorem igitur Imperatoris nonnihil inhibendum ducunt. Summo itaque manè ad arma cohortantem, magna veneratione salutant coniuncti, & autoritate ætateq; ipsi venerandi rationibus firmissimis refragantem persuadent. Quandoquidem Reipublicæ salutem & antiquum Germaniæ decus contra Turcarum vim & iniuriam constantissimè defendisset, eoque quo huc peruenetat con-

rat consilio, quod cuncti rerum periti omnibus modis, non immerito inter præclara fortiaque regum facinora numeraturi essent, Sygethum obsidione liberum confirmatumq; haberet, & videret hostes apertam pugnam detrectare, solum ex pristina consuetudine sua, in disiunctos impeditisq; locis dissipatos apud opportunas locorum angustias (quarum ipsa regio natura frequens esset) velitari, ne virtutis tantos successus, tristior aliquis casus, loci aut cœli inclementia, elideretur aut obscuraretur, videri sibi, cum abunde dignitati eius satisfactum sit, militi, qui vix iam toto equitatu & peditatu, octo millium hominum compleret amplius, parcendum esse, & in opportuniora anni tempora ipsum conseruandum: reuertendum autem esse ad patrem Cæsarem, cuius iussa prælegebantur. HER. Ferunt Imperatorem cum horum sermonem accepisset, aliquandiu constitisse immobilem, atq; oculis vdis, subinde & frontem atq; genas verecundia perfricantem, exaudito gemitu, cum animo rediisset ad rationem. Vincant Cæsaris iussa, vincant genitoris imperia, ingeminasse: quæ vt prudentia plena, pietate tamen percellunt. Itaque reducto tormentorum apparatu, ad fluuium Drauum duodecim maiora Nasadiis, id est nauibus oblongis, sublata sunt, aduersoque fluuio Canysium deportata. Imperator cum toto exercitu, quintis castris Brilacum applicuit oppidum ad Draui & Sauariæ confluentes situm. Amnibus deinde duobus, totidem pontibus constratis, per eum qui in Turcarum regionem transuehebat, alam Seriniam, & cateruam ferream effundit: eisq; iniungit, vt intactam bello regionem diripiant atq; late populentur. Prima deinde ratio habita est ægrorum, quos ea animi benignitate in tutiora vectionibus ablegauit, qua antea insaucios vsus erat. Simul igitur Iaurinum delati sunt, impedimenta demestica, commeatus, suppellectilem imperatoriam præire per alterum pontem iubet: ipse cum Labaro, quod sexingenti equites custodiebant, & prætoria cohorte per Zaladiensem comitatum Canysium reuertitur. Nadasti turmæ, Tscheredini vexillationes, Nigri Zeltingensisque alæ equites, cum Apollævvyleriana legione, magna difficultate maiorum tormentorum duodecim corporibus impediti, per Gotham syluam iter arripiunt, Vespronii occupandi aliquam occasionem venaturi. Ita tribus itineribus, tribus agminibus iter cœptum, non inani consilio, sed ea ratione, vt hostis instituta & doli eneruarentur. Is etenim magna celeritate, numero incredibili, Gorgonem vsque peruenerat, antea quam nostri Brilacum attigissent: quæ barbarorum astuta velocitas, militaris ingenii solertia refringenda aliqua erat variis viis, & itineribus, nostrorū variis rumoribus, ne in regione memorosa, tumulisque frequentissima, ex insidiis nostros adoriri, aut reditum ipsis impedire possent. Prima nocte idoneo in loco inter syluas castra constitere militari disciplina, & vigiliis consepta, ac ab omni tumultu vacua: summo mane Nadasti turmæ & ala Dalmatica legionem anteire iussæ, castraque ad Canysium antecapere, quo tendebat legio ipsa: at imbris perpetua iniuria lutulentæ regionis fœditate tormentorum impedimentis hærebat omnis: hæc enim satis promouere nequibant, quæ destituere aut deserere omnino non volebant, quando hostes ipsos incumbentes, & tam propinquos habebant, vt non solum fumum ex eorum ignibus videre, sed voces vlulantium & horrendum infrendentium audire possent. Dissimulatur tamen id difficultatis à ducibus: & autumnali pluuia madentes & algentes, palustri cœnosaque illuuie deturbatos, affectosque pariter fame, tabernacula parare ignes accendere, & cibum capere iusserunt. Omni ex parte austeri turbines, grandines atque pluuiarum procellæ decidebant, adeo vt ea nocte de plurimis actum fuisset, nisi ingentibus ignibus excitatis, tantisper cœli iniuriam euincerent. In tantis autem incommodis ingens erat cura & præteritis periculis metus quidam acerbior, cum ab auxiliariis omnibus destituta legio, reuocare absentes necquicquam tentaret loci distantia. Afflictorum autem vna tunc spes, Apollævvyleri constantia egregie sustentabatur: ipse

enim mirabili celeritate, multa prouidentia, peritia militari & officiis humanitatis, conspectu, colloquio renidens; omnibus ipse in victus malis alios consolabatur; ac constitutis castris, præsidiis & vigiliis contra strepentes Barbaros suos securos reddidit omnes, donec orta luce magno nisu, Zeltingis & Nigris comitatus tormenta & militem, incolumis ipse Imperatori suo Canysium adduxit. Tandem iter cœpit Imperator, atq; cum toto exercitu, magnis itineribus Iaurinum peruenit. At ad discessum tanti Imperatoris, ingens Turcas inuasit metus; nam quanto magis domum nostri properabant, tanto plus fugæ se dabant hostes, ac intimos petebant regni recessus: tanta omnis disciplinæ militaris, omnis vigoris obliuione, vt turpiori desperatione, & ignominiosiore fuga se dedecorantem, sol ipse neminem vnquam viderit. Respexit enim nos Dominus, & auersum est opprobrium gentium à populo suo. THA. Hæc certe est rerum gestarum series. HER. Triumphus Imperatoris, militis laurea vbi? desiit ætas nostra benefacere, desierunt statim benefactorum, proh dolor, decora & præmia. THA. Vana hæc omina, inani fastu turgida. Clementia hic triumphauit optimus Imperator, tertium dum apud Iaurinum in milites ægros congiaria omnia effudit. Secuta tamen est quæ triumpho semper ac multo clarior supplicatio & congratulatio ad omnia templa habita: nunquam certe æternæ memoriæ recordatio siue militi, siue duci, laurea arescenti posterior erit. Puchheymio, & Rubero virtutis testimonia equestris ordinis dignitas solennitate magna exhibita, posteaquam ex Iaurino cum prætorianis Imperator Viennam redierat. Auxiliares copiæ, Serinia ala, caterua ferrea, quæ prædabundis agminibus hostilem agrum vexauerant, post reditum in præsidia deducta, Nigri in hyberna apud Iaurinum collocata. Legio Apollævvyleriana, ad Leytha fluuium, in oppido Pruck exsolutis stipendiis, liberaliter dimissa. HER. Video filium. Ecquid noui Immanuel? PV. Venit qui à te desideratum diu, ex Gallia attulit de Regum aliarumq; rerum, manuscriptum quoddam oblongum membranaceum volumen. Allati sunt scriptorum Mandlii autographi. HER. Magna historiæ nostræ ornamenra refers. PV. En literas quoque. HER. Video Danielis Mauchii, viri pietate & literis pleni, amantissimi, & parentis loco mihi venerandi hominis signum. Hui inclusas quot? VIC. Pellege; forsan quod nos quoq; exhilaret, inuenies. HER. O venerandum caput, ô cani omni reuerentia dignissimi. VVolffgangus Fuldensis Antistes admonet me, de edendis legibus: quas ingenti aliorum librorum nunquam editorum cum thesauro, hilari & ingenti animo mihi accommodauit. Vrget quoq; Valentinus Klinkhardus siue Echecrates ille, omnibus disciplinis & pietate excultus homo, optimi principis optimus Achates. VIC. Quas leges? HER. Ripuariorum, Saliorum, Burgundionum, Alemanorum, Saxonum, Baioariorum, Vithungorum. VIC. Addenda essent his Langobardorum edicta. HER. Id quoque fiet si tu exemplum, quo conferri nostra possint, suppeditaueris: ad Cal. Septemb. omnia absoluentur. GHIR. Fastos illos tuos, imo Romanæ Reipub. tempora certa ratiocinatione distincta, nobis quando dabis? HER. Quam possum maturrime. PV. Instat cum instent nundinæ. HER. Gratias igitur ingentes vt vobis agam, viri clarissimi, & abeam necesse est. THA. Nunquam certe abibis, nisi prius edisseras, an Apollævvylero, præter eos qui fortiter pro patria egerunt, alius sit & frater germanus. VIC. Ipse dicam. Est, Ioannes nempe quo mansuetiorem vix alium inuenies, tantæ in omni literatura, & ingenui hominis exercitiis tam consummatæ industriæ, vt ipsa Augusti aula omnium admiratione omnium gratia illustrem, ceu singulare nobilitatis ornamentum semper illum obseruauerit, & venerata est variarum linguarum notitia, Nadasto prope conferendus. PETH. Heus tu, quo properas bone, num insalutatus abibis? quandoquidem neque prandio, neque deambulationi nostræ interesse amplius possis, dabis tamen vicarium qui nos peregrinos comitetur & instruat? HER. Curabitur. Etiam colloquii huius

nostri

nostri vsuram in me recipio, si vobis per quatuor tantum dies expectare licebit. PETH. Neque tua negotia impedire nos decet, neque iter nostrum te remorari diutius, æquum est. Hos autem sermones nostros vide reddas, ac par pari, id est, verba verbis exsoluito: mirè certè iis nostram confirmabis initam nunc amicitiam. HER. Hanc felicem & faustam nobis omnibus conseruet, precor diu, is qui piorum & bonorum animos conglutinare solet occulto quodam amoris instinctu, memoriæ, ingenii, viriumq; elargitor Magnus ille DEVS.

Valete.

FINIS.

PANNONICVM BELLVM, SVB MAXIMILIANO II. ROM. ET SOLYMANNO TVRCARVM IMPERATORIBVS GESTVM:

CVMQVE ARCIS SIGETHI EXPVGNATIONE, IAMPRIDEM MAGNA CVRA ET STVDIO descriptum;

Per

PETRVM BIZARVM.

ILLVSTRISSIMI DVCIS AC DOMINI D. AVGVSTI SAXONIÆ ELECTORIS FILIO ILLVSTRI D. CHRISTIANO, LANDGRAUIO Türingiæ, Marchioni Misniæ: S. D.

MAGNA *fuit olim*, CHRISTIANE *Princeps, inter Platonem, eiusq; discipulum Aristotelem controuersia, num ea, quæ scimus, ex quadam sola reminiscentia proficiscantur, an ex noua cognitione, adeò vt in hanc lucem editi, nihil planè nobiscum afferamus, præter quandam ingenitam facultatem, & naturæ vim, qua, rerum semina, & liberalium artium disciplinas interno prius doctoris lumine, mox autem externo sensuum adminiculo percipiamus. Cæterùm, siue mortalium animi, authore Stagirita, nudi prorsus, ac nulla rerum specie vestiti: sed apti, ac nati, qui omnia cognoscant, in corpora immigrent: siue, vt alter censet, rerum omnium habeant notiones: sed corporis contagione obliteratas, ita, vt nihil tùm intelligant, nisi extrinsecus pulsi, ad priorem notitiam reuocentur, non dubium est, quin per sensus, & præcipuè auditus, & oculorum (hi enim reliquis præstant, exq; his duobus, prior, quoniam eius præsidio scientia comparatur, dignitate præcedit) rerum intelligentiam assequamur. Hinc homines eruditi, ex rebus planè cognitis, & vera opinione colligatis, artes confecerunt, easq; tandem, vt posteris communicarent, diuino munere literas inuenerunt. Hoc autem inuento, quid præstabilius excogitari potuit, quidúe humano generi fructuosius, cùm ad priuatam vitam, & mores formandos, tùm ad vrbes & regna instituenda? Vt verò ipse mundi, ætherisq; opifex Deus, à quo vniuersa animantia originem habent, cùm hominis naturam, per lapsum primi parentis, densa quadam rerum cœlestium caligine obduci videret, prioremq; imaginem, cuius instar condebatur, ita in nobiliori eius parte obscuratam, vt vix amplius quicquam veteris formæ appareret, hanc denuò per legem in tabulis expressam, & Moysis ministerio promulgatam, illustrari voluit, vt pristinam pulchritudinem reciperet, & quæ sibi agenda, vel omittenda forent, clare li-*

Plato in Menone, vel de virtute.
Arist. 1. Analyt. & in lib. de Anima.

Nostra cognitio ortum habet à sensu.
Quis sensus in homine præstantior.
Quomodo literæ inuentæ.

Hominis mens post lapsum Adæ, per Moysis legem illustrata.

quidq; perspiceret: Sic sanè quorundam animos excitauit, qui magno ingenio præditi, rationem inuenirent, qua homini rerum euentus, quæq; fuerint maximorum regum consilia & actiones, innotescerent. Hoc sanè beneficium nobis præstat historia, quæ tanquam in amplissimo theatro publica & priuata exempla proponit, vt ea inspicientes, præclara virorum illustrium facinora imitemur, & quæ nobis aliquid incommodi vel dedecoris afferre possunt, euitantes, atq; aliorum periculis edocti, vitæ pariter, ac existimationi consulamus: at si mentis oculos ad altiora erexerimus, tum statim sese offerent summorum imperiorum auspicia, progressus, & fines, & quomodo, qui cæteris imperarunt, gloria opibusq; floruerint, vel à sublimi statu ad ima collapsi tandem funditus interierint. Hæc vero, etsi eorum omnium interest, qui ingenuè ac liberaliter educantur, ad eos tamen præcipuè spectat, qui militare imperium exercent, siue legitima successione, vel ciuium suffragio principatum obtinuere, hisq; cum historica lectione ipsius etiam Philosophiæ, & generatim aliarum artium studia coniungenda, quibus haud dubiè militaris honor splendescit, & politicum regimen sustinetur. Nec enim illorum perniciosa ac barbaræ opinioni adhærendum est, qui censent, res bellicas corporis duntaxat viribus administrari, & in eis, quos Deus in supremo loco esse voluit, si naturali quodam iudicii acumine polleant, etiamsi nulla eruditione suffulciantur, nihil aliud omnino desiderandum esse. Verùm quàm huiusmodi homines à recta sententia procul absint, Plato apertissimè demonstrat. Hic enim tum deniq; humanum genus beatum fore pronuntiauit, si aut docti & sapientes homines illud regerent, aut qui reliquis præficiuntur, omne suum studium in sapientia collocassent. In his autem, qui militiæ præsunt, duæ potissimum virtutes requiruntur, videlicet, prudentia & fortitudo. Magnum quidem certè vtriusq; momentum: sed prior alteri longè anteferenda est, & quanquam inprimis à natura prouenit, ea tamen, vt rebus gerendis apta & idonea reddatur, arte ac institutione perficitur. Nec sanè apud Romanos, Fabritius, Metellus, Cato, Lucullus, Pompeius, & Cæsar, tantam sibi ex rebus gestis laudem comparassent, nisi ad rem militarem doctrinæ ac eloquentiæ studium addidissent. De ipso quidem P. Africano M. Tullius refert, illum semper Socraticum Xenophontem in manibus habuisse. Quid iam de summis Græcorum Imperatoribus dicendum? Nonne Alexander cognomento Magnus, instar omnium esse poterit? Huius quidem extat epistola ad Aristotelem conscripta, in qua dixit, eum non rectè egisse, quod disciplinas ἀκροαματικὰς, quibus ab eo eruditus fuerat, libris editis inuulgasset. Nam qua, inquit, alia re præstare cæteris poterimus, si ea, quæ ex te accepimus, omnium prorsus fient communia? Quippe ego malim doctrina, quàm opulentiis anteire. Hic etiam adeò poesi Homerica delectatus est, vt illi inuigilare non contentus, eidem etiam indormiret. De Xenophonte, pleni sunt annales, quid sub Cyro egerit, & quomodo post eius obitum, Græcos incolumes domum reduxerit. At quorsum hæc tam altè repetita oratio? Haud sanè ob aliud Princeps Ornatissime, nisi vt in ea, tuas egregias dotes, tanquam in lucidissimo speculo contempleris, videasq;, mihi per amplam materiam suppeditari, qua tuum nomen summis laudibus prosequar, ex quo Princeps, tantiq; Principis filius in hac viridi ætate iis artibus & disciplinis tuum animum exornas, quibus regnorum felicitas præcipuè continetur. Hæc nimirum est causa, vt, quemadmodum Cyprium bellum sub tui Illustriss. Parentis auspicio edendum curaui, sic meam historiam de bello Pannonico, & pleraq; alia memoratu digna, quæ his paucis annis in Europa contigère, tibi paternæ cùm dignitatis, tùm virtutis æmulo ac hæredi consecrarem. In his, plura (ni fallor) inuenies, quæ tibi non modò iucunditati: sed etiam haud paruo vsui, ac emolumento futura sint, cùm optimè noris, quàm vim exempla secum afferre soleant. In Pannonica narratione, præter alia, duo inprimis considerandа, videlicet, mors Solymani & Mehmeti prudentia. Ex priori, licet animaduertere, quàm inania sint, vel potentissimorum regum consilia, quamq; haud rarò in mediis conatibus frangantur. Ex altero, quàm omnia prosperè succedant in eo exercitu, cui præsit sapiens ac prouidus Imperator, eumq; talem extitisse, nemo planè inficiabitur, qui sedulò expendet, qua solertia militem obsequentem retinuerit, regium thesaurum intactum conseruarit, & postremò Selymum in patris solio constituerit. Quod verò ad Solymanum spectat, is quidem firmo animi decreto statuerat, iterum Viennam inuadere, nec ob aliam causam cum tanto agmine Byzantio recessit. Atqui, non solum

quod

Quid beneficii afferat historia, & cui præcipuè cognoscenda.

Contra Philosophiæ contemptores.

Plato de Repub. vel de Iusto, Dialogo V.

Plurimi ex Romanis, Græcisq; Imperatoribus, cum re militari literas coniunxerunt.

De P. Africano.

D. Alex. Magno vide Aulum Gel. lib. 20. cap. 4.

Quæ præcipuè in bello Pannonico digna obseruatu.

quod tantoperè optârat, perficere nequiuit: verum ne arcem quidem Sigethi captam videre potuit. In hoc prælio (vt modo plerosq; alios, & veteri prosapia, & pugnandi ardore conspicuos, hîc tacito sermone omittam) duo summè inclyti ac insignes fuerunt, scilicet Lazarus à Schuenda, & Nicolaus Serinus, quorum vterq; illud sibi proposnit. Pulchrumq; mori succurrit in armis, atq; idcircò pro fide, patria, & Imperii Maiestate seipsum, veluti duo Scypiadæ, contra Turcicam tyrannidem ad omnes casus periculorum obiecit, & sæpe hostem ingenti clade affecit. Hic quidem in Sigethi expugnatione, vbi optimi ducis partes implesset, fortissime dimicans, triste admodum, & lachrymabile sui desiderium reliquit. Alter vero adhuc, Superum fauore, in viuis est, plenus singulari prudentia, & militari gloria, nec minus Marti carus, quam Palladi, cum vtriusq; numen pari semper veneratione coluerit. Ex ipsa vero Saxonia, ex qua singulis temporibus, tanquam ex equo Troiano, innumeri bellico certamine illustres prouenerunt, conspicies plurimos cohortium centuriones, ac nobiles viros, ad Maximilianum Cæsarem profectos, ac illi strenuam in ea expeditione operam nauasse, quorum quidem nonnulli suis impensis, alii sumptibus illustrissimi Electoris AVGVSTI, *meruerunt. Huius vero laudis haud exigua portio ad eius loci Principem redundat, eademque olim, sicuti aliarum rerum, in te, non secus quam è radice arbor, aut è fonte riuulus, emanabit. Ipse quidem hactenus magnam apud omnes tui expectationem concitasti, eamq; indies abs te augeri, ac etiam superari, ex constante fama, & multorum sermonibus defertur, ideoque, quod vates Mantuanus de Iulo Æneæ filio, idem omnino de te dici potest.*

Laus Lazari à Schuenda, & Nicolai Serini.

Virg. lib. 2. Æneid.

In Saxonia semper fuerût viri fortes, ac bellicosi.

Ante annos, animumq; gerens, curamq; virilem.

Lib. 9. Æneid.

Hinc ergo factum est vt me prorsus continere nequiuerim, quin tibi tantam Heroicæ indolis felicitatem gratulatus, quoquo modo possem, nunc meam obseruantiam declararem. Spero autem, hunc meum animum ab vtroq; approbatum iri, quod sane, si ita, vt, innata vtriusq; benignitate fretus, maxime confido, euenerit, mihi inposterum haud mediocriter gaudebo. Interim bene vale, CHRISTIANE *Princeps, eumq;, cuius nomen refers, toto pectore oro, vt te, omniaq; tua consilia moderetur, ac fortunet. Dat. Basilea, anno à Salutifero partu, M. D. LXXIII. Mense Ianuario.*

Tuæ Illust. Amplitudini

Maximè studiosus,
atque addictus,

PETRVS BIZARVS.

PETRI BIZARI DE BELLO PANNONICO LIBER.

CVM Sultanus Solymannus Turcarum Imperator videret, fortunam in re nauali parum sibi secundam extitisse, quin etiam suis optatis penitus aduersatam, indeq; accidisse, vt Melitensis oppugnatio exitum habuerit, longè diuersum a beo, quem omnino existimarat, spem conceperat fore, si ad terrestres copias animum adiiceret, eundem, quæ olim sibi sæpe in eis fauerat, nunc etiam vultu immutato, sua incœpta & conatus omni ope atq; auxilio promoturam. Conuocatis itaq; purpuratis atq; proceribus, quomodo consilio ac virtuti magis fidere solebat, cœpit cum eis colloqui, & oratione altius repetita, ostendere, nimis grauem notam inuri suæ dignitati, atque inuictæ potentiæ, si ita socordia torpescerent, fractisq;, ac demissis animis essent ob ea, quæ sibi ad Meliten infeliciter antea successere: quarum rerum culpam omnem in aduersam & iniquam fortunam iure meritò transferebant. Si enim hæc concessisset, opportunè aduehi commeatus, vnde lassi milites aliqua ex parte refici, & recreari potuissent, res profectò longè aliter cecidisset, præsertim cum arcem Sancti Ermetis, longe munitissimam, quamq; nullo modo prius capi posse arbitrabantur, iam vi expugnassent. Quocirca, si classe sui augusti, felicisq; imperii terminos, vnius paruæ insulæ accessione dilatare nequiuerit, pedestri exercitu, cui ipsemet omnino interesse statueret, illud tam longe lateq; ampliaret, quod ipse potius gloria, quam annis onustus, neutiquam vereretur, quin fieret immortalis, ac æternus: quin etiam sibi persuadebat, prospero huius belli euentu, se vitæ suæ plurimos annos additurum, vel si saltem natura finem vitæ facesseret, in summa nominis claritate, ac insigni & gloriosa victoria ex hac vita emigraturum. Proinde in animo subinde habebat, copias in Pannoniam deducere, omnemque illam regionem armis inuadere, cuius quidem rei, & si iam fermè omnes putabant, illum nullo amplius desiderio teneri, quin potius omnem cogitationem aliquot iam annos abiecisse, id tamen semper in intimis eius præcordiis figebatur. Præterquam enim, quod obliteranda erat illa macula & ignominia, quæ in mari suscepta videbatur (quod sane illius animum nimis altè pungebat & cruciabat) indignum etiam censebat sua potenti dextra conniuere, ac toleranter ferre, Maximilianum II. simul atq; Christianæ Reipublicæ imperium adeptus esset, tributum sibi à Ferdinando Cæsare quotannis traditum, denegasse. Quod si hoc pacto suam is dignitatem tueri, conseruareq; annitebatur, quanto magis eam ipse inuictus Imperator, Sultanus Memphiticus, rexq; omnium regum, ab ortu vsque ad occasum tueri & conseruare debuisset? Altera causa, quæ illum ad hoc impellebat, fuit, quod audierat, Maximilianum, quædam loca Pannoniæ sibi occupasse, ac etiam nonnulla, quæ ad Transyluanum pertinebant, qui ad suam opem atq; auxilium confugerat, quemq; ipse ad illud vsq; tempus non modo sustentarat, sed regia quoque dignitate, atque opibus ornarat, nec solere Othomanos Imperatores, illos vnquam deserere, quorum clientelas vel semel suscepissent. Ob has igitur causas, de his omnibus consultarent, quæ ad huiusmodi prouinciam obeundam, opportuna magisq; necessaria cognoscerent, vtq; magis eorum animi accenderentur, addebat, se quoq; ad eam militiam iturum, quo tandem Viennam bis prius à se oppugnatam, suæ ditioni adiungeret. Audita Solymani oratione, purpurati ac reliqui dynastæ vehementer assensi sunt, & ingenti plausu ac lætitia illius verba exceperunt, quippe qui, cùm neq; regnandi amplitudine, aut generis nobilitate: sed sola rei bellicæ præstantia & virtute clari apud eum & illu-

Arx S. Ermetis expugnata.

Causa, quæ Solymannum ad bellum Pannonicum impulerint.

& illuſtres euadant, ſuas curas, & cogitationes ad nullum alium ſcopum dirigunt, quam vt his gradibus præcipuum authoritatis, ac honoris locum, apud eum obtineant. In hac vero ſententia tanto alacrius confirmabantur, quod ab eo audiuerant, ipſum etiam huic bello interfuturum. Nec enim facile dici poteſt, quantopere illorum animi ad præclare agendum, ſui Principis præſentia inflammentur, adeo, vt nemo ante ipſius oculos, vllum genus periculi, nec mortem ipſam expaueſcat. Proinde ſperabant, ſe vna cum ſpoliis, ac vexillis eorum, qui Chriſtiani appellantur, ouantes Byzantium redituros. Itaq; probato Solymani conſilio, ſtatim, quæcunq; tanto bello vſui forent: ſummo ſtudio, ac diligentia procurarunt. Quoniam vero inter cauſas, quæ Turcarum Imperatorem ad hoc bellum impulere, dictum eſt, hanc etiam vnam extitiſſe, videlicet, quædam loca in Pannoniis occupata, & quædam alia, quæ ad Tranſyluanum ſpectabant, non ab re fore videtur, breuiter hic recenſuero, quæ poſt Ferdinandi obitum, in illis prouinciis euenerunt. Cæterum, quia de Pannonicis rebus, & Tranſyluanicis, præcipuus hic mihi ſermo habendus eſt, vtriuſque regionis ſitum, & naturam, ex veterum, & recentium ſcriptorum teſtimonio, addendam cenſui, quo lectori ea omnia, de quibus hic agetur, facilius innoteſcant.

Hungariæ deſcriptio.

Hungaria, quæ nomen ab Hunnis, vel Hungaris populis ex Scythia profectis, qui eam incolunt, habere conſtat, Pannonias, & vltra Danubium, Iazigum, & Dacorum regionem fere omnem occupat. A Drauo ad meridiem ſumit initiũ, à Septentrione Sarmatis, quos Polonos, & Getis, quos VValachos dicimus, terminatur, ab occaſu Auſtriam habet, ſuperioris quondam Pannoniæ caput, ab oriente, Myſiam, quam Rhethianam nunc appellant. Danubius omnium, quos Europa habet, fluuiorum maximus, mediam interfluit, atque in partes, nempe in citeriorem, & vlteriorem ſcindit. Citerior eſt ea, vbi olim Pannoniæ fuerunt: hæc ab vlteriore Hungaria, Danubio, ab Auſtria, & Norico, radicibus Cecii (ſic olim dicti) montis: à Sclauonia, Drauo, à Boſna, & Raſcia, Sauo, fluminibus terminatur. Huius citerioris Hungariæ caput eſt Buda, Regni ſedes. Nobiliora in ea oppida. Alba Regalis, coronatione & ſepultura regum inſignis. Strigonium metropolitana. Quinqueccleſienſis, quondam epiſcopalis ſedes. Præterea Sopronium, Iauarinum, Sabaria, & Stridon. Flumina in eo multa nobilia: Lacus habet duos nobiliſſimos, Balaton, & Fertou. Huic citeriori Hungariæ, vbi Drauum tranſieris, annexa Sclauonia eſt, pars olim Pannoniæ ſuperioris inter Sauum, & Drauũ poſita, ſed Sauum longe tranſgreſſa, etiam vſque ad flumen Hunam (hoc enim illi nunc eſt nomen (protenſa, vbi Croatia incipit, poſtquam Dalmatia ſequitur, per oram Adriatici maris, quæ partim Veneto, partim Turcæ paret, minima eius particula eſt regi Hungariæ ſubiecta. Loca mediterranea Boznenſes tenent, & Raſciani, qui olim Meſi ſuperiores fuerũt. Sclauoniæ caput Zagrabia eſt. Croatiæ nunc Bigihon eſt, antea Fumium erat. Vltra Danubium Hungaria montibus Carpathiis ſupra Poſonium incipientibus, & longiſſimo flexu ad littus Euxini maris porrectis, à Morauia, Scleſia, Polonia, & à Ruſſia diſtinguitur vſque ad eum locũ, vbi regio eſt, quam Maromaruſiam vocamus. Ibi iam alii montes, & ſiluæ ab eo loco Iauarinum verſus tendentes, à Tranſyluania, & VValachia Tranſalpina ſeparant. Hanc vlteriorem Hungariam, Tibiſcus fluuius piſcoſiſſimus, in montibus Maromaruſiis ortus, mediam interfluit. Hæc Hungaria habet oppida nobiliora ad Septentrionem, Poſonium, Tirnauiam, &c. Vltra Tibiſcum, Varadinum, Debrecinum, cum fodinis auri & argenti, Iauarinum. Incolæ Scythica lingua vtuntur, ab omnibus finitimis diuerſa. Nulli regioni terrarum cedit hominum robore, pecorum fœcunditate, vbertate ſoli, ac metallorũ copia: Cœli præterea benignitate, ac pulchritudine ſitus, omnibus orbis regionibus ſuo iure poteſt anteferri. Tellus rerum omnium copia à natura donata, vbi aurum, argentum, ſal, lapillos, colores effodere licet. Frumenti, pabuli, leguminis, & pomorũ abundãtia præſtat. Neque deeſt co-

Digitized by Google

pia piscium, & cupri confectura, in plerisq; fluminibus auri optima ramenta inueniuntur, quin & in vitibus, in aurifero solo satis, aurum quandoq; legunt: Hæc modo de Pannonia.

Descriptio Transyluaniæ.

Quod vero ad Transyluaniam spectat, hæc regio vltra Danubium longe lateq; patens, veteres Dacos, & inferioris Mysiæ partem, extinctis priscis nominibus occupat: Eius caput, Alba Iulia, vel à Iulio Cæsare, vel ab Hiula potius quodam Hunnorum principe ita dicta. Cæterum paucæ vrbes, oppida vero complura, non obscuri nominis, in quibus Cibinium, Brassouia, Colossium, Bistricia, & plura alia à Germanis, quos nos Saxones appellamus, condita & habitata, nec rara passim ædificia cernuntur. Eius solum variis in locis auriferos surculos, & glebulas aureas passim gignit. In vniuersum, armẽtorum diues est, & militarium equorum ferax. In ea sunt Siculi, genus hominum ferox, & bellicosum, inter quos nullus, neq; nobilis, neq; rusticus, omnes eodem iure censentur. Hanc duæ cingunt VValachiæ, Transalpina, & Moldauia, illa Danubio, hæc mari Euxino admota. Vtraq; cum Transyluania eam Europæ nunc occupat partẽ, quæ olim Dacia erat. Sic totus iste tractus Transdanubialis, qui non solum Hungariam vlteriorem, sed Transyluaniam quoq; cum vtraq; VValachia cõtinet, Danubio, montibus Carpathiis, Mari Euxino, & rursus eodẽ Danubio ex omni parte includitur. De hac Bonfinius inquit Trans montes Carpathios extrema Daciæ regio, ad Axiacem fluuium vsq; perducta, quam nunc Transyluaniã vocant, pecoris, vini, frumenti, item auri, & argenti feracissima, vbi amnes nonnulli aurea ramenta ferunt, aurique fragmenta quandoq; sesquilibralia trahunt, cum montibus sit vndiq; circumsepta in coronæ speciem. In syluis iubati boues, & vri, ac syluestres etiam equi, vtrisq; eorum mira pernicitas: at equi iuba sunt ad terram vsq; demissa. Domesticis est, per se mollis alterno crurum explicatu glomeratio.

Hæc in præsentia de vtraq; Regione dicta sufficiant. Itaque ad institutum opus reuertamur. Melchior Balassus, inter Maximiliani præfectos, vnus ex præcipuis, nonnulla oppida (& si ea non magni momenti) sita in Transyluaniæ finibus, occupauit. Hac iniuria Rex Ioannes commotus partem suarum copiarum misit ad obsidendum Salmarum, qui locus est in iisdem finibus, & quanquam erat sub Cæsariana ditione, hoc tamen Balassus ex Cæsaris beneficentia potiebatur. Hunc Vayuodani ex improuiso, atque incautum adorti sunt, atque oppidum cœpere vna cum ipsius coniuge, ac liberis, & ipse, licet plumbea glande ictus, tamen incolumis euasit. In huius autem loci expugnatione, huiusmodi dolo vsi sunt. Vesperi, cum armenta & greges illius oppidi, domum reducerentur, milites, puluere in publico itinere excitato, sese pecudibus ac iumentis immiscuerunt, atque ita ponti viciniores facti, subito prosiluere, valuisq; occupatis, obuios quosque trucidarunt, atque ita oppido, quod sane cum natura, tum opere munitissimum erat facile negotio potiti sunt. Balassus vt contumeliam sibi illatam vlcisceretur, Debreznium, percelebre in Pannonia emporium, quod Vayuodæ ditioni parebat, diripuit, magnamque illius partem incendio absumpsit. Paucis post diebus Transyluanici expugnarunt oppidum Hadad, eorumq; copiæ indies augebantur, quia Solymannus ad eos miserat supra quatuor millia Turcarum, & Moldauus tria millia, ipsiq; Hunnis adiuncti, & viribus associatis plurima incommoda Cæsarianis inferebant. Cœperunt oppidum Atiauar, eiusque præfectum cum vxore, ac liberis, captiuum abduxere. Oppidum quoque Vngnar obsiderunt, & scalis iam oppugnare inceperant Huic præerat insignis centurio, Purkstalerus nomine, cum Germanis militibus, qui hostem aduentantem ita represserunt, atque ita strenue mœnia tutati sunt, vt ex copiis Transyluanicis circiter quadringenti, ex Cæsarianis tantum quadraginta ceciderint. Rem autem sic gestam ferunt. Cum animaduerterent, Vayuodam, paucos ex suis producere, qui hostem lacesserent, ipsi quoque se in primo certamine cohibebant, donec maior numerus accederet,

Salmarum oppidum captũ à Transyluano.

deret, moxq; prorumpebant, & bellicis tormentis ita eos feriebant, vt protinus ab oppugnatione recesserint. Cum interim Cæsar hostiles copias augeri conspiceret, iussit conscribi quatuor militum cohortes, quarum singulæ circiter quingentos milites habuerunt, earumque duces erant, Gyllus, VVellerus, Reimingus, & Lauembergus, viri cum genere, tum re bellica præclari, qui Norico profecti, cum suis copiis Cassouiam petiere. Hos deinde subsecutæ sunt duæ aliæ peditum Germanorum alæ, quarum vtraq; habebat ducentos, & septuaginta sclopettarios milites, tumq; simul ex Silesia circiter quadringenti equites aduenerunt. Per idem tempus profectus est etiam in vrbem Viennam, Lazarus Schuendius, quem Cæsar bello Transyluanico præfecerat. Etsi vero hyems obstabat, quo minus tum fierent maiores belli apparatus, cum in his locis, brumali tempore, frigora sint asperrima, solumq; altissima niue obductum, ob id tamen Imperator minime cessabat, quæ belli vsus requireret, sedulo prospicere, quatenus & anni tempus patiebatur, & rei necessitas postulabat, misitque ad exercitum, aliam cohortem peditum, & octo ænea tormenta, & cum his, quadringentos milites, quibus duplicatum stipendium annumerabatur, partim, vt bellica instrumenta diligenter aduehi curarent, partim etiam, vt agminis ducem tuto atque incolumem in castra perducerent. Diuersa quoque nauigia parabantur, quibus connexis, contabulatoq; ponte, Tybiscum traiicerent. Hic autem fluuius oritur in finibus Sarmatarum, delatusq; per vlteriorem Pannoniam, recepta prius Temesa, haud ignobili flumine, apud Purtachum Danubio miscetur. Dum res ita geruntur, Polonus suos oratores ad Cæsarem legauit, qui ei ostenderent, plurimas esse causas, cur sibi hoc bellum summopere displiceret, cumq; Transyluanus foret sibi arcta necessitudine coniunctus, velle se omni ope anniti, vt ab armis discederet, modo ipse quoq; pacatum animum erga eum gereret, & honesta conditio cum illo transigeret. Horum tamen aduentu Cæsar nihil de pristina cura, & studio remittebat, quo minus, quæcunque belli vsui futura essent, omni diligentia prouideret, quippe, qui optime norat, hostem nihil minus, quam pacẽ expetere. Proinde nouas subinde copias deligi, easq; ad Schuendium transmitti iubebat. Is, cum supra octo millia hominũ instructorum iam in promptu haberet, Tokayum, munitum castellum in Pannoniæ, ac Transyluaniæ finibus, & in vlteriore ripa positum, obsidere constituit. Hic locus antea, duce Catiamero, & sumptibus Cæsaris Ferdinandi, fuit occupatus, quem postea dono dederat cuidã Pannoniæ regulo, ex familia Scheredorum cum is esset egregia virtute, ac de ipso quam optime meritus. Cum autem hic fato concederet, filium reliquit paruulum, & infantem, cuius tutelam in arce habebat Franciscus Nemetus, qui antea tutor pueri, moxq; tyrannus effectus, ad Transyluanum confugerat, seq; in eius fidem, & clientelam commiserat. Is itaque de oppugnatione certior factus, priusquam hostis aduentaret, suas fortunas, coniugem, & pupillum ex arce abduxit. Hanc Schuendius Pridie Non. Februarii, Anno ab orbe redempto, supra quingentesimum, atque millesimum sexagesimo quinto, cum tribus ac triginta maioribus tormentis oppugnare incepit. Locus ipse natura, & opere communitur. Nam cingitur præaltis mœnibus, ac duobus fluuiis vndiquaque alluitur, id est, Bodrogo, ac Tybisco, vnde per omnia loca finitima potest fieri maxima exundatio, & hostis arceri ab ingressu, arceq; longe munitissima, circumuallatur. In ea oppugnatione, bellica tormenta sic aptabantur, vt oppidum, atq; arx vtrinq; peteretur, hisq;, duplici inuasione, protinus aggeres, ac vineæ disiectæ sunt. Opportune autem contigit, vt magna tum glacie vterque fluuius rigeret, nec tamen is locus expugnari potuisset, nisi Cæsariani nocturnis fossorum laboribus sibi aditum ad mœnia parauissent. Mane inalbescente cœlo, aduersarii ex castro ad læuia prælia sunt egressi, & in his, plurimi vtrinque vulnerati sunt: ex nostris autem circiter centum desiderati: sed tamen haud multo post, in oppidum reiecti. Dum itaque sic mutuis conatibus

Lazarus Schuendius præficitur bello Transyluanico.

Rex Poloniæ mittit legationem ad Cæsarem.

certatur, milites præsidii, cum se tandem post validam oppugnationem, in magno discrimine cōspicerent, illico de deditione facienda cogitarunt, & misere ad Cæsarianos, qui cum locum pactionibus traderent: At ipsi eas admittere noluerunt, quin potius è vestigio scalis admotis, vi per aggerem irruperunt, ac exteriorem locum arcis occuparunt. Restabat pars interior, atque in medio posita, illamque statim summa vi, & conamine aggressi sunt. Obsessi aliquandiu se intrepide, atque acriter defenderunt, & ipse quoque arcis præfectus, in muro strenue pugnabat, nihilq; omittebat, quod ad fortis viri, ac boni ducis officium spectaret. Dum autem seipsum, ac suos impigre tuetur, multaq; incommoda oppugnatoribus infert, hac & illac excurrens, vt suis auxilio adesset, globulo æneo traiectus, repente occubuit. Duce amisso, milites animo consternati sunt, & protinus deditionem facere statuerunt. Conditiones autem fuere, vt incolumes dimitterentur, secumq; arma deferrent; *Tolayum deditione capitur.* Hoc impetrato, ex oppido egressi sunt, idq; fuit à quarto die oppugnationis, nec vltra duos impetus sustinuerunt. In eo, inuenta sunt plurima varii generis tormenta, magna penuarii commeatus copia, & plura alia, quæ nostris haud paruo vsui extitere. Præfecti demortui cadauer ad vxorem transmissum est. Erat Nemetho aliud castellum, nomine Serentschinum, quod etiam ab iisdem paruo negotio expugnatum est. Turci arcem habebant, non procul à Cæsarianis, quam incolæ Solnog appellant. Inde semel egressi sunt, vt hostium vires, & consilia specularentur. Agrienses milites, re comperta, ex insidiis eos inuaserunt, & acri vtrinque certamine dimicatum est. Nostri tandem superiores fuerunt, moxq; Agriam, allatis secum trecentis hostium capitibus, quæ ab humeris detruncata fuerant, rediere. Vayuoda interim, oppidum Sakmarum occupauerat. Sed vt hostibus, ferme omnia prospere succedere, nec sibi vlli præsidio aut emolumento fore animaduerteret, si eo diutius potiretur, igne succendi iussit, indeque statim cum suis copiis recessit, atque hinc factum est, vt illud Cæsariani citra cruorem denuo recuperarint, breuiq; ab eis instauratum sit. Locus ipse natura munitur, iacetq; in ipso fere aditu Transyluaniæ.

Interim Schuendius, Tybisco per glaciē emenso, vnius diei obsidione, oppidum Erdeud patria voce nuncupatum, expugnauit, quod quidem Ferdinandus Cæsar, antea sæpe sibi ob ingentes, quos habet redditus, optarat. Hi enim planè ducales feruntur. Hisdem diebus per magna Barbarorum manus ad Budam perrexerat, vt se Transyluanis adiungeret. Verum tamen haud modicè impediebantur exundationibus, quas post hyemem cum Ister, tum reliqui amnes Pannoniæ fecerant, idque nostris maximo adiumento fuit. Porrò asperrima, fereque inaudita frigore tum exstiterant, cumque tandem glacies, qua fluuii erant concreti, dissolueretur, niuesque radiis solaribus liquefierent, tota ea regio fere aquis exundabat, nihilque, præter vndas cernebatur, adeo vt iam fermè omnes timere inciperent, ne Deucalionis tempora rediissent. Vt vero interim ad Solymannum reuertar, is quamquam & militaribus copiis, & pecunia Transyluanū adiuuare, ac etiam ipsemet in Pannoniam proficisci statuerat, vt nihilominus hac ratione Maximiliano imponeret, eiusq; miles exautoratus, domum rediret, *Solymannus mittit legationem ad Cæsarem.* Marcū Cibiniensem ex Transyluania oriundum, & qui ad Mahumeti sacra olim desciuerat, cuiusque opera propter linguarū peritiam, & singularem prudentiam, alias in legationibus obeundis fideliter vsus erat, ad eum transmisit. Mandatorum summa hæc fuit, vt Cæsarem ad pacem cohortaretur. Illuc etiam paulò antè aduenerat Orator Vayuodæ, cui nomē erat Stephanus Bathorus, & Legatus Sarmatus, missus de eodem negotio, vti supra cōmemorauimus. Schuendius de his oratoribus certior factus, Cæsarem subinde per fideles nuntios adhortatus est, vt, antequam de compositione cum his transigeret, omnia sedulo perpenderet, seq; omnino vereri, ne sibi (vti postea euentus declarauit) pax verbis tantum, re autem, bellum longè asperrimum denuntiaretur, eaq; omnia dolo, atq; astu ab eis

tis fieri, quo incautus, imparatusque armis inuaderetur. Interim Cæsar, ne omnino à transigendæ pacis negotio, quod tum præ manibus habebatur, alienus esse videretur, omnibus oppidorum, atq; artium præfectis, quam seuerissimè iniunxit, ne quispiam eorum aliqua iniuria hostem afficeret, quod tamẽ ab eo neutiquam obseruabatur. Dum enim Viennæ de dissidiis componendis, deq; aliqua honesta & æquabili conditione ageretur, plurima damna his Cæsarianis, qui erant in inferiori Pannonia, inferebantur, & iuxta Iulam plurimæ incursiones fiebant, eoq; aduenerat præfectus Temesuariensis (id autem oppidum, vulgò Temesuar, ab flumine Temesa præterlabente, nomen accipit) cum sex millibus virorum pugnantium, & ad eum duo maiora tormenta, & octo minora transmissa sunt, quibus arcem Pankotam obsedit, eamque breui expugnauit, moxque occupauit duo alia castella prope Iulam, quorum nomina erant Iene ac Desme, idque tantum eo consilio fiebat, vt indè facilior sibi aditus foret ad expugnandam Iulam. Ad Transyluanum autem indies maior numerus Turcarum confluebat, iamque sibi iustum exercitum pararat. Dum hæc fierent, nostri prope Sigethum eruptione facta, fermè ducentos ex his, quos Rascianos vocant, interfecerunt, duosque ex illorum centurionibus captiuos abduxere, cumq; iam essent in reditu, & secum captos abducerent, equites ducenti numero superuenere, qui eos repente aggressi, magna strage affecerunt, adeo vt ex Cæsarianis, qui sexcenti fuerant, vix duo incolumes euaserint. Id verò accidit absente Nicolao Serinio, qui paucis ante diebus ob quædam grauia negotia se ad Cæsarem contulerat. Schuendius interim in eo totus versabatur, vt Sakmarum oppidum, quod à Transyluanis incensum, ac derelictum diximus, omni studio reficeretur, ipseque vel primus operi instabat, quo reliqui eius exemplo adacti, tanto alacrius laborem atque industriam impartirent. Nunc, priusquam vlterius progrediar, postquam in Schuendi mentionem incidi, locus me admonet, vt propter viri claritatem aliquid de ipsius natura paucis enarrem. Hunc ergò (prout mihi ab hominibus fide dignis relatum est, quique cum illo sæpius collocuti, & familiariter hucusque versati sunt) inprimis ob eximiam eruditionem & singularem prudentiam vehementer commendari audio, eumque dicunt in singulis actionibus militarem quendam & heroicum animum præ se ferre. Aiunt præterea, hunc bellicæ disciplinæ perstudiosum esse, modisq; omnibus anniti, vt singulis centurionibus ac militibus debito tempore stipendia numerentur, eosque à præda & rapinis arcere. Si qua rixa & simultas in castris oriatur, & alius alium ad pugnam prouocet, hunc ferunt seuerè iniungere, ne quis eam facile dirimat, sed vtrumque tam diu in certamine pati, donec alter occubuerit. De illo autem, qui prius iniuriam intulit, statuere ac iubere, vt extra castra propellatur, eaq; seueritate fieri, vt plurima dissidia & lites amoueantur. Quod verò ad munera & largitiones attinet, constat, illum in hac re omnino incorruptum animum gerere. Nihil denique, aut certe perparum veredariis confidere solitum: at in grauibus rebus, certos homines ad Cæsarem destinare, qui suo nomine cum illo agant, semperq; ad id optimos quosque ac fidissimos eligere. Seuera quoque & graui pœna constituta omnibus præcipere, ne quispiam scribat, vel alicui patefaciat, quæ in castris gerantur. Hæc & pleraque alia huiuscemodi de hoc illustri viro narrantur, quæ nunc breuitatis causa prætereo. Vt verò ad inchoatum opus reuertar, milites Cæsariani, dum oppidum Sakmarum instaurare satagunt, ad in opere perficiendo assidue versantur, Vayuodiani cum Turcis appropinquarunt, vt munimenti restaurationem impedirent, & vicinum quendam locum occuparunt, qui eis ad expugnandum Sakmarum valde opportunus videbatur. At Germani hoc percognito summa celeritate illos adorti sunt, manusque conferentes ad septem signa hosti adempta, in sua castra retulere. Hostes aut cæsi, aut in proximo flumine submersi, dum repentina, & præcipiti fuga se incolumes conseruare cupiunt. Schuendius his peractis,

Turcarum excursiones iuxta Iulam.

Nostri cæduntur absente Serinio.

ex oppido recessit, ibiq; pro loci præsidio, Erasmum Magerum centurionem reliquit, & ipse mox versus Cassouiam contendit, vt quæ ad bellum sustinendum necessaria videbantur, sedulo atq; opportunè prospiceret, cumq; subinde maiora pericula instare animaduerteret, seq; non ita viribus, & armis communitum, vt rei necessitas postulabat, apud Cæsarem pro nouis præsidiis instabat, breuiq; post, ad eum transmissæ sunt quinq; peditum cohortes, quibus Ioannes VVernherus à Reytnauu, cum Imperio præerat, & aliquot murales machinæ, & singulis equis harum vectoribus, litera M. fuit inusta, ne auriga, dolo (vt sæpe vsu euenit) equos bonos diuenderet, aut clam in alios vsus verteret. Supra narratum est, oppidum Erdeum, quod quidem non procul Sakmaro abest, à Cæsarianis occupatum.

Hoc Transyluanici sub Calendis Iunii, acriter obsederunt, prolatisque tormentis, & constitutis vineis, & scalis denique ipsis mœnibus admotis, iam sibi facilem aditum sperabant. Sed loci propugnatores tam strenue aduersarios reiecerunt, vt præter vulneratos, fermè ad octingentos diuersis vicibus, trucidarint, atque oppido egressi, duo ex maioribus tormentis adempserint.

Ipsi tamen die noctuque oppugnationem vrgebant, & continuis pilarum, globorumq; procellis, mœnia diuerberabant, sic vt iam omni sulphurei pulueris materia destituerentur. Arci præerat Lauembergus, insignis alarum centurio, cui Schuendius secundo ad trecentos pedites in auxilium paulo ante transmiserat, qui sanè, quoniam perdifficile, maximeque periculosum erat, in oppidum ingredi, cum illud vndiquaque hostili agmine cingeretur, dolo, atque insidiis rem egerunt. Noctu enim se itineri accinxerunt, & cum ad syluulam, quæ erat iuxta oppidum, peruenissent, ibique speculatores hostium latitare scirent, protinus edito ingenti clamore, classicum canere cœperunt. Continuo ad Syluam omnes accurrerunt, hostisque perterritus aufugit, atque ita nostris liber ingressus patuit. Quocirca nouis præsidiis audaciores facti, omnem oppugnationem contemnere videbantur, etiamsi mensem adhuc ea perdurasset: At ipsi interim obsidionem nulla ex parte remittere, quin etiam acrius instare, nec paruis incommodis nostros afficere. Plurimi conflictus vtrinque habiti sunt, in quibus præter cæteros, Laembergus ictu minoris tormenti grauiter vulneratus est breuique post ex eo vulnere interiit. Paucis ante diebus in oppidum ingressus fuerat VVellerus, vir pugnax, & impiger. Aderat etiam Gosselus non minori virtute, qui fortissimè dimicans, interemptus est. Res itaque summis conatibus agebatur, & hostes munitionibus erectis, plurima damna & incommoda oppidanis inferebant. Vallum quo vndique oppidum communiebatur, quadam nocte viminibus, diuersaque tignorum materia impleuere, vt proximo diluculo mœnibus appropinquarent. Sed nostri, dolo animaduerso, tormentarium puluerem sub illis strauere, quem ipsi, cum prima luce in fossam vndiq; irruentes, pilis tormentorum incenderent, extemplo magnum incendium excitatum est, quo multi eorum perierunt, atque ita tum temporis re infecta, cedere coacti. Sed breui, maiore pertinacia, & vi oppidum inuasere, adeò vt in plurimis locis pars interior nuda planè, omnique bellatore spoliata videretur. Cum se itaq; oppidani, ac milites in hoc statu conspicerent, nullamq; spem relictam, qua se amplius tueri possent, cum ob penuriam commeatus, & militum, tum etiam ob graueolentia cadauera, quibus aggeres, & valla vndique oppleta cernebantur, pridie Non. Augusti è communi consensu deditionem fecerunt. In ea oppugnatione plurimi viri fortes, & rei militaris gloria insignes ceciderunt, inter quos ferunt etiam VVellerus, & Huetstokerus, qui strenue præliantes, interfecti sunt. Viennæ, paulò antè quam triste nuntium de capta Erdeu afferretur, celebrata sunt iusta Cæsaris Ferdinandi, qui obierat superiori anno, & Oct. Cal. Augusti, qui dies Diui Iacobi memoriæ sacrabatur. Pompa funebris hæc erat. Ex arce ad Diui Stephani templum pons ligneus cōsternebatur. Primo au-

mo autem prodierant ducenti ciues pauperes cucullati, qui candelas accensas in manibus gestabant. Secundum hos, Monachi, Iesuitæ, Canonici, Abbates, Antistites, & reliqui ex clero, deinde subsequuti sunt viginti equi, eximia pulchritudine, omnesq; aureo decore insignes, ac singulis singula vexilla præferebantur. Equus Cæsarianus cum suo vexillo, totus auro micabat, & hic solus erat ephyppiatus, nemo tamen super illo equitabat. Funus ipsum viginti homines gestabant, mox Cæsar sequebatur cum regiis fratribus, omnes lugubri veste, ac facie velati: postremo alii proceres. In templo extructa erat fabrica vndique lucernis vitreis, Italico more instructa, & sub ea funus collocabatur. Soli cantores aulici nonnihil in ipsa pompa submisse orabant. Proxima luce Maximilianus, vna cum suis fratribus, duce Atestino, qui paulò antè ex Italia venerat, & egregio virorum nobilium comitatu ædem petiit, vt sacris interesset. His peractis, Franciscus Forgacus, Antistes Varadinensis, & qui Ferdinando à consiliis extiterat, eruditam, ac elegantem orationem habuit, in qua demortui Cæsaris laudes non minus presse, quam ornate complexus est. Vbi is perorasset, Cæsar cum reliquis ex templo egressus est, rectaque ad prætorium contendit, & in toto itinere passim duo, argenteos, atque aureos nummos in Ferdinandi memoriam excusos, liberaliter proiiciebant. Hæc autem obiter dicta sint. Iam itaque ad incœptum reuertamur. Teschini, qui locus est in Selesia, fuit habitus delectus equitum, qui vna cum peditatu profecti sunt.

Erat in finibus Transyluaniæ quoddam oppidum, nomine Munkatschum, Cæsarianis maximè infestum, ex quo persæpe plurimis iniuriis, ac detrimentis afficiebantur. Nam indigenæ publica itinera obsidebant, & modo veredarios, interdum milites illàc prætereuntes latrocinio diraq; cæde persequebantur. Schuendius misit centum, ac viginti equites, cum totidem peditibus, qui eos diligenter obseruarent. Ex oppidanis, circiter trecenti egressi sunt, inter quos etiam erant duo centuriones, ac protinus in nostros, haud procul ab eis latitantes, inciderunt. Hic, exorto certamine, Martem sic fauentem habuere, vt omnes illos ad vnum vsque profligarent. In oppido Sakmaro, miles plurimis morborum generibus, iisq; maxime contagiosis, corripi, atque absumi cœperat, ideoque agminis præfectus, relicto ibi præsidio, quod quinque militum signis constabat, iuxta Tibiscum castra posuit, adeo, vt ex vno latere fluuium, ex altero, vallum, atq; aggeres pro munimine haberet: Cæterum, non multò post, ipsemet quoque graui febre laborare cœpit, qua deinde per multos menses conflictatus est, eiusque salutem Cæsar tanti faciebat, vt pharmaca, & peritissimos quosque medicos, ad eum subinde transmittendos curaret. Per idem tempus, rediit Byzantio Cernouichius, missus à Cæsare, vt de pacis conditionibus apud Solymannum ageret, & aliqua tum spes de componendis rebus affulgere videbatur: Sed tamen breui cognitum est, Byzantinos nihil minus, quam pacem expetiisse, quin potius, maiora indies molitos, & atrocissimum bellum parasse. Itaq; Cæsar totus iam in ea cogitatione versabatur, vt bellici apparatus fierent, statimque ad oppidum Letipontum, Germanorum peditum delectum haberi iussit, in quo fuerunt, fere quinq; signa: Posonii (hunc locum Germani Presburgum vocant) conscripti sunt circiter trecenti milites, & in quodam pago iuxta Iauarinum, trecenti equites Pannonici, atq; hi omnes in castra mittebantur. Illuc etiam profectus est cum quinq; aliis cohortibus, Romerus insignis Centurio, ac eques Rhodiæ militiç, seque illis quadraginta equites Teutonici, ac etiam præfectus Dersfius, cum fermè trecentis militibus adiunxere. Per idem tempus profecti sunt ex Germania sexcenti equites, ac deinde quingenti, duce Hoschirero, & omnibus his copiis in vnum collectis, præfectus est Adamus Gallus, Germanus natione, virque rei bellicæ scientissimus. Iisdem etiam diebus in Noricum aduenere Gůtherus Schuuartzburgus, Ottingus, Mansfeltius, & Christophorus Liechtenstain, viri ex vetusta Germaniæ familia, & rei militaris gloria percelebres,

hosq; plurimi nobiles, ac illustres viri comitati sunt, quo Cæsari hoc in bello suam operam nauarent. Dum hæc fierent, Keretschemius, qui Iulæ præerat, & qui erat etiam regulus arcis Nikelburgiæ, quæ sita est in ipso aditu Morauiæ, tum forte in castris aderat, secumq; habebat nonnullos Turcas captiuos, ex quibus sexdecim, qui erant celebriores, & ex quorum liberatione plus emolumenti sibi euenturum sperabat, in suam arcem transmitti curauit, vt carceris nauseæ molestiæq; pertæsi, multò maius pro redemptione, ac libertate prætium offerrent. Accidit autem, vt cum ipsi excubatores, ac præsidii milites, minus ad suum munus vigiles, ac intentos animaduerterent, clàm correptis armis, eos omnes trucidarent, statimque per dispositos equos indè aufugerunt.

Iisdem quoq; temporibus accidit, vt Byzantini, qui erant iuxta Salmarum, & in Riuulis Dominorum (hoc oppidum Gerni Neustodium vocant, estque locus vbi sunt fodinę metallicæ) pręda bundi diram vastitatem exercerent. Cum autem forte fortuna Transyluanus, & præfectus Temesuariensis vna prope Salmarum obequitarent, parum abfuit, quin globus tormentarius inde vibratus, vtrunque interfecerit. Supra ostensum est, Cæsarianus sua castra ad Tibiscum flumen collocasse.

Turci, re cognita, illos per insidias noctu aggredi statuerunt. At ipsi dolum inesse suspicati, eorum consilia præuerterunt. Itaque in quoddam nemus ibi proximum, eadem nocte (qua venturi putabantur) nonnullas turmas equitum, & magnam partem cohortium, arcanè, & summo cum silentio misere.

Cum igitur, quod intenderant, exequi constituerent, rectoq; itinere ad nostros properarent, hi extemplo ex insidiis prosilientes, eis accurrerunt, remque ita strenuè, ac feliciter gessere, vt insigni clade afficerent. Plurimi autem, cum noctis beneficio, tum equorum celeritate seruati sunt, alioquin vix vnus forsan incolumis euasisset. Paucis ante diebus hostis ad mœnia Iauarini accessit, & quia nox imminebat, nostris exeundi facultas minimè dabatur. At, cum proximo diluculo egrederentur, illi iam recesserant.

Turci per insidias interfecti.

Per id quoque tempus equites, quibus cum imperio præerat Grassuenus centurio, cum centum equitibus Hungaris inciderunt in hostes, qui erant supra mille, & inito prælio, circiter ducentos ex eis conciderunt, inter quos fuit præfectus Lipensis, quem ipsi Bekum appellant. Plumbeis tormentorum glandibus vulnerati, in castra adducebantur: Sed quia priusquam emitterentur, larido vngebantur, vix vlla ratione sanari poterant. Intereà Saxonici milites, conflictu audito, pugnæ auidi, in castris fremebant, & exeundi facultatem flagitabant, quam nihilominus impetrare nequibant, hique tanto dimicandi ardore flagrabant, vt vix intra ordines, & in militari disciplina conseruari possent. Hi recens aduenerant ex Germania, ducibus Gleyssenthalo, & Sebotendorfio, atque omnes, cum armorum cultu, ac equitum ornatu, tum præcipuè animi, & corporis dotibus admodum insignes præfulgebant. Ex his circiter mille, ac viginti sex alebantur, stipendiis illustrissimi Electoris Augusti, per spatium quinque mensium, & amplius, quibus trecenti, & quinquaginta sese adiunxerãt, veteri stirpe, ac bellica virtute conspicui, qui proprio sumptu Cæsarem in ea militia sequuti sunt Priores, crucem in suis vexillis gestabant, & reliqui, quatuor habebant signa, quorum primum erat cum inscriptione: VICTORIA DESVPER A DEO DATVR. Secundum: FORTITVDO NOSTRA CHRISTVS est. Tertium: VINDEX PERFIDIÆ DEVS EST. Quartũ: VINCIT AMOR PATRIÆ. Primi signi centurio cecidit in conflictu, habito cum Turcis, quorum castra tum à Cæsarianis mille tantum passibus distabant, & in inferiori parte Tibisci locabantur, pontemq; super flumen Samos construxerant. Nostra verò sita erant iuxta oppidulum, quod incolæ Kizar vocant, positum ad ripam fluminis, in quo erant nõnulla tuguriola, pro his, qui præcipuũ locũ in castris habebant,

eaq;

Digitized by Google

eaq; optimo, & munitissimo vallo cingebantur. Dum res in Pannonia sic geruntur, Archidux Carolus in Valeria prouincia, quæ Stiria hodie dicitur, Norico ad meridiem coniuncta, reliquisq; locis finitimis, multa præclarè, ac militariter agebat, suosque perpetuò vigiles contra hostes habebat, qui plurimis damnis eas oras infestabãt. Semel autem contigit, vt nostri, valida manu Turcas aggressi, magnam stragem ediderint, adeò vt fama sit, ex eis ad tria millia concidisse. Alio in loco trecenti, ac viginti ex hostibus, intempesta nocte Thrinum oppidum adorti sunt, & Iacobi Zachi equites cum aliquot Hunnicis peditibus egressi, ad sexaginta ex eorum numero interfecere, ac secum quinq; & septuaginta captiuos adduxerunt. Iuxta oppidum, quod incolæ Babolscham vocant, plæriq; capti sunt, & illicò Viennam transmissi. Etsi vero vtrinq; infensissimis animis certabatur, Viennæ tamen adhuc pacis consilia cum Oratoribus, qui illinc nondum abierant, sedulo ac solertissimè agitabantur, eoque acersiti fuerant plurimi Reguli, ac Proceres Pannoniæ, qui de pacis conditionibus transigerent. Schuendius interim, adhuc cum morbis conflictabatur, ideoq; Cæsar ad eum misit Paulum VVeidnerum, rei medicæ peritissimum, qui se iamdudum à Iudaica superstitione, ad Christi fidem conuerterat. Etsi autem ancipiti & diutina ægritudine laborabat, minimè tamen ob id remittebat necessarios apparatus, cum hostis vndiquaq; grassaretur. Igitur quotidie fiebant leuiora prælia, in quibus plurimi vtrinque desiderabantur, cumq; Turci Schuendium per nuntios orarent, vt quorundam cadauera sibi mitterentur ex his, qui ceciderant, quo ea suo more sepelirent, id ab eo perhumaniter impetrarunt. Iisdem diebus cum aliqui curribus aduecti, pabulatum iuissent, ac etiam, vt diuersi generis commeatum in castra deferrent, hostes, impresione facta, illos intercœperunt. Hoc vbi Schuendius audiuisset, Bizantinum Oratorem, qui nuper ad eum sui Principis nomine, de compositione acturus, venerat, rogauit, num isthæc esset ratio iucundæ pacis: at ille, cur (inquit) Vestri hostem non insequuntur? Confestim igitur in eos missus est Rueberus cum suo equitatu, quo abstractos currus remoraretur, donec maius præsidium aduenisset. Dum ita res geritur, nostriq; haud segniter in suorum auxilium accurrunt, acerrimè dimicatum est, omnesq; currus, qui cis pontem erant, recuperarunt, qui vero flumen traiecerant, eos insequi non potuere, cũ iam in castra peruenissent. Bizantini paulò pòst inde mutatis castris, recesserunt, idemq; à nostris factum est, & Cassouiam petiere, cum commeatus penuria, tum etiam quia perplures omnigenis morbis ægrotare incœperant. Transyluanus quoq; paucis ante diebus, castra soluerat, suumq; militem in hybernis collocarat, cumq; in suam ditionem reuertisset, ibi nonnullos reperit, qui erant Cæsarianæ factionis, omnesque protinus quæstione habita, suspendi iussit. In quadam pugna paulo antè habita, fuit captus Alexander Kendius, qui ei à secretis adhibebatur, & Viennam missus, duce Ioanne VVolgazeno, deinde ad Schuendium perductus, moxq; quibusdam conditionibus acceptis, priori libertate donatus. Legatus etiam Transyluanicus, Stephanus Bathorus, tandem à Cæsare dimissus est, qui sane haud mediocriter conquerebatur, se Viennæ diutius retentum, quam æquitatis ratio postularet, idque præcipuè accidit ob vxorem Balassi, quæ apud Cæsarem subinde precibus instabat, ne illum ex aula dimitteret, priusquam ipse suam coniugem, & liberos recuperaret, quos sibi in Salmari expugnatione abductos fuisse commemorauimus: at Cæsar noluit eum diutius inuitum retineri, hunc dicens oratorem esse, illos autem iure belli raptos, ideoq; sortem longe disparem esse, ac eum, salua dignitate, haud amplius retineri posse. Interea Schuendius, cui omnia, quæ tũ de pace agebantur, maximè suspecta erãt Maximilianũ subinde (vt antea) de nouis copiis, reliquoq; militari præsidio haud segniter admonebat, eũque hortabatur, ne hosti fideret, neuè ad vllas pacis conditiones animũ inclinaret, cum certo constaret, illum omnia dolo agere, nihilq; aliud quam bellum meditari. Hoc autem, vbi Turcarum Proceres audiuère, protinus ad eum

Turcarum cædes.

Turcicus orator missus ad Schuendium.

scripsere, seq; oppido mirari dicebant, quid ipse pacem inter duos præpotentes Principes, ferme transactam (vti videbatur) perturbaret, multaque his consimilia in eorum literis continebantur. Cęterum id minime obstabat, quo minus & ipse, & reliqui ex primatibus, qui bello præerant, occasiones rei bene gerendæ exquirerent, & inuentas, vel oblatas, percupide amplecterentur. Hinc est, quod Eccius à Salma, vir, præter generis nobilitatem strenuus & militaris, quarto Idus Octobris, Iauarino cum suis cohortibus discessit, & plurimis etiam aliunde conuocatis, profectus est versus Albam Regalem, haud modica spe oppidi potiundi. Ea vrbs ob id Regalis cognomentum tulit, quod ibi perantiquo, solennique gentis ritu, noui Reges coronarentur, ac eodem in templo, priscorum Regum sepulchra, cum rerum gestarum titulis viserentur. Iauarino autem duntaxat octo milliaribus abest. Priusquam vero Salmensis hanc profectionem susciperet, ad eum ex oppido Posonio missi sunt equites quamplurimi, ac etiam ex aliis locis maiora tormenta, secumq; scalas, & alia vsui opportuna circumferebant. Hic ergo à suis tantummodo trium millium interuallo distabat, cum ecce nuntius Cæsarianus ad eum aduolat cum literis, quibus ex ipsius præscripto, quamprimùm illinc suas copias abducere, & Iauarinum reuerti iubebatur. Eccius, Cæsaris voluntate percognita, continuo paruit, re infecta, nec sine ingenti suo mœrore, ac eorum omnium, qui se illi comites addiderant; quippe qui omnes haud dubiam sibi victoriam pollicebantur, cum quia noscerent, vrbem opportunis præsidiis destitutam, tum etiam, quia nostri conuenerant cum iudice illius vrbis, qui eis, vt de ipsius fide certiores fierent, vxorem, & liberos tanquam obsides, tradiderant. Turci aberant fere omnes, idq; Salmensi clam indicatum est, & res ita instituta fuit, vt in ipsa nocte, bellica tormenta ex muro partim abducerentur, partim ne hostibus vlli adiumento ac vsui essent, clauis per spiramenta inditis, configerentur. Proxima luce, cum greges de more exigerentur, extemplo Salmensis per turmas dispositas, ad ipsas portas vrbis illis armentis accurrere debuisset. Quod si Turci, quorum tamen perpauci valuas custodiebant, se illis opposuissent, ciues in eos è vestigio impetum fecissent, atque ita paruo negotio, & citra suorum cædem, in oppidum ingressi essent: at Cæsaris mandatum hæc omnia consilia disiecit. Iudex autem, cum nostros minime (vti promiserant) ad oppidum aduentare conspiceret illico sibi fuga consuluit, & Palotam profectus est, atq; ita pulcherrima vrbis occupandæ occasio, tum à Cæsarianis prætermissa: sed Turcarum præfecti re cognita, illico atrocibus pœnis in eos, qui cum hoste conuenerant, sæuire. Circiter enim quadraginta, palis, & vncis ferreis perfossi sunt, inter quos fuerunt etiam nonnulli prorsus insontes. Paucis post diebus, is qui omnium consiliorum author extiterat, Viennam se contulit, ibique Cæsari supplex factus, petebat, vt sui, suæque miseræ familiæ, aliqua ratio haberetur. Causa, cur Cæsar Eccium ab ea prouincia reuocarit, hæc præcipua fuisse iudicatur, quoniam Viennæ admodum accurate, ac etiam non sine magna spe, vt breui succederet negotium de pace ineunda cum Oratoribus agebatur, ipseque Georgium Hoffutotum, consiliarium regium in Camera, virumque singulari prudentia, & virtute, paulo ante ad Solymanum legarat. Quocirca ipsi haud consentaneum videbatur, vt aliquid tentaretur, quoad res adhuc penderent, nec exigua spes de sedandis controuersiis fore videretur. Ob id etiam edicto sanxerat, ne quis hostem noua iniuria lacesseret: Vim tantum illatam repellere liceret. Hoffutotus ex aula Byzantium versus proficiscens, viginti Turcos captos in diuersis cōflictibus, & Pannonico habitu indutos, secū adduxit, eosq; præcipuos, qui passim in vinculis à Proceribus illius Regni detinebantur. Cum Budam peruenisset, à prætore Budensi honorifice, ac perhumaniter exceptus est.

Eccius à Salma proficiscitur ad obsidionem Albæ Regalis: moxq; reuocatur à Cæsare.

Georgius Hoffutotus mittitur ad Solymanum orator.

Dum hæc fiunt, ex castris Schuendicis recesserunt equites Saxonici, à Principe Augusto domum reuocati, quorum opera in sua ditione vteretur.

cum præ-

cùm præsertim in Pannoniis omnia iam ad pacem spectarent. Cæsar etiam plurimos alios cùm centuriones, tùm milites, qui ex Germania venerant, domum remisit. At iidem haud multò post in illis partibus auidissimè desiderabantur, nouaq; belli consilia iniri oportebat, cùm denuò Mars sæuire inciperet, viresq; aduersariæ nouis copiis augerentur. Cùm propè Neustadium accessissent, illud statim oppugnarunt. Huic præerat Gleisinulnerus, qui cùm se imparem esse, locumq; haud facilè defendi posse animaduerteret, sese transdedit, eumq; hostes incolumem, licet inermem cum suis militibus egredi permiserunt. Hunc locum postea Cæsariani occuparunt, iterumq; amisere, ac tandem recuperarunt. Pannonicus quidam, nomine Dersfius, cuius tutelæ, ac fidei, Nitriensis arx commissa fuerat, oppido cum aliquot ex suis egressus, in hostes palantes incidit, eosq; repente aggressus, nonnullos trucidauit, & duos ex centurionibus captiuos fecit. Paulò ante captus fuit quidam ex Turcis ad oppidum Sigethum, cuius situm, sicuti & aliorum locorum exploratum venerat, ac tredecim dies tum erant elapsi, ex quo ille Byzantio discesserat. Is ad Carolum Austrium perductus, pro certò affirmabat, Turcarum regem in Pannoniam venturum, Sigethum ac Iulam breui obsidendam, & integrum exercitum dicebat futurum supra quadringenta millia virorum, præter illos, qui ad remigium comparabantur. Per idem tempus Eccius comes, quosdam etiam speculatores cœperat, ex quibus aduentũ Solymanni ad eam prouinciam haud obscurè cognouerat. Fuit etiam comprehensus quidam Byzantinus, cognomine Scapilir Vaida, qui erat intimus consiliarius præsidis Budani ac omnibus Hungaris, ob rei militaris peritiam longè notissimus. Hunc allocutus est Franciscus Peschus, atq; idem prorsus, quod cæteri, affirmabat. Quocirca ex his iam liquidò patebat, frustra amplius de pace, siue de induciis cogitari, quin potius apertissima futuri belli signa vbiq; cõspiciebantur. Agricolis, qui annuos census nostris æquè, ac Turcis persoluerant, seuerè iniunctum est, ne Cæsarianis quicquam inposterum præberent. Iuxta oppidum Papa fuere abducti circiter octoginta milites, qui Maximiliano inseruiebant. Propè Iauarinum, & alia loca Pannoniæ, hac illac populabundi excurrebant, & indigenas ac oppidanos plurimis iniuriis ac detrimentis afficiebant, *Turcarum eruptiones.* ex quibus rebus facilè cuiuis apparebat, eorum odium ac sæuitiam in nostros indies magis magisq; augescere. Cùm itaque Cæsar ex multorum literis ac nuntiis de hostili apparatu subinde certior fieret, totum animum ad belli cogitationem applicare cœpit, iussitque inprimis, vt Iauarinum (hoc oppidum Germani Rab vocant) opportunis ac vtilibus præsidiis communiretur. Illic enim, totam molem exercitus in vnum colligi, & militares copias recenseri mandarat. Per totam Norici oram publico edicto cauit, ne quis vinum vel frumentum extra eam ditionem diuenderet, aut educi sineret, quæque iam vendita fuerant, nondum tamen abducta, nullo modo transportari possent. Sigethum etiam aliquod auxilium transmisit, & in castra circiter duas cohortes, quibus præerat Vicecomes Insuber, & quidam nobilis Germanus, ac etiam plerisq; aliis belli ducibus iniunxit, vt militem vndiquaq; conscriberent. Cæterùm cùm ingentem Solymanni potentiam secum animo diligentius perpenderet, videbat, hos omnes apparatus minimè sibi sufficere, ideoque oportere, vt ad opem viresq; imperii confugeret, sicuti eius maiores fecerant, quoties Turcica vi & armis opprimerentur, vel ipsimet aliqua honesta causa impulsi, eis bellum inferre statuissent. Cùm itaque nec suo muneri, nec saluti, ac dignitati illius imperii, cui ex Germaniæ Principum consensu præerat, vlla ratione deesse vellet, statim Augustæ Vindelicorum comitia Germanica indixit. Causa cur Cæsares, cùm aliquod grauius bellum impendet, vel ipsimet sponte aliquid hostile moliuntur, huiuscemodi conuentus ex omnibus Germaniæ partibus conuocare soleant, hæc præcipua omnino est, vt sibi suggerantur vires, omniaq; adiumenta bellica, quibus in hostem præmuniantur. Cùm enim Germania in tria membra siue status diuidatur, scilicet in sa-

cri vel politici iuris Principes, ac liberas ciuitates, hi annuatim soluunt Cæsari quoddam exiguum tributum: At si forte accidat, vt graue aliquod bellum impendat, præter solitum morem, copias, arma, & pecuniam suppeditant, eaq; suppeditatio, siue cõtributio in comitiis decernitur. Sacri iuris proceres, quos Ecclesiasticos vocant, sunt Archipræsules Electores, quorum primum est Moguntinus, supremus epistolarum magister pro Germania, & in eius archiuis omnes comitiorum scripturæ asseruantur. Post ipsum, est Archipræsul Coloniensis, magnus epistolarum magister pro Italia, & Treuerensis pro Gallia. Hos consequuntur quidam alii Archipræsules, opulenti, amplisque redditibus, prout est Salisburgensis, è vetusta familia Boioariæ, qui ob fodinas salis, argenti, & auri, quas habet in sua ditione, potest annuatim expendere supra centum, & quinquaginta millia florenorum. Est etiam Antistes. Magdeburgicus, qui dicitur primarius Germaniæ, Bremensis, Disontinus, & plæriq; alii eodẽ titulo, ac dignitate circiter quinq; ac viginti, omnes tum diuitiis, tum amplo genere insignes, atq; appellantur Principes imperii, propter oppida, vrbes, & prouincias, quæ illorum ditioni parent. Alterius ordinis Reguli sunt etiam eodem numero, qui supremum honoris, & authoritatis locum sibi vendicant, & vocantur Electores, qui etiam habent aliqua munia, quæ ad Cæsaris obsequium pertineant. Augustus elector, est supremus iudex Curię Imperialis, ac etiam legati titulum gerit. Palatinus supremus eorum, qui dapes ferunt. Brandeburgicus, est supremus regii cubiculi. His succedunt alii Principes nobiliores, quorum primi sunt ex eadem electorum familia, eodem ordine, vt est Boioariæ regulus, cum aliis Palatinis, qui sunt eiusdem familiæ. Deinde Marchiones, Burgrauii, Brandeburgici, Brunsuicenses, & Luneburgici, ex præclara Saxonum progenie, cum plærisque aliis Ducibus, Marchionibus, Lantgrauiis, aliisq; proceribus.

Liberæ ciuitates, atq; imperii, vt appellant, sunt ex quorundam sententia, duæ, ac septuaginta, licet fuerint octoginta, & amplius. Hæ nullum Principem agnoscunt, præter Cæsarem, cui quotannis quendam censum persoluunt: sed ita exiguum, vt vix annuatim sint supra quindecim millia florenorũ. Sunt etiam ex his nonnullæ prorsus immunes, nisi quod etiam Ipsæ cum aliis Principibus, belli tempore, opportuna subministrant. Vtuntur lege peculiari & propria, & fere omnes habent statum popularem, vel mixtum quem Græci δημοκρατίαν appellant, licet quædam earum, & inter istas Norimberga, vrbs perampla, & opulenta, optimatum regimine administrentur, quem iidem ἀριστοκρατίαν vocant. Hæ vrbes libertatem sibi vendicarunt, vel pecuniis, vel gratuita Principum beneuolentia, ita vt ciuium industria, mercibus comportandis, inducendis nouis artibus, oppidis emendis, ac suum principem aliquo sibi officio demerendo, non modo mœnia vrbium ampliarint, verum etiam hac ratione sese in libertatem asseruerint, moxque arces, & propugnacula extruxerint, quibus seipsos aduersus potentiores Germaniæ regulos, ac primates tuerentur, cum in confesso sit, Magdeburgum fere ad triennii spatium sustinuisse acerrimum bellum, & oppugnationem omnium eorum, qui tum reliquis authoritate, atque opibus præibant, & totius Cæsariani exercitus, ac etiam cœpisse Principem Georgium Mechelburgum, & postremo haud sanè fuisse deteriori conditione, quam reliquæ vrbes à bello Germanico extiterant. Grauia quoque, & ingentia bella sustinueruut, Brera, Oriembera, & Lubecum, portu nobile emporium, & innumerabilibus mercatorum nauigiis frequens. Insunt etiam præter has, multæ aliæ vrbes celebres, ac opulentæ, vt Colonia Agrippina, vrbs, pulchritudine, soli fertilitate, domorum elegantia, & opum splendore; inter præcipuas iure annumeranda. Augusta Vindelicia, in qua, præter egregia palatia, & priuatorum ædes, sunt ditissimi ciues, ac optima etiam propugnacula conspiciuntur. Francofurtum, non modo celebre ob emporia, quæ ibi plurimorum mercibus, & frequentia bis in anno celebrantur: sed etiam ob Cæsaris electionem

Digitized by Google

ctionem, quæ ibi de more habetur. Aquisgranum, antiquis Nuagerrum, quæ vrbs diu fuit regia sedes Caroli, cognomento Magni, deinde locus illius sepulturæ, atq; vbi coronantur primo diademate, qui Procerum suffragio, in reges Romanorum eliguntur. Argentina, omnibus Germaniæ vrbibus communitior, & deinde Spira ad ripam Rheni posita, Vormatia, Vlma, Rostochium, Ratispona, & plæræq; aliæ non vulgaris famæ. Erant etiam olim, licet hodie seiungantur, vt occupatæ à diuersis Principibus, aut vicinis prouinciis, Basilea, Geneua, Lucerna, Rotuuilla, & Molusium, quæ quidem vrbes variis temporibus Heluetiis adhæserunt. Dantiscum, situm in faucibus fluminis Vistulæ ad Oceanum, ciuitas admodum prædiues, & in qua est maximum emporium Septentrionalis plagæ, & Eluina transiere cum Prussia, in ditionem regis Sarmatiæ, Constantia, in potestatem regis Romanorum, vrbs Metensis, & Verdunum, sub dominium regis Galliarum, & nonnullæ aliæ sub imperium diuersorum Principum. Ex his ergo Germanis Proceribus, exque liberis ciuitatibus: constant, hi conuentus, qui ab Imperatoribus indicuntur. Cum enim absoluta illis potestate nihil omnino queant imperare, ad huiusmodi comitia confugiunt, ibique procurant, in eis decerni, quicquid Reipublicæ vtile, ac necessarium existimant, simulque operam adhibent, vt quod ibi publico decreto sancitum est, gnauiter, ac maturè perficiatur. In his quemadmodum sunt tres status, qui ibi publicè intersunt, ita quoque fiunt tres diuersi conuentus, in quorum primo assident solummodo sex Electores, in altero Principes, tam sacri, quam politici iuris, & in hoc pro Abbatibus Imperii, assident duo, & pro Regulis, ac Primatibus Imperii, duo alii, & in tertio liberarum vrbium legati. His omnibus à Cæsare, vel Romanorum rege illud omnino proponitur, quod cadit in rem præsentem, & in quouis colloquio seorsim de rebus propositis è communi consilio decernitur. Ipsæ quidem ciuitates tantummodo suam sententiam proferunt per viam consilii, at in rebus transigendis, nullum habent suffragium. Cæsar itaque cum Bizantinos apparatus, tam ingentes audiret, hos omnes dynastas, & proceres, de quibus hic modo dictum est, ad conuentum Augustanum accersendos, curauit, vt in tam graui, tamque vrgenti negotio, ea præsidia, & adiumenta, pro publica salute administrarent, quæ antehac sui maiores, pro iisdem rebus impetrarant. Vt vero Germani Principes tanto maturius eò festinarent, ipse prior Augustam venit, haud ignarus, quamlibet moram sibi detrimentosam esse, cum hostis omni diligentia, & celeritate se ab bellũ præpararet. Etsi autem vix omnino credibile videbatur, ipsum iam ætate confectum, ac etiam valetudinarium, huic Pannonicæ expeditioni interfuturum, tamen illius bellici apparatus tanti erant, vt meritò ea de re à quouis dubitandum foret, ipsaque honesti ratio, ac necessitudo iure exigebat, vt caute prospiceret, non tam, vt hostis obesset, quam, vt seipsum, ac vniuersum Imperium ab eius vi strenuè tueretur. Cum primum itaque Augustam peruenisset, protinus Germanos Regulos, atque primores, per literas, certosque nuntios admonuit, vt omni mora postposita, sese ad indicta comitia transferrent. Cæterum, initio multæ causæ oriebantur, quibus se impediri aiebant, quo minus tunc eius voluntati morem gererent. In his autem hæc præcipua videbatur, videlicet belli rumores, qui erant in eorum limitibus, ac ditione, ob reges Daciæ, ac Suetiæ, ita, vt sæpe haud parua suspicio extiterit hos conuentus, vel minimè celebrandos esse, vel saltem nimia cunctatione prorogandos, priusquam è communi sententia quicquam certi statueretur. Hæc dissidia paulo antè fuerant exorta inter duos fratres, Principes Mechelburgicos in Saxonia, propter vrbem Rostochium, quæ quidem, cum à fratre natu maiore, vi occuparetur, ab altero qui erat minor natu, obsidebatur. Hic fauebat regi Daciæ, prout affinis, & propinquus, alter Sueco, qui, & promissis, & largitionibus multorum procerum animos allicere, & ad se pertrahere satagebat. Cæsar, qui multo an-

Maximilianus conuocat imperii ordines Augustam.

tea, cum per suos legatos, tum etiam per multos alios Principes, ac illustres viros, omni studio procurarat, vt mutuo conciliarentur, videns huiusmodi dissimultates maximum sibi totique Germaniæ nocumentum afferre, tunc maximopere pro his componendis allaborauit, suaque opera, & authoritate tantum effecit, vt breui omnis inter eos controuersia dirimeretur, non citra singularem sui nominis laudem, ac beneficium earum regionum, quibus proculdubio hæ contentiones plurima damna & miserias attulissent. Nec his contentus, cum vtroque rege, vt tandem conueniret, omni ope annixus est, adeo, vt ipse Suecorum rex, Cæsari gratias agens, ob egregiam suam voluntatem, quam publicæ quietis ergo exhibuerat, seipsum ad omnes æquas, & honestas pacis conditiones, propensissimum offerret, omnemque controuersiam arbitrio Principis Pomeraniæ, ac Ioannis Frideri ducis Saxoniæ, qui erat frater matris ipsius regis, dirimendam lubens relinqueret. Alia difficultas, quæ nonnullos ex Principibus remorabatur, quo minus ad comitia festinarent, erat ob quædam alia dissidia exorta inter duos alios fratres Vinarienses, ob diuisionem ditionis, & præsertim eorum locorum, qui munitiores habebantur. Hos enim possidebat frater natu maior, quod sane alteri nimis indignum videbatur. Cum enim ex tribus fratribus, minimus natu obiisset, reliqui duo, qui erant Ioannes Fridericus, & Guilelmus, inter se conuenerant, vt alternis gubernarent. Maior natu, prius ex conuentione rebus præfuit: sed postea dulcedine imperandi (vti videbatur) allectus, alteri cedere nolebat. Hinc factum est, vt Elector Palatinus, propter affinitatem, qua eis iungebatur, has lites, & contentiones omni studio sedare conaretur, & ipse etiam Saxoniæ Princeps idem agere allaboraret, cum eius patrocinium Palatinus sedulo implorasset, atque ob id simul conuenerant Lipsiæ, ibique mutuis colloquiis res diu, multumque agitata est, & illuc etiam secundus frater appulerat. Quoniam vero in huius dissidii componendi negotio, videbantur exortæ nonnullæ difficultates, quæ non ita leuiter, ac facile dissolui poterant, vtriusque fratris controuersiæ ad comitia remittebantur. Postremo Philippum Lantgrauium, Cattorum Principem, domi detinebant nuptiæ Ludouici, sui filii secundogeniti, qui Christophori ducis VVirtembergici filiam in vxorem duxerat, & propterea seipsum excusabat, quo minus tunc temporis Augustam accederet. Porro eandem causam afferebant tredecim alii ex Germanis proceribus ac etiam plures alii nobiles, ac illustres viri, & idcirco initium horum comitiorum prorogabatur. Hæ nuptiæ solenni pompa celebrabantur, & quoniam in illis tot Reguli, totque generis prosapia insignes viri, intererant, Cæsar, & reliqui Principes, qui secum aderant, summopere auebant illorum consilia & colloquia intelligere, cum præsertim valde metueretur, ne religionis articulus, reliquis imperii negotiis magnum aliquod impedimentum, atque incommodum afferret. Ex his præcipui erant Philippus Lantgrauius, cum Gulielmo, & Ludouico eius liberis; Philippus Holsatiæ, Ernestus Brunsuicensis, Christophorus VVirtembergicus, pater sponsæ, ac duo filii, & duo etiam Electores Palatini. VVolffgangus Palatinus, regulus Biponti cum filio, & Iohannes Georgius, filius principis Brandeburgici, qui ob aduersam patris valetudinem, domum redierat. Hæ causæ Cæsaris animum grauibus curis, atq; angoribus implicitum tenebant, cum eorum aduentum ita differri, ac protrahi animaduerteret, eoq; magis angebatur, quo magis indies fama vbique spargebatur, de bellico Solymanni apparatu, & compertum habebat, Transyluanum subinde militum cohortes, turmasque describere, ideoq; nihil amplius addubitabat, quin hæc omnia contra se fierent. Principes accersiti, cum hoc audirent, ac viderent, se non tam mature, quam vellent, quamque etiam rei necessitas postularet, illuc proficisci posse, oratores ad Cæsarem legarunt, qui, eorum nomine, plena authoritate apud illum in comitiis agerent, donec ipsimet coram adessent: At ipse

Principes mittunt legatos ad Maximilianū.

ipse nihil omnino cum eis consilii, & publici decreti conferre statuerat, quippe, qui in tam seriis, & grauibus rebus, eorum præsentiam expetebat, coramque, quid facto opus esset, indicare constituerat, ideoque, sæpe ad illos, dedita opera, certos homines destinarat, qui eos admonerent, atque hortarentur, vt quamprimum se itineri accingerent. Interim, in aula Cæsaris tractabantur sponsalia inter Gallum regem, & Maximiliani filiam idque Renni opera, qui ea de causa illuc paulo ante missus fuerat: Sed paulò pòst, à suo rege, ob quædam alia negotia, reuocatus, relicto ibi quodam generoso: & qui erat ei à secretis, in Galliam reuertit, moxque se rediturum pollicebatur. Non multo post huius abitionem, ad Cæsarem venit orator Sabaudius, ob quasdam lites, & controuersias, quæ propter vrbem Casalem, sitam in Montisferrati ditione, inter Allobrogum Principem, & ducem Mantuanum, intercesserat, & paucis pòst diebus, venit eodem Hispani nuntius, qui nomine sui regis, ab eò petiit, vt pro auxiliaribus præsidiis mittendis Neapolim, in insulam Meliten, ad Insubres, aliaq; suæ ditionis loca, sibi conscribi liceret quatuor Germanicas legiones, quæ quidem illorum more, constituebant quadraginta signa peditum, ex quibus decem mitterentur Gulettam, arcem positam in faucibus Tunetani stagni, & in præsidia oppidorum Galliæ Cisalpinæ, quod sanè haud difficulter obtinuit. His cohortibus præerant Paris, & Albergius Lodronius, itemque Ioannes Baptista ab Arch, & Hannibal Altempsis, viri, cum virtute, tum generis claritudine insignes. At prior, vbi aliquandiu grauiter ægrotasset, tandem fato decessit. Reliqui suam prouinciam obiere. Delectu igitur habito, & militi persoluto stipendio, in Italiam profecti sunt. Dum hæc fierent, Cæsaris animus magna cura, & sollicitudine præmebatur, cum Germanos tantam moram interponere videret, quo minus dicto audientes forent, nec tamen poterat non legitimam eorum excusationem admittere, quos iustissimis causis impediri iam audierat. Interim, cum Dionysia de more instarent, anno ab humana salute supra millesimum, & quingentesimum, sexagesimo sexto, ne aula Cæsaris hoc Principum desiderio nimis cogitabunda, & subtristis videretur, non deerant plurimi nobiles, ac generosi, qui & regiam domum, & vrbem, cum ludicris hastatorum certaminibus, tum aliquo alio spectaculo iucundiori, ex arte conquisito, haud mediocriter oblectarent. Tandem præfati Principes, iam suis negotiis, & occupationibus expliciti, in Vindeliciam proficisci statuerant, eorumque primus fuit Brandeburgius Elector: at in medio itinere graui atque ancipiti morbo correptus, domum reuerti compulsus est, misitq; Georgium suum filium, & nepotes, cum egregio nobilium comitatu, eosque apud Cæsarem iussit remanere, donec aliud ab eo in mandatis haberent. Iisdem diebus accessit etiam Elector Moguntinus, cui Cæsar honoris ergo, ad sexquimilliare Italicum obuiam processit, eumq; admodum benignè atq; humaniter in suum vsq; hospitium comitatus est. Per idem tempus venit etiam ex Italia, equis citatis, Commendonus Cardinalis, missus à Rom. Antistite, sed tunc veluti priuatam personam gerens, donec paulò pòst Io. Andreas Calligarus ei crucem de more legatiq; autoritatem in comitiis nomine Pontificio detulit. Nec alius quisquam, præter hunc, eo munere in comitiis functus est, licet interessent duo alii eiusdem cœtus atq; ordinis, videlicet Augustanus, & Altempsis, qui sanè ibi aderant, vt imperii Principes, non vt publicam prouinciam gerentes.

Cæsar in hoc tam graui bello, in quo de totius Christianæ Reipublicæ beneficio, ac salute agendum erat, Pontificis quoq; suppetias implorandas censuit, & idcirco misit Romam Reumillierum, qui sibi erat à secretiori cubiculo, vt ei gratularetur de noua dignitate, ad quam recens tum erat assumptus, ac etiam, vt aliquid ab eo præsidii, pro bello, quod in Turcas gerendum erat, postularet. Is vero haud grauate tum Cęsari ad quinquaginta millia nummûm aureorum pollicitus est, eamque pecuniam bina portione persoluit, quarum quidem postremam detulit Bilia, qui nuntius ad eum iuerat.

Digitized by Google

Interim Augustam profecti sunt Coloniensis ac Treuirensis ambo Electores, & Salisburgensis, Boioarius Antistes, Cleuensis regulus, & duces Holtzstain, & Liktriz. Paucis diebus interiectis affuit etiam Augustus Elector, qui è Saxonia cum amplo ac splendido illustrium virorum comitatu aduenerat. Item Gulielmus Vinariensis, Georgius Federicus Marchio Onoltzbachius, Philippus Rhæni Augustanus Cardinalis, & plæriq; alii nobiles Germani. Interim Cæsar diploma dedit quibusdam Principibus, qui hoc ab eo sibi dari postularant, inter quos fuit etiam magnus Magister equitum Teutonicorum. Hic verò in publica sessione semper cedit archipræsulibus: at reliquos præcedit. Horum autem equitum ordo initium habuit Hierosolymis, postquam ea vrbs iam esset recuperata ex manibus Sarracenorum, ab Henrico Vualpoto, natione Germano, idq; fuit anno ab humana Salute, supra millesimum & centesimum nonagesimo. Hic enim cum quibusdam aliis, qui eum comitati fuerant, sedem ac domicilium sibi constituit Hierosolymis, & secum coniugem, suasq; fortunas detulit. Cùm autem plurimos suæ nationis homines illuc subinde aduentare conspiceret, vt votum soluerent, quod quidem erat, Christi sepulchrum deuotè inuisere, nec alio idiomate vti posse quàm patrio, nullumq; hospitium habere, illius misertus, ex sua domo Xenodochium fecit, pauloq; post Patriarchæ authoritate, ibi construxit sacellum, virgini Matri dicatum, & illuc paulatim diuersi ac plures confluxerunt eo animo, vt ægrotis adessent, nec solum ex plebe, sed etiam plurimi, & opulenti & nobiles accesserunt, ibidem commorandi studio, hiq; deinde aucti, & numero & viribus mutuo consensu ad multò ampliora suum animum applicarunt, idque fuit, Christi religionem ac fidem vi & armis tueri ac propagare, adeò vt breui tempore Prussiam sibi subderent, eamq; ad veram fidem conuerterent. Cùm autem anno à Salute restituta, M. D. XXV. suprema huius ordinis dignitas ad Albertum Brandeburgicum deuenisset, is conuenit cum Sigismundo rege Sarmatiæ, vt partem illius prouinciæ sibi assumeret, ipse verò alterius, quæ remaneret, Dux crearetur, quo quidem impetrato ab Imperii obedientia desciuit, seq; totum ad præfati Regis amicitiam & societatem insinuauit. Cæterùm, quia etiam in Germania, vnde prius oriundi fuerant, multas opes & facultates habent, quæ ad hunc ordinem pertinent, nunquam desierunt eligere magnum Magistrum, qui deinde diploma Cæsarianum, quod vulgò feudum appellant, acciperet. Vt verò ad incœptum redeam, horum Principum aduentus eò Cæsari gratior fuit, quò diutius exoptatus, vt tandem cum illis de his omnibus, quæ ad publicam Imperii salutem ac dignitatem pertinebant, quamprimùm decerni posset. Hos itaque perhumaniter ac honorificè excipiebat, ipsiq; vicissim egregiam præ se voluntatem ac studium erga Cæsarem ferebant, adeò vt ipse iam optimam spem conciperet fore, vt sibi cuncta ex animi sententia breui succederent. Ne verò curiosis ingeniis desit occasio diligenter considerandi gradus, & qualitates eorum Principum, qui eo tempore in his comitiis interfuerunt, equidem haud ab re fore putaui, si ordinem, quo Maximilianum comitabantur, hîc paucis descripsero. Præibant igitur quatuor feciales, deinde legatus Imperii (Marelchalcum vocant) quem sanè quatuor eodem ordine sequebantur, ex quibus primi erant secundus genitus Bauariæ, à dextro latere, filius Bipontini, & filius Ioannis Georgii Brandeburgici: à sinistro, filius VVirtembergensis reguli. Hos alii subsequebantur Boioariæ primogenitus, & Holstain à dextra parte: & à læua incedebat Ioannes Georgius Palatinus Zimmerensis. Tertio loco ibant VVirtembergicus & Cleuensis Principes, & Dux Pomeraniæ, & à læua Marchio Badensis. Hos ponè Palatinus VVolffgangus Bipontinus, & Boioarius in medio, & à sinistro latere Carolus Badensis. His succedebant duo Legati, & in medio incedebant Treuirensis, & Palatinus, à læua assistebat Albertus Thunius, legatus Brandeburgicus. His omnibus præeuntibus incedebat Augustus Elector solus, & manu ensem gestabat, & septimo loco erat Cæsar, secundum quem

Quo ordine Germani Principes Imperatorē comitabantur.

quem ibant Moguntinus & Coloniensis, & deinde Salisburgensis ac Eistatensis Præsules, & quidam alii, quos Abbates vocant, hosque omnes aulici ac generosi pedites, & gradatim comitabantur. Cùm verò Cæsar festis diebus ædem ingrederetur, vt concioni, sacrisque interesset, Reguli ac Proceres, quos Protestantes appellant, illum ad templum vsque comitabantur, moxq; singuli domum redibant, vt suos concionatores audirent, indeq; vt suo munere fungerentur, ad eum reuersi, ad prætorium comitabantur, in quo à Cæsare admodum splendida regiaq; conuiuia interdum fiebant, ad quæ vtriusq; ordinis Principes, tam eorum, qui ad dicendum creandumq; Cæsarem suffragii iura obtinent, quam aliorum Germanicæ nobilitatis admittebantur. Cùm itaque iam omnes conuenissent, Imperator minimè sibi amplius cunctandum existimauit, quò minus ea, de quibus consultatio habenda erat, in medium proponeret. Cùm itaq; omnes 7. Calend. April. ex iussu & condicto Cæsaris in vnum conuenirent, causam exposuit, cur is conuentus indiceretur, simulq; necessitatem declarauit, qua quidem cogebatur, se contra Solymannum Turcarum regem armare atq; munire, quem certò constabat, maximis cùm equestribus cùm pedestribus copiis paratis, iisq; sanè maioribus, quàm vnquam hactenus habuisset, in Pannoniam venturū, eo consilio, vt mox Viennam Noricam inuaderet, cumq; illa foret Imperialis sedes, vrbsq; maximi momenti vniuersæ Germaniæ illis prospiciendum erat, ne quid omnino detrimenti pateretur. Nam præter iacturam, quæ procul dubiò ingens ac incredibilis fuisset, ad eos omnes summum planè dedecus ac ignominia redundaret, nisi Germania tam florens atq; inuicta regio in tam graui periculo debita & necessaria præsidia opportunè adhibuisset, ob quæ ipsi ad hos tam solennes conuentus accersebantur. Ab his itaq; plurimis cohortationibus ac precibus contendebat, vt cæteris controuersiis & rebus omnibus postpositis tantum huic præsenti negotio animum intenderent, atque articulum de auxilio præstando, quod plus reliquis omnibus tum premebat, citra moram exequerentur, omnesq; in belli apparatum animos intenderent. Commemorabat pristinum eorum studium & virtutem, quam superioribus annis erga Carolum V. & Ferdinandum patrem ostenderant, quoties ipsi ab eodem hoste lacessiti ad illorum opem confugerant, quidq; etiam illorum maiores erga alios Cæsares effecissent. Se igitur minimè vereri aiebat, quin eodem studio erga se afficerentur, quò associatis viribus Imperii maiestas & amplitudo illæsa permaneret. Hoc autem si agerent, se quoq; vicissim operam daturum, ne tanti beneficii memoriam ex animo vnquam obliteraret. Vbi Cæsar perorauit, Boioariæ Princeps illius nomine hos articulos proposuit.

Propositio Maximiliani ad Principes Imperij.

Propositio Maximiliani per ducem Bauariæ.

Vt in comitiis tractaretur de modo expellendi hæreses, non comprehensas in pace religionis, at prohibitas.

Vt auxilium postulatum pro defensione contra hostem, forent octo millia equitum, & quadraginta millia peditum, quibus pecunia per octo menses, postea per tres annos continuos minus dimidia portione solueretur: sed hoc totum esset in signata pecunia, quæ tota, prout sese belli offerret occasio, impenderetur.

Vt ageretur de reformanda curia Imperiali in vrbe Spira, & obseruaretur, quod ibi sancitum sit.

Vt procuraretur conseruatio publicæ quietis, & obseruantia eorum ordinum, qui ad monetam spectant.

Vt sedarentur controuersiæ quorundam Principum in ordine precedendi exortæ. Postremò vt subditis, qui erant in ditione, quæ vulgò de finali appellatur, Cæsareo edicto iniungeretur, vt quamprimùm arma deponerent, & hanc ob causam è vestigio mitteretur vnus ex consiliariis cum præfecto Tridentino. Ex his omnibus articulis nullus æquè tam opportunus & vrgens videbatur, atque articulus de auxilio contra Turcas, in quo quidem tanta in singulis Principibus, qui tum ibi aderant, promptitudo animorumque pro-

Germaniæ Principes maximè prōpti ad suppetias ferendas Cæsari contra Turcas.

pensio cernebatur, vt præter oblata subsidia ex his plæriq; se in hanc militiam sponte ituros reciperent.

Quod ad postremum spectat, extemplò procuratum est, misso D. Parthino, qui Cæsaris consiliis adhibebatur, vt eius authoritate atq; prudentia omnis lis & controuersia in ea regione dirimeretur. Summo quoq; studio ibi allaboratum est, vt fieret conciliatio inter Sueciæ ac Daciæ reges, grauiq; pœna vtrique iniunctum, vt arma deponerent, & publico decreto sancitum, ne quispiam ex Germanis proceribus vllam eis opem ac suppetias ferret. Cæterùm his omnibus nihil omnino effici potuit, quia subinde inter se acerrimis odiis dimicabant, omnemq; pacis conditionem vterque aspernabatur. Principes re inuicem deliberata, statuerunt, se Cæsari per octo menses tria auxilia Romana, id est, duodecim millia equitum, & peditum viginti millia, & per biennium & dimidium anni quatuor equitum millia concessuros. Is verò se tribus Romanis auxiliis contentum ostendit: At pro vltimo auxilio, quod quidem erat duorum annorum cum dimidio, rursus petiit, vt saltem per triennium sumptis octo mensibus pro quouis anno darent dimidium trium annorum Romanorum, quod tandem ipsi admodum libenter se facturos pollicebantur, eaq; in re Cæsari plurimum gratificati sunt, isq; omnibus ac singulis pro tam beneuolo in se animo & singulari humanitate summas gratias egit, seque perpetuò illius memorem futurum recepit. Hisdem quoque temporibus Archidux Carolus alia comitia Posonii indixerat, in quibus affuerunt proceres Hunnici, quos quidem tam benignos & faciles inuenit, vt omnibus eius postulatis assentirentur, seq; vna in eam expeditionem profecturos dicerent, si aut Cæsar, vel quispiam ex eius germanis fratribus huic bello interessent. His confectis rectà in vrbem Viennam iter tenuit, ibique hoc idem ab Noricis proceribus impetrauit. Præterea ibi sancitum est, vt quæuis domus florenum traderet: vt nobilis, cui essent redditus centum florenorum, suis sumptibus equitem aleret. Vt Viennam opifices mitterent, quorum opera inchoatæ munitiones perficerentur. Vt nemo vllum famulum acciperet, nisi ab eo, cui prius inseruierat, suæ integritatis ac fidei testimonium habuisset. Vt quintus quisque, decimus, ac trigesimus ad bellum in Turcas mitteretur, &c.

Conuentus habitus Posonii & Viennæ per Archiducem Carolum.

Sub finem comitiorum Augustus Elector solitis cæremoniis publicè à Maximiliano diploma suscepit, eaq; pompa fuit admodum splendida & insignis. Nam cum eo erant circiter mille & quingenti equites, quàm egregiè instructi cum tredecim signis, quorum duodecim nouo quodam genere spectaculi ex quodam editiori loco, quem ob id consultò pararant, à caduceatoribus in vulgus proiecta sunt, ea sane conditione, vt qui ea integra arripuisset, nec essent lacera, redditus haberet quotannis centum florenorum, donec viueret, idq; prosperæ fortunæ contigit cuidam puero stabulario, qui in tanta hominũ turba vnicum vexillum integrum, & omni ex parte illæsum arripuit & seruauit. Ducum quoq; Vienariensium legati suorum Principum nomine diploma & communes titulos acceperunt, idemq; traditum est Palatino. Triduum antea venerant ad Cæsarem quatuor Heluetiorũ oratores, quorum tres Romanum dogma profitebantur, & alius erat Rheticus, missus ab vrbe Curia, cui erat quędam lis cum antistite. Hisdem diebus aduenerunt etiam ex Italia Gulielmus Gonzaga, dux Mantuanus, nec multò post Emanuel Philibertus, Allobrogum princeps. Horum aduentus partim extitit, vt Cæsari præsidium in ea expeditione offerrent, partim etiam, vt decideretur, & grauis quædam lis exorta (vt paulò antè dictum est) inter vtrumq; propter vrbis Casalis, quæ est Montisferrati caput ditionem. Hæc quidem inchoata olim fuit inter ipsorum parentes, ac etiam Franciscum Salassum, & de ipsius hæreditate diu magna competitorum contentione iactata, resq; tandem eò decidit, vt post multas controuersias Carolus V. ita litem diremerit, vt secundum Federici Gonzagæ iura meritaq; pronuntiaret, cùm in eius matrimonio fuisset soror Bonifacii,

Digitized by Google

facii, qui ex lapsu currentis equi absq; prole perierat, ideoq; non obscura hæres fraterni imperii habebatur. At reliqui hoc egerrimè tulerunt, & propterea Sabaudius minimè huic sententiæ acquieuit: at plurimis rationibus ius suum repetit, eamq; ad se pertinere contendit. Per idem tempus aduenit etiam Altempsis Cardinalis, & paulò post præsul Rhemensis, prior quidem ex Italia, & alter ex Galliis, huiusq; aduentus erat (vti ferebatur) ob nuptias, de quibus supra narratum est. In his comitiis tertio Idus Maii fuerunt publicè proscripti, Gulielmus Grumbachius, Gulielmus à Stein, Ernestus Mandeslaus, & quidam alii eiusdem factionis viri. Iam restabat solus articulus religionis, de quo ageretur. Sed habita ratione temporis ac periculi, quod à Turcis imminebat, ex consilii decreto statutum est, vt in aliud tempus magis opportunum differretur, & procuratum est, vt quamprimùm bellica instrumenta & promissa auxilia pararentur. Dum hæc in Vindelicia gererentur, Vayuoda, qui tum erat Albæ Iulæ, subinde maiores copias instruebat, & viribus augebatur. Scripsit etiam literas ad vrbes, proceres, ac nobiliores, qui erant in diuersis partibus Hungariæ, quibus eorum animos ad sui studium pertraheret, & plurimis rationibus suam causam & innocentiam tueri annitebatur. Titulus erat huiuscemodi: Ioannes Secundus, Dei gratia, Electus Rex Pannoniæ, Illyrici, Croatiæ, &c. Spectabilibus, Magnificis, Egregiis, Nobilibus, nobisque syncerè dilectis, Salutem, & gratiæ nostræ erga vos beneuolam oblationem. Literæ continebant Turcarum Imperatorem per literas, quas Zaisio legato ad eum dederat, sibi seriò mandasse, vt vniuersos status atque ordines regni Pannonici ad fidem atque obsequium sibi præstandum beneuolè hortaretur, & pergratum sibi fore, si mutuam inter se concordiam amplecterentur, eamque constanter fouerent, ac suum obsequium erga se paribus votis contestarentur. Inde enim afflicti regni Hungarici publica conseruatio, statuuum, atque omnium ordinum quies, ac tuta vnicuique in suis sedibus permansio emergeret, neque Turca toties instruere militares copias, bellumq; tantis sumptibus parare, nec tam laboriosa, tamq; longa itinera suscipere cogeretur. Illos itaque admonebat, vt opportunè resipiscerent, antequam ipse intra limites Pannoniæ suis copiis penetraret, ne dum eius vires intra viscera regni cursitarent, frustra salutem meditarentur. Nos igitur (inquit) pro nostri muneris functione, ac propensa beneuolentia, qua erga Rempublicam afficimur, & Pannoniam tueri, & publicum excidium propulsare enitimur, deq; benigno potentissimi Cæsaris mandato respondere volentes, vniuersos Regulos, Proceres, atque alios cuiuscunque status atque ordinis existant, officiose ac benigne adhortamur, vt immensa diuini Numinis bonitate perpensa, quam per summum monarcham toto orbe præpotentem vobis offerre dignatur, simulque publicum bonum & conseruationem regni, personarum vestrarum, liberorum, familiæ, & cunctarum rerum ad vos pertinentium, tutam item & securam in vestris sedibus quietem ob oculos habentes, iam tandem resipiscatis, & nobiscum Reipublicæ administrationem opportunè capiatis, dumq; licet liberis vestris, fractisque rebus communis patriæ succurrere, illam ab imminentibus potentissimi Principis copiis, obsequio, & fide vestra erga nos propugnare, hostilia bellorum molimina, & barbaricas iniurias euitare satagatis. Quod verò ad se, suamque solitam clementiam erga eos attinebat, se daturum operam aiebat, ne vnquam ipsum posthac sui dissimilem experirentur, quin etiam se apud Solymannum totius Pannonici regni salutem & incolumitatem totis viribus promoturum esse, nihilque omissurum, quod ad concordiam Christianæ Reipublicæ, patriæq;, ac in eos, qui sui beneficiarii essent, munus pertinere animaduerteret. Cùm certæ igitur, atque arduæ causæ instarent, de quibus cum suis fidelibus, regnique primatibus conferre ac decernere oporteret, se communicatis omnibus consiliis cum suis legatis, aliisque præstantibus viris secum existentibus decreuisse, ad proximam Dominicam Remi-

Vayuoda scribit proceribus Hungariæ.

niscere, quæ erat sexto Idus Martii, Thordæ comitia indicere, ad quæ sane omnes Pannoniæ Satrapas, primores, ac vniuersitatem trium nationum Transyluaniæ, vt accederent, hortabatur, quo ibi è communi consensu de cunctis negotiis imminentibus constitueret.

Quoniam vero, si ipsimet adesse cogerentur, maximos sumptus impenderent, vt hæc occasio demeretur, ab eis petebat, vt quatuor viros prudentia, & authoritate præstantes, illuc transmitterent, quibus omnis rei transigendæ ius, & facultatem concederent. Illos itaque amice atque amanter cohortabatur, vt, literis perlectis, hos statim ex suis comitatibus eligerent, quos huic prouinciæ aptiores, magisque idoneos iudicarent, eosq; citra moram, ad ea comitia destinarent, nec secus agerent, si patriæ dignitati, ac saluti vellent prospicere.

Cum Transyluani epistola per Pannoniam, & finitimas Prouincias diuulgaretur, Schuendius, qui tum temporis iuxta oppidum Vnguar cum suis copiis morabatur, aliam protinus conscribi, & promulgari iussit, atq; id factum est quarto Non. Martii, Anno sexagesimo sexto, eiusq; initium erat. Sacræ, Augustæ, Regiæq; Maiestatis copiarum Dux supremus, & Consiliarius, Lazarus Schuendius, spectabilibus, magnificis, egregiis, nobilibus, Comitibus, Vicecomitibus, Iudicibus, & vniuersitati nobilium Hungariæ, &c. In literis autem narrabat, ex plærisq; Comitatibus, ad eum nuper missas fuisse literas Principis Transyluaniæ, plenas speciosis prætextibus, & fucis, quibus conabatur fideles subditos, Sacræ, Augustæ, Regiæque Maiestatis terrere, quasi Turcarum tyrannus de Hungariæ salute, & conseruatione quicquam pensi haberet, cum iam ducentis annis, & amplius, ille, ac eius maiores, nihil magis vnquam studuerint, quam, vt præclarissimum illud Regnum non modo vi & armis, verum etiam internis insidiis, & dolosis artibus euerteretur, ac funditus interiret.

Lazarus Schuendius scribit Proceribus Pannoniæ.

Etsi vero nihil se dubitare aiebat, quin ipsimet pro eorum fide, ac prudentia proque imminentis periculi magnitudine, huiusmodi fraudes, ac imposturas perfacile considerare, ac detegere possent, illos tamen literis admonendos putauit, & significare voluit. Cæsarem, nihil hactenus magis quam pacem cum Turcis, & Transyluano quæsiuisse, quæ etiam cum ipsis modo constitisset, nisi calumniis, ac peruersis instigationibus prædicti Principis Transyluanici fuisset impedita, cum tamen ipse tota illa hyeme tam seuere inducias seruatas voluerit, vt expugnationem aliquorum oppidorum, & arcium, quin etiam ipsius Transyluaniæ inuasionem negligere, & communi tranquillitati illius tam afflicti Regni posthabendam duxerit. Cæterum, si paci, de qua tum agebatur nullus locus relinqueretur, eis tamen haudquaquam verendum esse, quin Cæsar eorum tutelam, & protectionem susciperet, ipsumque Germanorum Principum ope, ac etiam exterorum, quibus Christiana religio, & libertas cordi est, satis virium, ac præsidii habiturum, vt hostiles conatus euerteret. Itaq; bono, & fidenti animo eos esse iubebat, nihilq; de pristina fidelitate, ac bono studio erga suum Principem, & patriam remitterent, cum illud bellum non modo iustum, ac legitimum foret, verum etiam pernecessarium, quippe pro religione, aris, & focis, ideoque prosperum, ac fœlicem euentum sperarent. Contra vero ipsum, qui tantarum calamitatum fons, atq; origo esset, debitas olim pœnas daturum. Postremo, ex Cæsaris præscripto, vniuersis mandabat, vt posthac cum Transyluano, nihil prorsus commercii haberent, nec ad eius conuentus quempiam legarent, nisi pro contumacibus haberi vellent, & grauissima supplicia experiri. Supra commemoratum est, Transyluani cum exercitum nouis copiis adauctum. Idē sane tum à Byzantinis agebatur, hiq; variis excursionibus, Pannoniam infestare inceperant, & omnem occasionem abripere, qua Cæsarianis aliquid incōmodi afferrent. Hinc accidit, vt, cum forte audirent, præfectum oppidi, quod incolæ Ainatschum vocant, cum præcipuis militibus, Agriam, quorun-

quorundam negotiorum causa, profectum esse, ipsi proximo die, qui fuit 9. Cal. Maii, & diui Georgii memoriæ sacer, scalis admotis, oppidum vi occuparint, & vniuersos, qui tum ibi aderant, interfecerint. Iisdem quoque diebus oppidum Segestum oppugnare statuerant. Cum itaque ad illud propius accederent, Nicolaus Serinus, qui paulo ante ex aula Cæsaris illuc redierat, re animaduersa, protinus hostem cum suis adortus est, conflictus vtrinque acer, atq; horribili cum clamore, ac impetu inceptus est: is q; vario euentu ad quatuor horas productus: sed tandem hostes in fugam versi sunt, & plurimi eorum cæsi, ac vulnerati. Hoc autem, vbi auditum est ab his Turcis, qui erant in proximis pagis, & in ea vrbe, quæ à quinq; templis ibi constitutis, nomen accepit, protinus metu perculsi, aufugerunt. At prope Iulam, Iauarinum, & reliqua loca Pannoniæ prædabundi excurrebant, & nouarum virium accessione audentiores facti, plurimis damnis atque incommodis nostros subinde afficiebant. Ob has igitur causas Cæsar, quæcunque ad bellum vtilia, & opportuna prospiciebat, sedulo, atque impigre parabat, hisque militaribus præsidiis, quæ à Germanis proceribus petierat, impetratis, circa finem Maii comitia dissoluit, omnibusq; abeundi facultate concessa, cohortium centurionibus, ac præfectis, vt milites passim conscriberent, iniunxit. Horum autem præcipui fuerunt Georgius Helffenstain, Nicolaus ab Hatstatt, Gulielmus VVellerthunus, Philibertus Marchio Badensis, Ludouicus Vngnad, Burchardus, Barbi, Iacobus Schellenbergus, Christophorus Schellendorfus, Georgius Praun, Guntherus comes Schuarzenburgius, Christophorus Liechtenstain, Bernhardus Hardecus, Zaccharias Grumbergus, omnes Germanicæ stirpis, & viri, cum generis amplitudine, tum bellica virtute præstantes. Solutis itaq; comitiis, & imperii principibus Augusta discedentibus, nec non singulis alarum centurionibus, ad sua munia profectis. Maximilianus etiam inde cum suis abiens, ad Viennam iter intendit, Priusquam vero de his rebus orationem instituam, huc adiiciendum putaui, quæ probati authores, cum de hac vrbe, tum de prouincia ipsa, in qua hæc continetur, literis mandarunt. Austriam sub nomine Pannoniæ superioris, his verbis describit Georgius Ritheymerus. Pannonia (inquit) superior ad solis ortum Leythæ fluuio iungitur. *Austriæ descriptio.* Ptolemæus huic Rabonem ab ortu terminum statuit. Onatso fluuio, & Norico ad occasum. Sunt qui Cæcio monte ab eo cardine finiunt. Teium fluuium, & Morauiam à Septentrione: nam eo vsq; hodie protenditur. Ab ea parte, qua decurrit sol, Montana Styriæ, gleba vber, & fertilis omni genere frugum, & quæ minimo impendio colitur. Vili etiam, & strigoso equo agricola in eo tractu, qui campus Transdanubianus, siue Marchianus dicitur, vbi olim Chetuari, & Parmecampi fuerunt, terram arat: Marga, citra quam, agri in Bauaria infœcundi, & macri sunt, quid sit, Austriacis incognitum est. Crocum ita generosum gignit, cum quo nullum aliud de bonitate certare potest. Vinum naturæ amicum. Vrbes, & antiquæ, & nobiles multæ, maxime tamen insignes, Styra, Vadenhoffum, Melicum Castellnm, antiquitus Claudionum, Cremisium: Cetro castellum, hodie Zeissèlmaur, Santohypolitus, Neuburgum duplex, alterum à cœnobio, à frumento alterum dictum. Petronella nunc vicus, magnæ olim vrbis, id quod rudera, & ruinæ indicant, vestigium. Noua ciuitas Pruk, ad ripam Leythæ fluminis situm. Hamburga, omnium tamen maxime insignis Vienna, olim Flauiana, siue Iuliobona dicta, studio literarum admodum nobilitata, & quo, nullum aliud præstantium Mathematicorum ferax fuit. Eam vineta coronant. Ædes ciuium magnificæ, vt vel Principes hospites accipere possint, & quæ fenestris patentibus ventos accipiunt, & transmittunt, nec vnquam aere pigro, & manente, eo quod singulæ singulas areas habent, ingrauescunt. Frequens alienarum nationum ad hanc conuentus. Rerũ quę tuendę hominis vitæ necessariæ sunt, magna copia. Flumina Austriæ sunt Danubius, olim regionis terminus, nunc medius eam secans. Onasius, Thraunus, Erlaphus, qui ad cellam templo Virginis matris insi-

Digitized by Google

gnem ex lacu amœnissimo oritur. Traisius, Ypsius, Melicus, Marchia, Celus, qui Morauiam ab Austria disiungit. Campus vario genere piscium nobilis, Leytha, & in quo scitissimi saporis cancri.

Hactenus Rythaimerus. Lazius vero in suis rerum Viennensium commentariis, hæc inquit: Austriæ nomen recenti seculo natum est, ante annos circiter quadringentos, ab Austri (vt credo) venti flatu, qui ista in regione frequens est, vel ob similitudinem Germanæ appellationis Osterreich, quod verisimilius mihi videtur, quod nomen Orientali Regnorum suorum limiti Francorum reges indiderunt, ceu & occidentali VVesterreich. Habuit hæc regio olim Marchiones, postea Duces, deinde Archiduces, quibus hodie paret. Huius regionis insignia olim erant quinque Alaudæ Aureæ in cœlestino clypeo pictæ. Sed Lupoldus Marchio, hoc nomine quintus, à rei euentu ab imperio concessa, noua vsurpauit insignia, rubro & albo coloribus distincta, quod ita totus suffusus sanguine, in expugnatione Ptolemaides fuisset, cingulo tenus duntaxat (quod album corpus intersecabat) à cruore immunis. Hæc modo de Austriacis rebus. Iam ad institutum opus reuertamur. Cæsar, vt primum Viennam profectus est, omni studio satagebat, vt quæ bellicæ administrationi, vsui futura essent, quæq; sibi Germaniæ Principes polliciti erant, mature perficerentur. Audiuerat enim, & multorum cum literis, tum nuntiis confirmabatur, Solymannum, non modo indixisse bellum Hungariæ, sed Byzantii omnibus rebus ritè dispositis, ibiq; firmis præsidiis relictis, inde cum exercitu iam egressum esse, magnisque itineribus cum septuaginta millibus hominũ armatorum per Scophiam, Mæsiæ vrbem & Nisiam, in Bulgariam venisse, præmissis Alypartau purpurato, multisq; Sanzachis (hi autem sunt prouinciarum præfecti) cum aliqua parte copiarum, & præcepisse Bellerbecho Asiæ minoris (hos Turci magistros equitum appellant) vt transiens cum suis copiis per Gallipolim, secum deinde iungeretur. Eum verò Taurunum versus recta contendisse. Huc autem, vt appulit, Rex Ioannes, qui eius aduentum diligenter obseruabat, statim ad eum, honoris causa, profectus est egregio multorum procerum comitatu septus, & vbi illuc peruenisset, atque ad eius præsentiam admitteretur, confestim tutelarem eius dexteram osculatus est, plurimasq; gratias egit, quod se, suum clientem ab externa iniuria constanter tueri pergeret, moxq; illi prosperam rei bene gerendæ fortunam precatus, nonnulla munuscula, quæ dedita opera secum detulerat, reuerenter exhibuit, In his autem erant plurimæ ac variæ gẽmæ haud sanè vulgaris prætii. Suendius interim oppidũ Hust dira obsidione premebat, cumq; de Solymanni aduentu certior fieret, vndiq; acrius oppugnabat, vt illud occuparet, priusquam nouis auxiliis aduentantibus, obsidionem soluere cogeretur. Biduo, antequam Cæsar Viennam petiisset, prætor Budanus 8. Id. Iun. Palotã oppidum, quod octauo lapide Iauarino distat, & vicinũ Albæ Regię, magna manu obsedit, perq; octiduũ tam acriter ab hoste oppugnatũ est, ac mænia sic æneis tormentis concussa, vt illis fermè disiectis atque disruptis, præsidiarii milites iam sibi extrema pericula instare metuerent. Huic præerat Georgius Thurigerus, vir sane impiger ac strenuus, qui, cum oppidum circumiret, quæq; ad loci propugnationem attinebant, summa cura & vigilantia prouideret, fermè læthaliter in fœmore vulneratus est, à lapide è muro desiliente, quem globus tormentarius ferierat, nec parum de illius salute dubitabatur. Et sanè, si obiisset, maxima omnino huius viri iactura extitisset, cum ipse, vt murus aheneus omnes turcicos impetus persæpe antea sustinuerit, & pro virili auerterit, vti paulò antè istam obsidionem fecerat. Hostes enim qui Albam regiam tuebantur, vna cum illius oppidi præfecto, quem ipsi Bekum vocant, vsq; ad vrbis portam est insequutus, adeo, vt illi tegumentum ex capite excusserit, & nonnullos eorum cœperit. Quamuis autem vulnus illud graue admodum, & periculosum fuerit, eo tamen breui sanatus est. Turca interim obsidionem vrgebat, arcemq; durissimè oppugnabat, præcipuè muralibus tormentis, ita vt cir-

Hust oppidũ obsidetur à Schuendio.

Georgius Thurigerus vulneratus.

vt circiter septingenti globi ab oppidanis colligerentur, iamq́; locus omnino expugnatus videbatur. Ecce autem, dum obsessis perexigua, vel potius nulla spes salutis iam relicta videretur, se protinus omni hostili metu (idque præter spem, ac de improuiso) ereptos vident. Huius autem beneficii præcipua causa hæc fuisse dicitur. Audiuerant, nostris bellica præsidia transmitti, & ob id tam pertinaciter instabant, vt oppidum ante nostrorum aduentum expugnarent. Idibus Iunii venerunt Iauarinum duodecim peditum signa, duce Georgio Helffenstaino. Proximo die Iauarino circiter octoginta currus cum fermè nongentis peditibus emissi sunt, quibus ligna, & plæraque alia in vsui opportuna in oppidum deferrent. Hanc turbam, vt primùm Byzantii speculatores conspicati sunt, statim eorum duci significarunt, innumeras copias aduentare. Is territus, vesperi obsidionem soluens, cum suis copiis aufugit, ablatis secum tormentis, quibus oppidi mœnia quatiebat. Vnum, quod erat ex præcipuis, perfregit, atque ibi frustra reliquit cum quadraginta cadis, plenis sulphureo puluere, ac totidem, in quibus farina deuehebatur, & tentoria multaque alia impedimenta, quibus oppidani ac milites potiti sunt. Mœnia bellicis machinis fermè omnia disiecta. Hi verò, qui ab oppugnatione recesserant, castra locarunt propè Albam Regiam, & interim à nostris auxilia in oppidum intromissa sunt, & architecti, qui viderent, num locus foret instaurandus, nec ne, vel solo æquandus. Hæc atque huiuscemodi pericula, quæ quotidie in diuersis partibus Hungariæ imminebant, effecere, vt quæ ad bellum sustinendum attinerent, maturius pararentur. Itaque iam erant in promptu quatuor legiones Germanici peditatus: Prima, duce Remero: altera, duce Balderduno: tertia, Georgio Helffenstaino: & postrema, duce Poluuilero. Quod verò ad equitatum spectat, audio ex fide dignis, numerum fuisse supra viginti millia eorũ, quos nigros vocant, & quotuor millia ex Hunnica natione, hiq́; omnes egregiè ad pugnam instructi. Ex Allobrogibus aduenere quadringenti equites sclopettarii, quos miserat Sabaudiæ Princeps, ac etiam accessere plurimi alii equites, ac nobiles aduentitii, qui ex diuersis locis Europæ profecti, suis sumptibus Cæsari egregiam operam in ea militia præstiterunt, idque duntaxat Christiani nominis ac Reipublicæ, laudisque studio impulsi. Multi quoq; Reguli & proceres Italiæ, ac nonnullæ vrbes opulentæ, ac celebres suum studium erga Cæsarem declararunt. Siquidem Gonzaga & Respublica cùm Genuensis tùm Lucensis pecunia numerata illum adiuuarunt. Cosmus Hetruriæ Princeps tria millia peditum ad eum misit, qui omnes illius impensis alebantur. Alphonsus Atestinus Ferrariensium Dux præter pecuniam ei mutuò datam, cuius summam centum & quinquaginta millia nummûm aureorum fuisse narrant, quos Cæsar ei promiserat in dotem suæ sororis, quam ipse paulò ante in matrimonium duxerat, voluit etiam huic bello interesse cum splendido nobilium, & fortissimorum virorum comitatu, sicut inferius enarrabitur.

Multi Principes atque Vrbes Italiæ mittunt suppetias Maximiliano contra Turcam.

Maximilianus interim iussit præparari super Danubium duodecim triremes, ac triginta naues onerarias, quæ sanè sic aptabantur, vt nulla sagittarum vi lædi possent, ac etiam desuper imposita fuerunt plurima diuersi generis tormenta cum globis & puluere tormentario, ac in eis aderant tria millia peditum, qui fere omnes constabant ex Italica natione. Classi autem præerat Blachus Germanus, eques Rhodiæ militiæ.

Classis Maximiliani.

Reliqua pars exercitus ducebat super curribus varias machinas militares, hæque Iauarinum deferebantur, quia ibi omnes copiæ in vnum cogi debebant. In Norico, vniuersis nobilibus, Cæsaris edicto iniunctum est, vt singuli proprio sumptu in eam militiam se accingerent, cùm certò constaret, Solymannum, licet iam senem, huic expeditioni interfuturum, ideoque omnibus etiam prætorianis & aulicis hominibus mandarat, vt in promptu essent. Turcarum exercitus in plures partes diuidebatur. Pars enim erat propè Albam Regalem, pars iuxta Sigethum, vbi expectabatur præfectus Asiæ mino-

Turcarum exercitus in plures partes diuiditur.

Digitized by Google

Vesperinum obsidetur à Comite Salmensi.

ris (hunc ipsi Bellerbechum vocant) quem, rumor erat ad illius oppidi oppugnationem venturum, vt certe aduenit. Interim Eccius à Salma egressus est Iauarino, cum potiori parte suarum copiarum, venitq; Palotam, quæ quotidie instaurabatur, ibiq; commeatu, ac necessariis præsidiis relictis, iussit aliquot equites, inter quos & ipse fuit, iter capere ad Vesperinum, vrbem amplam, sed non valde munitam, quæ quidem duo millia passuum aberat, vt eius situm subitis eruptionibus exploraret, integer autem exercitus vnius milliaris interuallo sequeretur. Præsidiarius miles, vt primum nostros adesse cognouit, statim ex arce duo maiora tormenta euacuit, ita vt illorum displosione concussa mœnia corruerint. Eccius bonum & faustum omen inde accepit, vtq; agmen confestim sequeretur, iniunxit. Oppidum enim haud sine Diuum numine paruo negotio expugnandum. Castra illico subsecuta sunt: sed noctis interuentu, res in proximum diem dilata. Hostes interim, ruinam illam noctu resarserunt, & loca diruta denuo summa celeritate instaurarunt. Cæsariani tamen, scalis oppidum vndiq; aggressi, hostem ex muris deiecere, indeque missilia, testasq; sulphure, ac pice ardentes, in interiora vrbis coniecerunt, ac etiam portas igne combusserunt, & vigiles trucidarunt. Qui erant ex præcipuis, metu consternati, sese in arcem, ac intra fornices abdiderant. Sed postea inuenti, etsi necessitate adacti, deditionem offerebant, omnes tamen ad

Vesperinum occupatum à Cæsarianis.

internecionem sunt occisi. Cum itaq; iam vniuersa vrbe potirentur, nostrique victores per oppidum obambularent, circiter quinque, aut sex, viui in angulis reperti sunt, atq; hi tantum incolumes seruati. Copiarum præfectus idcirco ea inclementia vsus est, quoniam ipsi paulo ante, plurimos, quos prius apud se habuerant, captiuos, crudeliter interfecerant. Hic nonnulli ex proceribus capti sunt, & statim in arcem Polonii transmissi, vt illic tuto ac diligenter custodirentur. Salmensis, relicto Vesperini Georgio Thurygero, cum aliqua manu militari, protinus inde cum suis copiis Iauarinum rediit. Palotam vero milites Germani tutabantur. Interea præses Budanus ex Alba Regali Budam contendit, vt ibi quæ bello vsui forent, sedulo & mature prospiceret. Dum

Cæsariani capiuntur à Turcis per insidias.

autem hæc fierent, milites qui propugnabant oppidum Leuentium (hic locus non procul abest à montanis castellis) egressi, vt hostem inuaderent, ab eo per insidias circumuenti sunt, pluresque illorum partim vulnerati, & partim

Bartholomæus Horuatus.

capti, inter quos fuit Bartholomæus Horuatus, vir eximia virtute, ac rei militaris peritia, idq; omnes vehementer angebat. Inter Iauarinum & Comaram, est oppidum, quod vulgo Tattam vocant, ex quo quidem Cæsarianis, qui erant in proximis locis, plurimum damni atque incommodi inferebatur. Id valde exiguũ est, & distat à Danubio introrsus contra Comarum, paucis milliaribus Hungaricis, olimque Theodatum vocabatur. Salmensis vndeuigesima nona die Iulii, & prima luce, Iauarino cum suis copiis egressus, illuc circa solis occasum peruenit, eo consilio, vt eum locum expugnaret. Vt

Tatta oppidum obsidetur à Comite Salmensi.

primum itaque oppidum vndiquaque obsidere incepit, statim quendam ex Turcis, de facie ac nomine sibi probe cognitum, accersiri iussit, eique publica fide incolumitatem spopondit, & mœnium defensores id lubens permisere, vt quid sibi vellet, liquido intelligerent. Huic Salmensis dixit, eos omnes saluis rebus, atque incolumes dimittendos, si vltroneam deditionem facerent: at ille respondit, præsidii milites eo animo esse, vt nihil minus, quam ea de re cogitarent, cum præcipue Budensium præfectus & coram, & per nuntios, matura ope se illis affuturum recepisset. Sed tamen militi extemplo indicaturum, vt quænam esset ipsius sententia, planè intelligerent, & infra horæ spatium, quid ille responsurus esset, citra dolum, & simulationem ei declaraturum. Hunc interim orabat, ne quicquam hostile moliretur, donec ipsemet in castra rediret, seque vicissim operam daturum, ne ipsi quicquam hostiliter in eum agerent. At cum hora præteriisset, nec Turca vllum responsum afferret, Cæsariani primum suas copias admouere, atque oppidum rursus oppugnare inceperunt. Hostis, re animaduersa, confestim pluri-

plurimis pilarum procellis eos petiere, cùm apud se quatuor & viginti murales machinas haberent. Cæterùm quia diei extremum erat, vtrinq; à pugna cessatum est. Eccius interim sex bellica tormenta in promptu haberi iussit, hisque inalbente die, opportuno loco dispositis, tanta vi atque impetu mœnia diuerberare cœpit, vt magnam eorum partem disiiceret, moxq; cuniculis rem egerunt. Sed hostes tam impigri ac vigiles erant in ruinis reparandis, dolisq; propulsandis, vt vix oppugnationi locus iam relictus videretur. Attamen imperatum est VVillarduno militum centurioni, vt arcis muros ex parte disiecta suis copiis adoriretur. Cæterùm & periculi magnitudine, & morte suorum prope ob oculos præsenti, accuratius perspecta, mutata consilii ratione, rem longè potiorem excogitauit. Nam in vallis à sinistro latere constituit ad mille sclopettarios cum scalis, qui vmbilico tenus in aqua hærebant, & totidem in ea parte muri, quæ diruta fuerat. Ipse autem cum duobus millibus peditum ad portam oppidi præfectus est, ac illicò reliquis omnibus inuasionis tesseram dedit. Cùm itaque Byzantini ad muri iam euersi propugnationem vndique accurrerent, & contra eos, qui aqua emensa, iam vltra fossas irruperant, strenue dimicarent, Eccius repentè cum suis copiis tanta impressione portam aggressus est, vt ea fracta & disrupta vi sibi aditum in oppidum pararet. Hic autem, cùm adhuc pertinaciter instarent, omnique vi hostem à se arcere conarentur, vniuersi ad internecionem deleti sunt præter quinquaginta; qui sese in quadam turri includentes, pactionibus dedidere. Inter hos erat præfectus oppidi expugnati, præfectus Vesperinii, & quidam alius, qui præsidi Budano affinitate iungebatur, hique omnes, quoniam erant primarii ac celebres, Viennam illicò transmissi sunt. Cæsar cùm 9. Calend. Augusti hoc lætum faustumque nuntium de vtriusque loci expugnatione audisset, protinus Deo, pro re bene gesta, supplicationes decerni iussit, externisque signis hanc lætitiam declarauit. Nostri vlterius progressi, oppidum Gelterum oppugnare decreuerant. Sed Turci, prospecto primo agmine, statim altera ex parte, relicto commeatu, & militaribus machinis inde aufugerunt. At qui erant in castellis, quæ vulgò V. Vitham, Tschokiku, Sambok, & quibusdam aliis finitimis, ne quam Cæsariani prædam facerent, vt primùm illorum castra propius admoueri conspexerunt, omnesq; suas fortunas in extremo sitas, quæcunque intus habebant bellica præsidia, igne incenderunt, seq; confestim in vrbem Strigonium receperunt. Hæc loca in locis editioribus posita, & in eo itinere, quod recta ad Strigonium ducit, Cæsarianis rebus haud sane mediocri vsui extitere, vt eam vrbem, si quando ita facultas daretur, facilius inuaderent, cùm præcipue ad ea loca plurimi eorum, qui vulgò Martellosii appellantur, se tanquam in asylum recepissent. Id autem genus hominum totum constat ex feris prædonibus, qui omnia cædibus & rapinis infestabant, quippe qui, cùm sint audacissimi & robustissimo corpore, nullum genus laboris ac periculi æstimant. Hi vno nomine ab Hungaris Haydones à Dalmatis Vscochi, à Turcis & Illyricis Martellosii vocantur. Sagittis & sclopettis rem gerere, & saxa fundis vibrare didicerunt, cunctisq; mortalibus ex professo hostes vsque ad interiores Pannoniæ limites latrocinia exercent. Maximilianus nondum è castris omnem exercitum produxerat, cùm quia quotidie nouus apparatus fiebant, tùm quoniam nondum accersita præsidia, & reliqua militiæ instrumenta in vnum cogebantur. Ad hæc putabat, vbi Turcarum rex iam Belgradum, vrbem ad confluentes Sauum, atque Danubium sitam, egregium & firmissimum totius Pannoniæ munimentum peruenisset, ibi aliquam moram facturum, donec totius exercitus moles iungeretur. Etsi autem omnia, quæ in bello vsui esse solent, omni cura & studio procurabat, omnemque militarem disciplinam & ordinem sibi obseruandum statuerat, optime tamen sciebat, mortalium consilia prorsus inania reddi, nisi diuinum numen eorum cœptis & conatibus affulgeret, ideoque ad Deum confugiendum, illiusque opem sedulo implorandam censuit.

Tatta expugnatur à Salmensi.

Quamobrem sub graui, & seuera pœna, omnibus mandauit, vt Viennæ, quibusdam certis horis præscriptis, ad campani æris sonitum, singuli, genibus flexis, Deo supplicarent, eumq; pro communi salute ac victoria precarentur adeo, vt omnes reguli, proceres, atq; alii, cuiuscunq; tituli & conditionis forent, cogerentur, audito signo, ex equo descendere, ac diuinam opem implorare. Præterea, vetuit omnes lusus omneq; genus lenocinii, & tripudii, quibus homines ad voluptatem alliciuntur.

Interim Adrianus Baleonus Viennam ex Italia, properatis itineribus contendit, moxq; Ioannes Alfonsus Castalius cum suis copiis, ac etiam quadringenti equites Sclopettarii, quos Allobrogum princeps miserat, duce Camerano, viro militari, ac strenuo, erantque omnes armorum cultu, quam egregie instructi. Per idem ferme tempus Viennam quoque profecti sunt nonnulli ex Britannica natione, inter quos fuere Thomas Smithus, Gulielmus Gorgius, Henricus Chiambernonus, Philippus Budsallus, Ricardus Greyueuillus, & Thomas Cottonus, viri, cum generis prosapia, tum bellica virtute præstantes, eosque tantummodo (sicuti plærosque alios) gloriæ cupiditas, & inprimis Christianæ religionis amor, ac studium accenderat, vt Cæsari gratuita opera, suisq; sumptibus in ea militia inseruirent. Adueniebant subinde in eius castra ex diuersis partibus Europæ, quam plures alii nobiles, ac illustres viri, eodem studio commoti, ac inter cæteros affuit etiam Albertus Laschus, celebris Sarmatiæ Regulus quique nonnulla oppida, quæ sita erant, in Pannonia, sibi iure vendicabat. Hic, non vti Sarmatus, at veluti Hunnus, cum duodecim vehiculis tunc ad Cæsarem peruenit, pauloque post ad eum accessere tria millia equitum è Sarmatia, omnes habitu Pannonico induti, atque id propterea factum est, ne Sarmatus offenderetur, cui erant induciæ cum Solymanno.

Dum hæc agerentur, omnes putabant, Strigonium oppidum situm in ripa Danubii, triginta passuum millibus ab vrbe Buda, obsidendum, eratque super hoc magna inter proceres consultatio. Siquidem duplex commodum, ac beneficium inde euenturum sperabant. Primum erat potiri ea vrbe. Alterum vero Turcas ab oppugnatione Sigethi, ac Iulæ abducere. Veruntamen, si eam Prouinciam tentassent, videbant, se non posse vllo modo effugere, quo minus vniuersi prælii aleam subirent, armisque dimicarent. Nec enim dubium, quin statim Solymannus nostrorum castra inuasisset, ac extrema belli, eos tentare compulisset. Id autem sibi omnino euitandum censebant, tum quia totius Imperii summam in discrimen adduxissent vno certamine, cuius exitus est semper anceps ac dubius, tum, quia nondum tantas copias in promptu habebant, vt cum hoste, aperto Marte confligere auderent. Adhuc enim ex variis Prouinciis noua subinde auxilia præstolabantur. Cæsar itaque eorum sententiis adhærens, quas sane magnis rationibus inniti conspiciebat, huiuscemodi obsidionem in aliud tempus opportunius differendam statuit, atq; interim Noricos, & Pannonicos fines tueri satagebat. Nam Turcæ variis eruptionibus agros effuse populabantur, & prædabundi, hac illac excurrebant, cumq; ad Carponam oppidum, cui Bruschichus præerat, quadraginta messores ante portam ientaculum sumerent, hos statim captos, secum abduxere. Loci autem præfectus eos insequutos, tres illorum cœpit, & quosdam in fugam vertit, omnesq; facile prostrasset, si tunc auxiliares cohortes in procinctu affuissent. Interim Cæsar Eccio à Salma iniunxit, vt quoniam Tatta paulo longius à Danubio distabat, & propterea commeatus haud facile illuc asportari poterat, illinc protinus abiret, exq; opposito arcis Comariæ, iuxta flumẽ castra locaret, ibiq; operiretur, donec, aut secũ suas vires coniungeret, aut quid facto opus esset, misso nuntio declararet. Iisdẽ diebus, cum Nicolaus Serinus, qui præerat Sigethi, per suos speculatores cognouisset, Solymannum rectà in Pannoniam venturum, iamq; ab eo nonnullas copias militares, duce Mechmetbego præmissas, vt eum ad oppidum Quin-

Quinque ecclesiarum expectaret, cumq; pro certo intelligeret, illum, Drauo traiecto, vna cum suis non procul ab arce Siclouscha peruenisse, statim ad mille pedites cum aliquo numero equitatus, in eos misit, hisque præfecit Casparum Alapianum, Nicolaum Cobachum, & nonnullos alios cohortium centuriones, qui aliquam rei bene gerendæ occasionem nacti, eos quamprimum inuaderent. Hi ergo, cum ad illorum castra peruenissent, proximo die sub ipsum diei crepusculum hostes palantes, nihilq; insidiarum metuentes, aggressi sunt, & repentino metu perculsos, alios ad fugam adigunt, alios vulnerant, plerosque interficiunt. Turcarum dux, dum grauiter sauciatus, fuga sibi salutem parat, in palustribus locis accubuit. Huius filius cum nonnullis aliis insignioribus captus est, & Sigethum perductus. Præda ingens à nostris habita. Nam, præter camelos, equos, mulos, & alia huius generis, multa quoque vasa argentea, multumque auri, & argenti in signata pecunia, secum detulere. Copiis in vnum coactis, Cæsar, totius militiæ præfecturam tradidit Ferdinando fratri, quo absente, illi Schuartzemburgum præesse voluit. Tormentorum autem libratoribus, & militaribus machinis, Paulum Iadarensem præfecit. Is vero Prid. Idus Augusti Vienna discessit cum maximo virorum nobilium apparatu, ac prætorianis, quam egregiè instructis, aulæq; magistrum Arachium Regulum, & illius legatum Vnghemadum constituit, ac Duci Pomeraniæ imperatorium vexillum dedit, ipseque vna cum quinq; peditum signis, & aulica militia, protinus Altemburgum, qui locus ad duo millia passuum Iauarino abest, recto itinere contendit. Eius aduentum Posonii expectabant equites Bohemici, quorum erant septem cohortes, hiq; omnes suis stipendiis, ac sumptibus castra sequebantur. Ibi quoq; aderant equites, circiter mille, quibus præerat Teufelus, & mille, ac ducenti, duce Gunthero Schuartzburgo, ac etiam equites, qui venerant, ex Morauia, Slesia, & Lusatia, nec non trecenti equites missi ab Vratislauiensibus, cum octo maioribus tormentis: quorum omnium numerus erat supra decem millia equitum, præter illos, qui paulo ante missi fuerant Iauarinum, & Comaram, quam paulo infra Posonium Danubius insulam efficit. Omnes copiæ militares Altemburgum, deinde Iauarinum peruenere. Ibi enim recensendus, ac lustrandus erat vniuersus exercitus. Hic autem locus est in Pannonia, non procul Comara, à qua diuiditur Danubio, habetq; arcem, quæ recta vergit versus oram Borealem, & amplis fossis, plenis aqua fluuiali, præcingitur. Classis quoq; Cæsariana per Danubium eodem delata est. Interim profecti sunt ab Italia, Nicolaus Gambara, ex vrbe Brixia, vir ex veteri, & præclara familia, cum duodecim insignibus viris, paucisq; diebus interiectis, illuc etiam accessere Prosper Columna, & Angelus Cæsius, ambo militari gloria, & Romano stemmate conspicui, & cum his etiam nonnulli, quorum virtus in re bellica non mediocri fama celebrabatur. Per idem fere tempus profecti sunt etiam ad Cæsarem dux Guisius, Brissacus, Lansacus, Philippus Strozza, & plæriq; alii, cum maiorum titulis, tum singulari virtute ornatissimi, qui omnes magnifico, & splendido armorum cultu, & corporis habitu, quam egregii, ac insignes conspiciebantur. Hi paulo ante ex Gallia profecti, recta in Italiam, indeq; ad Insulam Meliten petierant, eo animo, vt si Othomana classis denuo (sicuti ferebatur) ad eius loci oppugnationem rediisset, suam operam Rhodiæ militiæ equitibus in eo prælio nauarent: at cum res longe aliter succederet, ipsi, celebrioribus Italiæ locis perlustratis, rectà in Pannoniã concessere, vt illi expeditioni interessent. Paucis post diebus, aduenit etiam Alphonsus Atestinus, Ferrariæ Princeps, quem comitabantur quadringenti viri, ex clara, & nobili prosapia, trecenti sclopettarii, centũ leuioris armaturæ ac totidem cataphracti, & singuli, trium, vel quatuor militum præsidio fulciebantur. Hi omnes, tam superbo, & diuiti apparatu armorũ, equorũ robore, ac præciosi habitus indumentis enitebant, vt nemo hac ætate viderit equites insigniores, aptioresuè ad bellum, seu peritiores ad aciem instruendam, adeo vt fateri cogereris, quemuis eorum, non

Descriptio Iauarini.

tam militis, quàm periti, ac strenui ducis nomen promeruisse. Iisdem quoque diebus, VVolffgangus Palatinus Neuburgi, eiusq; affinis Ricardus, cum sexcentis equitibus, & Secundus natu Principis Boioariæ cum quadringentis, Cæsarem adierunt, eo fere tempore, quo ipse Iauatinum paulo ante peruenerat. Vt primum Cæsariani milites in hoc oppidum contenderant, Salmensis etiam suas copias eo perduxit, quo, associatis viribus, & perlustrato exercitu, Cæsar nosceret, quid potissimum agi oporteret. Nam vbique spargebatur, Solymanum, traiecto Drauo, ad Sigethanam oppugnationem cum ingenti exercitu aduentare. Priusquam verò vlterius progrediar, minimè ab instituto alienum esse iudico, si breuiter mentionem fecero illius insignis, ac memorabilis pontis, quem Solymannus, vt suas copias traiiceret, fieri iussit super Drauum fluuium, haud sanè minori celeritate, ac ingenii solertia, quam olim Cæsar suum fecerat super flumen Rhenum. Hic autem fluuius è Valeriæ regionis, quam Styriam vocant, Noricisq; montibus emergens, Mura fluuio comite recepto, in Danubium euoluitur. Itaq; supra hoc flumen duodecim dierum spatio fuit inchoatus, ac perfectus pons, cuius quidem longitudo porrigebatur ad spatium vnius milliaris, amplitudo autem ad quatuordecim cubitos, & amplius, erantque huic negotio destinata supra viginti quinq; hominum millia, qui nulla intermissione posita, vniuersum opus maturè absoluerent. Vbi altitudo fluminis tanta erat, vt in eo, trabes, ac tigna figi non possent, ibi suppletum est lintribus aliisque nauigiis, supra quæ pontem iussit extendi, hæcque magnis catenis ferreis inuicem connectebantur, atq; ita exercitus ad alteram ripam commode traiecit. Sexto Non. Iulii, Mustapha Bosnensis, Catambeius, & plæriq; alii ex proceribus, Drauum, Ottonum versus traiecere, ac 13. Calend. Aug. ad Quinque ecclesias peruenerunt, indeq;, ex Solymani iussu, ad Albam Regalem profecti sunt, vt præfecto Budensi, præsidio adessent, si quid Cæsariani ex ea parte molirentur, eiq; rei magnam occasionem præbuit expugnatio Tattæ, ac Vesperinii, quorum locorum iacturam Turci quam ægerrime tulerant. Parua mora interiecta, hos etiam secutus est Hasambegus, cum multis militum cohortibus, qui eodem perrexit. Iisdem diebus, præfectus Asiæ minoris, cum plærisque aliis proceribus, Draui pontem transiuit, inq; planitie Muhatsch suo Imperatori prætorium erexit, ibiq; ipsius aduentum præstolabatur. Is autem paulò pòst, superato Drauo, illuc peruenit, indeque rectà Sigethum versus profectionem instituit. Vt primum eo suas copias admouit, primo lapide ab arce Sigethi castrametatus est, in loco, qui D. Laurentii memoriæ sacrabatur, idq; fuit Non. Augusti. Huic arci, atq; oppido præerat Nicolaus Serinus, Pannoniæ Regulus, vir, præter generis amplitudinem, summa virtute, summaque militari gloria insignis, erantque secum pro præsidio supra duo millia bellatorum, qui omnes ab oppugnationis initio vsque ad belli exitum strenuissimè dimicarunt. Vt vero interim aliquid de hoc oppido à me dicatur, illud situm est in Pannoniæ finibus, iacetq; in lacu peramplo, & mediocris altitudinis, ac vndiq; multis paludibus præcingitur, exque continenti, nihil aliud prorsus habet, quam solam frontem duobus propugnaculis communitam, & confectam ex aggere, ac tignis inuicem connexis, estque fere instar veteris moris, & consuetudinis oppidorum Galliæ fabricatum. Locus ipse duplici ædificiorum genere constat, videlicet, nouo, ac veteri, habetq; duas arces, vnam externam, alteram interiorem, vtranque vergentem ad oram Aquilonarem, & vndiquaq; sunt latæ, ac profundæ fossæ, aquis fluentibus repletæ. Ad hoc autem non patet accessus, nisi per duos pontes, quorum alter tendit ad Ortum, alter ad Occasum vergit, eiusque conditor fuisse narratur quidam Antemus, vir nobilis, ac opulentus. Dum nostri, quæcunq; sibi ad loci propugnationem vsui esse possunt, quam diligentissime prospiciunt, seque acribus animis ad defensionem parant, hostis interim, admotis muralibus machinis, oppidum vndiquaque obsidere incepit, & subinde acriuis nstabat, inihilque prorsus omittebat, quod ad loci expu-

Pons factus à Turcis supra Drauum fluuium.

Aduentus Solymanni ad oppugnationem Sigethi.

Sigethi descriptio.

expugnationem facere videretur. In ea obsidione ab vtrisq; multum & fortiter dimicatum est, & varii conflictus habiti, atq; hostes quàm sæpissime repulsi sunt, eaque paulo ante Solymanni aduentum inchoata est, in qua leuioribus prælijs vtrinque certatum est, moxq; Imperatoris aduentu longe acrior haberi cepit. Septimo Idus Augusti summo diluculo Turcæ nouam vrbem ex duobus tribusve locis omni tormentorum genere adorti sunt, & pugnatum est vsque ad vesperam, & ferme per totam noctem, quæ subsecuta est, indeq; accidit, vt Serinus, conspecta suorum cæde, prima luce nouam ciuitatem igne incendi, & veteris portas occludi iusserit. Hanc Turcæ 4. Idus eiusdem Mensis variis tormentorum fulminibus vndique inuadunt, omneque genus pluteorum excogitant, quibus ab æneis nostrorum glandibus protegerentur, & varia munimenta instituerunt, ex quibus ad nostros propius accederent, eoq; rem deduxere, vt 14. Calend. Septemb. vetus oppidum expugnarint, & nostris, priusquam ad pontem receptus dari posset, plurima damna & cædes intulerunt. Proximo die arcem ex variis locis, omniq; conatu aggressi sunt, indeq; cum maxima eorum strage reiecti. Cæterùm grauissimam oppugnationem instituerunt 4. Calend. Septemb. qui dies D. Ioannis memoriæ dedicatur, & ingentem spem conceperant fore, vt eo tempore victoria potirentur, cum illo ipso die meminissent, Belgradum à Solymanno expugnatum, & cæsum in acie Ludouicum regem. Sciebant etiam, Rhodum & Budam eodem die occupatam. Norant insuper, eos dies, ac fere totum Augusti mensem, occulto quodam auspicio, non tantum Solymanno, sed etiam Selymo patri olim felicissimum extitisse. Nam eodem mense magnum Hismaelem in Calderanis campis, & Campsonem Gaurium, Memphiticum regem ad Singam deuicerat. Quin adeo meminerant, eodem quoq; à Baiazete Methonem expugnatam.

Sumpto igitur fausto ac felici omine ab his temporibus, quæ illi toties suis rebus prosperos ac fauentes compererant, iisdem etiam sibi optatum exitum augurabantur. Cæterùm tametsi eorum votis fortuna tum minime respondit, ipsi tamen haudquaquam ob id animo consternati, quin potius modico spatio interposito, iterum redintegratis viribus ad eandem oppugnationem alacres redeunt, & 4. Non. Septemb. rem plurimis cuniculis egerunt, in eaque re, Ianizerorum opera & virtus (vti etiam in aliis certaminibus) permirifica extitit, & post triduum, cœlo inalbente, maioris arcis propugnaculum accenderunt, ignisq; tum suaui, tum etiam ventorum flatu in arcem vsque flammas emisit, & sicuti nostros ingenti & grauissimo damno affecit, ita sane hosti opportunum ad loci expugnationem aditum præbuit. Byzantini hac victoria elati, protinus alteram munitionem acri certamine inuaserunt, eaq; ab ipsomet Serino strenue defensa est, adeò vt in eo conflictu insigni strage afficerentur.

Verumtamen cùm fere iam omnia igne atque incendiis conflagrarent, nostri continuo sese in arcem interiorem, tanquam in asylum recipere statuerunt, eamque ingressi è vestigio præfecti iussu portas occluserunt, ibique præsidium & stationes impositæ. At hostis iam penè victor, 6. die Septemb. vesperi, & sequenti die summo crepusculo ignem in omnes domos ac munimina coniecit, eaque re factum est, vt ferme omnia loca ibi flagrare inciperent. Cùm itaque Serinus arcem vndiquaque incendi, iamq; nullum propugnationi locum relinqui animaduerteret, statim correpto gladio foras egressus est, venitq; in plateam interioris arcis, vbi erant omnes milites, proceres, atque alarum centuriones, qui eum armati expectabant, eo animo, vt ad omne ipsius imperium præstò essent, ibiq; suos ad prælium cohortatus, & omnibus rationibus adductis, quibus præstaret fortiter pugnando, vitam (si sic Deo videretur) amittere, quam in efferas Barbarorum manus deuenire, ipsumq; interitum illis omnibus permaxime inclytum & gloriosum fore, cùm ipsi pro suo Principe, pro patria, & pro fide certarent, primus omnium, vexillo præ-

eunte, districtum ensem dextra, & altera clypeum circumferens, foràs exiuit, eumq; statim omnes, qui supererant (quorum sanè numerus iam erat perexiguus) ingenti animorum alacritate ac robore sequebantur, & ianuis patefactis, in ipso ponte cum hoste pugnam inierunt, ibiq; Serinus, dum non minus optimi ducis, quàm intrepidi militis partes exequitur, duobus in locis ænea glande vulneratur, moxq; alterius tormenti pila in capite percussus, humi decidit, & repentè animam efflauit. Nostri, amisso duce, tametsi adhuc fortiter ac strenuè armis dimicabant, cùm se tamen vndique hostili agmine circumdatos viderent, retrò ad arcem profugere inceperunt. At plærique illorum ab hoste præuenti quamprimùm trucidati sunt, quiq; in arcem confugerant, fermè omnes ad vnum crudelissimè interempti. Eo die Serini caput ab humeris reuulsum est, paloq; alligatum, in castris publicè ostensum, deinde post biduum à Mechmeto, cuius consilio & authoritate tum omnia gerebantur, Mustaphæ, Budano præsidi, & sibi arcta necessitudine coniuncto, transmissum. Hoc vbi Mustapha inspexisset, statim serico inuolutum per vnum atque alterum agricolam in castra, quæ adhuc erant Iauarini, ad Cæsarem ablegauit, isque hoc tristi nuncio & horribili spectaculo grauissimè indoluit, moxq; Balthasari Serini filio traditum est, qui sane haud sine maximo gemitu & lachrymis in arcem paternam vulgò Tschacaturnum deferendum curauit, ibique peractis funeralibus in suorum maiorum monumenta honorificè recondi atque humari iussit. Hunc Cæsar, priusquam à se dimitteret, amantissimis verbis affatus est, seque, quoad viueret, in eum & Seriniam gentem propensissimo, paternoq; animo fore promisit, nec earum rerum, quas eius parens vir fortissimus, & qui sibi & Austriæ familiæ tam fideliter inseruierat, vllo vnquam tempore immemorem futurum.

Mors Nicolai Serini.

Sigethi expugnatio.

Vt verò interim aliquid de ipso Cæsare dicatur, si ei affuissent boni fidique speculatores, qui eum de his rebus, quæ in hostili exercitu accidebant, sedulò certiorem fecissent, haud sanè dubium est, quin hoc bellum summa cum felicitate pariq; nominis gloria terminasset. Cùm enim iisdem diebus quidam Byzantius haud sanè obscuri nominis caperetur, coram eo perductus admodum supplex, libertatem petebat, & pro huius rei beneficio iureiurando asserebat, suum Regem fato extinctum. Adhæc plurimis inditiis hoc idem confirmari audiebatur, quibus tamen ipse atque alii Principes, qui secum aderant, nullam prorsus fidem, vt adhiberent, induci poterant, eisq; videbatur castra Solymanni, si eius mors interueniesset, nullo modo in ea quiete ac militari disciplina tam diu consistere potuisse: At singularis prudentia Mechmeti purpurati, eiusq; callidum ingenium & solentia tanta extitit, vt non modò sui Principis obitum suppresserit: sed etiam imperium dederit. Cui iure obtigerat, quodq; (haud minoris æstimandum est) tam numerosum exercitum in obsequio prætorianos dictis audientes retinuit, thesaurum conseruauit, & insigni tandem victoria est potitus. Solymannus (vti antea dictum est) in Pannoniam ex Thracia cum ingentibus copiis aduenerat, easq; in plures partes distribuerat: Magnam enim illius partem eodem tempore misit in Transyluaniam, duce Ferath purpurato, ad expugnandam Iulam, & alteram (vt dictum est) ad oppidum Sigethi, vbi erat maior apparatus, & ipsemet Imperator, vt miles ipsius præsentia commotus, tantò alacrius dimicaret. Is autem re illic benè gesta, vlterius progredi, rectaque cum suis Viennam Noricam contendere statuerat; Cæterùm cùm is iam senio conficeretur, & diurni itineris labore defatigatus esset, ac etiam fortasse animi curis & angore vexaretur, videns, suum militem in tam crebra & acri oppugnatione singulari nostrorum virtute ac fortitudine, non sine ingenti clade toties reiectum, cumq; forsitan in eo, ætate iam ingrauescente, non vigeret amplius illa vis animi excelsi, atq; inuicti, quo tantas res non minus prosperè quàm strenuè gesserat, decidit in dysenteriam, qua 5. Non. Septemb. mortuus est, licet nonnunquam pateretur aliquos paracysmos epilepsiæ, ac etiam (vt nonnulli asserunt) in aliquam apoplexiam

Mors Solymanni.

plexiam incidisset. Proinde haud falsa inuenta est diuinatio, quam fecerant super annuali huius reuolutione Dominicus Venerius, patritius Venetus, non minus genere, quam virtute illustris, ac etiam Hector Ausonius, ambo (præter alias disciplinas) in Mathematicis, atq; Astronomicis rebus apprime versari, qui paulo ante prædixerant, illum annum Solymanno exitiosum esse. Cæterum, vt ad Mechmetum reuertar, cum is videret, suum regem obiisse, ac Sigethum adhuc frustra obsideri animaduerteret, operæ pretium fore censuit, si eius mors quam secretissimè occultaretur, non modo, vt ea ratione facilius expugnaretur, verum etiam (quod multo pluris interesat) vt regius thesaurus conseruaretur, nullusq; (quod in magnorum Regũ interitu persæpe accidit) militaris motus, ac defectio exoriretur, atque, vt interim nouus Sultanus Selymus supremam paterni solii dignitatem quiete susciperet. Statim itaq; Byzantium, certos ac fideles nuntios legauit, qui præsidem illius vrbis, de rebus omnibus edocerent, quidque fieri oporteret, diligenter ac celerrimè indicarent. Cum autem reliqui purpurati, & alarum centuriones, ac inprimis prętoriani, magna sui Principis videndi cupiditate incenderentur, nec parua suspitio illorum animis hæreret, illum è vita excessisse, iamq; res prope ad seditionem spectare videretur, is protinus demortui cadauer solito habitu ornari iussit, eoque in sublimi sella posito, illud intra prætorium eis procul ostendit, atque ita callide aptarat, vt omnes putarent, eum reuera superstitem atq; adhuc in humanis esse. Hoc peracto, cum inde egressus, prætorianos milites in concione (vt fit) excitare, atq; adhortari vellet, vt oppidi oppugnationem acerrimè vrgerent, omnemq; lapidem mouerent, vt eo tandem potirentur, inter loquendum accidit, vt recens Solymanni obitus animo succurreret, ac doloris magnitudine commotus, vix à lachrymis ac mœrore contineri posset. Cum vero animaduerteret, nonnullos submissa voce obmurmurare, ac ex eius vultu, & oculis colligere, ac plane credere, Solymannum fato defunctum esse, is confestim dolo atq; astu, animi dolorem scite ac prudenter dissimulans, his verbis admodum opportune vsus est. Heu, inquit, haud sanè defleo nostri Cęsaris interitum (is enim Dei benignitate, adhuc vitali aura vescitur, iamque omni morbo ac ægritudine liberatus est) at potius miseram, atq; acerbam omnium vestrum conditionem deploro ac ingemisco. Is enim iureiurando affirmauit, se, nisi infra bidui vel tridui spatium, hostem deuiceritis, in vos omnes atroci, & inaudito mortis genere sæuiturum. Hæc verba graui, & composita oratione prolata, in prætorianorum & reliquorum militum animis, tantam prorsus vim habuere, vt iterum peracri impressione, vtranq; arcem inuadere, ac tandem extremis conatibus expugnare decreuerint, etiam si toties antea illorum cœptis Fortuna inuidisset. Solymannus (quemadmodum supra dictum est) vno eodemque tempore duas munitissimas arces oppugnari iusserat, videlicet Sigethum, & Iulam, eiusque rei gratia huc miserat circiter quadraginta millia virorum, duce Parthau, qui, cum Turcica, tum Scythica natione constabant. Dum hostis eam obsidere inciperet, aquarum inundatione impeditus, illinc paululum recedere statuit. Nostri autem (hoc animaduerso) statim postremum agmen insequuti sunt, & plæriq; illorum aut interfecti, aut in eorum potestatem deuenerunt. Cæterum, haud multo post, illuc reuersi, oppidum arctissima oppugnatione presserunt, eiusque muros plurimis tormentorum glandibus concussere, adeo, vt iam omnes non extra ingens periculum esse viderentur. Paucis post diebus, cum illi remissius agerent, minusque ad pugnam intenti essent, idque nostri animaduerterent, noctu, eruptione facta, in eorum castra excurrerunt, pluresq; profligarunt, & alios occidere, multasq; bellicas machinas, quia curribus, & equis destituti, secum afferre non poterant, stilis ferreis per spiramenta adactis, configerunt. Hic locus situs est in confinio Pannoniæ, versus Transyluaniam, super lacu Sarcad, cuius aquis fossas vndiq; alluentibus, quæ illam cingunt, quam maximè defenditur. Illi præerat Ladislaus Keretschenius, qui

pertæsus diuturnæ, grauisq; oppugnationis, & motus inopia rerum, extremaque auxilii desperatione, vel (vt quidam censent) præmiis, amplisq; pollicitationibus allectus, quas illi Turcarum dux fecerat, compositione, cum eo transegit, & 4. Non. Sept. deditionem fecit. Conditiones erant, vt incolumes, saluisq; rebus, dimitterentur. Vt sibi currus, arma, & reliqua impedimenta, secum deferri liceret. Vt obsides darent, qui digressos comitarentur, & ne hostilia tormenta metuerent, ea reliquerunt. Ne tamen nostri egressi, hostibus tormenta vi adimerent, ipsi etiam vicissim obsides acceperunt. Rebus ita inter se transactis atq; compositis, arcem atq; oppidum tradidere. Keretschenius in regium prætorium adductus est, & reliqui egressi, vix mille passuum ab vrbe distabant, cum duabus turmis nostros inuaserunt. Illi, cum se insidiis de improuiso, præterq; opinionem peti animaduerterent, statim connexis curribus, armisq; correptis, acriter hostilem impetum sustinuere, præcipuè Germani, qui plurimis globorum procellis plærosq; vulnerarunt, alios interimere. Sed tandem hostium numero deuicti sunt, adeo, vt perpauci eorum manus effugerint. Erat ibi ex propinquo arundinetū, in quo aliqui eorum se absconderunt, & hoc pacto seruati sunt. Inter alios fuit quidam cohortium centurio, nomine Bernardus Rotenaus, qui ad Cæsarem profectus, Keretschenium, vt perfidum accusauit, & aiebat, omnes ab eo fuisse proditos. Cæterum, quidam Hunni, qui Iuliæ deditioni interfuerant, illum omnia consilia prius cum Germanis militibus contulisse, ac semper deditionē dissuasisse: Sed ipsos tandem cum necessitate, tum amplis Turcarum pollicitationibus deuictos. Quis autem fuerit Keretschenii exitus, paulo inferius enarrabitur. Interim ad ea pergamus, quæ à nostris fiebant, dum Byzantini, hæc duo loca fortissimis conatibus oppugnabant. Supra commemoratum est, Cæsariana castra prope Iauarinum consedisse, Turcæ interim, qui erant ad Albam Regiam (horum autem numerus ad viginti millia extendebatur) crebris velitationibus nostros ad prælium lacessebant. Non. autem Septemb. elegerunt optimos quosque (numerus autem incertus est, creditur tamen haud sanè fuisse exiguum) ac egressi, suos speculatores miserunt, vt viderent, quid Cæsar in suis castris moliretur. Inciderunt in vigiles, eosq; haud satis munitos inuenerunt. Ad suos itaq; reuersi, rem, vti viderant, indicarunt, statimq; ex communi consilio in eos irruentes, plærosque in fugam verterunt, & occidere aliquot ex aurigis, qui pabulatum exierant. Repente in castris tumultu exorto, Hungari, Burgundi, & Norici exierunt, & fugientes hostem insecuti, quosdam ex eis trucidarunt, & nonnullos cœperunt. Ex Cæsarianis, erat etiam Georgius Thurigerus, qui, vt primum inter hostes agnouit præfectum Albæ, qui erat à consiliis Solymani, quemque ipse antea peroptime nouerat, eique sæpe accurrerat, extemplo in medias turbas insiliens, tandiu persecutus est, donec viuum apprehenderet. Eius equum Turcæ sagitta transuerberarunt: sed ille protinus alterum conscendit, & acriter (vt antea) insecutus est, donec tandem captiuum abduceret. Hunc autem, vbi ad Cæsarem adduxisset, aureo torque donatus est, equesq; aureatus ab eo, in egregiæ suæ virtutis testimonium, coram omnibus est pronuntiatus. Ibi tum forte affuit quidam Hispanus, qui Byzantii ex eo audiuerat, se solum velle, ac posse, Germanicum regem debellare, tumq; illi hæc verba coram Casare, in memoriam redegisse dicitur, eumq; animo imperterrito respondisse, hanc esse Fortunam belli, se iam seruum, & nihil posse. Deindè rogatus, cur tam temere Cæsaris castra inuadere ausus esset, intrepide respondit, se mandatis sui Imperatoris obtemperare debuisse: at sinistro fato in hunc casum præcipitem delapsum. Hic apud Cæsarem laute ac splendide excipiebatur, eumque pro sui redemptione, ac libertate, ad ducenta millia nummûm aureorum obtulisse dicitur. Hospitium illi erat iuxta Cæsaris prætorium, eiq; duodecim militum custodia demandata est, cibusq; ac potus adferebatur ex Cæsaris mensa, & nomen erat Mahometes. Exinde Viennam adductus est, vbi paulo arctius, minusque opipare tractabatur. Idibus

Præfectus Albæ Regalis capitur à Georgio Thurygero.

bus Septembris egressi sunt ex nostris, circiter mille & quingenti bellatores, qui hostem adorirentur. Sed ipsi ne vnum quidem conspexere. Accesserunt vsque ad Tschokakium Castellum, quod est sub Turcica ditione, & Alba duo mille passibus distat. Præmissus est Thurygerus cum suis, vt specularetur, quidnam hostis ageret. Cum ad vrbem propius venisset, illum se quoque aggeribus & vallo muniuisse, vt nostri ad Iauarinum, inuenit. Mox inde reuersus ad castra propere contendit, sibiq; obuium habuit quendam ex hostili acie, missum eo consilio, vt suis Germanos milites adesse nuntiaret. Hunc statim apprehensum, in castra secum adduxit, nec sane, tum aliud vtrinq; agebatur, nisi tumultuariæ pugnæ, in quibus semel accidit, vt à præfato Thurygero haud parua Turcarum manus profligaretur, & præda nostri, haud exigua potiti sint.

Paucis ante diebus, Archidux Carolus in Balbotia, qui locus est in Illyrico, cum hoste leuiora prælia gerebat, multisque incursionibus vtrinque certabatur, & semel conflictu habito, quendam ex præcipuis præfectis, & virum inter Turcas celebrem, cum quatuor millibus equitum (sicuti ferebatur) prope fluuium Sleuna in fugam vertit, eumque proculdubio insecutus cœpisset, nisi eum vicinitas tam numerosi ac formidabilis exercitus, qui tum erat iuxta Segestum, ab ea prouincia reuocasset. Cogebatur enim seipsum vallo & fossis communire contra Barbarorum vim atq; insidias, in oppido Catorno, quod situm est inter Drauam & Muram, cum præsertim Byzantini qui fuerant in obsidione Sigethia, omnia loca finitima continuis eruptionibus, cæde, rapinis, atq; incendiis horribiliter atq; immaniter vastarent, multosq; captiuos secum abducerent, ac etiam interdum prædabundi excurrebant vsq; Sabariam oppidum, quod quidem à Cæsarianis castris, ac Sempronii, qui locus est in finibus Norici, tantummodo duûm millium spatio aberat. Ex huiuscemodi populationibus, quam plurimi proceres ac rerum turcicarum periti, colligebant, Solymanum cum suis copiis Byzantium cogitare, tantoq; magis hæc opinio in eorum animis confirmabatur, quod audiuerant, in illorum castris magnam omnino esse rei frumentariæ ac pabuli penuriam adeo vt aliquam commeatus partem Buda, & Alba Regia eo transuehendam curarint, quin etiam plurimi eorum iam suspicari cœperant, Solymanum vitæ pensum persoluisse, ideoq; Turcas post agros de more vastatos, vicosq; incensos, postq; innumeros vtriusq; sexus mortales in miseram seruitutem abstractos, Byzantium versus, recedere. Mirum tamen, (vt antea dictum est) videbatur, in tanto exercitu, totq; gentibus conflato, nullas militares defectiones, nullaq; dissidia, & motus exoriri, cum scirent, in huiusmodi occasionibus hoc persæpe vsu accidere. Ceterû, hæc omnia Mehemetus ex composito fieri mandarat, vt hoc pacto milites continenti opere ac labore detineretur, eaq; ratione hostiles insidias caueret, quia subinde Selymi aduentum opperiebatur, quem sane, misso nuntio, de patris obitu accurate ac sedulo certiorem fecerat, eumq; vt celere in castra veniret, commonefecerat. Is tum temporis ætatē agebat in planitię Saraissensi, qui locus abest Byzantio trium dierum itinere, ac eorum lingua dicitur, Chietfeli, cuius Regulus est Sinam purpuratus. Vt primum itaque Mehemeti literas perlegit, easque inspexit obsignatas ab eo, qui prætorianis militibus præerat, (hunc autem Capi Aga vulgo appellant) & prothomedico, nulla mora interiecta, Byzantium versus properauit, & Scuttarim profecto (Id oppidum Chalcedon olim fuit, pertinetque ad Thracii freti angustias contra Byzantium (obuiam processit Bostanges, hortorum præfectus, regiæque domus custos, atque illum statim in quodam phaselo excepit, quo quidem duntaxat Imperatores Othomannici deuehuntur. Hunc splendide magnificeque aptarat, intusque iuuenes generosos, & egregio ac superbo habitu exornatos apposuerat. Selymus, quosdam ex prætorianis ad Scandar purpuratum, Byzantii prætorem legauit, vt extemplo, quæcunque ad suum ingressum pertinerent, summo studio

Turcarum cædes per Archiducem Carolum.

Selymus proficiscitur Byzantium.

maturaret, isq; recta ad vrbem suum iter direxit. Huc autem vt peruenit, statim gynœceum ingressus est, moxq; illum Bostanges manu apprehendens, in regium cubiculum, solis Othomanæ familiæ Principibus assignatum, perduxit. Hoc autem vndiquaque perraris, ac præciosis gemmis, & lapillis emicare dicitur, quorum precium immensum quidem, ac inæstimabile censetur. Aiunt, in ipsis laquearibus (hæc ipsi Tauam appellant) rutilo auro micantibus, præter alias gemmas insigniores, inclusum esse Adamentem, qui sit centum, & quindecim caracteribus, ac eximię cuiusdam pulchritudinis, & huiuscemodi pręstantia, vt nullam aliam in orbe gemmam, huic similem, in eo genere inueniri posse arbitrentur. Hic Selymus in paterno solio constitutus, edictum per vrbem promulgari iussit, cuius verborum summa, hæc fuisse narratur. Æterna pace fruatur, & in continua sit gloria, & fœlicitate, anima regis Sultani Solymani: multosq; annos viuat, & læto, feliciq; auspicio coalescat Imperium regis Sultani, Selymi, & continuo idem decretum per vniuersam vrbem, & Thraciam, reliquasque Prouincias, promulgatum est, ne prius parentem obiisse, quam ipsum paterni scepteri dignitatem adeptum, homines intelligerent. Postero die, prætorio egressus est, suique per vrbem omnibus visendi potestatem fecit, equitans versus sepulturam Iob, qui locus est contiguus mœnibus, in quibus reges Othomannici sua sacrificia de more peragunt, & pecudes, ac reliqua animalia immolare solent, quę postea in vsum egenorum distribuuntur, quibus etiam haud mediocrem pecuniæ summam elargiri consueuerunt, quo diuinæ beneficentiæ sese gratos exhibeant, moxq; ingenti plausu circumfluentis turbæ, se in domum regiam recepit.

Selymi edictum per vrbem Byzantium.

Selymus equitat per vrbem, seq; omnibus videndum præbet.

His mature confectis, 6. Calend. Octob. vrbe egressus est, factisq; magnis itineribus, nec vllibi moram trahens, ad castra propere contendit. Hęc autem tanto silentio ac celeritate ab eo peracta sunt, vt quiuis eo inspecto, admiraretur, nec huiusmodi aduentus causam, vlla ex parte intelligebat, nisi vbi abitionem pararat, idq; impediuit, ne vlla defectio in tanta militum frequentia exoriretur. Cum itaq; haud procul esset ad vrbe Tauruno, venit obuiam exercitui, qui vexillis erectis, tubisque, ac tympanis, & reliquis generibus militarium instrumentorum, plenusque lætitia, & ouanti similis, Byzantium versus, cum omni militari disciplina, & ordine incedebat. In ipso autem, lectica regio apparatu conspicua, & vndiquaq; cooperta, deferebatur, in qua erat cadauer defuncti Solymani, quem tamen omnes adhuc viuere existimabant. Cum enim ipse in ea graui ætate, solitus esset articulato pedum dolore interdum laborare, vt plurimum eo vehiculi genere circumferri consueuerat. Is ergo castris appropinquans, vili admodum, & exiguo capitis tegumento, atraq; penula, & sagulo indutus, profectus est obuiā corpori paterno, quod quidem, vt primum aspexit, ex equo descendit, ac fleuit super patre mortuo, secumq; descendere omnes purpurati, & Calidischieri, qui eorum lingua dicuntur ministri iustitiæ, cum aliis proceribus, ac insignioribus viris horumq; capita vicissim paruo humiliq; pileo consequebantur. Deinde, vt mœstitię signum ederetur, per vniuersam castrorum aciem, omnia vexilla cuspide ad terram submissa fuerunt, moxq; aliquantisper secutum est inter omnes, ingens, ac mirum silentium. Interim Selymus candidissimum tegumentum lintea in spiras circundante fascia, & plurimis gemmis vndiquaq; refulgens, capiti apposuit, eoq; amictus, ac regio habitu circumornatus, conscendit alium equum, longe pręstantissimum, quem nulli quàm Turcarū Imperatori conscendere fas erat. Idem fecerunt alii purpurati, & primores, atq; iterum cadauer in eadem rheda contectum est, moxq; alia vexilla noui Principis erecta sunt, eiusq; nomē præalta, & sonora voce, magnoq; applausu, ab omnibus inclamatum. Tum singuli ex præcipuis, qui dignitate reliquos anteibant, gradatim eius manus reuerenter exosculati sunt. Is vero, vbi omnia, quæ ad militarem disciplinam, ciuilemq; administrationem pertinebant, constituisset, & prætorianis, reliquisq;, quorum in eo bello virtus, aliquo insigni facinore inclaruerat, donatiuum grati

Selymus magna celeritate ac silentio in castra proficiscitur.

Selymus venit obuiam exercitui, qui erat iuxta Taurunum.

Selymus inspecto patris cadauere descendit ex equo, & defllet illius obitum.

Selymus salutatur Imperator.

grati animi ergo exhibuisset, statim paternum cadauer Byzantium transuehi iussit, vt regia pompa sepeliretur in Mausoleo, quod ipsemet Solymannus, cũ esset in humanis, faciendum sibi curarat, idq; fertur tanta operis magnificentia extructum, vt merito cum illis celebrioribus, de quibus veteres scriptores narrãt, æquiparari possit, estq; situm in augustiori tẽplo, quod ipsi Moscheam appellant. Amhato, qui habet in vxorem eius neptem, & Ferahato, purpuratis, iniunxit, vt illud ambo comitarentur cum satis firmo præsidio, & custodia Ianizerorum ex his, qui fuerant in castris, & cum multis aliis magnatibus, regioq; vexillo, ipseq;, haud multo post subsequutus est cum reliqua parte exercitus, vt Bizantium rediret, ibiq; omnia, quæ ad belli, pacisq; rationem spectarent, maturo ac prudenti consilio perficeret. Hoc autem 10. Cal. Decembr. Constantinopolim delatum est, eique primus, honoris causa, obuiam venit Moftius, primarius antistes apud Turcas, quem aiunt descendere ex Mahumeti linea, & reliqui omnes peritiores legis, qui tum erant in vrbe, & Scander purpuratus, cũ omnibus quæstoribus, quiq; alia præfectura, & munere fungebantur, & cum innumero aliorum comitatu. Omnes, vt mæstitiam præ se ferrent, atra, & lugubri veste, ac exiguis tegminibus ex linthea fascia, caput velati præcedebant, exq; vehiculo abstractum proceres suis manibus exceperunt, & alternatim per vrbem, quo magis in sublime poterant, circũtulere, præcedentibus iis, qui iuris peritiores habebantur, hiq; clara voce mystica eorum sacra, de more, ad sepulchrum vsq; recitabant. Hic tandem, eo solenni ritu, & ceremonia, quæ in regum Ottomanicæ familiæ iustis obseruatur, conditum est, & supra tumulum appositum est insigne ornamẽtum, contextum ex diuiti serico, vna cum ense, ut innuerent, illum semper à puero, rebus militaribus intentum, & post multa egregia facinora, & præclaras victorias variis temporibus adeptas, etiam in bello suæ virtutis gloriam terminasse. Interim Selymus 9. Decemb. Byzantium peruenit, eiq; statim vniuersa ciuitas cum ingenti plausu, & lætitia, obuiam processit. Quod vero ad Solymannũ spectat, si quis auet cognoscere singula, quæ ab eo mari, terraue gesta sint, & quoties in Pãnoniam & Austriam armatus accesserit, quamue cruentis præliis contra Persas dimicauerit, id cum ex aliis probatis autoribus, tum præsertim ex Paulo Iouio, viro ætatis nostræ cum facundia, tum eruditione clarissimo, intelliget. Quod aũt ad rem naualem spectat, huius quidem classis opulenta, omniq; militari apparatu instructa, persæpe nostras oras inuasit, ac, vt plurimum, dira, & calamitosa sui recessus vestigia post se reliquit. Postremis sane temporibus ad Lothophagitem insulam insigni clade Hispanum affecit: At Melitensis oppugnatio huic infœlicissime successit. Rursus ad Chium insulam prospere illi cuncta euenerunt, atq; ita videmus, Fortunam in eo, vt in terrestribus bellis, ita quoque in maritimis, variam (vti plærunq; fieri solet in humanis rebus) extitisse. Quum è vita excederet, sextum, ac septuagesimum annum attigisse dicitur. Selymus quidẽ eius pater, qui annis octo regnauit, obiit anno Salutis Christianæ supra millesimum, & quingentesimum vigesimo, nullumq; alium reliquit filium, qui tot regnorum hæreditatem adiret, præter hunc Solymannũ, quem ex Bosphorana vxore susceperat, isq; Imperii titulum adeptus est eodẽ Mense, quo & Carolus Cæsar, & à Germanis proceribus Princeps declaratus. Cum ad paternum solium euectus est, duodeuigesimum annum agebat, & regnauit annis quadraginta sex. Qui eius naturam obseruarunt, illum ab æquitate, continentia, liberalitate, magnitudineque animi plurimum commendant, eumq; ob heroicas virtutes, tanta fortuna, & Imperio dignum omnino existimarunt, & nihil deniq; in eo, præter Christianæ fidei cognitionem, desiderari potuisse. Statura dicunt eum fuisse supra mediocrem, habitu graciliore, ceruice oblonga, ore candido, & exangui, ac osseo propemodum naso, atq; eo plurimum adunco. Viuente Habraymo, qui Visir, hoc est, purpuratorum Princeps euaserat, quiq; reliquos aulę proceres gratia & authoritate anteibat, ad eum rerum omnium summa respiciebat, adeo, vt ipse, in eius viri consilio,

Digitized by Google

fide, ac vigilantia conquiesceret. Nec sane immerito. Is enim fuerat ingenio excelso, graui, expedito, & ad virtutem exornandam, quam maxime procliui, & liberali. Hoc è vita sublato, Luphtebeius, qui Solymanni sororem in vxorem duxerat, & Aiax, Purpurati, & post Luphtebeium, vxoris iurgio dignitate exutum, Solymannus eunuchus, & inprimis Rosthanes Solymanni gener, plurimum gratia, & authoritate valuerunt. In horum locum successere Mehemetus, Partaus, Perhit, Akmatus, & Mahumetes. Quod vero ad rem naualem spectat, Hariadenus Barbarussa, Sinas, & Aidinus, ambo Smyrnei, Assanes Celebinus, Corcuttes, Draguttes, Alypartus Aly, & Pial, inter suę classis præfectos supremum locum obtinuere. Cæterum, si commemorare libeat, quæ causæ Solymannum impulerint, vt præfatum Abraymum, è gradu, tanquam è fastigio summæ fœlicitatis ac fortunæ, præcipitem datum, nocte in cubiculo per eunuchum carnificis munus obire solitum, in puluino dormientem iugulari præceperit, & cur etiam aliquot post annis, ipsummet Mustapham natu maximum, & eximiis corporis, atque animi dotibus præstantem, eiusque socios, ante prætorii vestibulum, eoque astante, ac inspiciente, necandos iusserit, opus sane nimis excresceret, actumque agerem, cum non desint eruditissimorum virorum scripta, quæ hoc apertissime declararint. Quod vero ad seruandam fidei rationem attinet, profecto neminem arbitror, cum ex Ottomannæ familiæ regibus, tum ex aliis extitisse, qui eam purius, atq; sanctius coluerit, quique sæpius nobilem illum expetitum magnis Principibus, at raro oblatum à fortuna, clementiæ laudis fructum excerpserit. Huius autem rei maximum specimen exhibuit, cum Castrenses (hi autem octo millia passuum ab Hidrunte distant) captiuos, qui oppugnati, sese purpuratis dediderant, ea conditione, vt sibi vitam, & libertatem concederent, omnes diligentissime perquisitos, impositosq; nauigiis, ad suos penates incolumes reduci iussit, & generoso animo, quos comperit maleficii authores fuisse, supplicio affecit. Quid? nonne etiā huius lenitatis & mansuetudinis testis est Rhodiæ militiæ magister, Philippus Liladamus, quique cum illo aderant, eiusdem sacri ordinis equites, quos ille Rhodo quintum post mensem per deditionem expugnata, saluis rebus, atque incolumes demisit? Nonne insuper, Ioannem Sepusium à Ludouici obitu, Pannoniæ regem constitutum, licet nec regia stirpe ortum, nec beneuolo tunc animo erga se affectum, quia tamen in suam clientelam vltro acceperat, sua ope, ac patrocinio tutatus est, idemque studium erga eius filium Stephanum, & nepotem, perpetua fidei constantia demonstrauit? At inquies, Nonne ipsius iussu atque imperio, à Ianizeris sæuitum in eos milites (horum autem fere septingenti extiterant) qui ei arcem Budanam pactione tradiderant, ipsosque, cum in Posonium abirent, ad vnum trucidatos? Id equidem haud inficias iuerim, & hoc tam sæuæ necis facinus, haudquaquam defendendum suscipio: sed tamen huic rei magnam occasionem præbuit, cum illorum militum perfidia (sic enim ipse censebat) tum Nadasti eorum præfecti probitas, quem, nullo modo deditioni assentientem, in vincula coniecerant. Igitur, quam maxime dolendum est, hunc talem tantumque Principem, à vera fide alienum extitisse, quandoquidem his egregiis virtutibus, cum optimis quibusque regibus, quos vel Græcia, vel Roma (de Christianis etiam loquor) hactenus merito comparari posset. Cæterum, id scimus diuinæ bonitatis, & clementiæ munus esse, neminemque ad id fœlicitatis peruenire, nisi quem Deus ipse gratuito traxerit, vel cui voluerit ipsius Filius reuelare, vt sacræ literæ testantur. Interim est, vt cogitemus, Deum, his etiam, quos plena sui Filii cognitione destituit, interdum eximias dotes elargiri, quibus eius gloria illustretur, & quanquam à vera fide absunt, huiusmodi tamen virtutibus præfulgent, vt ob eas merito commendari debeant, indeque mortales occasionem arripere, vt egregias ipsorum actiones imitentur, & si quid minus decore ab eis gestum sit, pro virili effugiant.

Digitized by Google

Vt vero hæc paruula de Solymanno adiiciam, deinde ad alia progrediar, is, tametſi fortuna (vt dictum eſt) aliquando variam expertus eſt, hanc tamen, vt plurimum habuit ſuis optatis ſecundam, & fauentem, adeo, vt imperium ſibi à parente, ſuiſq; maioribus relictum, non modo conſeruarit, ſed etiam longe lateq; amplificauerit, in cuius quidem amplitudine, atq; annorũ numero, hunc nemo ex Ottomannicis regibus adæquauit. Quod ſi etiam quatriduo vixiſſet, haud ſane dubium, quin multo lætior ex hac vita emigraſſet. At infœlix ille, ac triſtis euentus, quem paulo ante Melitenſis obſidio ſortita eſt, haud ſane mediocri dolore illum affecit, multoq; magis angebatur, cum cogitaret, ſe nunquam (vt ſemper hoc in votis habuerat) Viennam expugnare potuiſſe. Nam, ex tribus optatis, quæ viuens animo habuerat, hoc aiunt fuiſſe præcipuum. Videlicet, vt ea vrbe potiretur, tanquam claui illius Imperii, quod legitimo iure ad ſe pertinere iactabat, quia magni Conſtantini, qui vniuerſi orbis Auguſtus Imperator extiterat, ſedem & ſceptrum, atq; vrbes eius Imperii teneret, vti proauus Mahumetes, expugnata Conſtantinopoli, & Conſtantino, ſupremo Græcorum Imperatore, ſuperato, atque occiſo, hæc omnia iure Belli capta, Ottomannis regibus adieciſſet. Alterum erat ſuperbum illud, & auguſtum templum (Moſcheam ſuperius appellari diximus) quod ipſemet Byzantii eximia ſtructura, & maximis ſumptibus conſtrui iuſſerat, perfectum, atque abſolutum videret. Poſtremum, erant quidam Aquæ ductus, inſtar eorum, quos veteres Romani ſumma omnium admiratione inſtituerant. Hos namque, itidem ad coronidem perductos inſpicere cupiebat. *Solymannus tria potiſſimum in votis habuit.*

His autem, & priori potiſſimum, priuſquam fato decederet, impetratis, omnium ſe regum fortunatiſſimum exiſtimaſſet.

Hæc in præſentia de Solymanno dicta ſufficiant. Huius quidem obitus Cæſari admodum ſero innotuit, idq;, vt audiui, per Venetos, quod ſane cum ipſi, tum Cæſarianis proceribus, & alarum præfectis, maxime omnino admirationi extitit, cum animaduerterent, quanta prudentia, & ſagacitate, is, qui ſummam rerum in caſtris tenebat, hæc omnia tam alto ſilentio inuoluerit, adeo vt in tanto exercitu eius mors, ne vni quidem ex prætorianis, Aſappis, reliquiſque militibus innotuerit. Hoc enim ſi accidiſſet, facile illorum animos excitaſſet, vt armis correptis, regium theſaurum prædati eſſent, atq; ab ordine receſſiſſent, idque Maximiliano magnum (vt antea dictum eſt) ad ſingularem victoriam aditum præbuiſſet. At quoniam, qui reliquis præerat, ex Solymanni vita vniuerſi quoque exercitus ſalutem, & incolumitatem pendere, ſibi omnino plurimis de cauſis perſuaſerat, his malis opportune, ac prudenter obuiam iuit. Hic enim ex veteribus monumentis didicerat, Byzantium, haud alia ratione, in Baiazetis Imperium, ac poteſtatem veniſſe, Anno à partu Virginis, M. CCCC. LIII. quam per Io. Iuſtiniani exercitus præfecti abſentiam. Cum enim ab hoſte grauiter vulneratus, omiſſa defenſione, ſe à caſtris, quo ſibi vulnus curaretur, ſubduceret, tantum terroris in ſuorum animis iniecit, ut ſtatim ea nobiliſſima vrbs, caput Orientalis Imperii, cum maxima, & incredibili Chriſtiani nominis pernicie, amiſſa fuerit. Id autem valde alienum eſt ab eo, quod ante illum fecerat M. Antonius Columna, vir egregii animi, ac virtutis. Cum enim obſideretur à Gallis in vrbe Verona, & in erigendis tibicinibus, ardentius, atque incautius in opere verſaretur, maioris pilæ globulo ita ictus eſt, vt plumbea glande per brachium adacta, corpus etiam, ſublato humeri oſſe per alam in tergum, quatuor effectis vulneribus, emerſerit. Diſſimulauit in præſens grauiſſimi vulneris dolorem, atq; periculum, vir ante alios fortis, dum murus ille prorueret. Hic etiam norat idem olim ſenſiſſe purpuratos, & prætorianos milites, qui Amurathem, filium Mahumeti, in bello ſequebantur. Hi enim nolebant, nec etiam ſibi in animum inducere poterant, ſe vllo modo abſque illius præſentia poſſe vincere, ideoque in prælio, quod geſtum eſt in planitie Varnenſi, qui locus quatuor dierum ſpatio abeſt ab vrbe Adrianopoli, contra Ladiſlaum, regem Sarmatiæ, magna vi vſi ſunt in perſo-

nam prædicti Amurathis. Cum enim hic Imperator, licet in multis bellis antea se valde strenuum & fortem declarasset, suos præter omnem spem in fugam versos animaduerteret, sic animo consternatus est, vt conuerso equo, salutem in fuga constitueret. At illi, qui citra eius præsentiam, se nihil egregie facturos putabant, equi habenas manibus abripientes, eum vi retinuerunt, acriterq; obiurgantes, contra hostes verterunt, & prælium, vt instauraret, multis cohortationibus, & minis adegerunt, indeq; factum est, vt quoniam huc omnes, qui præcipuum locum in castris habebant, protinus confluxerant, prætoriani, ac milites, illius præsentia commoti, seque in eius persona, tanquam in speculo, contemplantes, fortissime dimicarent, ipseq; postea, deuictis hostibus, insignem ab eis victoriam reportarit. Hæc exempla Mehemetum commouebant, vt Solymanni obitum, quam secretissime occultaret, ne miles, suo Principe orbatus, & perturbatis signis, & ordinibus ad defectionem, vt sæpe fit, inclinaret, & confestim à ducum Imperio deficeret. Quod autem ad Solymãni obitum spectat, qui fuit quarta die Septembris, paulo post meridiem, si remotis affectibus, rite omnia perpendantur, fateri cogemur, eum Christianæ Reipublicæ perutilem, ac proficuum extitisse, cum ab eo nihil sane aliud, quam perpetui bellorum motus, atq; omnis generis calamitates olim, vt antea fecerat, expectari potuissent. Nam facile ex præteritis rebus colligi potest, illum decreuisse cum suis copiis hybernare in Pannonia, vt occiduam Europam, & Christianos Principes, quibus haud dubie, dum vixit, maxima semper detrimenta, & clades intulisse conspeximus, continenti cæde, ac prælio vexerat. Etsi vero, vt plæriq; censent, supra centena hominum millia in hoc bello amisit, nam constat, sub sola Sigethi oppugnatione, periisse Turcarum ferme viginti millia, & Ianicerorum supra sex millia, vt interim omittam clarissimorum virorum necem, inter quos fuit Miserskius, Alypartus, & Capitschius, omnes purpurati, & supremi nominis, quorum pars ferro, pars autem variis morbis atq; incommodis interierit, cum in eius castris maxima inesset commeatus & pabuli penuria, militum tamen iactura nihil sane, aut parum ei affert nocumenti, cum ille tam amplum, atque augustum habeat Imperium, semperque suas copias recentium virorum accessione instaurare possit, & licet inter illos plurimi sint inglorii, parumque strenui, huiusmodi tamen sunt, vt haud quidem mediocriter ad nostrorum lassitudinem conducant, cum ipsi nulla re magis egeant, quam supplemento, atque auxiliariis militibus, in quo quidem satis edocemur exemplo Xerxis Persarum Regis, qui tam ingentibus copiis Græciam inuasit, vt exsiccaret flumina, æquaret montes, & super maria pontes construeret. Contra hunc veniens Leonida Spartanus, cum sexcentis duntaxat militibus, exercitum, in quo supra quingenta hostium millia, fuisse dicitur, extemplò adortus est, & per totam aciem victor decurrens, maximaque strage illata (quippe qui norat, se non spe victoriæ, sed in suæ mortis vltionem confligere) tandem non quia victus foret, sed vti iam fessus, lassusq; vinceret, cum suis omnibus inter confertissimos hostes acerrime prælians interiit. Præclare igitur euenit, vt Solymannus singulari prudentia, & bellicæ laudis virtute insignis, è medio sublatus sit, eoq; tempore, quo eius vires magis formidabiles apparebant.

Solymanni mors Christianis proficua.

Turcarum clades in bello Pãnonico.

Leonidæ Spartani mors.

Cæterum, vt ad nostros iam paulisper se referat oratio, simulatque Turcarum copiæ ex Pannoniis recessere, Iauarini, vbi Cæsarem castra posuisse narratum est, haud mediocre infortunium contigit.

Iauarinum igne incensum.

Ibi enim 3. Calend. Octobris, in cuiusdam militis contubernio, ex coci, (vt fertur) incuria, ignis accensus est, & paulatim noto flante ab Occasu, flammisque admodum secundo, ita creuit, vt cum omnia illa ædificia ex combustibili, atque arida materia constarent, nulla domus ab igne immunis extiterit, excepto prætorio, ac æde primaria, quæ quidem loca duntaxat solidis lapidibus construebantur.

In hoc autem Fortuna paulo mitior visa est, quod ipsum templum, in quo

nitritu

nitrius puluis asseruabatur, ab ea vi elementi prorsus intactum, atque illæsum remanserit. Quod autem Vulcani rabiem euitauit, id protinus militum prædæ, ac rapinæ obnoxium fuit. Hi enim auaritiæ studio incitati, atque impulsi, in plurima tecta ignem intulerunt; vt his conflagrantibus, magis impune, atque commodius alienis bonis ditescerent.

Porro haud facile verbis exprimi potest, quantum damni, atque incommodi, ea calamitas, cum vniuerso exercitui, tum oppidanis, ac toti demum prouinciæ attulerit, cum in eam, tanquam in tutissimum refugium, plurimi negotiatores, & qui finitima loca incolebant, variam supellectilem, & quæcunque hic à mortalibus potiora censentur, asportassent. Paucis post diebus Cæsar, cum brumale tempus iam appeteret, hostesque Byzantium versus, profectionem suscepissent, castra soluere constituit. Magno itaque Regulorum, ac nobilium comitatu septus, Viennam se recepit, & priusquam inde abiret, Salmensem Iauarini cum sat firmo præsidio reliquit, qui oppidum ferme dirutum, ac incensum, diligenter instaurandum curaret, eaque de causa, vbi primum Viennam peruenit, certam illi pecuniæ summam destinauit. Sub idem tempus, Ferdinandus quoque se in Bohemiam contulit. Nonnulli humanarum rerum speculatores valde admirantur, nostros, neque Turcarum castra inuasisse, vt oppida, & arces, ab eis oppugnatas, obsidione liberarent; neque aliquod insigne oppidum occupasse. Cæterum, si quis hæc omnia æqua lance ponderauerit, haud sane imprudenter illos egisse comperiet, vt ita se suis castris continerent, suosque fines protegerent, ac tuerentur, quam vel vniuersi belli casum subirent; vel in alicuius oppidi expugnatione tempus contererent. Nam si forte accidisset, vt hostis prælio lacessitus, armis eos inuasisset, Martemque fautorem habuisset, liber omnino aditus ei ad Viennam indeque per omnem fere Germaniam patuisset. Quod vero ad alterum spectat, non mediocris in ea re difficultas cernebatur. Diu quidem (sicuti paulo ante commemorauimus) inter ipsos duces, ac proceres, de vtraque re disputatum est, & collatis sententiis, tandem ex consilii decreto, exque Cæsaris præscripto, statutum est, vt neutrum horum fieret: sed tantum ab eis occasio rei bene gerendæ obseruaretur, ipsique sua castra vallo, atque aggeribus communita, omni ratione tuerentur.

Maximilianus redit Viennam.

Ferdinandus redit in Boemiam.

Dum hæc in Pannonia fierent, ortum est in Saxonia ciuile bellum, quod sane ingentes motus in ea Prouincia excitauit. Id autem gestum anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo septimo per Illustrissimum Electorem Saxoniæ, Augustum, aduersus Gulielmum Grumbachium, ac eiusdem conspirationis socios, idque, ex Imperii decreto. Cum autem Ioannes Fridericus Vinariensis, Grumbachii, & sociorum causam approbaret, omnique patrocinio tueretur, primum à Friderico Palatino Electore, à Philippo Landgrauio, Gulielmo Iuliacensi, eius auunculo, multisque aliis Germaniæ Principibus, amanter admonitus est, deinde etiam ab ipso Cæsare, ne vlterius pergeret, ac etiam declaratum, quot illi pericula instarent, nisi quamprimum sententiæ Imperii pareret. Cum vero, neq; amicorũ cohortationibus, neq; minis moueretur, ipse quoq; vna cum aliis proscriptus est, & Augusto Electori tota belli summa ab Imperatore, ac cæteris ordinibus, vno consensu demandata fuit, vt in eos bellum gereret. Autior seditionis Grumbachius, vna cũ fœderatis, etiam à Ferdinãdo Cæsare, in publicis comitiis antea proscriptus fuerat. Sed quoniam, vniuersa hæc Historia copiose apud Germanos descripta est, ac typis excusa, in eaq; omnes causæ commemorantur, quibus Imperii sententia iuste in eos promulgata est, ipse in præsens ab eius longiori enarratione supersedeo. Huius tam sceleratæ conspirationis fautores, ac præcipui, fuerunt, Gulielmus Steinius, Ernestus Mandeslauius, Brandensteinius, Io. Beierus, Dauid Bomgartnerus, & plæriq; alii, qui omnes, cum reliquis debitas seditiosi conatus pœnas persoluerunt.

Belli Gotthici perbreuis enarratio.

Ipse quidem Grumbachius, & Christianus Bruck, eius Cancellarius, dissi-

ctione corporis in partes quatuor, ob læsæ Maiestatis crimen commissum. Ex cæteris, nonnulli fuere suspensi, & quidam capite truncati. Obsidio habita est in vrbe Gothana, media, & aspera hyeme, tātaq; celeritate, ac silentio inchoata est, vt ante vrbem proscripti prius armatas acies cōspexerint, & bellicorum tormentorum exaudirent fragores, quam hostiles apparatus somniarint, securi nimis, Imperatoris Hungarico bello distenti occupationibus, & cōtemptu non Electoris tantum Saxoniæ, sed vniuersi quoq; Imperii, eaq; re factum est, vt obsessis facultas tuto elabendi, & opportuna auxilia colligendi, aliosque Principes concitandi, adempta sit. Vrbs autem deditione capta est vna cum arce, Idibus Aprilis, hora circiter sexta vespertina, & in hac etiam Io. Fridericus, eo die, quo ante annos viginti, fuerat victus, & captus in acie Io. Fridericus senior, huius pater, pene eadem hora. Aiunt, eodem die, quo hæc deditio facta est, solis aspectum fuisse atrum, & ferme totum sanguineū: quod sane prodigium etiam accidisse dicunt in expugnatione Mulbergensi, cum Io. Fridericus captus est à Carolo V. in arce, quæ vulgo Grimmenstein, repertæ sunt centum sexaginta bellicæ machinæ, ex quibus nouem insigniores, Augustus Elector, quo duce, bellum ex Imperii (vt dictum est) decreto, administratum, & fœliciter confectum est, sibi vendicauit: reliquas cum Duce Io. Guilhelmo, ex æquo partitus est: octo grandiores machinæ Cæsari dono missæ. Priusquam vero ad inchoatum opus reuertar, minime alienum fore iudicaui, si quomodo præfatus Fridericus, captiuus Viennam sit perductus, quàm breuissime attingam, vt hic (si magnis parua componere liceat) aliqua forma triumphi Veterum proponatur, Viennam igitur 10. Cal. Iulii, circiter horam 4. à meridie, in curru hac pompa perductus est. Primo venerunt centum equites Norici. Hos sequuti sunt centum equites Saxones, deinde octo equites, à quib. vexilla versus terrā submissa deferebātur, in quo erat ipse Princeps, pileum stramineum in capite circumferens. Vehiculum dimidia ex parte tegebatur: sed quoniam eo die ingens pluuia ceciderat, superficies non erat erecta, sic, vt eo tempore, vndiq; ab omnibus conspici potuerit. Huic prætereunti, spectatores vbiq;, aperto capite, honorem exhibuerunt, & ipse nutu eis gratias agebat. Currum circiter quingenti pedites comitabantur. Post illum ducebantur octo bellica tormenta & singula 12. equis aduehebantur. Priusquam in hospitium, quod fuit ad insigne aurei Angeli, diuerteret, variis viarum amfractib. per celebriores vrbis plateas circumuectus. Ex vrbe Vienna in nouam ciuitatem perduxerunt, eiq; militum Germanorum, qui erant numero 50, & Cæsareis sumptibus alebantur, præsidium impositum est, à quibus diligentissime asseruaretur. Ex suis autem, illi tantummodo relictus est concionator, medicus, coquus, & duo pueri. Deinde admissi sunt noui aliqui ministri. Proximo mense venerunt ad Cæsarem oratores Electoris Moguntini, ac totius familiæ Palatinæ, legatus Brandeburgicus, Wirtembergicus, Hassiæ, Treuirensis, Cleuensis, Badensis, & Hennenbergensis. Hi omnes vnanimi consensu, culpam ingenue fateri, sed hanc potius ex inscitia, quam studio & dolo factam dicere. Cęsarem lenitatis, & clemētiæ, quæ semper Austriæ domui esset innata, sedulo admonere. Saxoniæ insuper familiæ societatem, atq; amicitię, quę semper cū vtraq; intercesserat plurib. exponere. Postremo eū summissè orare, vt si q̄d Federicus deliquisset, benigne cōdonaret. His auditis, Cæsar iussit, vt sua postulata scriptis comprehenderent. Hoc autem, vbi egissent, ipse etiam scriptis respondit, se ipsorum petitionem audiuisse, ac se pro his Principibus, qui intercederet, facilem & clemētem futurum, ac etiam agnoscere, illos pietate, atq; affinitate motos, ad hoc officium impelli. Verum, hanc causam non esse priuatam, sed publicam, & huiuscemodi, vt ad vniuersos Germanorum Principum ordines referri debeat. Nunc enim, inquit, cum vix minima eius pars consilii, & arcani detecta sit, mira tamen inueniuntur, quæ si optatos exitus nacta essent, omnis Germania susque deq; misceretur. Igitur in præsentia non grauate ferrent, si illius negotii repulsam haberent, quæ publico Principum omnium assensu efficiende-

fici de-

ficị deberet. Hoc responso accepto, req; infecta, discesserunt, & præter carceris mitigationem, ac leniorem custodiã, nihil apud pro eo tunc impetratũ est. Paucis post diebus, missus fuit in arcem Posoniẽsem, vt ibi custodiretur. Hunc exitum habuit ciuile bellum in Saxonia, quod sane publicis reb. haud mediocre incommodum attulisse iudicatur, cum ob ingentem summam pecuniæ, quæ in eo absumpta est, tum etiam, quia illustrissimum Electorem Saxoniæ, & plærosque alios Regulos impediuerit, quo minus, vel Turcico bello interfuerint, vel Cæsari eo tempore maiores suppetias administrarint. Augustus, ob ea fœliciter acta, Deo supplicationes decerni iussit, & nummos argenteos excudi cum inscriptione TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

Exercitus Cæsaris dimissus.

Dictum est superius, Cæsarem cum suis Viennã reuersum esse. Vt primum itaq; huc peruentum est, dimissi sunt Morauí, ac Bohemi. Ex Austrianis complures missi sunt Sopronium, & in reliqua oppida finitima, vt reliquis admixti, repentinas hostium eruptiones prohiberent. Hi enim longe, lateq; per eas oras prædabundi grassabantur. In oppidum Canisam, quod situm est haud procul Sigetho, missus est Thaius, cohortium centurio, cum mille equitibus ac totidem peditibus. Dimissæ sunt etiam Germanicæ legiones, ex quibus, ante discessum, quatuor peditum signa imposita sunt in insula Comaria, simulque reliquis præfectis, ac militibus abeundi venia permissa est. Alphonso Atestino, duci Guisio, Brissaco, & reliquis proceribus, ac insignibus viris, Cæsar, pro humanitate erga se exhibita, plurimas gratias egit, hiq; omnes breui post, ex aula domum versus profecti sunt. Interim indicta sunt comitia, ad quæ nobiles Austriaci conuocabantur, quo ibi ex communi cõsilio decerneretur, quid proximo anno fieri oporteret, cum in Pannonia, tum in finibus Transyluaniç, in quibus subinde bellum inter Cæsarem, & Vayuodam intercedebat, in cuius auxilium remanserat Partaus Bassa cum magno Scytharum numero, qui, vt frequentia & multitudine, sic etiam nefaria singularique sæuitia, reliquis omnibus anteibant. Nulli sexui, vel ætati parcebant. Infantulos (quod sane dictu est horribile) dissecatos, & verubus attractos, ad ignem torrebant, & assatos deuorabant. Plurimi eorum, carne duntaxat nostrorum, & muliebribus mammillis vescebantur. Ob has itaq;, pluresq; alias causas, publicos nobilium conuentus agi oportebat, in quibus Cæsar proponeret, quæ ad Reipublicæ salutem, & decus pertinerent. Conuentus autem Viennensis 4. Cal. Decembr. initium habuit. Omnibus his, quos Ecclesiasticos vocant, & regulis, ac nobilibus viris, qui colloquio intererant, hæc capita proponebantur, videlicet: Vt darent subsidium superioris anni, cuius quidem summa erant ferme 300000. florenorũ, pro alendis equitibus. Vt quicunq; 100. annuos florenos haberet, equitem aleret, & ditior pro quouis numero 100. florenum persolueret. Quoniam autem, etsi Cęsar huic bello interesset, proceres tamen Austrianos interesse nolebat, ab eis mille equites, & quinq; peditum cohortes, sibi dari postulabat. Adhæc volebat, vt quilibet colonus, sex annorũ spatio, per sex dies quotannis operæ Viennẽsi manus admoueret. Prouinciales manserunt aliquãdiu pertinaces in his, quę sibi proponebãtur, priusquã aliquid responsi darent, nec sane quicquam horũ concessuri videbãtur, nisi prius Confessionẽ Augustanã, quã ipsi summopere expetebant, obtinuissent. Id aũt Cæsari permolestũ erat, cumq; ipsi hoc sæpius vrgerent, ab eo tandem responsum est, se nullũ fidei ac religionis articulũ proposuisse. Proinde his tantũ petitionibus responderent, nisi iram sui Principis experiri vellent. Quocirca, ne ipsum grauius ad iracundiam prouocarent, hos tandẽ articulos è cõmuni omnium consensu decreuerunt, se, videlicet, belli tempore, 138000. florenorũ quotannis persoluturos. Item, vt quisquis 100. annuos florenos haberet, per menses vnum equitẽ aleret, & qui opulentior esset, plures etiam sumptus impenderet. Ad reliqua itidem postulata, se haudquaquã difficiles præbuere. Quatenus vero ad nouũ dogma religione spectat, cum hanc repulsam inuiti audiret, ac denuo apud Cæsarem pro ea instarent, hoc illis ab eo responsum est, videlicet, vt quicunque aliam

Scytharum immanitas.

Austriaci petunt à Cæsare Confessionem Augustanam.

fidei rationem profiteri vellet, diuersam ab ea, quam ipse profiteretur, statim venditis bonis, ex Prouincia discederet, atque ita illorum postulatis tandem silentium indictum est. Postquam Viennensibus Comitiis finis impositus est, Cæsar, Brunam, qui locus est in Morauia, se contulit, ibiq; itidem conuentum celebrauit, moxque in Bohemiam profectus est. In eo fecit sua postulata, sicut in reliquis, vt auxilia sibi ad bellum opportuna colligeret, & tandem ex publico decreto sancitum est, vt Morauii loco nobilium, sibi darent mille, ac ducentos equites, qui mitterentur quocunque ipse vellet, & proceres loca finitima propugnarent. Vt ex decimo quoque vnus ad Cæsarem, qui suam operam ei nauaret, mitteretur, & qui annuatim ad mille florenos haberet, annumeraret duodecim, & quatuor grossos pro quouis dolio vini, aut cereuisię. Idem etiam in Troppensi colloquio statutum est, nisi quod in eo, trecentos equites addiderunt.

Conuentus habitus in Morauia.

Troppense colloquium.

Maximilianus profectus in Bohemiam.

His mature, ac celeriter expeditis, recta se in Bohemiam transtulit, & Pragam illius Regni Metropolim ingressus, à tota vrbe, regio, & magnificentissimo apparatu exceptus est.

Conuentus habitus Ratisbonæ per Principum Legatos.

Paulo post, Boioariæ Principem, & D. Iunchum, qui erat Cæsari à consiliis, cum quibusdam aliis proceribus, Ratisbonam misit, quo ibi eius nomine comitia indicerentur, hique dicto audientes, protinus illuc petiere, ac inuenerunt aliorum Principum Legatos, qui paulo ante ob eandem causam illuc accesserant.

Itaque conuentu indicto & peracto, è communi sententia constitutum est, vt pecunia trium annorum, reduceretur ad vnum, ea tamen conditione, ac lege, ne illa ad Cæsaris manus perueniret, nisi contra Turcas bellum gereretur. Sed Pragæ omnes tres ordines paratissimis animis assensi sunt, se per biennium illi hunc censum persoluturos, id est, quod singulæ domus positæ in ditione Principum, Procerum, & nobilium virorum tam sacri iuris, quam beneficiariorum, pro quolibet anno dimidium talerum soluerent, præter publica balnea, pastorum domos, & fabrorum officinas. Cæterum Praga, & reliquæ vrbes, quæ Cæsaris Imperium agnoscunt (hæ autem sunt tertius status Regni Bohemici) pro singulis domibus tres taleros annumerarent.

Conuentus habitus Pragæ.

Singuli ex Parochis omnium ciuitatum, vicorum, & pagorum, soluerent centum cruciatos, operarii nouem, serui ac mercenarii grossum album. Feneratores cuiuscunque generis, pro mille taleris, quinq;. Singuli mares Iudæi, qui decimum annum attigissent, annuatim octo & quadraginta grossos albos, & qui essent iuniores, decem. Pro aulicis Cæsarianis, ac ære contracto, primores, pro quouis quarto dolio cereuisiæ albæ, ac hordei, per biennium quatuor grossos albos persoluere statuerunt: At si Cæsar bellicæ expeditioni interesset, quorum redditus forent ad decem millia talerorum, eo tempore per spatium quatuor mensium alerent equitem egregie instructum, & minus diuites darent suam portionem iuxta facultates, quas possiderent, idemq; fieret, quoties oporteret tueri quindecim Comitatus regni Bohemici, id est, vt quisquis haberet redditus ad sex millia talerorum, is ad loci defensionem, suis sumptibus equitem armatum pasceret, & quilibet iuxta debitam portionem, præsidio adesset. Qui vero sub sua ditione centum subditos haberet, is decem pedites suis impensis aleret, hiq; omnes in quauis expeditione præsto forent.

Hæc omnia Cæsar summa diligentia, & celeritate fieri curauit, vt, & copiæ, & pecunię suppeterent, ne incautus hostili agmine circumueniretur, si Turca denuo in Pannoniam rediret, quod quidem haud parua suspitione carere videbatur.

Maximilianus redit Viennam.

His Bohemiæ comitiis peractis, Viennam rediit, atq; inde, paucis diebus interiectis, in Pannoniam se transtulit, vt reliqua etiam absolueret.

Conuentus habitus Posonii.

Cum Posonium venisset, ibi etiam cōuentus habuit, cum proceribus illius Prouinciæ, in quo quidem post multas, & graues querelas, quas primores detulerunt cōtra multos militum centuriones, qui oppidis præerant, ex communi demum

demum sententia decretum est, vt sibi eo anno centum & quinquaginta millia nummûm aureorum traderent, eaq; pecunia potissimum eliceretur ex colonorum sessione, qui quidem duos taleros pro quauis sessione numerarêt, & præterea, quiuis eorum teneretur quotannis, per spatium duodecim dierum, suam operam impendere munitionibus, quæ pro limitibus tuendis fiebant. Cæterum, eo anno, quo nulli conuentus haberentur, exactio redigeretur ad minorem summam, quæ tantummodo dimidiatam portionem contineret. Contra vero, Cæsar deberet mittere suos Legatos, partim Hunnos, & partim Germanos, ad vtramque partem Danubii, qui viderent bona iniuste occupata à Cæsarianis præfectis, & primis, ac legitimis possessoribus in integrum restitutis, animaduerteret in eos omnes, qui furtis, & rapinis inhiassent, omniaque scelera, & latrocinia prohiberet, quibus ipsi quotidie miseros agricolas diuexabant. Amoueret insuper quædam vectigalia, & portoria insueta, quæ illis iniungebantur, inter quæ erant vectigalia pro vino, & armentis. Pannonicis, ex quo neque Norici, neque in cæteris prouinciis ad præfecturam admittuntur, liceret, oppida & vrbes à suis regibus oppignoratas, precio redimere.

Petitiones Posoniensiũ Cæsari exhibitæ.

Antistites autem hi crearentur, qui ad hoc munus, & dignitatem essent idonei, atque hi ex Hungarica natione eligerentur. Item, si bona ex Transyluano recuperata, & prius ab Hunnis possessa, in suum emolumentum conuertere statueret, eos aliquo alio munere compensaret. Nobilis, qui sub se haberet centum colonos, quoties Cæsar bello interesset, decem equites, & octo pedites suis sumptibus alere teneretur. Quod si alius eius loco mitteretur, dimidiam eorum partem.

Quum vero nullum ab hoste periculum impenderit, omniaque tranquille gererentur, solummodo illius tres equites pro limitibus tuendis alendi essent. Hæc omnia fuere conclusa in conuentu Posoniensi, ob quæ Maximilianus, perspecta omnium eorum egregia in se voluntate, plurimum se illis debere ostendit, eorum postulatis quamprimum satisfaceret, iussit animaduerti in quosdam præfectos, qui eorum stipendia sibi vsurpabant, quiq; suo munere abutentes, homines earum regionum ad æquas, & legitimas querelas prouocabant. Plæraque alia humanitatis, & grati animi officia in eos contulit, ob quæ, illi gratias egerunt, eaque seipsos, & quæcunque hic præcipua ducuntur, lætis animis obtulerunt.

Etsi vero, cum in his comitiis, tum etiam in aliis omnibus, reguli, nobilitasque omnis tum à Cæsare summis precibus contendit, vt sibi Augustanum dogma (de quo supra dictum est) amplecti, ac profiteri liceret, nunquam tamen assentiri voluit, quin potius eos, vt in veteri sententia persisteret, hortabatur, seque huius & fautorem, & promotorem publice declarabat. Peracto Posoniensi colloquio, Viennam reuersus est, idq; fuit pridie non. Augusti, Anno salutis M. D. LXVII.

Supra cõmemoratum est, Toccaiũ superiori anno per Lazarum à Schuenda occupatum. Cum itaque Transyluanus eam iacturam ægerrime ferret, omnem animi cogitationem ad illud recuperandum adiecit. Illuc igitur cum suis copiis profectus, locum vndique dira obsidione cinxit, nouemq; maioribus tormentis exteriora vrbis acriter concutere cœpit. Hic locus (vti antea dictum est) alluitur duobus fluuiis in confinio Pannoniæ, cumque haud exigui momenti foret, Schuendius nullo modo illius propugnationem abiiciendam existimauit, ideoque tametsi adhuc periculoso, & graui morbo afflictabatur, oppidanis tamen præsidio adesse statuerat, & subinde apud Cæsarem instabat, vt sibi suppetias mitteret, quo eis maturam opem adferret. Is oppugnatione audita, protinus ad eum misit circiter mille equites, duce Henrico Staupitio, sexque auxiliarias cohortes, & præcipuum medicum, qui ei, morbo laboranti, semper præsto esset. Misit etiam triginta plaustra onusta panno, commeatu & pecunia pro militari præsidio. Cum Vayuoda

Toccaium oppidum obsidetur à Transyluano.

interim

Transyluanus cogitur soluere obsidionem, & suis præsidio aduenire, qui à Scythis infestabantur.

interim in oppidi obsidione iam octiduum perstitisset, eoque breui potiturus videretur, fama repente increbuit, ad decẽ millia Scytharum inuasisse Transyluaniam, & multos pagos, ac ædificia incendisse. Hoc nuncio allato, statim obsidionem soluit, & illuc profectus, primo per legatum, eos amanter cohortatus est, vt illinc discederent, manusq; ab iniuriis abstinerent.

Transyluanus obsidetur à Scythis in oppido Varadini.

At ipsi, de more, in omnes promiscue (vt antea) debacchari, ac sæuire pergebant. Hoc audito, confestim suas copias in eos admouit, & palantes, atque incautos adortus, ex illis ad sex millia trucidauit. At Scythæ, vt illatam cladem vlciscerentur, ipsum in oppido Varadinensi cum aliquo numero Turcarum obsederunt, & quia locus neque operibus, neque natura valde muniebatur, facile illum expugnassent, si qua bellica tormenta secum adduxissent. Is autem interim hostium consilia præueniens, clam ex oppido se abripuit, & in loca munitiora recepit. Ibi, mox maioribus copiis, paratis, eisque accurrens, insignem stragem intulit, adeo vt ex eis multa millia cecidisse narretur, præter vulneratos, quorum etiam ingens numerus extiterit, exque illorum manibus multa millia captiuorum erepta sunt, quos Barbari secum in miserrimam seruitutem adducebant, erantque inter illos, multæ nobiles matronæ, ac virgines, captæ in oppido Beregzas, quo paulò ante, tanquam in tutiorem locum se receperant. Nec sane vlla oratione quis consequi posset, quam misere, ac horribiliter omnia ea loca, quæ sita erant versus Cassouiam, populati sint, quanque dira feritate in omnes agebantur. Ad arcem Filek, quæ Sepusio adiacet, paulo ante venerant quadringenti ex prætorianis militibus, qui passim in omnes promiscue sæuiebant, exque montanis oppidis ad nongentos captiuos secum abstraxerant. Hæc Scytharum, Turcarumque, plusquam belluina immanitas, multum sane terroris incusserat omnium eorum animis, qui eas oras incolebant, eorumque præsertim, qui iuxta Danubium, Vagum & Arabonem degebant. Paucis ante diebus, Byzantini cœperant duas arces, vulgo (Comar, & Calambach) & qui erant in Alba Regia, ex vrbe egressi, nostris iterum eripuerant Gesten, & Vitan, quæ oppida superiori æstate occupauerant, eorumque numerus quotidie augebatur, ita vt Palota, Vesprinium, ac Theodata, sibi iam plurimum timerent.

Transyluanus fugit ex Varadino, moxq; copijs paratis, multa millia Scytharum interficit.

Scytharũ & Turcarũ immanitas.

Scythæ, post ingentem illam stragem, illatam à Transyluanis, admixti Turcis, inter quos erant plurimi Ianizeri, exque Getica Prouincia, populabundi excurrebant per Rossiam, & Podoliam, quæ regiones parent Sarmatarum Regi, multaque illarum incolis damna inferebant, & plurimos pagos, atque oppida incendere, quique iam senio confecti erant, & virium robore destituti, eos miserabili sæuitia necabant, & innumeros vtriusque sexus mortales, in diram captiuitatem abstrahebant.

Scythæ à Palatino Rossiæ magna clade afficiuntur.

Postremo, Palatinum Rosiæ in quodam oppido vtrinque obsederunt. At ipse non minus vetustate familiæ, quam bellica virtute atque animi fortitudine insignis, persæpe cum suis militibus, quos maxime strenuos atque impigros habebat, oppido egressus, ac in eos persæpe acri impressione facta, plurimis præliis, quibus pene semper superior euasit, fere omnes ad internetionem deleuit, eisq; duodecim maiora tormenta eripuit.

Supra ostensum est, Georgium Hossutotum à Cæsare missum fuisse Byzantium vti cum Solymanno de pacis conditionibus transigeret. Hic, vt primum de ipsius morte fama diuulgari cœpit, Viennam reuerti statuit, eoq; tandem non. Ianuarii peruenit. Cum esset in itinere, Selymum Imperatorem sibi obuium habuit, cuius quidem videndi potestas illi facta est, sed minime alloquendi, eique Mehemetus, vt abiret, imperauit, eo quod missus esset ad Solymannum, quo mortuo, nihil omnino sibi esset, quod cum Selymo ageret. Sin autem eius rex aliquid à se impetratum vellet, alium destinaret, vel ipsemet cum legationis officio rediret.

Quid Mehemetus dixerit Georgio Hussutoto Viennã Byzantio redeunti.

Addidit etiam, vt ei significaret, illum pessime suis rebus consulturum, nisi pacem cum potentissimo Cæsare quamprimum peteret, multoque sibi satius

fuisset

Digitized by Google

fuisset si easdem pacis conditiones, quas antea cum Ferdinando inierat, constanti fide retinuisset, quam vt temere tam præpotentem principem ad bellum prouocasset. Notam esse ipsius imbecillitatem, secumque præclare actum, quod Fata Solymannum superiori anno ex hac vita sustulerint, alioqui pessime suis rebus consuluisset.

Quid Keretschenius Hossutoto perscripsit, dum transiret per Taurunti.

Cum Taurunum venisset, ibi Keretschenium, quem Iulæ præfuisse diximus, in vinculis detineri audiuerat. Hîc vero multa est pollicitus Byzantino, qui Hossutoto dux erat, vt sibi eum adeundi copia daretur. Cum autem hoc ei prorsus negaretur, ad illum literas perscripsit, in quibus longa serie enumerauit, quæ incommoda in Iulia obsidione tollerauerat, & quam diu, quamque inani spe nouum subsidium à Cæsarianis expectasset. Insuper aiebat, se oppugnationem septuaginta dierum pertulisse, adeo vt omnium rerum inopia premeretur, ipsosque hostes iam fere super mœnia ingressos. Licet autem se in maximo vitæ discrimine constitutum videret, spe tamen auxilii, sibi toties promissi, sustentatum. At cum omnis ea spes prorsus euanuisset, tandem necessario deditionem à se factam. Postremo petebat, atq; obnixe orabat vt amici apud Cæsarem pro se intercederent, seq; facili negotio liberandum iri aiebat, si eius loco præfectus Albæ dimitteretur. Vbi autem liberatus esset, velle se in carcere sibi per Cæsarem assignato, ius, ac sententiam æquo animo præstolari, nec sibi vlla in re male conscium esse.

Hæc omnia, multaque alia huiuscemodi scripsit ad Hossutotum, quæ ille suo nomine Maximiliano referret. Interim in aula Cæsaris, firma omnium opinio increbuerat, regulum Harracum, qui suam filiam, filio Keretschenii desponderat, præfectum Albæ, quem ipse Zeitiponti in arce sub ægrum adhuc in custodia retinebat, pro Keretschenio dimissurum, idque constanter à plurimis ferebatur.

Mors Keretschenij.

Cæterum, Fortuna illi euentum longe miserrimum, & calamitosissimum pararat. Cum enim innumeri apud Selymum quærerentur, se grauissimis persæpe iniuriis, & contumeliis, eo iubente, affectos, aliis nares, nonnullis os præsectum, & plærisque crudeliter vitam ademptam, huiusmodi quærimoniis grauiter commotus, eum tandem accusatoribus donauit, vt ipsi pro arbitratu in eum animaduerterent. Hi ergo, statim dolium, clauis acutis perforatum, in montis fastigium detulerunt, & in eo Keretschenium inclusum de monte præcipitarunt, eoque diro atq; horribili supplicio vitam terminauit.

Præfectus Albæ Regiæ pretio redeptus.

Fama est, Arracum peracri dolore affectum, quod ei matura ope adesse nequiuerit, sibique paulo post à præfecto Albæ, aureorum quinquaginta millia pro libertate annumerata sunt, & licet adhuc non modica summa restaret hunc tamen Cæsar dimitti voluit, atque ita sexto Idus Augusti, priori libertati restitutum Ioannes Suizendorfus Consiliarius Cameræ Hungaricæ, vsque ad terminos egregio comitatu perduxit, cumque is domum rediret, mira narrabat de applausu, quo sui eum excœperant.

Zaduarū oppidum occupatur à Schuendio.

Præter expositam pecuniam, Gorgerus etiam, qui Iulæ captus fuerat, libertate donatus est, ac eodem tempore, quo alter dimissus. Interea Schuendius paulo valentior factus, & maioribus præsidiis communitus, arcem Zaduaram nullius idoneæ rei egentem, quam militis, oppugnauit. Hic locus antea parebat Bebeco, qui Cæsarem infensissime oderat, eratq; præcipuus author inimicitiæ ac dissidii, quod inter illum, & Transyluanum alebatur. Is, cum se obsessum videret, clam inde aufugit, breuiq; post, qui mœnia tuebantur, sese atque oppidum illius fidei tradiderunt, ea conditione, vt saluis rebus, atq; incolumes dimitterentur, & ita occupata est, prid. 9. Ianuarii, atq; ibi opima præda inuenta est. Præfecti vxorem cum omni supellectile, ac familia, Schuendius libere ac tuto exire permisit. Ac bellica instrumēta sibi integra seruauit.

Mūkatschū oppidum expugnatum à Schuendio.

His peractis, aliud quoq; oppidum nomine Munkatschum, paribus fortunæ auspiciis occupauit. Nam obsessos bellicis tormentis nocturno diurnoq; tempore haud quatere cessauit, donec tandem ab eis vltronea deditio fieret.

Digitized by Google

Militem gregarium inermem dimisit, primores in vincula coniecit, & aliquot transfugas laqueo suspendi iussit. In hoc autem Fortuna vsus est admodum secunda. Siquidem oppugnatio cœpta est haberi, 13. Calend. Martii, & quatridui spatio victoria potitus est. Proximo autem die maximus imber, ac exundatio subsecuta est, & nisi paulo ante oppidum expugnasset, profecto & milites, & omnia bellica præsidia in aquis periissent. Transyluanus, audita obsidione, statuit obsessis opem ferre, ideoque præsidiario militi stipendium miserat, quo alacrius propugnationem vrgeret. Hoc autem vbi à nostris cognitum est, illico vectores cum pecunia intercœperunt, & præda cum Cæsariano milite, tum satis egeno, distributa est. Huius loci expugnatio Transylua-ni animum vehementer commouit, cum præsertim ex illius oppidi iactura videret, sibi præcludi aditum in Sarmatiam, & Russiam, vnde nihil amplius præsidii expectari poterat, nisi illud magno suo incommodo per Moldauiam, quod quidem iter longissimum erat, plenumque laboris, atque molestiæ, transmittendum curaret. Schuendius, vbi oppidum, cuius modo facta est mentio cœpisset, statim relicto ibi præsidio, aliud, quod vulgo Hust appellant, cum suis copiis arcta obsidione oppugnauit.

Hust oppidū obsidetur à Schuendio.

Per idem tempus, prætor Budanus, vnus ex purpuratis, ad Cæsarem, vt sibi eius gratiam & studium conciliaret, dono misit duos equos admodum insignes, arcum egregie ornatum, & plæraque alia munuscula, quæ mille aureorum summam implebant. Ab eo autem postulabat, vt quosdam Pannonicos centuriones à limitibus amoueret, ne pacem, de qua tum agebatur, impedirent, eorumque loco Germanos præficeret, quorum naturam aiebat esse leniorem, ipseque vicissim pollicebatur, se capitis pœna puniturum eos omnes, qui interim vllas eruptiones fecissent, nouosque tumultus in eo regno excitassent.

Prætor Budanus mittit munus ad Imperatorē.

Paucis post diebus, idem ad Salmensem regulum præscripsit, se valde admirari, Schuendium eo tempore aliquid moliri, qui superiori æstate, præsentibus Scythis, latitauerat. Alacriter nihilominus pergeret, siquidem breui eos iterum affuturos, & maiori frequentia, quam hactenus extiterant. Huic etiam paulo ante, alias literas dederat, in quibus, præter cætera, se haud mediocriter admirari aiebat, quid Maximilianus pacis consilia cum suo Principe agitaret, cum interea sui grassarentur in ditione Transyluani, cuius tutela & patrocinium ab eo penderet. Quod si ita pergeret, Selymum inde occasionem sumpturum, vt omnes suas vires in hostem conuerteret. Quod vero ad se attinet, ingenue pollicebatur, se omnem operam daturum, vt suus Imperator pacis potius, quam belli studiosus foret, eumque vicissim admonebat, vt ipse quoque suum regem ad idem cohortaretur. Vbi enim (inquit) ad arma ventum est, tunc adeo de vtriusque capitibus agi, & ipsos reges manere post principia, eosque raro periculis exponi. Etsi ergo vtrinque de pacandis rebus magno studio agebatur, compositionis tamen perexigua tum spes apparebat, cum præsertim proximis annis, propter eandem arcem, quam nostri expugnarant, omnis transigendæ pacis actio, quæ inter Ferdinandum, & Transyluanum intercedebat, prorsus dirimeretur. Itaque facile cogitari poterat, hunc, nouis iniuriis prouocatum, iterum arma Turcica imploraturum, eoque magis, quod his locis amissis, toti Transyluaniæ magnum periculum impendebat. Etsi vero nostri vel Cæsaris iussu, vel rei difficultate impulsi, ab oppido Hust, omissa obsidione, recesserant, Byzantini tamen qui erant infra Cassouiam, duce Hassan purpurato, arcem Dedes, Gabrielis Perini ditioni subiectam, oppugnarunt. Qui mœnia defensabant, cum acri obsidione se vndiquaque premi conspicerent, desperatis subsidiis, clam, & per loca occultiora, noctu aufugere. Hanc hostis proximo die omni bellatore denudatam, facili negotio expugnauit, moxque vlterius progressus, omnia ferro, & incendiis vastabat, & facta eruptione, ad Agriam vsque populabundus excurrit, eaque vrbs in magno metu, ac periculo tunc esse videbatur. Iisdem etiam diebus

Hust obsidione liberatur.

Oppidū Dedes oppugnatū à Turcis.

Turcarum eruptiones.

Digitized by Google

diebus Vayuoda productis castris, oppidum, quod appellant Riuulos Dominorum, & alterum ibi proximum (vulgo Kouar) obsedit, & breui vtrumque suo Imperio adiecit. Hæc tamen loca, non multo post, Cæsariani, licet plurimis vtrinque desideratis, denuo recuperarunt. Quod autem ad secundi oppidi expugnationem attinet, hoc maxime hostes adiuuit, videlicet, ignis casu accensus in puluere tormentario, qui tunc in arce asseruabatur. Hic enim arcem protinus incendit, pluresque ex militibus interemit, & propterea cum pauci ex eis remansissent, qui propugnationem susciperent, facile in eorum potestatem venit, etsi non absque magna victoris occisione. Multum enim, atque acriter pugnatum est à præsidiano milite, qui supererat: sed tandem eo deuicto, illud breui amissum est. Iisdem diebus Temesuariensis præfectus, quoddam oppidum iuxta Agriam deditione occupauit. Cum vero milites inde egressi, abitionem pararent, hostes illos insequuti, quosdam ex eis trucidarunt, & nonnullos captiuos fecere. At is memor suæ fidei, protinus insigni quodam, & laudabili exemplo, in eos omnes, qui hoc facinus patrarant, grauissime animaduerti iussit, & captiuos in libertatem asseruit, pecunia etiam pro viatico donata. Iuxta oppidum Sakmarum, Cæsariani, & Transyluanici, decimarum causa, manus conseruere, in eaque pugna nostri fuere superiores, & quosdam ex hostibus cœpere. Prope Iulam, & loca viciniora, confluebat ingens Turcarum numerus, quæ sane res haud exiguam futuri belli suspitionem præbebat, idq; tanto magis in multorum animis confirmabatur, quo Eduardus Cernouichius, quem Cæsar tractandæ pacis ergo, Byzantium legarat, inde reuersus, pro certo asserebat, Turcarum regem, nouas ibi copias parare, quas breui missurus esset in Pannoniam, ducibus Partau, & Bellerbeko, purpuratis, quorum alter Agriam, alter vero Canisam inuasurus esset. At postea certior factus, Maximilianum ad se breui missurum oratores, quibus totum de dissidiis componendis negotium iniungeretur, belli moram trahebat, vt videret, quid tandem in horum aduentu decerneretur.

Legati fuere Antonius Verantius, Agriensis Antistes, qui antea per integrum quinquennium, apud Solymannum oratorio munere functus erat, & Tiffenbachus, ambo consiliarii Cæsaris, virique cum eruditione, tum facundia, & linguarum cognitione ornati. Hi ergo paratis omnibus his rebus, quæ ad eorum munus obeundum pertinebant, cum splendido nobilium virorum apparatu Vienna circa finem Iunii, anno humanæ Salutis millesimo, quingentesimo, sexagesimoseptimo Byzantium versus, concessere. Secum autem præter alia munera deferebant, quædam horologia, summo, ac diuiti artificio elaborata, quæ Cæsaris nomine, Turcarum regi exhiberent. Quasdam etiam pateras ex auro, & argento, purpuratis donandas, circumferebant. Horum autem omnium pretium quadraginta millia nummorum aureûm summam excedebat.

Vbi ad Comariam insulam ventum est, Byzantinum quendam itineris ducem habuere, qui eos Budam vsque fideliter comitatus est. Vt primum ad eorum limites accesserunt, nonnulli ex præcipuis, obuiam eis progressi sunt, eosque benigne, & comiter exceperunt, moxque Budam intromissi, à Dynasta illius vrbis, perhumaniter excepti sunt, eique Cæsaris nomine, duo pocula deaurata, & aureis oppleta, detulerunt. Inde profecti, Byzantium versus iter fecere, atque illuc tandem 11. Calendas Septembris ambo cum suis incolumes peruenerunt, breuique post, adiere purpuratos, quorum præcipui tunc erant Mehemetus Selymi gener, Parthaus, Perhit, & Akmat, à quibus omnibus hilari vultu, & multa humanitate sunt excepti. Vnde trigesima die eiusdem Mensis, in regia domo cum eis pransi sunt, & generosi, qui eos comitabantur, apud tetrarchas conuiuio excepti, quos ipsi Turcico nomine Sanzachos vocant, hoc est, signiferos, quod militari cum imperio prouinciis præsunt.

Remotis mensis legati ad Selymum introducti sunt, ita vt singulis, bini pur- *Legati ad Selymum intromissi.*
purati in medio arreptis bracchiis, & quadam honoris specie sustentantes, ad

dextræ osculum perducerent. Neq; enim Turcæ externos homines ad tyrannum aliter admittunt, quam vt sinum scrutentur, an ferrum sub veste lateat, implicatisq; eo modo brachiis, commouendæ manus potestatem facinus ausuris, dissimulanter eripiant, quanquam & assidenti in thoro circumpositus, paratusq; ad manum clypeus, cum acinace, clauaq; ferrea, ac item arcus, & sagittæ conspiciantur. Munera secum allata, reuerenter exhibuerunt, quæq; in mandatis habebant, paucis coram exposuere.

Postridie eius diei, purpuratos adierunt, & cum his, plenius de rebus omnibus loquuti sunt. Selymus interim profectus est Adrianopolim, quo etiam legati aduenerunt, atque ibi cum iisdem proceribus de pace, ac eius conditionibus transactum est. Ea vero inita, denuo Turcarũ regem conuenerunt, manusq; (vti antea) exosculati moxq; vbi abeundi facultatem petiissent, amice, ac perhumaniter dimissi. Recedendi copia à Selymo impetrata, eandem postea à purpuratis obtinuerunt, breuique mora interiecta, in Pannoniam reuersi sunt, indeque Viennam Pridie Calendas Iunii peruenerunt. His etiam se comitem adiunxit Ebrainus, qui orator ad Cæsarem mittebatur.

Oratores Cæsarei Viennã reuersi.

Induciæ fuerunt initæ, & peractæ ad spatium octo annorum. Conditiones erant, vt quiuis eorum possideret, quod sibi postremo bello acquisiuerat. Vt in huiusmodi induciis contineretur Vayuoda. Item, vt Agricolæ, qui annuum censum Turcis iuxta, & Cæsarianis annumerare consueuerant, solis Turcis in posterum soluerent, eisque solis posthac inseruirent. Causæ, quæ tunc Selymum ad pacem ineundam cum Cæsare, commouerunt, plurimæ, ac variæ omnino esse possunt: At proculdubio, ea vel præcipua videri potest, vt se videlicet, in suo Imperio, ad quod quidem nuper successerat, commodius, ac tutius pręmuniret. Nam omnis fere Arabia, & populi finitimi, ab eo desciscere inceperant, & propterea magnam classem delectis militibus, omnique bellico apparatu instructam exornarat, eamque paulo ante in Syriam legarat, omnibusque proceribus, earum regionum, iniunxerat, vt exorta dissidia cohiberent, omniaque ad priorem statum reducerent. Quæcunque tamen causa extiterit, ea sane Germanicis, & Pannonicis rebus, toti denique Christianæ Reipublicæ optato euenit. Nam luce meridiana clarius est, Turcarum Imperatorem, quoties in nos bellum gerit, aut semper, vel frequentius, victorem existere. Quod si forte accidat, vt votis non potiatur, & Fortuna illius conatibus desit, luctuosam tamen & peracerbam sui belli memoriam nobis perpetuo relinquit. Nemo est mortalium, qui nesciat, quam ingens, ac metuenda sit eius potentia.

Cæterum, quidnam obsecro dicemus de miro & incredibili studio, ac obsequio, quo quisque illorum erga suum regem afficitur. Quidnam de militari disciplina, qua Turcæ tot sæculis res suas administrarunt, easque in dies tam prospere, tamque fœliciter administrant? Res plane maximo stupore digna, nec id absque summo dedecore, ac detrimento corruptæ, ac inordinatæ militiæ Christiani nominis, vnquam enarrari posset. Vt vero summatim dicam, in illis est summa celeritas in agendo, in periculis constantia, obseruantia imperii, adeo vt vel minima delicta sæpe capite vindicentur. Profunda, & verticosa tranant flumina, abruptos superant montes, non vitæ, sed imperii memores, peruigilii, ac inediæ tolerantissimi, nulla ibi seditio, nullus tumultus, fremitu, non clamore vtuntur in prælio, & noctu apud eos pertinacissimum silentium. Hoc itaque genus hominum prorsus inuictum censeri potest, nisi aut lue, aut peste aliqua teterrima, vel domestica discordia vincatur.

Quidam Pannonicus quatuor miracula se in castris Turcarum vidisse retulit.

Nolo autem silentio præterire, quod quidam nobilis ex Hungarica natione, missus à Cæsare Byzantium, dum hostilis acies in Pannoniam progrederetur, in reditu Eccio à Salma retulisse dicitur. Hic enim in eorum castra, & munitiones admissus, quatuor miracula se ibi vidisse, ac obseruasse narrauit. Primum, aiebat esse ingentes copias, & pene innumerabiles. Alterum, quod in tanto militum numero, & frequentia, ne vnam quidem mulierem conspe-

xerit.

xerit. Tertium, quod apud eos, ne minima quidem vini mentio fiebat. Postremum, quod vesperi omnes, ac singuli, alta voce exclamabat, ALLA, quod sane illorum lingua Deum significat, & deinde in toto agmine tam ingẽs erat vbique silentium, vt etiam in tentoriis, nemo, nisi admodum submissa voce, loqueretur.

Hæc ipse dum accurate, ac diligenter expenderet, secum tacitus aiebat, fieri non posse, vt nisi Deus immensa sua bonitate nobis adesset, Turcarum potentiæ, tanta disciplina, tamque militari ordine dimicantium, vlla vnquam ratione Principes Christiani resisterent. Hossutotus etiam, quem paulo supra diximus, fuisse legatum Constantinopolim, referebat, in toto itinere, per quod transierant copiæ Turcarum, cum in ea expeditione, quam, versus Pannoniam habuere, tum quoque in eorum reditu Byzantium versus, nullum se ædificiũ vidisse, nedum oppidum, ab eis igne incensum, vel ab indigenis derelictum. Contra vero, in his locis Hungariæ, per quos Cæsariani transierunt, vel integros pagos, atq; oppida direpta, flammisq; absumpta, omniaq; in mira quadam solitudine sibi esse conspecta, idq; ob militarem nostrorum sæuitiam. Et sanè plurimos eorum, qui ad hoc bellum profecti sunt, palam dicere non puduit, se duntaxat illuc venisse, vt iniurias sibi illatas ab hominibus illius gentis, tempore belli Germanici, vlciscerentur. Idem prętereà narrauit, se quacunq; iter faceret, nusquam vllius rei frumentariæ penuriam vidisse, nec non in graues pœnas, ac etiam in manifestum capitis periculum incurrisse, quicunque aliquid emisset, deinde venditorem prętio, de quo inter vtrumq; conuenerat, defraudasse.

Hæc in præsentia recensere volui, vt omnibus constet, quidnam inter nostram, & Turcicã rei bellicę disciplinam intersit, ac etiam vt Christiani Principes non temere tantum hostem ad arma prouocent, & si prius ab eo lacessiti fuerint, (quod sane, vt plurimum fieri videmus) ipsi, omni odio, & simultate deposita, seipsos tandem, suasq; vires ad eam societatem, & fœdus adiungant, quorũ fœlici auspicio factum est, vt Selyma classis, quæ nos antea sic atrociter vexarat, postremo suæ impietatis graues pœnas persoluerit, adeo, vt iam de ipsa nihil ferme aliud, præter nomen, remansisse videatur. Nonnulli censent, haud magno detrimento Christianam Rempublicam hoc postremo bello affectam esse. Cæterum peritiores multo aliter iudicant. Nec enim dubium est, quin prorsus id longe grauissimum extiterit. Nam prætęr interitum tot veteranorum militum, centurionum, & virorum illustrium, qui præclaram, atq; mirificam in variis certaminibus operam Cęsari nauarant, præter amissionem Sigethi, ac Iulæ, quæ arces maximi omnino momenti extiterant, & veluti duo munitissima propugnacula, vnde Turcis transitus in Noricum, Germaniam, aliasq; prouincias Europæ impediebatur, illorum ditio in Pannonia ferme ad cẽtum & septuaginta millia passuum propagata est, eisq; modo vsq; ad vrbem Sempronium, (Oedemburgum vocant) & inde vsq; ad Posonii mænia liber aditus patet. Omitto nunc ædificia, pagos, atq; oppida, igne incensa, & solo æquata. Prætereo innumeros vtriusq; sexus mortales, partim ferro, variisq; suppliciorũ generibus interemptos, partim etiam in horribilem, & deplorandam seruitutem abductos. Quod ad Sigethum attinet, hæc vox Insulam Hungaris: at Germanis victoriam significat, & reuera cum loco isto stetit, ac cecidit victoria earum reliquiarum, quæ adhuc miseræ Pannoniæ supererant. In ipso quidem oppido, certum est, maximam fuisse rerum omnium copiam, quæ ad diutinam oppugnationẽ requirebantur. Adhęc, ibi erant innumera cuiusuis generis tormenta, & murales machinæ, quibus hostes à mænib. arceri possent. Cæterum, hæc omnia in vrbibus, & munitionibus tuendis, parum, & nihil potius efficient, si propugnatore destituantur. Supra recensuimus, militare præsidium, quod Sigethi collocabatur, duobus duntaxat millibus virorum, vel paulo amplius, constasse. At certe multo maiori præsidio indigebat, eaq; de re oppidi pręfectus, & qui summæ rei præerant, & ipsum quoq; Cæsarem,

persæpe admonuit: At sinistro fato euenit vt auxilia differrentur. Hisane, qui aderant bellatores, fuerunt maxime strenui, & honorem, sicuti eorum dux inclytus, & omni æuo celebrandus, vita longe potiorem iudicantes, inuicto animi robore dimicarunt, fideique ac virtutis constantiam vsque ad supremum vitæ exitum, cum summa nominis laude retinuerunt. At quia milites ibi deerant, qui lassis & laborantibus, integri ac recentes succurrerent, quique in occisorum, aut eorum, qui vulnerabantur, locum succederent, hostium numero, & multitudine deuicti sunt, ideoque tandem oppidum vna cum eorum cæde amissum. Hic ergo cuiuis manifestum est, frustra erigi arces, & propugnacula, nisi ea prius optimo, & validissimo præsidio muniantur.

Quamuis autem singula his opus habeant, ea tamen inprimis communiri oportet, quæ in limitibus posita, hostilibus insidiis magis obnoxia videntur. His enim, nisi opportune consulatur, persæpe vel integrum regnum, licet maxime floreat, in summum discrimen adducetur. Huius quidem rei plurima omnino exempla sunt, quibus id confirmari posset. Verum, Gallorum clades, illata per Hispanum ad Samatobrinam (hodie Sanquintinum) Quarto Idus Augusti, & Anno M. D. LVII. satis pro exemplo sufficiat. Nec enim aliunde initium habuit, nisi quia is locus ad totius Gallici regni inuasionem ex parte belgica mirifice opportunus, commeatu, ac reliquis præsidiis carebat, & propterea dum ei difficultati obuiam itum est, illico ab hoste circumuenti sunt, & insigni, ac memorabili strage affecti. Hoc sane si antea mature ab eis cogitatum esset, nunquam profecto in eam calamitatem incidissent. Prudenter itaque ab his agitur, qui, pacis tempore, de bello, & belli tempore, de pace, (si ea honestis conditionibus haberi queat) prouide, ac sedulo meditantur, quodque olim Scipio, exercitus Imperatori, turpe, ac ignominiosum censuit, vt diceret: NON PVTARAM: idem quoque sibi maxime indecorum existiment. Nam, etsi omnis error per se grauis est, qui tamen in bello committitur, longe grauissimus censendus, cum is nulla ratione à mortalibus corrigi ac emendari possit.

FINIS BELLI Pannonici.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA SIGETHI, TOTIVS SCLAVONIAE fortissimi propugnaculi, quod à Solymanno Turcarum Imperatore, Anno M. D. LXVI. captum, Christianisq; ereptum est, ex Croatico sermone in Latinum conuersa, per

M. SAMVELEM BVDINAM, Labacensem.

QVo animi ardore & qua sæuitia immanissimus Turca, in miseros Christianos debacchetur · & quam insatiabili non solum furore, regnandiq; cupiditate, sed etiam vatiniano & immortali odio motus ipsos affligat opprimatq;: ex magnitudine rerū ab ipso gestarū, neminem esse credo, qui non intelligat. Huius rei documentū esse potest, Arcis Sigeth, & arte & natura loci munitissimę (vndequaq; enim paludibus circumdata, & veluti immersa in finib. Sclauoniæ sita est) expugnatio: quā non ita pridem ipse Turcarum Imperator Solymannus ingenti cum exercitu obsessam & grauiter afflictam, non tamen sine magno suorum clade, cepit, suamq; in potestatem redegit, quemadmodum ex præsenti historia videre est.

Anno post Christum natum 1566. Comes Nicolaus Serinus, nobili & illustri loco natus, de his ex speculatore quodam certior factus, qui ad eum 15. Iunii venit, ipsiq; omnium primo bona fide retulit, quomodo Turcici Imperatoris exercitum, qui se ad duo milliaria in longitudinem extendat, prope Saraieuum viderit, quem ipsemet quoq; à longinquo insecutus sit. Famam vero spargi, ipsum ad Sigeth vel Egar inuadendum profectionem hanc & expeditionem suscepisse: ad eamq; rem se iam pontem apud Petram Vradinensem Danubio iungi curasse. Non multo post, alius quidam speculator ex Quinqueecclesiarum vrbe venit, literas ab alio quodam exploratore adferēs, in quibus perscribitur, Imperatorem reuera cum copiis egredi: Ignorare autem, quo, vel ad cuius arcis oppugnationem. Hunc è vestigio tertius speculator ab Esseko, quod est ad Drauum flumen oppidum, subsecutus narrat: aduenisse iam eo belli quendam Præfectum, quem Vegum nominant, qui præmissus est veluti Prodromus, vt Drauum nauigiis traiiciat: cum eo quoq; totam Bosnam Carambeium, hoc est eius loci præsidem & belli ducem appulisse, atque in Sclauoniæ regione ex alia parte Draui infra Moslauiam consedisse. Quo vero tendere velint, id se ignorare affirmat. Postea quartus etiam explorator accessit, indicans, se prope Essekum fuisse, ibique multa nauigia supra ad portum, qui Ottonus appellatur, aduerso Drauo transuehi Siclouschum versus vidisse. Eo etiam in loco audiuisse Vegum, qui ex Imperatoris exercitu præmissus est, eius esse animi, vt Drauum nauibus superare, apudque Siclouschum conquiescere cogitet. Ibi etiam maiores ipsum copias præstolaturum se certo scire asseuerat. Quo porro sese recipere velit, omnes latere. Tandem alius speculator ex Turcarum castris advenit, pro certo affirmans: exercitum apud Otouum conscensis nauibus Drauum transire, eosque Turcas, qui transuecti sunt è vestigio Budam contendere apudque Siclouschum pernoctare.

His itaq; strenuus & celebris Comes Serinus 17. die Iunii cognitis, & quod Turcæ absq; vlla interposita mora sese vltra Drauum recipiant, atq; foris sub arce Sicloucho passim in agris nocturno tempore contineant, ibique requiescant: consilium init, & mille pedites cum quingentis equitibus vt fortunam

experiantur, ablegat. Quibus tamen antea Dominum Casparum Alapianum, Nicolaum Cobacum, Petrum Bathschatitzia, Vuolffgangum Praprutouitschium, vna cum peditum ductoribus seu præfectis, quos Vayuodas vocant, præmisit, mandans, vt fortunæ aleam tendent: Et si quos Turcos inuenerint, prælio decernant manusque conserant. Si vero eos deprehendere nequeant, vt tunc ciuitatem Sicloúschum expugnatione inuadant aut incendāt, omniaque diripiant, præcipit. Cumque nostri iam Sicloúscho appropinquassent: præmittunt ad arcem ducentos pedites & equites centum, his saltem, si Turcæ fortassis sub pratis & planitie de equis descendissent, vt reliquis quamprimum significarent, omniaque circumspicerent, & ad suos deferrent, iniunctum fuit. Et posteaquam infra Sicloúschum ventum est, recta ad Turcarum castra feruntur: vbi Mechmetbegus vel præfectus belli ex Theari consedit, quem Imperator non multo ante ex aula sua asciuit, ipsiq; Theari Sansakh, id est pomum aureum, quod vexillo apponi, & ab Imperatore Turcico, belli ducibus, tanquam signum beneuolentiæ & summæ in milites potestatis dari solet, prope Byzantium contribuit: vtque exercitum tāquam Prodromus præcederet, Drauumq; traiiceret, & in Quinqueccleſiarum tractu immotus consisteret, mandauit: Vbi omnes copiæ congregari, Drauum superare possent: Præterea, ne alio inde se transferret, donec ea de re Cæsaris mandatum acceperit, sedulo præceptum fuit. Rebus ita constitutis, impetum nostri in ipsos faciunt, summoque mane cædunt & disiiciunt, magnumque Turcarum numerum interficiunt, quorum multi in ipsis paludibus, & loco salebroso arbustisque consito, nudi propemodum & interulis solum cooperti, fuga salutem sibi quæsiuere. Præfectus etiam belli, quem Vegum illi vocant, grauiter vulneratus & fuga dilapsus, in eo lacu seu limoso agro periit. Ipsius porro filius, & cum eo tres Turcæ, viuus in potestatem & manus nostrorum peruenit. Auri deinde & argenti copiam, tentoria & equos nostri vna cum opimis spoliis consecuti, incolumes lætique arcem Sigeth maximo cum lucro repetebant: Turcicis insuper rebus præstantissimis & pecunia octo Camelos, sexaginta equos, & quinquaginta mulos, clitellarios vna onustos adduxerunt: atque sex plaustra omnis generis spoliis, quæ à Turcis adepti sunt, impleuerunt. Nobiles etiam Sigethani ostro & auro contextis vestibus, & tunicis martyrum pellibus suffultis indutis, summoque animi gaudio Sigethum reuertebantur. Eripuerunt præterea hostibus duo rubei coloris ingentia, quæ secum attulerāt, signa: in quorum extremitate seu cacumine, loco ferri, cuspis in pertica ex puro argento, latitudine vnius manus & deaurata, affixa fuit. In ipsa quoque hasta, cui vexillum apponi solet, equino colore tincta, vna cū argenteo globo seu sphæra, pomi instar, quod Schansak nominât, dependit. Simile certe victoriam & spolia eiusmodi, longo iam tēpore, nostri de hostibus vix reportarunt.

Secunda die Iulii, ipse Mustafa Bosnensis Bassa, Bassa Sokolouitschius, vnà cum tota Bosna, & Bassa Carambeio, Drauum Ottouum versus traiecit, & apud Sicloúschum infra Hardanaium consedit. Septima die Iulii aduolat Explorator ex Belgrado seu Alba græca, Turcarumq; castris perhibens: Cæsarem eo venisse, & naues aduerso Drauo recta sursum duci, in eoq; loco ipsum prope Sicloúschum, pontem naualem, seu ex schaphis & lintribus cōfectum, Drauo superinsternere, atq; ad expugnandum Sigeth proficisci cogitare: curare quoque pontem illum, quem Danubio iunxerat, rumpere atq; disiicere. Deniq; ex Quinqueccleſiarum vrbe aliæ mittuntur literæ, quibus ab ipso Nasuf Aga, id est, Capitaneo, qui paucis quibusdam militibus præest, Comiti Serino perscribitur. Iam belli quondam inspectorem, seu qui militē cogit, & ducis ipsius copiarum vices aliquando gerit, Tschausch ipsi vocant, eo aduenisse, ipsique Hamsam Vuego ab Imperatore mandatū attulisse, vt se quamprimum ad Drauum recipiat, ibique pontem instruat: Quod nisi fecerit, curaturum se, vt ante ipsius ædes palo affigatur: Iniunxisse etiam, vt per pagos & passim palus sanguine aspersus circumferatur. Sic itaq; ille non procul ab Ottouo

nouo pontem fabricare cœpit, quem quidem iam satis longe & cōmode construxerat. Sed aqua cum impetu magnaq; vi nocturno tempore superueniens, omnia disrupit & abstulit: neq; in eo loco eum vlla penitus ratione figere poterat. Hinc ergo longius & infra Drauum alio progressus, opus rursum prosequitur, quicquid autem bidui spacio parauerat, id omne aqua vna nocte disiecit. Quo ex loco in tertium vlterius prope ad Esseků profectus, periculum de ponte fabricādo fecit, Sed illic omnem lusit operam, nec propter aquarum vim efficere quicquam potuit. Hac igitur de causa Tschauschum ad Imperatorem ablegat, exponens quomodo inundatione & multitudine aquarum impeditus pontem Drauo superinsternere nequeat, se quidem nec conquieuisse hactenus, nec vlli labori ea in re pepercisse. Imperator hoc Hamsam Vuegi nuntio cognito. Tschauschum ipsi cum linteo seu mantili Turcico, in cuius extremitate aureis literis scriptum erat:

SVLTAN SOLYMAN REMITTIT, PERQVE IPSVM EDICIT, VT PONTEM QVOCVNQVE IN LOCO, ET QVACVNQVE RATIONE POSSIT, CONFESTIM SVPRA DRAVVM IVNGAT, QVI NISI AD IPSIVS VSQVE ADVENTVM EXTRVCTVS, IPSVM EX VNA PARTE PONTIS IN RIPA, ILLO IPSO LINTEO STRANGVLATVM ATQVE SVSPENSVM IRI.

Hoc vbi Hamsam Vuegus percepit: celerrime ea ipsa hora ad Drauum denuo infra Esseckum contendit, atq; omnia nauigia, ad eamque rem opportuna ligna deduci curauit. Et mox infra Esseckum opus strenue inchoatur, quod vt eo commodius absolueret, omnes vectigales rusticos, qui Turcæ tributum pendunt, seu, qui se ipsi sua sponte subdiderunt, & reliquos omnes, nemine excepto, imo ipsos nobiles, & qui munus & officium aliquod sustinent (Spachias vocant) ad laborem cogit atq; compellit. Hamsam Vuegus etiam ipse nullam omnino nectebat moram, nec interdiu, nec noctu conquieuerat vnquam, donec effecto ponte Drauus constratus fuerit, quem per prata, paludes & stagna in longitudinem vnius milliaris deduxit, idq; omne decem dierum spacio effecit. Linteum porro, quod Hamsam Vuegus ab Imperatore missum acceperat, Nasuf Aga seu Capitaneus, qui Hamsam Vuegi, dum aberat, Quinqueecclesiis locum sustinuit, clam Domino Comiti Serino Sigethum transportari curauerat.

Vicesima die Iulii, Bosnensis & Carambeius Bassa, Siclouscho castra mouent, & Quinqueecclesias perueniunt, Inde Budensi Bassæ in subsidium profecti, Albam regalem veniunt. Hos postea Hamsambegus stipatus, omnibus Spachiis seu Nobilibus comitatur, & Quinqueecclesiis summo cum incolarũ, propter ipsius abitum, mœrore discedit. Eadem die Anatoliæ Vueglierbegus, id est, supremus in Oriente belli dux, primus omnium Draui pontem transit, quem dein Akai Bassa, hoc est, alius quidam militiæ præfectus, & Vrumelibeglerbegus, id est, summus belli Imperator, earumq; regionum præses, quæ vltra mare Ægeum ad nos spectāt, insequuntur: inq; planitiem seu agrum Muhatsch considunt, ibiq; Turcico Imperatori tentoria figunt. Posthæc ipsemet Cæsar Sultanus Solymãnus superato Drauo illuc peruenit, eoq; in loco castra metatus, consilium de re aggrediunda capit, & aliquot ibi diebus, donec exercitus omnino transiret, læto animo commoratus est.

Prima Augusti die, Turcarum Imperator ex agro Muhatsch se commouit, & ad Sigethum contendit. Tertia autem die non procul infra Sicloùschũ appulit. Ibi Oroslanum Budæ Bassam capite plectit. Quarta porro die Quinqueecclesias, & quinta ad D. Laurentium, non procul à Sigetho, peruenit, ibiq; sua castra posuit.

Sub id fere tempus, Dominus Nicolaus Comes Serinus, inter Nobiles, Equites, & pedites reliquosq; milites & strenuos viros, vt omnia ordine fiant, dispicit & procurat. Cumq; iam re vera certior esset factus, Turcicũ Imperatorem conari Sigethum obsidione cingere, vidissetq; ingẽtes illius copias appropinquare, in arcem interiorem Capitaneos, copiarum pedestrium ductores,

seu Vayuodas, Nobiles, Equites & pedites, vna cum vrbis ciuibus cæterisque omnibus, qui tunc temporis in arce & ciuitate Sigetho fuerant, ad se cōuocat, ipsisq; exeuntibus, vrbis portas occludere iubet: qui, vbi omnes in interiorem arcem conuenissent, ipsemet Dominus Nicolaus Serinus, medius inter ipsos in platea minoris arcis constitit, omnesq; hac propemodum ratione allocutus est: Mei fratres, qui sub Cæs. Maiestatis stipendia meretis, viri strenui, militesq; fortissimi: Iam certo videmus singuli, Turcarum Imperatorem ceruicib. nostris imminere: Quapropter ipsa necessitas exigit, vt nos paremus, & intrepido animo nostrum totiusq; Christiani orbis, nominisq; hostem præstolemur: qui insolenti animo & temerario ausu, suis viribus, incredulorumq; hominum multitudini fidens, in nos arma sumpsit. Nos autem spem & auxiliū nostrum in Deo collocamus, qui nos nullo negotio defendere, ipsos vero ratione facillima pessundare atq; reprimere potest. Alacriter ergo ipsius aduentus à nobis est expectandus, nec deterrere nos debent vires aut ingentes ipsius copiæ. Nihil enim dubitamus, Deū Opt. Max. si precibus veris ipsum inuocauerimus, opem nobis subministraturum atq; clementer affuturum. Danda autē inprimis est opera, vt vnanimes & fideles existamus, ne vlla inter nos simultas vigeat, ne inimicitiæ aut odia alantur, ne alius cōtra alium insurgat, sed omni studio enitendum, vt potius apud nos omnes, honestas locū habeat, & hic summa cum concordia & beneuolentia degamus, quam diu diuinæ id visum fuerit voluntati. Hac itaq; de causa, mei fratres, nō abs re, sed summe necessarium esse arbitror, vt inprimis & ante omnia iureiurando nos deuincimus. Et initio Deo fidem demus, supremo etiam Magistratui nostro, & huic afflictæ Prouinciæ constantiam & integritatem sancte promittamus. Primo ego iurabo, idem vos post me facturi, ne ego vobis, aut vos mihi, vllum diffidentiæ locum reliquisse videamini. Iuramentum ergo nunc meum auditote: Ego Nicolaus Comes Serinus promitto Deo Opt. Max. inprimis, dein Cæs. Mai. Domino & Magistratui nostro summo, & huic miseræ Prouinciæ, postmodum etiam vobis militibus & strenuis viris, iam hic congregatis, Ita me Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Sancta Trinitas & Vnicus Deus, me vos nullo vnquam tempore deserturum, imo vobiscum victurum & moriturū, & omnia simul, quæcunque inciderint, seu bona seu mala passurum. Iam etiam ipsa ratio exigit: vt vos idem præstetis erectisq; duobus digitis Deo interposito teste promittatis. Post vnusquisq; vestrûm suo Capitaneo in ipsa porta suam iuramento fidem dabit. Quare, vt ex vobis quilibet hæc, præeunte scriba, clara voce, eleuatisq; duobus digitis dicat, sedulo inspiciemus: atq; in eum, qui forte ista facere aut effari recusabit, grauissime animaduertemus. Is enim nobiscum ad extremum vsq; perseuerare minime cogitat, nec veri hominis, sed proditoris nomine merito censendus est. Quem etiam hac de causa è vestigio comprehendi iubebimus. Esto itaq; vestrum iuramentum hoc. Nos omnes Ciues, Equites & pedites, militesq; stipendiarii Cæs. Mai. iuramus primum Deo Opt. Max. posthac Christiano nostro Magistratui, huicq; Prouinciæ, & Domino nostro Nicolao Serino Comiti, sancteq; affirmamus: nos, vt fideles & morigeros decet, obedientiam omnem præstaturos: cum ipso etiam nos victuros, morteq; oppetituros, constanter pollicemur. Audite preterea, quid vos scire velim, si fortasse interea temporis mors ingrueret, meq; è medio tolleret, meo loco vobis hūc familiarem meum Dominum Casparum Alapianum constituo, vobisq; impero, vt ipsi pareatis, summumq; honorem tanquā mihi ipsi exhibeatis, & si quæ vobis mandata dederit, ea diligenter optimaq; fide exequamini. Animaduertite porro in ista capita, si quis equitum aut peditū, Capitaneo suo aut Tribuno obedientiam recusauerit, aut imperium quacunq; tandē ratione detrectauerit, ipsumq; vi aut stricto gladio adoriri conabitur, interficitor. Deinde si Epistolam quis Turcicam acceperit aut legerit, statim occiditor. Qui aūt literas per sagittam immissas, aut alio in loco depositas inuenerit: vt Capitaneo suo confestim eas exhibeat, hic porro vt igni tradat, serio edico. Et quoniam statio-

Rationes seu loca per Capitaneos, Vayuodas, & Tribunos quib. quisq; manere excubiasq; agere debeat distribuentur, forte aliquis nobilium aut etiam reliquorum, quicunq; is fuerit, deprehendetur, qui absq; venia & scitu Capitanei sui, Vayuodæ, Tribuni vel Decurionis, loco suo discesserit, absensq; fuerit, is sine vllo habito iudicio repente strangulator. Qui vxorem seu matrem habet, huic cibus & potus reliquaq; necessaria, in locum suum ab ipsis transferri & præberi poterit, ipse autem in statione sua immotus maneat. Illi porro cui nec mater, nec vxor est, cib. in mea culina præparabitur: quem ille, vt per Tribunum suum accipiat, commodis & certis horis curabitur. Vini quoq; iis qui non habent, cuilibet in singulos dies sextarius seu mensuræ quarta pars, cum pane, aceto, & sale dabitur. Istis vero qui vxorati sunt, & tamen panib. carent, suillam carnem atq; farinam, vt sibi panes ipsimet cõficiant, suppeditabimus. Deniq; si duo occulta quędam cõsilia tractare & mussitare inter se deprehensi fuerint, ambo recta suspenduntor. Et si talia quis forte vel audierit vel viderit, nec familiaritatis causa indicare ea voluerit, absq; mora eodem supplicii genere cum ipsis mulctator. Postremo qui alteri vel terunciũ furto abstulerit, subito strangulator. Hanc itaq; ob rem maiorisq; obseruãtiæ & timoris gratia Dominus Comes Serinus, crucem in Sigethi arce maiori, prope portas, poni iussit. Dein militem quendam pedestrem, eo quod gladium in Vayuodam strinxerit, eq; vagina eduxerit, in platea magnæ ciuitatis capite mulctauit. Eo quoque in loco Comes Serinus Mahmet Agã, seu Capitaneum propter insignem eius perfidiam & enormia flagitia, quæ in via Sigethum iter faciens perpetrauerat, pœna capitis affecit. Idq; maioris reuerentiæ & timoris causa ab ipso factum esse, censendum est. His peractis, Comes Serinus omnib. nobilibus, militibusque pedestribus, degentibus in maiori oppido, imperauit, vt suas ædes demoliantur & diruant, paleamq; exportẽt, comburantq;: In noua autem vrbe habitantibus, vt stramen tectis eximant, inq; domos transferant. quo ciuitas, quę lignis saltem & sepibus cincta fuerat, eo melius cõflagrare posset, mandat. Posteaquã Comes Serinus, hac ratione omnes authorasset, militiæq; Sacramento obligasset: illic toto cum exercitu & militibus mansit, quorum, qui armis gestandis tractandisq; idonei erant, in vniuersum duo millia, trecenti & alii quidam plures, mulieribus tamen liberisq; exceptis, numerabantur.

Tricesima prima Iulii die, ipse Vrumelibeglerbegus & Akanski Bassa, nonaginta millibus Turcarum adueniunt, & prope D. Laurentium vno milliari à Sigetho considunt: Eo se quoq; ex castris cẽtena Turcarum millia cõferunt, & è vestigio ea ipsa adhuc luce cum nostris ab exortu diei vsque ad meridiem intra septa, velitario certamine dimicant, rursumq; in castra sub noctem quietis causa reuertuntur.

Prima die Augusti, Weglerbegus & Akansii Bassa iunctis illis nonaginta millibus Turcarum, totoq; exercitu inde soluunt, seque apud Simelehouum quarta parte vnius milliaris ab arce in quodam colle seu monte, non procul à Sigethi vineis distante demittunt, ipsoq; diluculo ad septa cum nostris dimicatum veniunt: Cumq; acriter à meridie ad vesperam vsq; pugnassent, ex Turcis plurimi tormentis manuariis interfecti desiderabantur. Hunc ergo in modum singulis diebus ter Turcæ appropinquabant, donec eo ipse quoque Imperator aduenerit.

Quinta die Augusti, Vveglerbegus & Akanski Bassa vna cum exercitu de colle illo, quem Cæsari delegerant, vacuumq; pro eo reliquerant, secedunt, & sua circa arcem castra locant. Eo ipso die Lunæ, in colle, ex quo se Vveglerbegus & Akanski Bassa Simelehouum versus receperant, Cæsaris tentoria seu papiliones figuntur. Sequenti die Martis, qui fuit sexta Augusti, Cæsar ipse omnibus copiis & tota manu comitatus, subsequitur, ipsumq; collem qui Sigethanis vineis adiacet, occupat, ibiq; cum statiua collocasset, suaq; castra metatus esset, quiescit. Reliquus autem exercitus & milites, arci ita denso agmine imminebant, eamq; circumsedebant, vt tẽtoria se mutuo attingerẽt, nec quis-

Digitized by Google

quam arcem ingrediens, propter immensam hostium multitudinem conspici poterat. Eadem quoq; die in omnibus septis & mœnibus vsq; ad noctem grauiter dimicatum est: Soleq; occidente, Imperator omnes machinas bellicas & bombardas, quas secum aduexerat, displodit atq; emittit: Ianitschari etiam, id est σωματοφύλακες Turcici Cæsaris, quorum ipse, vt sibi præsto semper sint, aliquot millia in aula sua alit, genus hominum bellicosum atq; sagittandi peritissimum, sua tormenta manuaria eiaculantur: Vnde talis strepitus & fragor exaudiebatur, vt tonitrua quis cœlo descendere arbitraretur. Post hæc magna voce ingenti clamore in omnibus Turcarum castris cœptum est ter Halla, id est, DEVS, acclamari, idq; in significationem prosperi ad Sigethum Cæsaris aduentus. Christiani è contra in arce Sigeth nomen IESVS exclamabant.

Septima Augusti die, Turcæ ex planitie, & agris, Gerras, seu Cophinos virgultis contextos, terraq; impletos, ad nouam vrbem præmittūt, aggerem deinde iaciunt, & vallo fossisq; se muniunt, quibus mox tormenta, & bombardas superinducunt occultantq;: Et nostros qui se intra septa iuxta portam nouæ ciuitatis extructa continebant assidue petunt. Eo tamen die, ipsi propter crebra nostrorum tormentorum fulmina efficere nihil poterant. Ibi etiam Ianitschari, cum prius ad septa seu terminos accessissent, acriter cum nostris dimicant. Atq; ex nostris vnus saltem, illorum autem multi in eo conflictu perierunt. Hac ipsa die Comes Serino omnia septa, hortos & arbores comburi atq; amputari, & vtriusq; ciuitatis portas, quæ dein terra repletæ atq; munitæ sunt, secari iusserat. Vespere itaq; eius diei, Iouisq; mane & sero Turcæ aggerem iacere pergunt, Ianitschari se fossis ingerunt, & terra, vt ab iniuria bombardarum tuti esse possint, cooperiunt atq; occultant.

Octaua Augusti die Iouis, Turcæ summo mane nouam ciuitatem tribus in locis petere atq; cōcutere incipiunt. Ianitschari etiam suis scloppetis rem tentant, & in vtramque vrbem sine intermissione iaculantur. Post hæc ipse Aliportuk aggerem iacere munitionemq; nocturno tempore infra arcē interiorem prope regium hortum, recte in ipsa palude seu fossa arcis moliri, eoq; maiora tormenta statuere pergit.

Nona Augusti die Veneris, ipse diluculo idem Aliportuk, qui Imperatoris terra mariq; bellicarum machinarum & munitionum Præfectus fuit, quinque maioribus tormentis, & aliquot bombardis fulminat, arcemque Sigethi interiorem petit, tantumq; ea die assiduis tormentorum ictibus profecit, vt iam in ea Turrim & æreas campanas concusserit atq; fregerit. Incepit summo mane machinas displodere, nec ad vesperam vsq; conquieuit. Et licet aliquantulum destitit tamē paulo post iterum perrexit, perq; totam noctem sine intermissione detonuit. Hæc vbi Comes Serinus eadem die Veneris sero vidisset, plurimosq; ex suis interire tormētis cognouisset: nouam vrbem sub ipso crepusculo incendere, eamque penitus igne delere, veterem porro seu maiorem ciuitatem occludere iussit.

Decima Augusti qui fuit dies Saturni, Turcæ vetus maiusue oppidum, tribus ex locis maioribus tormentis petunt: Ianitschari vero aggerem iaciunt, & vallo terraq; effossa se munientes propius ad id accedunt. Machinas quoq; in nouam ciuitatem, quæ incendio conflagrauit, deduci curant: Quibus deinde eo ex loco veterem vrbem verberare atq; concutere pergunt. Eadem die Turcæ & ipsius Aliportuk aggere, lignis, ruderibus & terra cratem seu pontē, quo per palustria loca eo commodius transitum consequi possent, conficiunt. Ad hæc ipsi trabes & ligna præferebant, quibus tecti, viam strauerunt, & de die in diem semper propius ad arcem accesserunt: Omnes autem Turcæ in hoc, vt quam citissime cratem illam seu pontem, per loca paludibus referta, construerent, incumbebant, nec eorum vllus labore seu onere illo subleuatus erat, imo cuncti ad gestāda ligna & arbusta compellebantur, operiq; perficiendo occupabantur. Cameli quoq;, equi clitellarii, & muli, nullo vnquam tempore quiescebant, sylua porro & agri omnes, Turcis, equis, camelis, & brutis animalibus

plena

pleni refertiq; conspiciebantur. Erant itaq; ex duabus partib. Crates à ciuitate arcem versus confectæ, in quibus vtrisq; magna lignorum copia deposita erat, cumq; pontes ruderibus & terra fabricatos strauissent, eosq; prope mœnia deduxissent: castella quædam & lanitium tanquam munimen aliquod seu ἐπιτειχισμα ex saccis vellere, & succidia constipatis imponunt, quo Ianitschari tecti opertiq; stabant, atq; inde arcis mœnia ita petebant, vt in iis propter assiduos tormentorum ictus, nemo inposterum ex nostris permanere potuerit.

Decima nona Augusti, die Lunæ, qui D. Bartholomæum præcedit, Turcæ magnam ciuitatem cœperunt, suamq; in potestatem redegerunt. Ibi multi ex nostris fortes viri, qui intro in arcem affugêre, æque hostium manibus euadere nequiuerunt, desiderabantur. Turcæ enim ipsos vsq; ad pontem arcis præcurrebant, atq; vt introitum prohiberent, summa ipsos velocitate anteuertebant. Quapropter qui mature se in arcem recipere non potuerũt foris omnes trucidati sunt. Inter quos erat Martinus Bosniack, Petrus Botosch peditum ductor seu Vayuoda, aliiq; complures strenui, & longo rerum usu industrii milites. In ponte etiam decrepitus ille Laurentius, Petrus Batha, Blasius Diak, Georgius Mathiasch, omnes Vayuodæ, vel copiarum pedestrium ductores, misere interfecti perierunt. Ibi quoq; Mathias Sektschudi Vayuoda, globo percussus, postea ad frugem peruenire vel sanitatem recuperare potuit nunquam. Finierunt insuper in expugnatione vrbis vitam Rodouan & Frãciscus Dando Vayuodæ, aliiq; magni nominis milites non pauci, quos omnes hic scripto comprehendere & recensere non fuit integrum. Posteaquam ciuitas ingẽti clade & summa cum iactura amissa est: Multi enim veteres Vayuodæ & optimi peritissimique milites in ea interiere, maximo mœrore & tristitia affecti, cæteri omnes in arcem sese contulerunt, in eamq; cum Comite Serino seipsos incluserunt. Turcæ vero vrbem fortissimo præsidio tenebant, iamque in ea morabantur.

Vicesima die Augusti, hostes quatuor in locis fulmina maioribus tormentis arci immittunt, ad eamq; binas vias ruderibus arbustis & terra præparant. Paludes enim & fossæ tunc aquis destitutæ atq; exsiccatæ erant, nec vlla penitus aqua in iis præter limum & lutum continebatur.

Vicesima sexta Augusti die Lunę post D. Bartholomæum, Turcæ per Crates ex aggere ipsius Aliportuk primum impetum in arcem interiorem faciũt, expugnationemq; tentant: in qua plurimi Turcę periere, nostri autem duo signa ab ipsis consecuti, intro in arcem abstulerunt, & vna Miserskium Bassam bombardæ ictu interfecere. Ex eo loco Turcæ summo cum dedecore & ignominia abire atq; secedere coacti sunt, quorũ ingens numerus passim sub ipsis mœnibus & muris, cum plurimis palis quibus ad direptionem arcis instructi venerant, cęsus iacuit.

In hunc ergo modum, Turcæ post diem Lunæ singulis diebus, magis magisq; tribus in locis ex Haserdia & duobus propugnaculis seu monimentis, vno prope portas existente alteri monti contiguo, interiorem arcem oppugnant & affligunt.

Secunda die Septemb. Ianitschari incursione facta in arcem irruere cogitabant, sed mutarunt consilium, & nocturno tempore magnum propugnaculum, quod monti conterminum erat, suffodere cœperunt, cũq; per tres totos dies strenue laborarent, tantum inde terrestris materiæ & ruderum extraxerunt, vt Ianitscharus eo in loco pertransire, & ad interiorem sepem, vbi quendam ex nostris in ipso propugnaculo bombarda traiecit, penetrare, nostrosq; sub terra contingere potuit. Eo postea magnam exsiccatorum lignorum copiam, asseres, paleam & puluerem nitratum comportarunt.

Quinta autem Septemb. die Iouis, qui D. Mariæ Virginis festum pręcedit, Turcæ magnum propugnaculum seu munimen maioris arcis summo diluculo incendunt, quod & per se vehementer arderet, impulsu tamen & flatu Augusti, ignis magis magisque crescebat inque arcem vsque deferebatur.

Digitized by Google

Posthæc etiam trabes & ligna, quæ illuc ad reparandos in propugnaculis circuitus & ruinas deposita erant, & incendio absumuntur, ex quo deinceps Domini stabula cæteraq; in maiori arce ædificia conflagrare cœperunt. In eo propugnaculo atq; incendio, omnia Cæsaris magna tormenta ita disposita erant, vt absq; respiratione iis quatuor ex locis detonarent. Adhæc Ianitschari suis tormentis manuariis seu scloppetis arcem petunt, & crebris densisq; ictibus instar pluuiæ in arcem globos displodunt, atq; propugnaculum quod portæ contiguum & vicinum erat, grauiter oppugnant. In eo vero propugnaculo quod Nadaschgoui appellabatur, irruptionem Turcæ faciunt, maximoq; impetu in arcem feruntur. In ista propugnaculi defensione Comes ipse Serinus præsens aderat, & acriter cū Turcis decertauerat, ita, vt hostiles impetus fortissime propulsaret, eosq; bis arce expelleret atq; eiiceret. Hoc in conflictu & certamine Ioānes Nauakouitsch occubuit. Cum ergo Comes Serinus ignem maximas vires sumere, & iam prope ad puluerem nitratum (cuius ingens copia in magna exteriori arce iuxta portas minoris arcis erat) procedere cōspexisset, & quod propter ignis vehementiam Turcarumq; immensas copias, iam vndiquaq; irruentes in maiori arce longius morari non posset, se vna cum reliquis qui supererant militibus, quiq; elabi & aufugere inde poterāt, in arcem interiorem contulit atq; recepit, eiusq; portas bonus ille Comes in tantas redactus angustias, claudere iussit. Foris autem complures egregii milites trucidati sunt, mulieres & infantes multi, de quib. inter ipsos Turcas maxima contentio & lis extitit, in Turcarum castra captiui abducebantur. Postea Comes Capitaneis & peditum præfectis seu ductoribus, quos Vaiuodas, vt loca quo quisq; stare, & excubias agere debeat, distribuant, præcipit. Mœnia namque exterioris arcis, interiorē etiam cum suo muro complectebantur: hicq; continuus quasi & ab ipsis contentus conspiciebatur. Ita vt aliquis ex maiori arce in interiorē nullo negotio & absq; anfractu progredi potuerit. Interior quippe arx, tantummodo in vna parte seu angulo magnæ arcis posita, nullum propter exteriorem seu magnam arcem, munimen vel propugnaculum habebat, nec aliud quidpiam, exceptis vno aut altero conclaui, quod ipse Dominus Comes inhabitabat, & domibus aliquot, in quibus puluis nitratus, omnisq; generis bombardæ depositæ seruabantur. Cætera ædificia in quibus commeatus & saliginis farina, auena, hordeum, caro suilla, & fumo macerati pisces (quorum omnium prope ineffabilis aderat abūdantia) seruabantur, in maiori arce singula contenta erant. Remanserunt ibi etiam quinquaginta dolia vino, trecenta aceto, & quinquaginta omnis generis leguminibus referta. Earū deniq; rerum quæ ad victum requirūtur necessaria, omnium insignis aderat copia: quæ omnia in maiori arce relicta & igne absumpta sunt, hacque de causa nec nostris, nec hostib. ea vsui & bono esse potuerūt. Amissa sunt præterea in arce maiori omnia tormenta, quæ Turcis cesserunt, & quib. deinceps nostros tam diu petierunt, donec interiorē quoq; arcem (sicuti postea dicetur) ademerunt. In interiori autem arce præter duo magna tormenta, duo mortaria, quæ οἴχμοικεραυνόβολοι dicuntur, & quatuordecim bombardas nihil erat reliquum: Cæteris impedimentis & rebus omnibus hostes foris in exteriori arce potiti sunt. De commeatu in interiori nihil propemodum aderat, præterquam mille modii Tschargoniani triticea farina referti, quos Comes Serinus ex suis prædiis Tschargonianis apportari mandauerat: Magna itaq; penuria, eo tempore quoad panem & potum, erat, & talis, vt per hoc triduum mulieres & infantes fame sitiq; extinguerentur. In exteriori porro arce, vnusquisq; militum, tā pedester q̄ eques, victum & cibaria affatim habuit. Nemo aūt quicquam secū in arcem interiorē auferre, nec multū de auro vel argento asportando sollicitus esse potuit. Omnia enim, vt dixi, incendio foris absumpta sunt, tantoq; impetu & celeritate arx illa nostris erepta, & à Turcis expugnata est, vt vix in interiorē arcem elabi atq; aufugere potuerint. Quam posteaq̄ Turcæ occuparūt, multa vexilla in aggerē seu vallū arcis collocarūt, atq; per duos Iouis & Veneris dies,

illic

Digitized by Google

illic in maiori arce conquieuerunt. Nostri vero in parua seu interiori arce occlusi, & vndiquaq; obsessi ac circumuenti hæserunt. Nec Turcarum ad nostros adhuc in arcem interiorem aditus vlli, aut nostrorum inde foras ad eos exitus patuit.

Septemb. die 7. hoc est vesperi D. Mariæ virginis festo, & ipso mane circa horam sextam Turcæ coniecto in arcem igne, ædificia, in quibus Comes Serinus habitabat, in interiori arce contenta, incendunt, & ad expugnationem arcis omnes Imperatoris pedestres copiæ, summa cum vi irruunt: Adhæc, classicum canere, tympanis perstrepere, & tubis infinitis ingentem sonitum edere incipiunt, signaq; innumera in arcem maiorem collocant. Itaque tanta erat vndiquaq; Turcarum multitudo, vt nec prata cerni, nec aquæ, nec arbores ex arce cõspici potuerint. Omnia enim plena Turcis & sub ipsis mœnibus referta erant. Interea arx vehementer & supra modum igne deuastabatur. Quod cum Dominus Comes Serinus vidisset, seq; diutius in ea continere non posse conspexisset, per Cubicularium suum Franciscum Scherenkum vestem holosericam, aliamq; tunicam ex serico non latam (Menten ipsi vocant) interulam & alia munda sibi adferri iussit, atq; ad omnes, qui tunc secum erant, milites, in hæc verba locutus est: Nunc non opus habeo vestimentis grauibus, sed leuibus saltem, quibusq; absq; impedimento me commode, & cum agilitate quadam defendere possim. Iniunxit sibi etiam dari galerum ex nigro serico villoso, auro intextum & ornatum, quem in nuptiis gestare solitus erat. Huic affixum fuit ornamentũ quoddam aureum peculiare, in cuius pala prætiosus lapis adamas præstantissimæ pennæ ab Ardea desumptæ continebantur. Deinde centum aureos nummos seu ducatos Vngaricos, quibus tamen nullus ex Turcica moneta admixtus esse debeat, adferre iussit, quos vbi Cubicularius attulisset, holosericam tunicam scindi, eosque inter gossipium, quo illa contexta erat, & sericum poni curauit, sic ad suos inquiens: Hoc ideo me fecisse vos existimare omnino velim, ne si quis forte hostium aut latronum meis me vestibus exuet, dicat, se nihil prædæ aut lucri penitus apud me inuenisse. Præterea Cubiculario, vt sibi redderet arcis claues, quas ille semper, dum arx obsessa fuit, in manu sua & potestate habuerat, mandauit: eas cum accepisset, statim tunicæ in quam centum ducatos reposuerat ingerit, suos hunc in modum affatus: reuera mihi credite, quod dum manum hanc meam mouere, & gladio hoc vitam defendere licebit, neminem mihi centum istos ducatos & claues erepturum. Me autem mortuo, quicunque adeptus fuerit, eos sibi habeto. Iuramentum siquidem iam Deo præstiti, votumque nuncupaui, me per Turcarum castra nequaquam ductum, nec liberis digito demonstratum iri. Deniq; suo antedicto cubiculario præcepit, vt suos curuos & instar falcis enses (quos Sabl vocant) auro & argento decoratos, sibi porrigat, quos cum probasset, ex quatuor gladiis vnum, qui adhuc ipsius parentis erat, elegit, dicens: Hic vnus est ex veteribus meis gladiis, hoc gladio ego omnium primo gloriam & honorem promerui, omniaque quæ habeo acquisiui. Et hoc gladio ego nunc singula, quæ Deus in me iudicio suo decreuerit, perferam. Sic gladium dextra manu accipiens, è conclaui suo se recipit, atque post se parmam seu peltam rotundam gestare iubet. Nullis præterea armis, nec lorica, nec galea se munire volebat, hoc addens, Deum protectorem defensoremque ipsius futurum, se etiam ex Sigetho elabi aut aufugere nequaquam conaturum, sed omnia constanti animo, quicquid Deus voluerit, subiturum atq; passurum. Cumq; è suo conclaui exiisset, inq; cauedium seu plateam interioris arcis venisset, omnes iam ibi milites, equites & pedites in procinctu stabant, eumque loricis, galeis, & clypeis tecti, euaginatis etiam gladiis, parato præsentique animo expectabant, & vbi arcem incendio, quod restingui amplius nulla ratione poterat, conflagrare penitus vidissent, nec longius in ea propter vim ignis & fumum morari se posse animaduertissent, cœpit ipse Dominus Comes in hanc prope sententiam, vt omnes eum

Digitized by Google

exaudire & percipere facile possent, in platea arcis loqui. Mei fratres & strenui milites, nunc re ipsa & ante oculos simul cernimus omnes: qua ratione nos Deus igne hodie puniat, igne nos hostes nostri superant & vincunt. Nec tantum eorum nobis potentia & copiæ nocerent, quantum ignis & incendium damni dat, nosq; pessundat. Nihilominus tamen hanc pœnam à Deo Opt. Max. immissam, patienti gratoque animo perferre nos decet: hac enim, non solum ob nostra nos peccata, sed etiam ob prouinciæ huius flagitia punire voluit. Quapropter, ignorare vos minime arbitror, quo pacto antea fidem meam vobis dederim, vosque mihi vicissim sancte & Deo interposito teste, per iusiurandum promiseritis: Nos hic vna simul victuros & morituros esse. Et quidem ad hoc vsque tempus (Deo sint gratiæ) nihil mali commissum, nec vlla inter nos proditio deprehensa est: Quod & nunc nulla penitus ratione accidere debet. Iam cuncti in præsentia videmus, quod hoc in loco longius moram protrahere & perseuerare, etsi vellemus non possumus. Idq; tribus de causis, quarum prima est, quod hic flammis & incendio consumimur: altera, quod nostrum admodum pauci sunt: tertia, quod commeatu caremus, vobisq; infantes & mulieres fame sitiq; pereunt. Quapropter, quod igne hic conflagrare volumus? Sinitote, exeamus foras in exteriorem arcem strenui milites, mediumq; digitum hostibus ostendamus, & cum eo fortiter manus conseramus, vt post interitum & mortem quisque nostrum famam sibi & gloriam comparet sempiternam, qui occubuerit, æuum cum Deo sine omni dubio aget: cui vero vsura vitæ longius concessa fuerit, in eaq; superstes manserit, is summis laudibus nunquam non celebrabitur. Atque hac de causa, ego omnium primus esse volo, vos primo foras præcedere. Et quod ego facturus sum, hoc idem & vos facite. Certo mihi credite fratres dilecti, me vos ad rogum vsq; non esse derelicturum. Post hæc ter IESVS exclamat, atq; Cæs. Mai. vexillum ipsi Laurentio Iuranitsch, vt id sibi præferat, tradit, portasque arcis aperire iubet. In ipsa autem porta machina bellica, quæ mortarium vulgo vocari consueuit, ferro in frusta dissecto referta iaciebat, quæ in Turcas paulo ante displosa atq; emissa fuerat, vnde sub ipso fumo Comes Serinus nudo gladio & exigua parma foras progreditur, ipsum Iuranitsch cum signo præcedebat, reliqui porro milites equites & pedites quique adhuc supererant, omnes insequebantur, ibiq; in ipso ponte cum Turcis conflixerant. Eo in loco Ianitschari D. Nicolaum Comitem Serinum tribus in locis globo percusserunt, vbi etiam ex eo ictu, quem capite excepit, prolapsus in terram concidit. Quo facto, Turcæ confestim ter Halla, id est Deus exclamabant. Nostri autem retro in arcem interiorem profugiebant, cumq; ipsos Turcæ vehementer insequerentur, ipsisq; ingenti furore incumberent, vna cum nostris in arcem summa vi & impetu irrunt atq; feruntur. Iam murus interior & ipsa mœnia Turcis vndiquaque plena existebant, vnde nostros desuper ruderibus & lignis ad vsque internecionem feriunt, & acriter cum nostris militibus pugnant. Hos omnes exceptis his, quos aliqui galeris & pileis Turcicis tectos, aut ricis opertos, & veluti personatus abducebant, interfecerunt. Infantes autem & mulieres omnes viuas seruarunt, captiuasque secum traxerunt. Hoc autem pleriq; omnes Ianitschari, eorumq; maior pars quam reliquarum Turcarum fecerunt, cumq; captiuum alicui eripere non potuissent, eum ipsi vi & ignominiose præ manibus dissecarunt. Eo arcis in loco, nostrorum Turcarumq; cadaueribus ita referta erant omnia, vt aliter quis, quam per funera mortuorum ire, eaq; calcare & premere arcem ingrediens, aut in ea ambulare volens, non quiuerit. Tanta etiam in ipsis mœnibus interioris arcis cæsorum interfectorumque hominum copia passim iacebat, vt sanguinem quis ibi & cruore haud difficile haurire potuerit. Eductis igitur ex arce omnibus Christianis & Turcis, iam vtrasq; arces maiorem & minorem vna cum domibus, mœnibus, plateisq; tenentibus, ignis seu incendium, ad puluerem nitratum, qui in quadam turri interioris arcis, fornici prope terram inclusus erat, per-

uenit,

Digitized by Google

uenit, veteresq; domos quæ interiorem arcem continebantur à fundamentis euertit atq; disiecit. Eo grassante incendio, quam plurimi Turcæ cemento & puluere interfecti desiderabantur. Et quemadmodum ipsi Turcæ asserunt, eo saltem in loco Turcarum plus minus tria millia partim incendio absumpti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis, perierunt. Nam huius cladis causa & calamitatis per totum exercitum summus clamor insignisq; lamentatio peruagata est. Lugebat quippe extinctum suum patrem quidam, alius filii interitum deplorabat, tertius ob fratris mortem vociferabatur: Ea die Ianitscharorum Capitaneus Domino Comiti Serino iam mortuo caput amputari, idq; ad Turcarum Cæsarem perferri iussit. Cæterum supremus Turcici Imperatoris Mechmet Bassa cum aliquot Visicis tanta calliditate vsus est, vt neque ex inferioribus Bassis aut VVegis quisquam, neque Ianitschatii aliisq; milites Solymanni Imperatoris sui mortem, quarta adhuc Septembris post prandium circa horam primam, in loco Siclihouo dicto, quarta parte milliaris à Sigetho distantis, prope vineas Sigethanas extincti: nisi expugnata iam arce Sigethi, & commonefacto hac de re prius per literas Selino Solymanni filio, cognoscere potuerint. Atque ne palam omnino fieret, aliisque innotesceret, idem Mechmet Bassa, Doctorem, qui Cæsaris curam egit, nocturno tempore, ne mortem ipsius diuulgaret, clam trucidauit, Interea etiam mortuo Cæsare per singulos dies clangere, tubis & aliis Musicis instrumentis personare, cibos coquere & apponere, tanquam si Cæsar in viuis esset, iubebat. Post mortem autem Solymanni statim ingens malum euenit & vehemens tempestas validissimusq; ventus exortus est, qui omnia Turcarum Imperatoris tentoria disiecit, & ea quasi alio secum rapere vellet, euertit. Idem per reliqua omnia Turcarum castra & ad Mechmet Bassæ Sokolouitschii papileones flando progressus, omnem paleam & fœnum quod in castris alicubi reperit, abstulit, secumque rapuit. Eodem fere tempore mirũ quiddam accidit. Nam Danubius inferius prope Tulniã ita turbidus, & arena lutoq; mixtus conspiciebatur, vt tridui spatio purgari, & lucidus reddi, nec (vt ipsi Turcæ & Tuliani ciues referunt) vllus eius vsus vel ad coquendum, lauandum, aut bibendum esse potuerit.

Octaua Septemb. die Solis, Mariæ Virgini sacra, caput Comitis Serini inter alia Sigethanorum iam interfectorum militum capita, palo non tam longe à terra affigitur, & iactu vnius lapidis ab Imperatoris tentorio collocatur. Circa etiam vndiquaq; signa seu vexilla Sigethana transuersim cuspidibus in terram defixis stabant. Sic ea tota die caput Comitis Serini in illa platea palo affixum conspiciebatur. Nec enim Turcæ vnquam conquieuerunt, sed sine intermissione caput illud sæpe dictum Comitis Serini, & reliqua Sigethanorum militum, quæ in vnum aceruum comportata congestaq; erant capita, spectatum contemplatumq; venerunt. Singulis etiam Turcis, qui Sigethani militis caput ad Cæsaris vel illius loco Mechmet Bassæ tentorium attulissent, decem aurei nummi seu ducati numerabantur.

Septemb. die nona, Lunæ, summo mane Mechmet Bassa Sokolouitschius Cæsaris gener & supremus Consiliarius, Domini Comitis Serini caput Budam seu Salinũ fratri suo Mustafæ Sokolouitschio Budensi Bassæ mittit, quod cum accepisset serico statim inuoluit, subtilique linteo tegit, & per duos rusticos Taurinum, quod ab aliquibus etiam Bregetum dicitur, in castra nostri Imperatoris ablegat. Inde porto per Balthasarum Batschiani multis cum lachrymis summoq; mœrore Tschacaturnium delatum, ibiq; monasterio D. Helenæ, in fornice seu Mausoleo, quo Catharina prima ipsius vxor de Frankenpanibus felicis memoria cum filia & duobus filiis inclusa quiescit, tandem sepultum, terræq; mandatum est: Cuius animæ DEVS Opt. Max. in regno cœlorum æternam quietem largiri dignetur.

Digitized by Google

EPITAPHIVM ASSCRIPTVM SEPVLTVRÆ IN TSCHAKATVRN, EIVSDEM ILlustriss. Comitis Nicolai Zrinii, &c.

ILLVSTRISSIMO Comiti NICOLAO ZRINIO Torquati ex sorore nepoti, à CAROLO V. post Viennam obsidione solutam, quod in ea adolescens adhuc & Tyro multa & præclara confecisset, equo auroq; donato: ad Budam & Peschtum pulchra per facinora summa cum laude probato: Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclauoniæ Bannato, Tauernicorumq; Regalium in Pannonia Magisterio singulari cum prudentia functo: copiis Cæsaris ad dextrum Danubii latus à FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. Imperatoribus Præfecto: Victis sæpissimè, fugatis, cœptis, cæsisq; hostibus: Infaustissima postremum funestissimaq; Sigethi expugnatione, cuius arcem contra innumerabilem Solymanni Turcarum Principis exercitum, facta eorum ingenti & memorabili strage diutius quam viribus par fuerat defendit, defuncto ibidem Solymanno, totius orbis flagello, pulcherrimè absumpto, bellicæ gloriæ fortissimo, inuictissimoq; duci, de se publiceq;: B. M. P. P.

Vixit annos quadraginta octo, occubuit septimo Septembris, Anno Virginei partus
1566.

ALIVD.

Hostibus vt vidit diris & cadere fatis
Credita virtuti mœnia celsa suæ.
Seruatæ à me olim, nunc me seruabitis, inquit
Arces, & pugnans ZRINIVS *occubuit.*
I modo, te iacta quantumuis Roma: Lyburnis
Et sunt quæ mortem pectora despiciunt.

IN EIVSDEM ILLVSTRISSIMI COMITIS NICOLAI Zrinii, &c. Epicedion Pauli Fabritii Cæs. Mathem. Med. D. & ordinarii in Archigymnasio Viennensi Professoris.

Pro patria charam virtus effundere vitam
Tempore (cùm trucibus premeretur ab hostibus) vllo,
Si fuit (vt certè semper fuit) vllius vnquam
Inclyta non poterit pietas, non inclyta virtus
Præferri tibi ZERINIÆ *Comes inclyte gentes.*
Tantus amor patriæ, fidei tibi tanta Cupido
Præstandæ, tibi tantus erat profligere Turcas
Ardor, vt hunc sola satiares inclyte vita.
Nam neq; mouerunt te visq; minæq; precesq;
Vrgentis variè frangentisq; omnia Turcæ.
Nec promissa salus, nec desperata salutis
Commoda mouerunt animum, cum cuncta teneret,
Eripere & vitam, quæ sola superfuit hostis,
Debebat ferus ille tuo trux ille potiri
Corpore si vellet tandem. Quæ gloria talem?
Quantus honorq; tuam sequitur Comes inclyte mortem?
Virtutis solidæ studium, patriæq; salutis

Cura

Cura tibi mortem, laudem simul illa perennem
Et talem peperit, quali te vincere nullus
Vllius historiæ victor queat, aspice fastos
Actaq; Romani populi; tibi Curtius isthic
Forsitan est similis facto, sed causa priores
Fert tua, si sacros reputabimus ordine libros;
Fortè Machabæo laus est communis Iudæ.
Et simili facto tecum: sed quicquid & hoc est
Obticeo, dum quæ restat possessio vitæ
In Christo æternæ tibi debita redditur. Ergò
Hîc tua fama tuo summam cum nomine laudem
Promerita est, memoriq; etiam nunquam excidet æuô:
Dicêreris pius esse Comes, fortissimus Heros,
Non tantum patriæ defensor, & inclytus armis
Miles, magnanimus tutor; sed totius orbis
Christiadum. Cœlo tandem fulgente receptus
Heroas inter qui sanguine posteritati
Consulère suo, quibus est seruare decorum,
Sic patriam visum, caperet ne mœnia turpi
Deditione ferox hostis, qui ruperet omne
Fasq; piumq; bonis cum moribus omne fugaret;
Heroas inter tales Comes inclyte viuis.
Funestas qui Turcæ acies atq; arma furentis
Sæpè repressisti aut vicisti, sæpè fugasti.

EPITAPHIVM.

Zeriniæ gentis Comes hic iacet inclytus ille;
Pro patria vitam qui dedit ipse suam.

ALIVD M. CASPARI SITNIR LABACENS. Ethices in eodem Archigymnasio Professoris ordinarii.

Qui Machometigenas pulsauit sæpius hostes;
Sæpius & victis hostibus ibat ouans:
Pro templis, cultuq; pio, pro pace fideq;
Arma ferens Scythicos depopulatus agros.
Insignem proprio peperit qui sanguine famam,
Fama sequuturis vix imitanda viris:
Hac nimis angusta ZRINVS tellure quiescit,
Qui pater armorum præsidiumq; fuit.
Magnanimum meritò monstrant tot ab hoste triumphi,
Testantur fidum mors, modus, vrna, locus.
Terra Lyburna gemit, dolet Austria, luget ademptum
Ipsum Europeæ nobile clima plagæ.

NVMERVS TVRCARVM INTERFECTORVM.

PERIERE autem sub Sigetho (vt Ianitscharorum Capitaneus Budensis ex castris Sigethanis Budam versus iter faciens in vrbe Tulnia retulit) Turcicorum equitum octodecim millia, Ianitscharorum septena millia, quæ omnia computata viginti quinq; millia efficiunt. Hi saltem libris inscripti continentur, exceptis reliquis leuibus & nullius momenti hominibus, & iis, quorum numerus scripto non est comprehensus. Ex primatibus autem & summi nominis Turcis occubuerunt Miserskius, Bassa Alportuk, Bassa Capitschius, id est, Cæsaris supremus cubicularius, & Bassa Hasnadar, hoc est, Cæsaris Ca-

merarius, seu ærarii & rei nummariæ præfectus. Ex Capitaneis autem, quos VVegos nominant, plurimi interfecti sunt, quorum certus numerus ignoratur. Eos enim floccipendunt, viliq; æstimant, dicentes, isti tantum sunt Cæsaris serui & captiui. Hoc verò certò credendum est insignem ibi Turcarum copiam interiisse: dici namq; vix potest, quàm multi assiduis ictibus Sigethanorum tormentorum ceciderint, atque in expugnatione trucidati sint. Adhæc infinita cadauera passim in ipsis fossis occisa iacebant, vt inde in arcem vsque grauissimus fœtor, teterrimusq; odor dimanauerit.

HIERONYMVS VVOLFIVS COMITI SERINO ATQVE PRÆSIDIO SIGETTIO, Anno 1566.

INuicti heroes, memorandi laude perenni:
Ah valuisse nihil vota precesq; meas?
Scilicet hoc nostrum scelus & dementia fecit,
Vestra quidem virtus inuiolata manet.
Corpora fessa iacent: sed fortia corda triumphant:
Nullaq; de vobis Turca trophæa tulit.
Vestra fides non fracta minis, non fracta furore
Hostis ad extremum perstitit vsq; diem.
Mortali de stirpe satos cecidisse dolemus.
Sic tamen est ingens occubuisse decus.
At nos Christicolæ vel inani tempora luxu
Perdimus: & paucos, publica damna mouent:
Vel male ciuili maculamus sanguine dextras
Sanguine Threicio quas rubuisse decet.
Fatalis stupor & furor impia pectora versat:
Vota licet maneant, spes tamen ægra fugit.

Idem, Præsidio Iulæo.

Hei miseri, qui vos decepit perfidus hostis?
Seruat cum libuit, quam dedit ille fidem.
Bis miseri, quod degeneres cecidistis inulti
More boum: nec vos lausue decusue manent.
Præstiterat seruasse fidem vitaq; profusa
Sanguine Threicio triste rigasse solum.
At vos Christicolæ memores ne fidite Turcis:
Cædere certa salus, cedere nulla fides.
Mors & in ignauos torquet sua spicula: fortes
Pro patria & vera relligione cadunt.
Non obitus fraudi, sed erit victoria laudi:
Non Deus hanc nobis, crimina nostra negant.

Idem, In Germaniæ stuporem.

Iam tua res agitur: paries tuus ardet: ab alto
Culmine tota domus collabefacta ruit.
Sigettum periit: non Iulia castra supersunt:
Extremum metuit mœsta Vienna diem.
Pannonias non esse vides tua mœnia? Turcus
His ruptis, in te Marte furente ruet.
Ardebunt villæ: succumbent oppida: ferro
Turba cadet diris excruciata modis.
Eripientur opes, libertas, iura: LIBIDO
VICTORIS sæui iura cruenta dabit.

Corpo-

Corporis hæc mala sunt & in omnem posteritatem
A semel exorto fonte perenne ruunt.
Sæua quidem, sed fine suo claudenda. Quid istud
Captiuas mentes quod ferus hostis habet?
Dira salutifero dicit conuicia Christo:
Hunc etiam pubes nescia sæpe negat.
Sæpe senex & anus melioris mentis egentes,
Proh scelus, hoc spreto te Mahomete, colunt.
Vulgus iners quid enim nisi quæ præsentia, curat?
Arbitrio Domini se putat esse pium.
Non spectas cælos, nisi cum mors atra fenestras
Intrat: & in fouea sus lutulente iaces
Hæc tu non cernis? non curas plumbea? nummis
Dum parcis, vitam prodis iniqua tuam?
Indulges odiis in fratrem: negligis hostem:
Quo nil terra magis, nil mare, triste tulit.
Num tibi Relligio curæ? quis credere possit?
Qua rixas nulla relligione moues.
Colatrix culicis, gibbosi terga Cameli
Deglutis: rectum quodlibet, esse putas.
Omnia præceptis facimus contraria Christi:
Ignorant Christum pectora, lingua sonat.
Sed non ignorat nostra impia pectora Christus,
Ille dari toties non sibi verba sinet.
Quid dicam vates infelix? talia Musæ
Carmina non dictant, fata sed atra cient.
Imperii nam cum perituri terminus instat:
Approperantque truci fata seuera gradu:
Immeritas ne forte putes excindere gentes
Ardua vel frustra vertere regna Iouem:
Non Deus exitiis non diro fulmine gaudet:
Incolumes potius quoslibet esse cupit.
Namque bonos firmo semper munimine cingit:
Et vetat hostili clade perire pios.
Ast vbi negligitur pietas, calcatur honestum:
Crimine, cum vitium suppliciòque caret:
Tum DEVS *infesto disturbat perdita vultu*
Regna, nec hæc patitur stare superba diu:
Ille sed ex imo quatiens fundamine terræ:
Fulminea incendit præcipitatque manu.
Integra staret adhuc (heu iam palus atra) Gomorrha
Ni foret incæstis mersa libidinibus.
Staret adhuc Constantini pia regia: tantas
Ni regnum discors dilacerasset opes.
Et tu stare queas GERMANIA: *cura salutis*
Si tibi tanta foret, quanta pericla vides.
Si tibi priuatis potior sit publica rebus
Cura, simul pereunt quos vehit vna ratis:
Seruanturque simul qui commoda publica spectant,
Publica priuatis qui sapit, anteferet.
At si desipies GERMANIA. *Plura volentem*
Destituit calamus, scribere, lingua, loqui.

FINIS.

BREVIS ENARRATIO RERVM A SERENISSIMO TRANSYLVANIÆ PRINCIPE SIGISMVNDO, ANNO M. D. XCV. GESTARVM.

Authore
IOANNE IACOBINO, NOTARIO VRBIS CLAVDIOPOLITANÆ.

SERENISSIMO PRINCIPI, DOMINO, DN. SIGISMVNDO DEI GRATIA TRANSYLVANIÆ, MOLDAVIÆ, VALACHIÆ TRANSALPINÆ, & Sacri Romani Imperii Principi, partium regni Hungariæ Domino, & Siculorum Comiti, &c. Domino suo clementissimo.

PRÆFATIO.

HVMANAM *prudentiam, Princeps Serenissime, non esse aliud, quàm euentorum obseruationem, rerumq; præsentium ac futurarum ex præteritis, tanquam ex fonte deriuatam scientiam, plerią; doctissimorum virorum memoriæ prodiderunt. Quod ex vniuerso literarum genere, vel sola, vel certè maximè præstat historia: præsertim si quis eam ita tractet, vt euenta dum obseruat, causas simul eorum perquirat, cur hoc factum, illud omissum: cur ex hoc calamitates, ex illo verò res secundæ emerserint. Vnde quicunq; magistram vitæ dixit esse historiam, næ ille & dixisse verè, & præclarè admodum sensisse mihi videtur: etenim si ea, quæ meritò in artibus liberalibus requiruntur, fructum, dignitatem, & voluptatem spectemus, eo maximè nomine commendanda est historia, quòd cùm ex ea intelligimus, quid olim multis euenerit, facilè erudimur, atq; exemplis propositis ipsi nobis normam componimus actionum nostrarum, vitæq; totius instituimus rationem. Estq; hic proprius & peculiaris historiæ fructus, in qua, veluti in theatro quodam ob oculos ponuntur fortunæ vicissitudines, regnorum mutationes, hominum siue vitia, siue virtutes: ex quibus quæ vitanda nobis sint, quæue expetenda, nullo nostrò periculo, vix vllo labore, sedentes in otio docemur. Habet etiam dignitatem suam historia, enarrat enim res gestas inter summos Reges & Principes, inter potentissimas ciuitates, & bellicosissimas nationes: enarrat porrò bellorum causas, quæ sunt humanarum rerum maxima, imperium, salutem populorum, & gloriam, quæ præcipuè in armis ponuntur omnia, & partim à ducum consilio, partim à virtute militum, partim etiam ab ipsa fortuna pendent. Neq; verò voluptate caret historia, nam cùm omnes artes, omnisq; libero homine digna cognitio nos delectat, tum verò incredibilem haurit animus voluptatem, aliturq; pabulo suauissimo, dum vetera legens fruitur consuetudine clarissimorum virornm, versatur inter Reges, virosq; Principes inter præclaros bello duces, & sapientissimos Rerumpub. moderatores: intuetur veluti in tabula picta aduersa ducum excellentium stratagemata, artes, dolos, & insidias, ad extremum cæsos ad internecionem exercitus, captas vrbes potentissimas, imperia deleta. Porrò si voluptatem habet immortalitas, quis quæso est, qui aliqua saltem laude excellat, qui non omnibus neruis in id incumbat, vt rerum præclarè ab se gestarum memoria, literarum monumentis æternitati consecrata, posteris innotescat? Nemo me herculè inuenietur: virtuti enim debetur immortalitas, quâ si priuetur, vis ei inferatur oportet, iamq; terris relictis ad superos peruolabit. Cumq; rerum interitus obliuio sit: eæ reuiuiscunt historia, cùm ea, quæ multis ab hinc seculis gesta sunt, in memoriam reuocantur, quæue viri præstantes æternis literarum monumentis immortalitati consecrârunt. Multa patrum nostrorum memoria præclarè gesta sunt in Hungaria, & geruntur etiam hodie, hoc ipso dignissima immortalitatis præmio, sed nullum ex iis est laude dignius, nullum cui magis immortalis debeatur gloria, quàm iis, quæ superiore anno in Transal-*

Transalpinensi Valachia, duce Tua Serenitate contra immanissimum Christianorum omnium hostem Sinanum gesta sunt, quæ tamen eiusmodi sunt, vt eorum merita vix satis vllæ laudes adæquare videantur. Ad quarum ego rerum consignationem adolescens, cuius ætas vigesimum secundum annum nondum attigit, non vti historicus accessi, sed vt singularem meam in Tuam Serenitatem obseruantiam, & humilimam subiectionem quodammodo declararem. Neq; enim tantum mihi sumo, vt Serenit. Tuæ laudes & gloriam suo merito digna oratione me persequi posse confidam, cùm hoc ab infirmitate mea sperari minimè posse non solum intelligam, verum etiam ingenuè confitear: verum quia rebus Transalpinicis ab T. Serenit. gestis, nonnulla ex parte non præfui quidem, sed interfui, operæ pretium me facturum iudicaui, si eas non quidem descriptas (id enim maius requirit ingenium) sed rudi tantum Minerua compilatas, Tuæ Serenis. dedicarem Celsitudini. Non me latet, alios cum opulentis donis T. Serenitati occursuros: multi auro atq; argento oblato T. Serenitatis venabuntur gratiam & clementiam. A me verò, Princeps Serenissime, hoc munusculum habebis, meorum erga T. Seren. obsequiorum & subiectionis argumentum, exiguum fateor, sed velim spectes dantis animum, non rem, quæ tamen ne ipsa quidem est contemnenda, siquidem eiusmodi est, vt laudes T. Serenitatis, à me non expressas, sed tenui tanquam penicillo delineatas, & designitas patefaciat. Vale Princeps Serenissime, & quàm diutissimè Imperii tuæ fidei commissi gubernacula felix rege. Claudiopoli, VIII. Calend. Aprilis, Anno Domini 1596.

Serenissimæ
Cels. Vestræ

Humillimus
cliens

IOANNES IACOBINVS,
Notarius vrbis Claudiopolitanæ.

TETRASTICHON AD AVTHOREM.

Clara Sigismundo sub Principe parta trophæa,
Agmina sint forti vt Turcica cæsa manu.
Exculto illustres Ianus sermone triumphos,
Ingenii mirâ dexteritate refert.
Ingenium felix, & ab omni labe remotum,
Quâ modo scriptorum turba prophana scatet.
Perge bonis auibus patriæ felicia gentis
Auspicia, & proprios condecorare lares.

Matthæus Thordai.

POSTEAQVAM Sigismundus Transyluaniæ Princeps affinitatem cum inclyta domo Austriaca, Maria Christierna Caroli Archiducis Austriæ filia in matrimonium ducta, contraxisset, ad eam statim curam cogitationemq; conuertit animum, quomodo rebus Christianorum propè nutantibus consulere, ditionemq; suam ab hostibus tueri posset. Itaq; fines ditionis suæ nouo statim militum præsidio diligentissimè firmandos curat, quibus suos etiam duces, viros bellica inprimis virtute claros attribuit: ita illi quoque exercitus parti, quam in inferioribus Hungariæ partibus Caransebesum versus habebat, Georgium Barbely, eximiæ virtutis hominem præficit. Is accepto à Principe mandato, exercitum illicò in hostium ditionem ducit, duoque Turcarum præsidia Bokcia & Varsocz per vim expugnat, Turcis omnibus, qui in eis erant, interemptis. Quo facto Turcæ, qui Lippæ, Giulæ, Czanadi, ac Ienei erant, cùm per exploratores cognouissent, milites ex ditione Iofevensi certis de causis Albam esse auocatos, peropportunam nacti occasionem, quod animaduerterent, non esse in ijs partibus, qui ipsis resisteret, (Georgius enim Barbely, vt dictum est, Caransebesum versus exercitum ducebat, qui locus septem circiter milliaribus Iofeo distat) coniunctis viribus in Transyluanicam ditionem irrumpunt, oppidumq; Iofeum cum septem pagis diripiunt, & inflammant, magno incolarum numero trucidato, & quamplurimis in seruitutem abductis. Eo audito, Princeps grauiter commotus delectum statim haberi iubet, certamque nobilium manum cum iis militibus, qui antea Iofeo auocati fuerant, ad Totuaradgiam oppidum Turcicæ ditionis diripiendũ mittit, quibus seriò imperat, ne vllam occasionem, qua saltem aliquid detrimenti hostibus inferre possent, intermitterent, superiorem verò iniuriam Iofei acceptam simili incommodo illato rependerent. Hi quàm possunt celerrimè in hostium ditionem contendunt, & postquam ad oppidum noctu peruenissent, comparatis iis, quæ ad oppugnationem facerent, orto iam Sole oppugnationi insistunt, oppidoq; per vim potiũtur, Turcis, qui ducẽti circiter in eo erãt, omnibus trucidatis, sex tantum de muro præcipites se dedere, quod sperarent tranato Marusio flumine salutem se consecuturos: verùm ii etiam à nostris intercepti fuere. Capto oppido milites Georgio Barbely sese iungunt, qui iam expugnatis duobus Turcarum prẽsidiis, nullam rei benè gerendæ occasionem negligendam ducens copias promouerat, ad Fadsatumq; obsidendum contendebat. Eò cum de improuiso celeriusq; omnium opinione peruenisset, Turcæ quid agerẽt, aut vnde auxilia peterent, incerti, illicò de deditione consiliũ capiunt, nec ita multò post nuntiis ex arce ad Georgium Barbely missis, significant se arcem dedituros, si fide data incolumes dimitterentur. Itaque cum iis, quibus induti erant vestibus & armis incolumitatẽ pacti, nostrorũ fidei se permittentes arcem dedunt. Quod cum milites ii, quos Haiducos appellant, animaduertissent, minimè sibi committendũ esse rati, vt hostes tam facile è manibus elabi patiantur, in insidiis sese collocant, vt cùm hostes arce excessissent, ex insidiis adortos vita simul & armis exuerent. Quia verò Georgius Barbely fidem hosti datam violare turpè ducebat, vt ab insidiis tutos redderet, in exteriores castelli munitiones eos cogit, postero die certam militum manum ipsis adiuncturus, qui extra terminos eos comitarentur. Interea Bassam Temesvariensem cum Lippense, Giulense, Canadiense, & Ieniense Præfectis magna manu auxilio Fadsatensibus venire nuntiabatur. Quo animaduerso Fadsatenses, suos prælio superiores fore arbitrati, seseq; mutuo cohortati, in nostros nihil iam hostile metuentes, qui iam interiorem castelli partem occupauerant, impetum faciunt, & puluerem bombardicum, quem terræ suffossum in insidiis collocauerant, succendunt, cuius impetus præter eos, quos inopinato hostes oppresserant, paucos ex nostris perimit. Nostri indignissimè hanc iniuriam ferentes forti animo hostiũ impetum non modo sustinent, sed ad vnũ omnes dant neci, di-

ci, di-

ti, dignas ab eis violatæ fidei pœnas sumentes. Interim Temesuariensis cum instructa acie appropinquabat, cuius cognito aduentu Georgius Barbeli aciem statim instruit, & agmine in ordines coacto contra hostem procedit: magnis vtrinque animis fit congressus, initio quidem hostes fortiter resistunt, sed cum diutius nostrorum impetum ferre non possent, impedimentis exuti in fugam vertuntur, quos nostri insecuti, magnam eorum stragem edunt, & quamplurimos viuos, in iis Lippensem & Ieneiensem in seruitutem trahunt. Ex quibus Georgius Barbeli quos vult cum Ieneiense & Lippense captiuitati reseruat, cæteros omnes in conspectu militum cædi iubet. In eo prælio Giulensis & Canadiensis præfecti cæsi feruntur, quin etiam Bassa ipse Temesuariensis saucius, vestibus & armis abiectis, mutatisq; subinde ad celeritatem equis, vix fuga saluti consulit, tandemq; cum paucis, qui fugæ superfuerant, Temesuarum est delatus. Secundum hanc victoriam nostri optima spe pleni, eundem victoriæ cursum continuaturi, dum Lippam versus contenderent, Turcæ, qui Eperiessi erant, metu eorum quæ Fadsatensibus euenisse audiuerant, igne tectis iniecto castellum inflammant, ipsique ex eo profugiunt: Solimossienses etiam eandem veriti fortunam, castellum deserentes qua cuiq; visum fuit sese contulere. Quibus in ditionem acceptis, nouoq; militum præsidio firmatis, nostri tandem Lippam delati in conspectu arcis castra ponunt. Obsessi amisso præfecto, quo se verterent, quidue potissimum agerent incerti, ad eos qui Giulæ erant, quibus angustiis intercluderentur, perscribunt, orantes vt sibi in tempore succurrant, & obsidione ipsos liberent, id ni faciant, arcem se hosti dedituros. Ii respondent, cæso ipsorum quoque præfecto, & plurimis suorum vulneratis, arma capienda in præsentia se non esse idoneos, itaque rebus suis ipsimet consulerent, se enim ipsis auxilium ferre neutiquã posse. Tabellarius qui literas ad obsessos perferebat interceptus à nostris ad Georgium Barbeli fuit deductus, qui cognito ex literis negotio, postero die vnum ex militibus ad colloquium in arcem mittit, qui de deditione eos appellaret, quod cum is Turcis exposuisset, illi primo negant se arcẽ dedituros, Fadsatensium fortunam causati: id miles excusat, non nostrorum sed ipsorum Fadsatensium propria factum esse culpa, quod mortem oppetiuerint, qui violata fide, quam nostris dedissent, Hungaros post deditionem Fadsato eiicere conati, spe victoriæ de Iuli, dignas perfidiæ suæ luissent pœnas, proinde modo arcem dederent, nihil eis tale metuendum esse: verũ ii nullam se nostris fidem habere posse asserentes, obsidionẽ forti animo laturos respondent, nuntiumque ad suos cum hoc responso dimittunt, qui cum arce excessisset, rem vt erat gesta, exponit. Nostri itaque spe deditionis frustrati, comparatis iis, quæ ad eam rem facerent, ad oppugnandam sequenti die arcem accinguntur, sed cum prima oppugnatione parum effecissent, rem in posterum differunt. Obsessi siue quod nulla ex parte auxilia sperare poterant, siue quod viribus diffidebant, veriti, vt secundas nostrorum vires sustinere possent, de deditione agunt, qua decreta nuntios ad Georgium Barbeli mittunt, qui indicarent, se arcem dedituros, modo incolumes dimitterentur. Quare incolumitatem apud eum pacti, nostrorum fidei, & potestati se arcemq; permittentes, ad sua quique incolumes abiere. Ita Lippa post quadragesimum quartum, quam in Turcarum potestatem venisset, annum, singulari Dei beneficio Christianis est denuo restituta. Lippensium audita deditione ii, qui Solimossi, Vilagosuari, Canadi, Nadlaki, Fellaki, Pankotæ, Siri, & Aradi erant, similem fortunam veriti, castella deserentes, qua cuique visum fuit sese contulere. Dum hæc in iis partibus geruntur, Sinanus interea in Transalpinensi Valachia ponte ex nauibus coniunctis facto, ingenti comitatus exercitu Danubium superauerat, & iam Principis copiis, quas in ea prouincia habebat, imminere dicebatur, nullo alio proposito, quam vt exercitu Principis ad internecionem cæso, ac Michaele etiam prouinciæ Palatino, qui iam se, prouinciamque Principi subiecerat, capto, pristinum prouincialibus iugum, quod non ita pridem

Digitized by Google

ceruicibus excusserant, imponeret. Cui nostri vtpote numero longe inferiores vix resistere posse credebantur. Palatinus suarum esse partium ducebat, vt eam haberet exercitus curam, ne quid detrimenti ab hostibus pateretur. Itaq; idoneo castris loco quæsito, exercitum in loca tutiora reducit, vbi sine periculo hostium præstolaretur aduentum. Locus est non longe à Danubio, vbi densissima virgulta in iustam excreuerunt proceritatem, vt syluæ præbeant speciem: ibi cœnosissimi aquarum riui permeatu difficillimi crebris locis interfluunt, nec aliter nisi ponte transeuntur, vnicum duntaxat iter angustissimum viatori transitum præbet, vix qua singuli carri ducantur. Hunc locum nostri prætereuecti modico spatio ab eo castra ponunt, custodiasque diligentissime in angustiis collocant, ne inopinato ab hostium multitudine opprimerentur. Hac necessario Turcis erat transeundum, qui superato, vt dictum est, Danubio non ita multo post ex altera syluæ parte castra sua posuerant, & ita nostrorum castra non longe castris hostium aberant, seseq; inuicem facile intueri poterant, vtraq; enim castra in paulo editiore sita erant loco, ita vt syluæ, quæ vtraque castra diuidebant, prospectui minime obstarent; nam ea in valle quasi quadam, qualis in planissima regione esse potest, erant sitæ. Sinanus tantam nostrorum pertinaciam miratus, quod cum tam pauci essent numero, suas tamen quas putabat esse inuictas vires non reformidarent, verum audacter eius sese opponerent conatibus, nobilissimum quemque suorum legit, & duodecim barbarorum millium exercitum contra nostros, quorum vix erant sex millia, castris educit, acieq; instructa ad angustias syluæ contendit. Palatinus etsi videbat hostes numero præcellere, se vero exiguo esse stipatum exercitu, Deo tamen præpotenti suorumq; virtuti fisus fortunæ se committere non est veritus. Instructo ergo quem secum habebat exercitu, in ipsis angustiis Sinano occurrit, militesq; cohortatus, vt memores pristinæ Hungarorum virtutis se ducem authoremq; sequerentur, magno animo in hostem inuehitur. Quia vero hostes numero, nostri virtute pugnabant, spes victoriæ in ancipiti erat: interdum nostri hostes extra angustias ad vsq; castra magna in eos cæde inuecti propellebant: ii rursum viribus resumptis nostrorum remorabantur impetum, sæpe etiam multitudine Barbarorum ingruente nostri cedere hosti cogebantur. Hunc in modum à solis fere ortu vsq; in vesperum alternante fortuna vario Marte pugnatum fuit: tandem vero sole in occasum vergente melior fortuna nostris affulsit, siquidem ex mandato Palatini quædam peditum acies, quæ longius castris abfuerat peropportune affuit. Quæ defatigatis iam labore nostris subueniens totis viribus in hostes irruit, quos nostri eodem statim impetu in fugam vertunt, fugientiumq; tergis inhærentes, nobilissimos quosq; Turcarum, quos assequuntur trucidant: quatuor tormenta ænea cum aliquot signis, in iis viride etiam quoddam vexillum, quod ipsorum prophetæ Mahumetis fuisse Turcæ credebant, ob idque sacrum appellabant, intercipiunt. Illud ipsi in signum boni ominis in omnibus expeditionibus bellicis circumferre fuerant soliti, & quandocunque in acie fuisset, certissimam sibi victoriam polliciti, nullam hostium vim eius auspicio reformidabant. Tunc ipsemet etiam Sinanus in eas fuit redactus angustias, vt fuga è ponte in paludem delapsus, vix à suis ereptus in castra reduceretur. Hostibus hoc pacto intra castra repulsis, nostri splendida de hoste reportata victoria, ingenti præda onusti ouantes se in castra recepere. Porro Sinanus in tanta fortunæ mutatione animi impatiens in omnes partes versabat animum, atque id solum agebat, quomodo huius cladis acceptæ ignominiam, quam sibi apud Cæsarem conciliatum iri certo persuasum habebat, à se deriuaret. Itaq; coactis omnibus copiis, quas habebat maximas, totis viribus ad persequendum nostros pergit. Hi quod intelligebant se numero hostibus ipsis multis partibus esse inferiores, tantæ autem barbarorum multitudini tantulum exercitum temere obiicere minime esse integrum arbitrabantur, in loca retro tutiora ad radices alpium, vbi ab hostibus tuti essent, maximis itineribus contendunt.

tendunt. Palatinus pro suo officio, proq; ea qua in Principem erat obseruantia, minime sibi committendum putauit, vt ista Principem celaret: datis ergo ad eum literis, quibus in angustiis res sit declarat, & ni sibi mature succurrat, periculum esse, ne prædæ sit hosti futurus. Prouidendum itaq; etiam atq; etiam Principi erat, vt laborantibus suis in tempore opem ferret, ne inopinato & priusquam animaduerti posset ab hostium multitudine opprimerentur. Quare omnem statim plebem Siculicam, quæ octo continetur sedibus, (ita illi districtus suos appellant) arma sumere imperat, eamq; in campis Barcensibus castrametari iubet. Cui negotio tres insignes nobilitate viros Balthasarem Bogathium, Benedictum Mincenthium, & VVolffgangum Cornisium præficit, qui confestim mandata expediunt, armatamq; plebem in eum qui præfixus fuerat locum cogunt. Ipsemet quoq; princeps, quo alacriores eorum animos, ad ea quæ mandaret subeunda redderet, die Dominico, qui fuit 6. Calend. Septembris Anni M.D.XCV. Alba Iulia cum aulicis suis copiis, impedimentisque omnibus excedens, modico itinere prope Sabesum castra ponit, vti eius rei fama audita reliquæ etiam prouinciæ copiæ quamprimum in castra confluerent. Ibi postero die tria simul auspicatissima accipit nuntia, primum de Lippa capta, alterum de profligata parte copiarum Sinani, vti superius declaratum est, tertium de remigratione Tartarorum, quorum Chamus (ita illi suum Imperatorem solent appellare) multis barbarorum collectis millibus Moldauis, atq; adeo ipsis Transyluanis exitium intentare dicebatur. Sed cum ad Neprum flumen peruenisset, Mosci à tergo ditionem eius inuadentes fecerunt, vt ditionis suæ tuendæ caussa exercitum domum reduceret, illa vero Tartarorum manus, quæ iam in Moldauiæ fines penetrauerat, penitus à militibus Transyluanis, qui in ea prouincia erant, & Valachis cæsa esse ferebatur. Ex quibus haud dubie colligi poterat, Tartarorum eruptionem ad præsens non esse formidandam, quippe qui hoc rerum statu, inclinante etiam in hyemem iam æstate finibus suis non essent egressuri. His nuntiis acceptis postridie Princeps Sabeso mouens sextis castris in fines Barcenses ad oppidum Feketehalom peruenit, Germanica auxilia, quæ Rudolphus Imperator subsidio Transyluanis esset missurus, reliquas item prouinciæ copias ibidem expectaturus, quæ cum indies vndiquaq; certatim in castra confluerent, multis partibus auctiorem reddiderant exercitum. Germanis, quibus Albertus Reibitz, vir equestri inprimis dignitate clarus præerat, Franciscum Thecke, qui eis de re frumentaria prospiceret, itinerisq; dux esset, obuiam mittit. Interea partē exercitus cum impedimentis in Transalpinam præmittit, ipsemet quoq; vbi primum Germani appulissent opem suis laturus. Nostri quamuis numero hostibus ipsis longe essent inferiores, omnem tamen spem in virtute Deoq; præpotenti positam habentes, non expectatis à Principe auxiliis manus cum hoste conserere volebant, verum illis Princeps iam antea literis præceperat, ne sese temere fortunæ committerent, neue ante suum aduentum tale quippiam molirentur, vnde exercitus detrimenti aliquid pati posset, sed omnem rei bene gerendæ occasionem in illud tempus differrent, cum iam indies maioribus aucti copiis hostibus non solum resistendi, verum etiam loco eos pellendi & profligandi potestatem essent habituri. Moldauiensi etiam Palatino perscribit, vt coactis in prouincia quibus posset copiis, Transalpinensi se coniungeret, quippe vbi ipsemet quoque sit futurus. Quo accepto mandato Palatinus Stephanus nomine, qui tunc ei prouinciæ præerat, statim iter ingreditur, cumq; recta ob metum Tartarorum proficisci non posset, versus fines, Transyluaniæ contendit, vt facto per prouinciam itinere Principis se coniungeret copiis, cum quibus deinde vna exercitum suum in Transalpinam duceret. Iamq; non longe à finibus aberat, cum quædam Polonorum manus ei occurrit, vti eius remoraretur iter, cum quibus etiam prælio decernit, & magna eorum strage edita, atq; opulentis onustus spoliis iter inceptum continuat, tandemque superatis alpibus in castra Principis, quæ nunc

ad arcem Terchuar erant posita, peruenit. Audita Palatini profectione Iohannes Zamoiscius Poloniæ Regis Cancellarius, in Podolia magno militum numero coacto inscio ipso Rege in Moldauiam irrumpit, prouinciamque absente Palatino facile occupat, cuius administrandæ curam Ieremiæ cuidam obscuro alias homini, sed qui gratia plurimum apud eum valebat, committit. Princeps quod Sinanum pro foribus esse sciebat, summam hanc iniuriam quam sibi à Polonis inferri videbat, in præsentiarũ ferre statuit, sed confecto bello Turcico prima quaq; occasione vlcisci eam in animo constituit. Verum ex altera quoq; parte plebs Siculica quæ (vt dictũ est, ad nutum Principis arma sumserat, sollicitum eius reddebat animum, quippe quæ se nequaquam prius contra hostem proficisci velle affirmaret, quam sibi pristina libertas, quam superioribus annis ob rebellionem amiserat, iterum fuisset restituta. Verum vt Princeps eius votis annueret, multæ rationes, atq; etiam æquitas ipsa aduersari videbantur, maxima namque Siculicæ nationis pars Nobilibus quorum sunt coloni, est subiecta, quos colonis suis priuare (præsertim cum nihil tale vel in Principem, vel in ipsam patriam deliquissent, ob quod bona sua amittere deberent, imo per complures iam annos fidelem Principi domi militiæque nauarant operam) summa erat iniuria. Cogi quidem plebs ad ea quæ mandarentur subeunda etiam absque libertatis donatione poterat, sed in tanta hostis propinquitate Princeps bello ciuili incumbere absque manifesto patriæ periculo nec poterat, neque etiam debebat. Vtrum igitur libertatem eis summa cum nobilium iniuria donaret, patriæque præsentis necessitatis ratione habita consuleret, vel vero nobilibus parcendo exercitus imminueret numerum, fere dubitabat. Sed vicit tandem dubitationem ingruentis necessitatis magnitudo, quæ extorquere potius, quam petere videbatur, vt pristina Siculis restitueretur libertas. Ingens erat barbarorum hostiũ multitudo, cuius respectu noster exercitus erat sane perexiguus, sed accedente Siculorum agmine, quorum erant capita circiter sexdecim millia qui arma ferre possent, mirum in modum augmentabatur. Itaque nonnullis propositis conditionibus Princeps libertatem eis licet inuitus donauit, moxq; in Transalpinam eos præcurrere iussit. Ipsemet quoque paucis post diebus castra mouens alpibus ægre ob cœnosissimi itineris difficultatem superatis ad villam Rukar in ipsis Transalpinæ finibus, & alpium angustiis castra ponit. Vbi dum tentorium eius extenderetur, nouum subito spectaculum militibus apparuit. Aquila namq; ingenti magnitudine præcipiti volatu ex alpibus delapsa, prope Principis tentorium consedit, quam conspicati milites prætoriani, qui forte aderant, accurrentes, cum repente humo se tollere præ magnitudine non posset, captam in Principis tentorium deduxerunt. Quod cum in vulgus exiisset, vt sunt varia hominum ingenia, alii aliud ex eo omen coniectare, pars ipsum Sinanum per aquilam designari, qui manus nostrorum non esset euitaturus, pars etiam sinistre augurium interpretabantur, quippe cum aquila Romani Imperii sit signum, quod ea in captiuitatem deuenerit, perniciem nostri exercitus, qui eiusmodi vteretur signo præsignificari augurabantur. In eo loco Princeps octidui moram duxit, partim vt Germanica auxilia expectaret, partim vero vt interea carri quorum maximus erat numerus, & propter itineris cœnositatem difficillime per alpes transportari poterant, in castra peruenirent. Itaq; cum iam & Germani maximis itineribus appulissent, carriq; transportati fuissent, motis ex eo loco castris, in eum vbi Palatini erant castra locũ ventum est. Hic quoq; militibus tempus ad recreandas vires datũ est, quo vegetiores deinde ad omnes belli labores subeundos redderentur. Interim tamen nostri quotidie pabulatum excurrebant, & cum hostes quoq; commeatuum gratia longius interdum excurrerent, non semel accidit vt in se mutuo incidentes prælium committerent, sed interdum hostes vix primos nostrorum insultus sustinuerunt, quin illico in fugam verterentur. Quo factum est, vt nostri singulis fere diebus maximis onusti spoliis in ca-

straro-

Digitized by Google

ſtra reuerterentur, nemine interim noſtrorum deſiderato. Quæ res tantum animi noſtris addidit, quantum ipſis hoſtibus ademit, nam deinde etſi interdum magnus hoſtium eſſet numerus, vix tamen paucis noſtrorum viſis illico ſe in fugam coniecere, pauciſſimis tantum fuit animi vt prælio decernerent, qui tamen & ipſi vt plurimum cęſi ad internecionem fuere. Comparatis iis rebus, quas tanti belli vſus requirebat. Princeps ex eo loco mouens alteris caſtris in quandam planiciem ſpatio vnius milliaris ab oppido Tergouiſtia vbi Sinani caſtra erant, diſtantem exercitum duxit, eo animo & apparatu, vti ſequenti die (quod Deus bene verteret) prælium committeret. Poſitis in ea planicie caſtris, cum iam milites & ex equis deſcendiſſent, & arma etiam alii depoſuiſſent, alii vero aliis rebus eſſent intenti, repente tumultus in caſtris exoritur. Ii namq; qui præterita nocte excubias egerant, eo momento in caſtra reuertebantur, qui cum à longe à quibuſdam qui lignandi cauſa in proximam ſyluam conceſſerant, fuiſſent viſi, hoſtium agmen eſſe rati, anhelo curſu in caſtra contenderunt. Eius cauſſam quærentibus nonnullis, reſponderunt ſe hoſtium armatum agmen à longe conſpexiſſe, iamiamq; pro caſtris affuturum. Quorũ verbis perſuaſi milites ad arma ſtatim conclamant, omnibus hoſtem adeſſe exiſtimantibus. Mox ſigno dato fit concurſus militum, & tanta erat omnium perturbatio, vt in ordines cogi neutiquam poſſent: pauci ſigna ſequebantur, reliqui nullo certo duce palantes & ſalutis ſuæ incerti diſcurrebant, creberrimi vbiq; ſclopetorum crepitus exaudiebantur, teſtamenta vulgo totis caſtris obſignabantur, iamq; prima acies in armis erat, Germani etiam ſuos ordines tenebant, parati ad pugnam ſi hoſtis affuiſſet. Interea nuntiatur Principi vanum eſſe rumorem de hoſtis præſentia: ſed neque ſedari milites poterant, neq; ſatis firma verbis adhibebatur fides, ita omnium animos pauor & trepidatio occupauerat. Princeps cum videret ita perturbatos eſſe militum animos, ſilentiũ cunctis imperat, & publico edicto ſancit, ne quiſpiam clamore tumultum in caſtris excitet, qui ſecus fecerit, crucis pœnam eſſe ſubiturum, & ita tandem imperio Principis ſubito ſilentium in caſtris fuit. Mons erat præruptus, qui æquo fere ſpatio ab caſtris vtriſq; aberat, ex cuius ſummo vertice plerique credunt, ipſummet Sinanum Principis exercitum cum in locum caſtrorum veniret, ſpeculatum fuiſſe. Sed quomodocunq; ſe res habuerit, certum eſt, quod poſteaquam Sinanus de ingenti Principis apparatu bellico certior factus animaduertiſſet, ſe imparem fore viribus Tranſyluanicis, nihil antiquius duxit, quam vt ſe exercitumq; è noſtrorum conſpectu ſubduceret, quod tamen ipſum ne quo modo purpuratis ſuis innoteſceret, impenſe curabat. Mox Ali Baſſa & Mehmet Bego, qui præcipui inter cæteros erant ad ſe vocatis, multis verbis eis perſuadet vti in arcem Tergouiſtiam egregio ab ſe opere valloque munitam concedant, ſe interim donec Tranſyluani eo appellerent exercitum ex eo loco ſubducturum fugamque per ſpeciem ſimulaturum. Quod ſi vero arx per Tranſyluanos obſeſſa foret, forti ſaltem animo ferrent obſidionem, ſe daturum operam vt hoſtes in ipſa obſidione nihil hoſtile metuentes, ſomnoq; ſopitos, ipſa noctis tempeſtate acie inſtructa adoriatur, quibus oppreſſis, nihil omnino poſtea potiundæ Tranſyluaniæ defuturum. His & ſimilibus eo barbarorum perduxit animum, vt etſi totus in fugam eſſet intentus, fidem tamen verbis fecerit. Ipſe valido militum & rerum omnium præſidio cum eis in arce relicto de quarta noctis vigilia caſtra mouens, quanta potuit feſtinatione Bucoreſtũ verſus contendit. Princeps etiam ſequenti die orto iam ſole ſignum tuba dari iubet, aciemq; inſtruit. In primo cornu quatuor millia equitum haſtatorũ collocat, quibus Michael prouinciæ eius Palatinus præerat, cui adiunxit etiam Stephani Chiakii turmas. Horum latera pedites pixidarii & falcati Siculi claudebant, mox Germanica Phalanx à tergo ſubſequebatur: poſt hos æneæ machinæ vectabantur. A dextro deinde primi cornu latere, duo agmina, quæ ſingula decem haſtatorum equitum millia continebant, ſequebantur. In læuo quoq; latere idem erat agmi-

nis ordo & numerus, quibus singuli duces viri præclari & industrii præerant. Postrema deinde duo erant agmina, quæ in medio præcedentes subsequebantur, vnum cui aurea signa præferebantur & hoc duodecim circiter equitum hastatorũ millibus constabat: alterum quod ipsemet Princeps tuebatur, & sic in vniuersum septem erant copiarum alæ. Quibus omnibus Generalem præfectum Stephanum Bochikaium summa dignitate virũ, magnis in Transyluania clientelis & opibus pollentem, ipsumq; Principem propinqua cognatione attingentem præficit. Hunc in modum instructa acie copias promouet, in eumq; vbi hostium fuerant castra locum peruenit. Verum cum animaduerteret inde hostem fugisse, insidias veritus suos quemq; diligenter ordines seruare iubet, in eumq; modum exercitus eam quæ sequebatur noctem in armis transegit. Quia vero Sinanus ante paucos dies Transyluanici apparatus inscius, iamq; se victorem esse ratus suos commonefecerat, se quindecim adhuc dierum moram eo loci facturum, neq; interea castra moturum, accidit vt pleriq; Turcæ pabulandi & commeatus agendi gratia longius excurrerent. Qui deinde omnium quæ circa Sinanum erant ignari, à pabulatione reuersi suorum adhuc ibi castra esse arbitrabantur, eumq; ipsa noctis tempestate in locum castrorũ vnde iam Turcæ fugerant, peruenirent, in confertissimos nostrorum ordines incidentes, vt plurimum trucidarentur, quamuis etiam nonnulli noctis beneficio euaderent. Hunc in modum cum exercitus totam eam noctem transegisset, non tamen orto etiam sole arma vt milites deponerent permissum fuit, verum vsq; in meridiem eadem ratione in armis steterunt. Interim etiam exploratores, quos Princeps speculandi hostium agminis gratia præmiserat, affuere, qui indicarunt hostes multum iam viæ processisse, neq; quicquam aliud quam fugam agere. Quo cognito Princeps, fugientemne Sinanum insequeretur, vel arci oppugnandæ, in qua validum erat hostium præsidium, insisteret, pene dubitans, dandum Sinano fugæ spacium duxit, nam hostẽ à tergo relinquere nimis periculosum fore arbitrabatur, intercludi enim exercitus commeatu poterat ab iis, qui in arce Tergouistia erant, si hostem fuisset secutus. Quod ne committeret, etiam atq; etiam præcauendum erat, itaq; in superiorem oppidi Tergouistiæ partem copiis ductis castra fecit, simulque arcem eiusdem oppidi quam Sinanus intra tam paucos dies, per quos illic statiua habuerat, validissimo opere valloque munierat, obsidet, tormentisque admotis cum arx vsque in sequentem diem ne quicquam quateretur, præualente munitionis opere, milites ad oppugnationem parari iubet, iamq; in occasum vergente sole oppugnationẽ ex tribus arcis partibus vrget. Hinc Siculi ligna, & piceam materiã succendendis ligneis munitionibus idoneam supportantes ignem tectis iniiciebant: inde scalæ muris applicabantur, pleriq; etiam absq; scalarum auxilio munitiones superare nitebantur: ex tertia parte tecta arcis machinis æneis impetebantur, quæ tantam patiebantur ruinam, vt in obsessorum capita conciderent. Cum vndiq; periculum obsessis impenderet, incerti extinguendone igni, quem iam tecta conceperant, aut propulsando hosti incumberent, vel vero periculũ ruinarũ euasuri sese in latebris abdendo saluti consulerent, (vndiq; enim imminens & præsentissimũ periculum oculis intuebantur) tandẽ complurimi manu facta per portulam quandam quæ nostris erat incognita, eruperunt. Sed ea res nostros latere non potuit, quippe iam antea constiterat, & ex certis signis cognitum erat, obsessos eruptionem meditari, quam ob causam quædam equitũ delectorũ manus in custodiis disposita fuerat. Ii animaduersa hostium eruptione cum equis veherentur, facile fugientem hostem sunt persequuti, quem illico fundunt fugantq; paucissimi duntaxat noctis euasere beneficio. Ali Bassa & Mehmet Begus arcis præfecti, siue honestam mortem turpi fugæ præferentes, siue aliud quippiam cogitantes arce excedere noluerunt, verum cum iam nostri expugnatis munitionibus omnia cædibus miscerent, locaque arcis abdita scrutarentur, & peruestigarent (quam ad rem aptissime sunt

edocti

edocti Siculi) in loco quodam secreto fuere inuenti, & ad Principem deducti. Cuius rei fama ad Sinanum qui tunc Bucuresti erat, perlata, tantum animo barbari iniecit terrorem, vt eam statim ad fugiendum occasionem arripiendam putauerit. Collectis ergo vasis oppidum Bucurestum inflammat, mox magna parte impedimentorum post se relicta desperatione actus ceu iam hostis adesset turpissime fugere cæpit, Girgioumq; quanta potuit festinatione contendit. Bucuresti templum quoddam erat, quod Alexander ante Michaelem tertius eius prouinciæ Palatinus maximis sumtibus exstruxerat; illud Sinanus antea munitissimo opere valloq; munierat, vt firmitatem Tergouistię facile munitiones excederent. Sed in tantũ eius animum occupauerat pauor, vt nec in eo loco quantumuis munitissimo hostem auderet expectare. Verum dato cuidam ex suis negotio puluerem bombardicum fundamentis templi suffodi, & ita negotium curari iubet, vt posteaquam exercitum inde abduxisset, & nostri, vt ipse sperabat in eum locum peruenientes munitiones occupassent, tum demum puluere succenso templi mole disiecta ruinis eius interimerentur, & sic quod palam conficere non posset, tali strategemate per insidias effectum redderet. Quæ quidem spes fefellit eius animum nam vt dicetur, Princeps diuerso itinere Bucuresto ad leuam relicto copias duxerat, vnde cum puluis in fundamentis succensus esset, nullo penitus damno dato molem disiecerat. Circa hoc tempus Principi nuntium allatum fuit ex inferioribus Hungarię partibus à Georgio Barbely, qui post captam arcem Lippensem anteactosq; labores spacio recreandi militibus dato copias ad Ieneum promouerat, arcemq; arcta obsidione cingens, paucis post diebus per vim expugnauerat. Cæterũ Principi imminens cura de Sinano erat, qui nondum Danubium traiecisse ferebatur. Capta itaq; eo, quo dictum est modo Tergouistia, copias promouet, eo consilio, vti vbicunq; Sinanum assequutus fuisset, belli fortunam cum eo periclitaretur. Quoniam autem qua Sinanus iter fecerat, agros populauerat, vicos omnes, & villas exusserat, & omnia in eam redegerat vastitatẽ, vt exercitus duci per eam partem neutiquã posset, alio quam quo is iuerat itinere Bucuresto ad læuã relicto, quo nondũ peruaserat vis Turcica, Princeps ductabat exercitũ. Cũ iã duorũ milliarũ spacio Gyrgio abesset, affertur Sinanũ cum potiori copiarũ parte Danubiũ traiecisse, residere etiã cis Danubiũ iustũ barbarorum numerum, qui flumen nondum superasset. Ad quam rem cognoscendam Princeps nonnullã delectorũ manum præmisit, quibus in mandatis dedit, vti occasione oblata, si integrũ sit, hostes prælio lacessitos transitu prohibere conarentur. Qui Girgioũ delati quamplurimos Turcas in saltibus oberrantes, multosq; armentorum & pecorum greges agentes offendunt, quos confestim prælio adorti fundunt fugantq; & omnes quos assequuntur trucidant, paucos captos ad Principem deduxere, ex quibus de hoste cognosceret, reliquos Girgioum vsq; propellunt, vbi magna adhuc hostium multitudo in ipso transitu pontis, cuius citerior pars ipsis Girgioi radicibus annectebatur, hærebat. Girgioum arx est egregie loci natura, & arte munita, quippe Danubius paulo supra arcem spacio aquas diuidit, quarum pars nonnulla quæ iusti fluminis speciem refert terram duorum circiter iugerum magnitudine ambiens, rursumq; in suum alueum refluens, insulam constituit: quo loco vndæ in se coeunt, illic arx aquis vndiq; circumdata emergit, nec nisi ponte adiri potest. Quo superato decem circiter passuum terræ spacio interiecto alter pons in ipso Danubio exstructus maior priori ipsius arcis, vt dictum est, radicibus annectitur. Ad quem barbari studio transeundi certatim accurrebant, cumq; alter alterius præuertere conaretur transitum, magnas in ipso ponte turbas dabant, ita vt ad arma deuenientes sese inuicem confoderent. Multi siue natandi peritia freti, siue etiam desperatione salutis acti præcipites de ponte in profluentem delapsi, eius gurgitibus absorbti interiere. Magno autem barbaris subsidio carri fuerunt, quorum maximo numero sese vndiq; circumsepserant, vt equestris exercitus

ad eos penetrare non posset. Interim Princeps cum exercitu affuit, cumq; cognouisset equestrem exercitum nullum hosti inferre posse incommodum, illico pedestres copias præmisit, quæ perturbato confestim carrorum ordine minori ponte superato ingenti cæde hostes tumultuantes prostrauere. Quo tempore peditum præcipue, quos pixidarios vocant, virtus præ cæteris enituit, qui cum sclopetis eminus hostes peterent, tantum profecerunt, vt occisorum cadaueribus plenus ipse Danubius aquas sanguine permixtas, & pene rubentes volueret, haustuque inidoneus redderetur, tanta siquidem erat cadauerum multitudo, vt si qui aquam haurire vellent, eam aut iumentorum, aut virorum cadaueribus insistendo haurirent: virorum, equorum, camelorum aliorumq; id genus iumentorum cadauera veluti in aceruis erant, multa in continenti sparsim iacebant occisorum corpora, plura autem vndæ & fluctus agitabant: crebris in locis morientium gemitus exaudiebantur: multi vulneribus confecti, semianimes conciderant: in summa nusquam non infandæ cædis facies repræsentabantur. Intuentes hoc ex vlteriore fluminis ripa Turcæ, tormentis nostros eminus petere non desistebant, verum nihil detrimenti nostris inferre poterant, omnibus pene globorum ictibus in irritum abeuntibus. Nostri etiam ex citeriore Danubii parte machinis hostes impediebant, sed diuerso effectu, nam hi qui machinis erant præpositi, optime ad eam rem administrandam edocti magna interdū hostibus inferebant incommoda, in confertissimos enim hostes machinarum aciem dirigentes globorū ictibus quamplurimos prosternebant. Quod barbari tractandarum machinarum rudes præstare non item poterant, quamobrem nostri tuto & absq; periculo rem administrabant. Multi ex barbaris naues, quas quinq; habebant, traiiciendi fluminis causa conscenderant, ex quibus tres incolumes euasere, duæ reliquæ tormentis concussæ nostrorum prædæ cesserunt. Posteaquam nostri transitu pontis barbaros, qui cis Danubium fuerant, prohibuissent, & ingenti cæde eos prostrauissent, pedites nonnulli ex iis, qui sub Moldauiæ Palatino stipendia merebant, duobus signis secum abreptis in pontem euaserunt. Quod cum animaduerterent barbari, qui trans Danubium erant, tantus subito metus eorum peruasit animos, vt licet nihil omnino de eo cogitarent, transituros opinarentur. Quare confestim securibus sumtis pontem rescindere cœperunt, vti hoc pacto rescisso ponte transitu intercluderentur. Maximo tunc damno Principis exercitus affici potuisset, nisi ii qui in arce erant puluere tormentario destituti fuissent, Sinanus enim antea omnem fere puluerem tormentarium transferri curauerat: magnam quidem pulueris vim cis Danubum in carris reliquerat, quo obsessi vti potuissent, sed is propter inopinatum nostrorum aduentum in arcem importari non potuit, neq; postea cuiquam vsui fuit, propterea quod cum nox iam immineret, per quosdam qui inter carros oberrabant, siue ex ignorantia, siue alia quapiam ratione succensus nullo penitus damno illato, in fumos abiit. Re hoc pacto vsq; in vesperum gesta, quamuis nox etiam immineret, non tamen equestres copiæ ab armis discesserunt, veritæ nimirum ne forte barbari ipsa noctis tempestate nauibus conscensis flumen traiicientes insidias struerent. Custodiis ergo vndiq; diligentissime dispositis, exercitus totam eam, quæ sequebatur noctem insomnem in armis traduxit. Sequenti die Princeps cum animaduerteret non esse magnopere hostiū insidias, reformidādas paullū ex eo loco, vbi exercitus noctē transegerat procedens, castra fecit, mox admotis iisdē tormentis, quib. Ali Bassa Tergouistiæ contra nostros vsus fuerat, arcis mœnia quassari iussit. Quæ res cum vsq; in sequentem diem impigre fuisset administrata, ingensq; in mœnibus factus esset hiatus, vt iam oppugnari arx tuto posset, imperatum à Principe fuit, vt ab singulis tentoriis bini homines armati ad oppugnandam arcem procederent. Eoq; expedito oppugnari arx cœpta est, sed nostris eo facilior oppugnatio fuit, quod obsessi puluere tormentario, vt diximus, destituti, sclopetis & tormentis maioribus vti in nostrorum perniciem non poterant,

Digitized by Google

rant, quorum loco lapidibus eos infestabant. Sed ea oppugnatio breuis fuit; neq; diu obsessi restiterunt, propterea quod ingruente nostrorum multitudine, præter eos qui hiatum superare contendebant; alii ex aliis arcis partibus muros conscendebant, vix vllo ipsis resistente, obsessi enim pleriq; desperatione adducti in abditis locis delitescebant, pauci propugnacula tuebantur: Quo factum est, vt qua parte mœnia concussa erant, inde etiam depulsis barbaris qui eam partem tuebantur, arx defensoribus destituta, omnibus qui in ea erant trucidatis, capta fuerit. Ita Girgioum tanti arx momenti, vt quæ centum circiter ab hinc annis Turcico paruit imperio, intra tam breue temporis spacium viribus Transyluanicis oppugnata, inspectante ipso Sinano vniuersoq; eius exercitu, in Principis potestatem venit. Veruntamen in ea Princeps nullum plane militum præsidium certis de causis relinquendum putauit, pręsertim autem quod barbarorum iniuriis admodum esse expositam, nec sine manifesto periculo in tam remoto ab Transyluania loco præsidium ali posse intelligebat. Igne itaque tectis iniecto inflammari arcem, pontem etiam rescindi, & nauium ex quibus pons constabat, tabulata exuri iussit. Quibus non sine singulari Dei præpotentis auxilio & prouidentia feliciter expeditis, & Sinano, qui antea toti orbi Christiano terrori fuerat, trans Danubium pulso, solutis castris Princeps exercitum reduxit, & copias ad Gergiciam vsq; oppidum Valachiæ alpibus vicinum, comitatus est. Ibi rebus prouinciæ cum Palatino compositis, Stephanum Bochkaium, Generalem copiarum præfectum cum exercitu reliquit: ipse paucis comitantibus præcessit, ac tandem superatis alpibus Brassouiã venit; Bochkaiũ ibi cum exercitu expectaturus. Vbi is quoq; cũ exercitu affuit, duorum circiter millium Siculorum exercitum Stephano Moldauiæ Palatino adiunxit, qui eum in prouinciam comitarentur, & pristinæ restituerent dignitati: reliquum exercitum domum in hyberna dimisit: ipse quoq; paucos dies Brassouiæ moratus, ingenti cum totius Transyluaniæ applausu & lætitia, re felicissime gesta, tantisq; rebus confectis, Albam Iuliam reuersus est.

FINIS.

REGVM HVNGARIÆ EX OPTIMIS SCRIPTORIBVS EXPLICATA GENEALOGIA:

Auctore

Ioanne Pistorio Niddano, &c.

Anno

Digitized by Google

ANNO post Christum 373. sub Valente Imper. Hunni in Panno-niam ex Scythia irruunt, sub Belæ, Cheuæ, & Cadichæ fratrum, Cheilæ filiorum ex familia Zomeiarum: item sub Attilæ, Budæ, & Cheuæ fratrum, ex alia Cadarum gente, imperio: vbi post multas & varias dimicationes, pacem consecuti, eligunt Regem ATTILAM, anno 401.

Prima familia regum Pannoniæ ex Hunnis.

Bendeguz ex familia Cadarum — N.

Attila Primùm cum reliquis Hunnorũ Dux, deinde Rex creatus, anno 401. totam Europam vastat bellis: tyrannus crudelissimus, qui se flagellum Dei cognominari voluit. Regnat anno 44. obiit anno 445.

Vxor *Ildica*, vel *Magelda* filia regis Bactrianorum.

Keimhelda filia Ducis Saxoniæ.

Honoria, soror Valentiniani Imp.

Buda à fratre factus ditionis, quæ inter Tibiscũ & Tanaim interiacet, dominus, occiditur à fratre: cõditor Budæ vrbis.

Aladarius; in bello contra fratrem occisus.

Chaba, contra fratrem pro imperio pugnans, sæpè victor, tandem à sociis fratris vincitur: & eiectus è regno, vnà cum sexaginta fratribus & 15000. Hunnis ad Honorium auunculum fugit: vnde post annos 13. in Scythiam redit, vbi è vita discedit.

Sic igitur Hunni cum Chaba in Græciam, & inde in Scythiam reuerterunt: Etsi quidam ad 3000. in Pannonia substiterunt, vbi occupata Transyluania nomen mutarunt, & Siculos se fecerunt, ne pro Hunnis agniti interficerentur.

Sed Hunni tandem Anno post Christum 744. facta noua eruptione in Pannoniam redeunt, vbi eorum, qui in Transyluania remanserant accessione cofirmati, primum septem castra in Transyluania constituerunt, ex quibus sub septem Ducibus vicinas gentes bello lacessebant; donec Svvathes vel Zvvatapolug filius Marothi, qui post patrem Pannoniam tenebat, armis deuictus illis de Pannonia cederet.

Duces, sub quibus in Transyluania viuebant, septem erant: primus *Arpadus*, filius Almi, qui secundo Hunnos ex Scythia eduxerat, & Athilæ fuerat abnepos: secundus *Zobolcus*, author familiæ Chiaciorum: tertius *Giula* pater Sarolthæ: quartus *Chundus*: quintus *Lehel*, qui Zuardorum familiæ dedit originem: sextus *Verbulchus*: septimus *Vrsus*. Deinde igitur aliquandiu sub Ducibus Pannoniam administrarunt, & bella in Germania, Italia, aliisq; prouinciis vario euentu gesserunt, donec Geysa Dux filio Stephano Regiam iterum dignitatem impetraret. Contingebat verò sanguinis cognatione Attilam Geysa gradu septimo, & erat abnepos Almi; qui atnepos erat Attilæ. Geysæ igitur familiam, quam regnum Pannonicum diutissimè retinuit, in subiecta tabula explicabimus, prætermissis Ducibus: quorum res gestæ à literis vel absunt, vel non satis sunt explicatæ.

Digitized by Google

Bendeguvz, aliis *Mundizicus*, ex familia Cadarum.

Attila Rex primus Hunnorum in Pannonia, cognominatus flagellum Dei, victor totius Europæ, & tyrannus. Regnat anno 44. & 445. — *Kremhilda* filia Ducis Saxoniæ.

Honoria soror Valentiniani Imperat. —

Buda à fratre interfectus.

Chaba, vt antea in bello contra fratrem victor, eiectus ex Pannonia, primum in Greciam, inde in Scythiam recedit, vbi moritur. — *Chaba* ex familia Corosmanorum.

Aladarius, occisus in bello contra fratrem.

Edemen.

Ed — N.

Kegecus — N.

Elendus — N.

Almus, magnæ indolis, ex Scythia Hunnos reducit, anno 744. sed occisus in Transyluania, non venit in Pannoniam. — N.

Arpadus primus inter septem Duces, qui in Transyluania Hunnos rexerunt.

Zoltkanus.

Toxys, Dux Hungariæ, clarissimus miles, Hungaros in Italiam deducit, pater Geysæ, auus Stephani. — N.

††

††

Geysa, Dux Hungariæ, primus in ea gente Christianus Princeps, moritur anno 997. — *Sarolthα* filia Giulæ tertii Capitanei, qui Hunnos in Transyluania gubernabat.

Michaël — N.

Prima familia in regnum restituta.

Gisela soror Henrici Imp. cognométo Sancti. Scriptores Vngari volunt, Imp. fuisse ex sorore Gertrudæ neptini, sed vitiose. — *D. Stephanus.* Primus iterū Hungariæ rex à patre & subditis renuntiatus paulò ante patris obitū: natus verò Strigonii an. 969 studiosissimus Christianæ religionis: è vita emigrat an. 1038. in festo Assumptionis Mariæ, sepultus Albæ. — Vxor altera *Gisela*, filia Guilielmi Burgundi.

Emericus magnæ indolis iuuenis, cui pater regnum tradere cogitabat, obiit ante patrem an. 1031. castitatē cum vxore seruauit. — Vxor nunquā cognita ex regia stirpe.

N. filius. N. filius.

N. filia soror S. Stephani — maritus *Guilielmus* Burgundus. Vngarici annales fratrem Sigismundi regis fuisse volūt, sed falsissimè.

N. filia soror S. Stephani — maritus *Aba* vel *Ouo*, rex contra Petrū electus, quē exilio multat: sed Petro Germanorū armis repetente regnum, victus & à suis occisus est.

Vxor secundā Alberti Austriæ Ducis soror. — *Petrus*, Rex secundus Hungariæ, à Gisela regina factus, tertio regni anno exuitur regno: & restitutus, cùm iterum triennum regnasset, excæcatus ab Andrea & Leuanta fratribus, sepultus Quinqueecclesiis. — Vxor Iuditha vidua Bretislai, Ducis Bohemiæ, filia Othonis III.

Ladislaus caluus, filius Michaelis, nepos Toxi.

Verte & quære ☞

Vazul — Huius filius, cùm à Stephano rege ad spem regni vocaretur, iussæ reginæ Giselæ, excæcatus esse dicitur.

H

Ladislaus — vxor Ruthena.

Bela, cum fratribus in Bohemiam fugit, inde in Poloniam: vbi à Duce Micislao in generum ascitus, quod Pomeranum Ducem rebellem duello superasset, & dominus factus est Pomeranię. Tandem à fratre Andrea ad communem Hungarici regni administrationem vocatus, tertiam Hungariæ partem regendam accipit. Sed odio fratris fugit in Poloniam, & accepto milite fratrem superat, & coronatur Rex Hungariæ VI. & mortuus est, cùm triennio regnum tenuisset, ex casu oppressus, Anno sepultus in D. Saluatoris cœnobio à se extructo.

Filia Micislai — Ducis Poloniæ.

Andreas, cum fratre Leuanta in Bohemiam, & inde in Poloniam: & rursus in Lodomeriam: & deinde in Cumanorum ditionem secedit: & tandem in Rusciam: vnde cum fratre Leuanta reposcitur ad regnum ab Vngaris, qui Petrum Regem oderant. Coronatur igitur Rex, capto & excæcato Petro, anno 1047. & Rex factus, cum Bela fratre regnum partitur, duasq; ille partes retinet. Sed Bela frater ex Polonia adductis copiis, fratrē bello aggreditur: Sic igitur superatus Andreas, & captus, obiit in sylua Bokon, sepultus in monasterio Tychoniensi.

— *Agmunda*, filia Ducis Ruthenorum.

Leuanta, cum fratre Andrea, cui exilii socius fuerat reuocatus in Vngariam ad Regnū, non multo post moritur.

Adelheyda, quam alii filiam Andreę esse volunt, ego sororē fuisse puto: vxor Vratislai ducis Bohemiæ.

Geysa mortuo patre cedit Salomoni patrueli de regno, ipse Dux Hungariæ factus: sed irritatus à rege manū conserit cū rege, & illo fugato Rex creatur VII. obiit post, anno tertio regni, an. 1076. 7. Cal. Maii.

N. —

S. Ladislaus, rex à *Lambertus* subditis electus mortuo fratre, Dalmatiam & Croatiam Hungariæ adiungit. Vincit Cunos & Ruthenos, obiit 19. regni anno, an. Christi 1095. 3. Cal. Aug. — N.

N. filia, vxor Celeniri, regis Dalmatiæ.

N. filia vxor Othonis Marchionis Morauiæ.

Salomon Rex V. Hungariæ, à patre viuo renuntiatus, mittitur in Germaniam ad socerum Cæsarem, cùm Bela inferret bellum patri. Sed mortuo patruo Bela cum armis rediit in Hungariam, & Rex factus, an. 1063. regnat placidè annis tredecim. Sed cùm exitiū strueret Geysę, bello petitur & superatur. Tandem etiam à Ladislao patruele Rege captus elabitur. Et cū regnū frustra repeteret, fit Eremita. Sepultus Polæ in Istria. — *Sophia* filia Henrici Cæsaris.

Dauid — N.

Adelheyd vt multis videtur: ego sororem Andreæ fuisse puto, non filiam: nisi ante Agmundam, quam serò duxit, habuit aliam vxorem Andreas.

β

Pyrisca vxor Emanuelis Græci Cæsaris.

Vxor II. filia Regis Ruthenorũ repudiata ꝓpter adulterium.

Borichius ex adulterio susceptus.

Colomannus, cum videretur esse crudelior, à fratre in religiosam vitam traditus, fit episcopus Vradiensis: sed præcedente fratre, coronatur nonus Hungariæ Rex. Regnat anno 25. mens. 6. die 5. obiit anno 1114. 3. non. Februar. sepultus Albæ.

Filia vxor Othonis, ducis Venetorum, filii Petri Vrceoli.

Almus, à patruo Rex testamẽto institutus, cedit fratri, sed post multas simultates, sub pacis specie, priuatur oculis cum filio anno 1113. Fugit in Græciam, & Almi nomen in Constantinum commutat.

Vxor I. *Adelheida* filia Rodolphi Comitis à Rheinfelden, electi Cæsaris.

Ladislaus.

Stephanus II. Rex X. Hũgariæ, successit patri, homo meretricius. Regnat ann. 18. obiit anno 1131. sepultus Vradini.

Vxor filia Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ.

O

Nicolaus obiit anno 1112.

Adelheit vxor Soheslai ducis Bohemiæ.

Sophia.

Bela cum patre excæcatus & multatus exilio, reuocatur clam ab Hungaris, cum Stephanus II. non haberet sobolem: & à rege hæres institutus fit Rex Hungariæ XI. etsi magnum negotium à Borichio habebat, Colomanni Regis adulterino filio, discessit è vita anno 1141. Idib. Februar. sepultus Albæ, cum regnasset annis 9. mens. 11. dieb. 12. — *Helena* filia Vri magni Comitis in Seruia.

N. filia.

Geisa II. sed Rex Hungariæ XII. succedit patri, coronatus in die S. Cæciliæ, regnat annis 20. & tribus mensib. & diebus 15. obiit anno 1161. pridie Cal. Iunii. Sepultus Albæ. — filia Minoslai Principis Rothenorũ.

Ladislaus Dux Hungariæ factus à fratre & tandem contra fratris filium per vim Rex Hungariæ, dimidio anno. Obiit enim anno 1172. Cal. Februarii.

Stephanus affectat regnum post patrem Ladislaum: & coronam accepit anno 1172. 3. idus Febr. quam retinuit mens. quinq;, & eiectus de regno, obiit anno 1173. 4. Non. Martii. — *Maria* Isaaci fratris Emanuelis Græci Imp. filia.

Almus.

Geisa vt antea —— Filia Minoslai vt antea.

N. —— *Stephanus* III. succedit patri Rex xv. regnat annis 11. mēs. 9. dieb. tribus. Habet negotiū à patruis regni cōpetitoribus: mortuus anno 1173. quarto non. Martii sepultus Albæ.
| o

N. filia vxor Svvatoploci filii Regis Bohemiæ.

Bela III. post mortuum fratrem Rex xvi. coronatus, feria 1. Idib. Ianuarii è vita discedit anno 1190, vel vt alii 1199. Cal. Maii, Sepultus Albæ. —— Margareta filia Ludouici iunioris soror Philippi Regis Galliæ, obiit in Siria post maritū Acræ Anno 1194.

Arpad

Geisa

Andreas rebellis, primum fratri, postea fratre & nepote mortuo Rex xix. Hungariæ cognomento Hierosolymitanus: coronatur anno 1201. 4. Cal. Iunii in festo Pentecostes. Profectus Hierosolymā, redit victor, Emigrauit è vita anno 1235. tricesimo regni sui anno. Corpus in Egres monasterio repositum.

Emericus filius succedit in patris regnū Rex xvii. Aliqui Henricum vocant. Fratrem Andream ad regnum aspirantem repressit: obiit mortem anno 1200. prid. Cal. Decemb. sepultus in Agriensi Ecclesia vxor —— *Constantia* filia Regis Aragoniæ Alphonsi secundi.

Ladislaus IV. post patrē Rex Hungariæ xviii. coronatus anno 1200. 7. Cal. Septembr. regnat menses 6. dies 5. ob. anno 1201. non. Maii sepultus Albæ.

I. *Gertruda* filia Bertoldi ducis Meraniæ occisa anno 1216. —— eius Vxores —— II. *Iolanda* Petri Imperat. Constantinopolitani filia, ex matre Iolanda Flandra *Iolesia* vel *Iolanda* vxor Iacobi regis Aragoniæ. —— III. *Beatrix* Aldrouandia Estensis Principis filia; ducta anno 1235. 14. Maii in Alba Regali

Colomannus Dux Hungariæ Rex Haliciæ in Ruscia, venit subsidio fratri contra Tartaros, vbi occumbit.

Bela IV. succedit patri Rex xx. coronatus anno 1235. prid. Idus Octobris, sed è regno expulsus à Tartaris, restituitur à Frangepanibus. Gerit bellum cum Otocaro Rege Bohemiæ: emigrat è vita anno 1275. non. Maii, sepultus Strigonii. —— Maria filia Græci Imperatoris, aliis Micislai Haliciensis filia.

Andreas.

S. Elisabeth vxor Ludouici Landgrauii Thuringiæ, & Hassiæ.

Stephanus posthumus, in Italia natus, contra maternum annum Estensem, Marchionatum affectat, sed eiectus venit in Arragoniam ad Regem affinem: Inde reuersus in Italiam fit prætor Rauennæ: & iterum eiectus, & profectus Venetias, ducit opulentam vxorem — *Thomasina* Veneta ex Maurocenorum familia.

Andreas cognomento Venetus, quod Venetiis natus esset, in Hungariam vocatur, viuo adhuc Ladislao V. cui mortuo succedit XXIII. Rex Hungariæ, debellat Austriam, subiit mortem Anno 1301. in festo S. Felicis, in arce Budensi.

Stephanus XXI. Rex Hungariæ V. istius nominis: vincit Bohemos & Austrios: moritur anno 1276. in magna Insula, sepultus in Budensi Insula 3. regni sui anno. — *Fenuenna* filia Zemonusli ducis Cuiaye in Masouia † 1292.

Kunigunda vxor Boleslai pudici, ducis Poloniæ.

Elisabeth vxor Henrici ducis Bauariæ.

Bela obiit ante patrem.

Anna vxor Roscislai regis Bulgariæ mater Kunigūdæ Reginæ Bohemiæ.

Andreas summersus in Polonia anno 1290.

Ladislaus istius nominis quintus alias XXII. Hungariæ Rex, cognominatur Chunus. Interfectus à Cumanis anno 1290. Aliis anno 1299. feria 2. proxima ante festum D. Margarethæ: Scortator maximus. — Vxor filia Caroli Regis Siciliæ primi.

Maria vxor Caroli Claudi.

Digitized by Google

FAMILIA HVNGARIÆ Regum II.

MORTVO Ladislao V. Regia dignitas, *Andreæ* Veneto consobrino Regis oblata fuit: cui statim Pontifex Romanus. *Carolum* filium Siciliæ Regis opposuit: etsi quamdiu viueret, Andreas regnum obtinebat. Sed mortuo Andrea, contra Carolum à quibusdam primariis Hungariæ Regulis & Pontificibus primum ad regni administrationem vocatus *Wenceslaus* Rex Bohemiæ sed illo recusante filius Wenceslai Vvencellaus adductus & *Ladislaus* cognominatus, eo quod proauia illius paterna filia fuisset Belæ quarti Regis: & Regio diademate in Alba Regali à Ioanne Archiepiscopo Colotiensi, coronatus fuit. Sed cum in potestatem suam Hungariam propter Caroli Secundi interpellationem redigere non posset, à patre Vvenceslao domum Anno M. CCC. III. ex Buda cum iusto exercitu reducitur, corona etiam regni in Bohemiam secum ablata.

FAMILIA III. REGVM Hungariæ.

SED illi iidem qui Vvencellaum adduxerant, *Othonem* Bauariæ Ducem tanquam regni ex matre Elisabetha, quæ filia Belæ Quarti Regis erat, hæredem, ad spem regni vocant: & aduenientem cum corona, quam à Vvenceslao Rege Bohemiæ impetrauerat, in Regem eligunt. Corona Anno 1305. in Alba Regali à Vesprimiensi Benedicto & huius fratre Antonio Chianadiensi Episcopis in caput illius imposita. Itaque se pro Rege gessit, donec non multo post in Transsyluaniam profectus, à Ladislao istius prouinciæ Palatino intercipitur, & carceri inclusus non prius dimittitur, quam regnum abiurasset: Vnde deiectus de regno, domum redit in Bauariam.

IIII. HVNGARIÆ REgum familia.

SIc igitur tandem *Carolus* Caroli Martelli filius & nepos Mariæ Hungaricæ, quæ fuerat Ladislai Quinti Regis, ex patre Stephano soror in regno confirmatur & Albæ Anno 1310. die post festum Sancti Stephani Regis octauo, qui tum Iouis erat, Rex coronatur vicesimus sextus Hungariæ. Coronam enim Ladislaus Transsyluaniæ Palatinus reddiderat, metu adductus. Familiam igitur noui Regis iam exponemus.

Caro-

Digitized by Google

Carolus comes Andium, Conomanorum & Prouinciæ, postea à Papa factus Siciliæ Rex: filius Ludouici Galliæ Regis, frater Ludouici S. obiit an. 1284. — Vxor secunda *Beatrix* filia Raimundi Berengarii, Comitis Prouinciæ.

- *Blanca* vxor Roberti Comitis Flandriæ.
- *Carolus Claudus* succedit patri, cũ prius esset Princeps Salernitan. mortuus est ann. 1308. 4. Non. Maii. — *Maria* Stephani Regis Hungariæ filia, soror Ladislai V.
  - *Carolus* Martellus Princeps Salernitanus, hæres Hungarici regni, obiit ante patrem. — *Clementia* Rudolphi Imper. filia.
    - *Clementia*, vxor Ludouici Vtini, Regis Galliæ.
    - *Carolus* dictus *Carolo-Robertus*, venit in Hungariam puer XI. annorum, an. 1299. contra Andream regem: sed vix tandem regnum obtinuit, factus XXVI. Hungariæ Rex, & coronatus Albæ, an. 1310. in octaua S. Stephani. Regnum aui Siculum, quod Papa adiudicauerat patruo illius Roberto, frustra repetit. Discedit è vita anno 1342. 17. Cal. Augusti, sepultus in Regali Alba, quod ex visegrado funus erat delatum.
      - Vxor I. *Maria* Casimiri Ducis Poloniæ filia, obiit anno 1315.
      - Vxor II. *Beatrix* filia Henrici Lucelburgici Cæsaris, nuptiæ ann. 1318. obiit eodem anno.
      - Vxor III. *Elisabetha* Vladislai Lokteri Regis Poloniæ filia. Nuptiç anno 1320. † 1381. Budæ. **
  - *Robertus* Dux Calabriæ, & post patrem Rex Siciliæ. De hoc & septem illius aliis fratribus & quinq; sororibus alio loco dicetur.
- *Beatrix* vxor Philippi, qui Imper. Constantinopolitani filius erat.

* *

Carolus infans natus anno 1321. obiit eodem.

Ladislaus natus anno 1324. in festo S. Remigii, mortuus anno 1329.

Ludouicus natus anno 1326. 3. non. Martii, fit Rex Poloniæ an. 1339. libera resignatione auunculi Casimiri Regis: deinde succedit patri, Rex XXVII. Hungariæ. coronatus in Alba Regali anno 1342. Occupat regnum Neapolitanum, quod reddit Papæ. Coronatus Rex Poloniæ anno 1370. Regnat annos 41. mensem vnum dies 22. obiit anno 1382. 11. Septembris, sepultus in Albæ Regali.

— *Margaretha* filia Caroli IV. Cæsaris, mortua anno 1349.

— *Elisabetha* filia Stephani Regis Bosnæ, summersa à Ioanne de Hopliath præfecto Croatiæ.

Catharina obiit puella, promissa Ludouico Aureliano, Caroli V. Regis Galliæ filio.

Maria hæres patris vxor Sigismundi Cæsaris.

Hedvviga vxor Iagellonis primi ex ea familia Regis Poloniæ.

Andreas, natus anno 1327. in festo S. Andreæ, Rex Siciliæ ex vxore, & testamento Roberti qui vxoris auus erat. Strangulatus ab vxore moritur Anno 1345.

— *Ioanna* filia Caroli, Ducis Calabriæ neptis Roberti regis Neapolitani.

Stephanus natus anno 1332. in festo S. Stephani.

FAMI-

FAMILIA IV. HVNGARIÆ REgum noua appendix.

MORTVO Ludouico, Rege vicesimo septimo, cum Maria filia in Poloniæ & Hungarię hæreditatem venire deberet, Polonię quidem regnum in Hedvvigam sororem & huius maritum Ingellonem Lituaniæ Ducem, cui postea baptisato Vladislai nomen imposuerunt, transtulerunt Poloni. Sed Hungariæ Regnum perfidia subditorum venit ad *Carolum paruum* Regē Neapolitanum, ex eadem Neapolitanorum Regum familia natum, filium, vt volunt Gallici scriptores, Ludouici Dyrrachini Ducis, nepotem Caroli Claudi: etsi alii huius pronepotem faciunt, & filium Caroli illius, qui Auersæ interfectus fuit, nepotem vero Dyrrachini Ludouici esse volunt: quibus ego quoq; assentior. Vtut sit, constat gentilem & consanguineum fuisse Ludouici Regis ex Caroli Claudi Regis familia. Hic igitur Carolus vocatus ad Hungariæ regnum, cum prius Neapolitanus Rex esset, primum gubernatoris Hungarici Regni asciuit sibi nomen, deinde confirmatus, coronam fraude acceptam sibi accommodat, Rex coronatus XXVIII. sed non multo post occiditur à Blasio Forgach, instinctu Nicolai à Vara Palatini, aiunt cum primum lethale in capite vulnus accepisset, postea in carcerem deductum venenoso Emplastro & obstructis faucibus finem accepisse vitæ. Accidit illud anno 1385. Visegradi in arce.

FAMILIA V. REGVM Hungariæ.

MORTVVM Carolum vltus Ioannes de Horvvath Croaciæ pręses, interfecta Elisabetha regina Ludouici vxore & matre Mariæ, reddit Sigismundo Marchioni tum Brandeburgensi vxorem Mariam Reginam quam in custodia inclusam detinebat. Itaq; Sigismundum Brandeburgensem Marchionem filium Cæsaris Caroli IV. maritum suum Maria regina, Regem facit Hungariæ in publico conuentu, quem in Alba Regali indixerat, & coronam illi, tum 20. annorum adolescenti imponit in die Pentecostes anno 1386. Sigismundi illa est familia.

Carolus IV. Rex Bohemiæ & Cæsar deinde Romanus: filius, Ioannis Regis Bohemiæ, nepos Henrici septimi Cæsaris. — Vxor IV. *Elisabetha* filia Bugislai Ducis Stetinensis Pomerani.

Sigismundus Marchio Brandeburgensis à patre, deinde Rex Hūgariæ XXIX. coronatus anno 1386. propter vxorem Mariam. Deinde electus Cæsar Romanus anno 1411. Et rex Bohemiæ coronatus anno 1420. Post prioris vxoris obitū, retinet tamen regnū fidelitate Archiepiscopi Strigoniensis, Ioannis de Kanisa: etsi diu captus à Stephano Vayuoda Ladislai filio, pene locum dederat Vladislao Regi Poloniæ, sed liberatus retinet regnum & Romanus Imp. anno 1432. renuntiatur. Obiit anno 1437. in Morauia 9. Decemb. Znoymæ. Sepultus in Ecclesia Varadinensi, cum vixisset annos 70.

Vxor II. *Barbara* filia Vilhelmi Comitis Ziliæ ex matre, Anna filia Casimiri Regis Poloniæ. Alii Barbaræ patrem Hermannum vocant.

Vxor I. *Maria* filia & hæres Ludouici Regis Hungariæ & Poloniæ moritur. O

Elisabetha filia & hæres patris, vxor Alberti Austriaci.

Digitized by Google

FAMILIA VI.

POST Sigismundum, qui regnum inuitis multis Regulis conseruauerat, successit *Albertus* Dux Austriæ, atnepos Rudolphi Cæsaris, XXX. Hungariæ Rex, quod filiam vnicam Sigismundi in matrimonio teneret. Inungitur in Regem Anno 1438. Calend. Ianuarii, eius familiam subiicio.

Albertus II. Alberti Cæsaris filius. — *Ioanna* Comitissa à Pfirdt.

Albertus III. — Beatrix Burggrauia Noribergensis.

Leopoldus II. atauus Cæsaris Ferdinandi.

Albertus IIII. Alberti III. filius nepos secundi, pronepos Alberti I. Cæsaris, abnepos Rudolphi Cæsaris, Dux Austriæ. — Ioanna filia Alberti Bauari, Comitis Holandiæ.

Elisabetha Sigismundi Cæsaris & Vngariæ atque Bohemiæ Regis vnica filia. — *Albertus* V. à patre Dux Austriæ: ex vxore Rex Hungariæ & Bohemiæ: & tandem Rex Romanus moritur, Anno 1439. 28. Octob. sepultus in Alba Regali, cùm in Hungaria regnasset annum vnum, menses nouem, dies 28.

Georgius obiit puer.

Ladislaus posthumus, infans quatuor mensium, coronatus Rex Hungariæ à plurimis Episcopis & Regulis: sed quod infans esset, reiectus ab Vngaris, cedit Vladislao Poloniæ Regi. Quo mortuo, reuocatur in regnum, Anno 1453. Cùm Rex Bohemiæ coronatus esset, Anno 1452. & nuptias iam contracturus cum Galliæ Regis filia: & profectus in Bohemiam, emigrat è vita, Anno 1458. 23. Nouemb. ex veneni suspicione Pragæ: sepultus Pragæ in primario templo, viuum delitias orbis nominare solebant. — Sponsa nondum adducta Magdalena Caroli VII. Regis Galliæ filia.

Anna vxor Ducis Saxon. VVilhelmi, ex Marchionibus Misnensibus.

Elisabetha vxor Casimiri Regis Poloniæ.

Digitized by Google

FAMILIA VII.

MORTVO Alberto, Barones Hungariæ *Ladislaum* Poloniæ Regem vocant: & tametsi in itinere comperissent, natum esse mortuo Regi posthumum filium, tamen negotium suum non intermittunt. Venit igitur Vladislaus Polonus. & tametsi Regina Alberti Regis vxor filium infantem omnibus ceremoniis Regem fecerat, & vna cum corona in Germaniam ad Fridericum Cæsarem deportari iusserat: tamen & ipse corona de sancti Stephani capite detracta in Hungariæ Regem consecratur: vnde perpetuę inter vtramq; factionem erant dimicationes, donec tandem tum obitu Elisabethæ Reginæ, tum diligentia Iuliani Cardinalis pax constitueretur. Hic, Turca semel cæso, postęa pactis induciis, cum fidem non seruaret, occisus in pugna Varnensi, misere periit Anno 1444. pridie Martini cum regnasset, quatuor: vixisset 21. annis. Natus enim erat Anno 1424. pridie Cal. Nouembris.

RESTITVTIO REGNI IN VI. familiam.

CVM Vladislaus occubuisset primum Ioannes Huniades Transsyluaniæ Palatinus, accipit gubernandi regni conditionem, & omnia egregie administrauit: donec Ladislaus Alberti Regis filius à Cæsare Friderico in Hungariam remitteretur: vbi tum Anno 1452. appropinquante anno, puero hæredi regnum restituebat, Rex vicissim puer, Huniadem creabat perpetuũ Bitricensem Comitem. Rediit igitur in Hungariam Ladislaus puer Anno 1453. factus etiam Rex Bohemiæ: & reuersus in regnum, cum Ladislaum Huniadem, qui exultantem Ciliæ Comitem Vlricum interfecerat, in gratiam recepisset, & tamen contra fidem capitis supplicio affecisset, ipse nuptias animo cogitans & in Bohemiam profectus, moritur Pragæ, paulo ante nuptias Anno 1458. 23. Nouembr. cum natus esset 18. annos, Vide in sextæ familiæ tabula.

FAMILIA VIII. REgum Hungariæ.

IN mortui Regis locum, *Mathiam* Huniadem, Ioannis filium, & occisi Ladislai fratrem è carcere Bohemico, in quo eum superior Rex incluserat, ad regnum Hungaricum proceres Anno 1459. euocarunt. Is pecunia à Bodebracio Bohemiæ Rege redemptus, cum Coronam Hungaricam Friderico Cæsari expressisset XXXIII. Hungariæ Rex renuntiatur, coronatus Anno 1464. in die Cænæ Domini: sexto regni anno ad Bohemiæ etiam regnum occupandum inuitatur à Pontifice, & erat Rex iam Episcoporum suffragiis contra Boiebracium declaratus. Verum præter Sylesiam Lusatiam & Moraviam nihil obtinet: tametsi Cæsar etiam in illum Bohemici Regni ius contulisset. Tandem post varia feliciter administrata bella, repentino extinguitur Viennæ, correptus Apoplexia, in festo Palmarum Anno 1490. in prandio, sed vitam tamen retinuit, vsq; in Lunæ diem insequentem, qui Sanctus erat Aprilis.

Digitized by Google

FAMILIÆ VIII. EXplicatio.

Ioannes Huniades, clarissimus miles victor Turcarum, præfectus primum Transsyluaniæ, sub Vladislao Polono, Inde Comes Bitricensis perpetuus sub Ladislao Austrio Rege. Cognominatus Fulmineus terror Turcarum, moritur ex belli labore cum integro biduo 40000. Turcas cæcidisset, anno 1456. ex die Septembris, sepultus Albæ in Transsyluania. — *Elisabetha* soror Michaelis Zilagii de Horogzegk.

Ladislaus lacessitus, Vlricum Comitẽ Regis Ladislai interfecit ann. 1456. Etsi vero rex veniam illi iuratus dederat, tamẽ nõ multo post, capite truncatur, florente ętate adolescens 26. annorum. — Sponsa filia Ladislai Palatini Garensis

Vxor 1. *Catharina*, filia Georgii Badebracii Regis Bohemiæ, obiit 4. matrimonii anno.

Vxor 2. *Beatrix* filia Regis Neapolitani Ferdinandi.

Cõcubina

Mathias puer in carcerem detrusus à Ladislao Austrio Rege, in Regem eligitur, extractus ex carcere anno 1459. sed propter ipsius immaturam ætatem regni gubernator declaratus est auunculus Michael Zilagius de Horogzegk, quod Mathias primum annorum esset septemdecim. Cum coronam à Cęsare 70000. aureis redemisset, coronatur Anno 1464. in festo Cænæ Domini. Renuntiatus etiam Rex Bohemię 1469. Silesiam tantum obtinet, Egregius & laudatissimus Rex in pace & armis: moritur Viennæ ex Apoplexia anno 1490. die 5. Aprilis, sepultus in Alba Regali.

Ioannes quem pater Regem Hungariæ creare cupiebat, & heredem fecit totius patrimonii: Vladislaum II. Regem Poloniæ oppugnat, sed victus omnia amittit, & patris vna pecuniariam hereditatem: tandem cæcus ab Hungaris in interregno obiit.

REGNI IN VII. FAMILIAM Polonicam restitutio.

MATHIAE nouus iterum ex Polonia Rex substituitur *Vladislaus*, Casimiri filius, Alberti Austrii Regis Hungariæ ex filia nepos: & cum per astutiã Reginæ viduæ, Maximiliano Cæsari, & Ioanni Alberto fratri Polono prælatus esset, Rex 15. Iulii renunciatus, Coronam accipit 14. Septembris anno 1490. Cum prius Rex Bohemiæ esset. Paciscitur cum fratre cui Glogoniæ, & Tropaciæ Ducatus in Silesia attribuit. Maximiliano Cæsari successio Regni promissa fuit, si Rex sine liberis decederet. Sic totam Hungariam obtinuit Vladislaus: Et Rex factus, Beatricem Mathiæ viduam, cuius pecunia & assiduitate regnum occupauerat, repudiat contra iuratam matrimonii fidem: vt multis videtur. Ducit vero Gallicam magnæ nobilitatis vxorem: vt in proposita tabula vides, in qua totam septimam familiam explicaui, quãtum ad intelligendam Hungariæ Regum successionem erat satis.

FAMI-

FAMILIA VII. HVNgariæ Regum.

Iagello filius Olgerdi, Dux Lithuaniæ, factus Rex, ex primis nuptiis, Poloniæ, & cognominatus *Vladislaus* ex baptismo, moritur anno 1434.

Vxor IV: *Sophia* filia Andreæ, Ioannis Ducis Kiouiensis

Vxor I. *Hedvvigis* filia Ludouici Hungariæ Regis & Poloniæ † anno 1399.

Elisabetha Bonifacia moritur in infantia.

Vladislaus natus anno 1424. vltimo Octobris, Rex Poloniæ anno 1434. Rex Hungariæ anno 1440. vt est superius in septima familia. Interfectus in pugna Varnensi anno 1444. pridie Martini, cum promissam Turcis induciarum fidem non seruasset, adductus à Romano Papa, iuuenis tum annorum 21.

Casimirus infans mortuus.

Casimirus II. natus anno 1427. 3. Cal. Decembr. Rex Poloniæ coronatus anno 1447. moritur anno 1492. 7. Iunii.

Elisabetha filia Alberti Austrii Cæsaris & Regis Hungariæ ac Behemiæ. Nuptiæ anno 1454 moritur ann. 1505.

Vladislaus, natus anno 1456. Cal. Martii, post horã tertiam noctis, electus Rex Bohemiæ, & coronatus in Augusto anno 1471. 25. Maii: Rex Hungariæ anno 1490. 14. Septembris: moritur anno 1516. 3. Martii, annorum 61.

Ioannes Albertus Rex Poloniæ: electus etiam Rex Hungariæ, cedit fratri.

fratres adhuc quatuor & sorores septem.

Sponsa repudiata.

Beatrix Regina vidua Mathiæ Regis Hungariæ.

Vxor *Anna* filia Ioannis Comitis de Candella in Vasconia ex familia Comitum Fecensium. Nuptię anno 1502. 29. Septemb. obiit ex 2. partu anno 1506. 26. Iulii.

Ludouicus natus anno 1506. Calen. Maii, paulo ante meridiem: coronatus Hungariæ Rex anno 1508. die 4. Iunii, sed Rex Bohemiæ anno 1509. 11. Martii: periit in bello ad Mogazium contra Turcas gesto, suffocatus in aquis anno 1526. 29. die Augusti.

Maria filia Philippi Regis Hispaniæ, soror Caroli & Ferdinandi Imp. Nuptiæ anno 1521.

Anna cui prius Elisabethæ nomen erat, nata anno 1503. die 23. Iulii hora medii horologii septima, vxor Ferdinandi Austrii postea Cæsaris. Nuptiæ anno 1521. moritur.

Digitized by Google

II. HVNGARICI REGNI IN familiam Austriam VI. restitutio.

CVm Ludouicus Rex in Mogaziano bello misere periisset: etsi pauci proceres ad Ioannem Veidanum inclinabant, & coronam ad illum transferebant, tamen potior pars, Annæ sorori Ludouici Regis deberi regnum intelligebat, tum propter hæreditariam successionem, tum propter superiorum annorum inter Reges factas religiosissime pactiones. Etsi vero tum Vayuoda, tum Turcicus furor plurimum obstiterunt & florentissimum regnum turpiter fuit perpetuis bellis deformatum: tamen in iusta possessione DEVS hactenus Austriam familiam contra Turcicam rabiem clementer protexit. Sic igitur ordine Ferdinandus in hæredes regnum transtulit.

Anna filia Vladislai Regis Hungariæ & Bohemiæ soror Ludouici Regis: mortua anno 1547. 27. Ianuarii.

Ferdinandus Austrius, atnepos Leopoldi secundi (qui frater Alberti III. vt vides in Alberti Regis Hungariæ familia) nepos Maximiliani Cæsaris, filius Philippi Regis Hispaniæ, frater Caroli V. Imperatoris, natus Modinæ, in Hispania anno 1503. 10. Martii, hora post Meridiem decima: Rex Bohemiæ, anno 1527. 24. Febr. Rex Hungariæ anno 1527. 28. Octobr. Rex Romanus anno 1531. 11. die Ianuarii. Cæsar cedente fratre anno 1558. 14. Martii, Moritur anno 1564. 25. Iulii.

Maximilianus, Rex Bohemiæ 1562. Pragæ coronatus 20. Septemb. die: Rex Romanus 1562. 24. Nouemb. Rex Hungariæ coronatus Posonii anno 1563. 8. Septembris, & Cæsar post patrem. Moritur anno 1576. in Comitiis Ratisbonæ.

Ferdinandus. *Carolus.*

de quibus alio loco vt etiam de sororibus.

Maria filia Caroli V. Cæsaris.

Ferdinandus infans mortuus.

Rodolphus Rex Roman. Hungariæ & Bohemię, & Cęsar post patrẽ, cuius Imperiũ cupimus esse felicissimum.

Ernestus.

Mathias.

Maximilianus.

Albertus.

Wenzeslaus.

Anna vxor Philippi Regis Hispaniæ.

Elisabetha vxor Caroli IX. Regis Galliæ.

CHORO-

CHOROGRAPHIA TRANSYLVANIÆ, GEORGIO A REYCHERSDORFF TRANSYLVANO, AVTORE.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. FERDINANDO, DEI GRATIA, ROMAnorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi, &c. Domino suo clementissimo.

DEDICATIO.

QVONIAM *video plerosq. in hac esse sententia, vt nulla re magis demereri putent Principum animos, quàm auro, gemmis, & id genus muneribus, quibus Regio fastigio magnam fieri accessionem arbitrantur: Ego verò longè satius esse duxi, perpendere, qua fide, quo candore, qua deniq. in officiis obeundis alacritate, quisq. sibi eum demereri studuerit. Nam cùm in amplissima fortuna sint constituti, quid est, quod ad felicitatem illorum huiusmodi fortunarum illecebris amplius accedere queat? Qui verò hoc agit, vt illis immortalem gloriam adportet, is meritò cæteris præferendus mihi videtur: Quod non alia re facilius fieri posse arbitror, quàm si quis nomen illorum scriptis suis prouehat, ac posteritatis memoriæ tradat. Cui enim testatum foret, tot Heroas, Cæsares, Reges, atq. Imperatores ante nostram memoriam vixisse, nisi clarissimorum iuxta ac doctissimorum virorum literis fuissent celebrati, cuius rei vox illa Alexandri Magni, magna Principe digna, testis est: Qui cùm ad Achillis tumulum peruenisset, eum vel hoc nomine felicissimum appellauit, quòd tantum præconem laudum suarum habere meruisset: Atq. id Principibus largiri potest ab his solum, qui felicioribus ingeniis maiorique eruditione præditi sunt. Ceterùm cùm vtraq. via mihi sit præclusa, & nec opibus polleam, nec mihi quippiam eruditionis vendicare audeam, superest, quod in sacrorum ritibus obseruare solent, qui tauro vel thure sacrificare nequeunt, farre tamen & mola salsa litant. Magni quoq. Principes nonnunquam plebeis rebus delectantur. Id quod Diuum Maximilianum Cæsarem, auum Maiestatis tuæ, ex venatione ad casulas rusticanas diuertentem, sæpè factitasse dicunt, nimirum rem non vtilitate, sed animi promptitudine metitum. Proinde, Rex Serenissime, quum nuper Moldauiæ descriptionem in lucem edidissem, commodum venit in mentem, Transyluaniæ quoq. prouinciæ generalem constitutionem, situmq. locorum, & amœnitatem terræ illius comprehendere, quo magis horum commentariorum lectione quisq. peregrinantium ad faciliorem istius prouinciæ cognitionem peruenire queat. Visum itaq. est, hoc opusculum S. Maiestati tuæ inprimis dedicare, cùm propterea, quod Transyluanica legatio mea magnis discriminibus & periculis exhausta eadem profectione Moldauiensi fuerat coniuncta, cuius quidem terræ descriptionem Maiestati tuæ iam pridem nuncupaui, tum propter singularem Celsitudinis Tuæ erga me clementiam, tùm præcipuè, vt aliquo saltem argumento fidelia seruitia mea in ea legatione Maiestatis Tuæ præstita, animi deniq. mei promptitudinem ad eiusdem Maiestatis Tuæ gratiam merendam cumulatius meis studiis declararem, supplicans humillimè, ne Sacra Maiestas Tua fidelis seruatoris sui officia aspernetur. Quam Deus Opt. Max. prò felicissima vniuersorum Regnorum suorum gubernatione, ac Christianæ Reipub. conseruatione, faustissimè conseruet ad multa sæcula.*

E. Sacræ Maiestatis Tuæ

fidelis & humilimus
seruitor,

GEORGIVS REYCHERSDORFFER,
Secretarius indignus.

Bbb

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PRÆSVLI ET DOMINO DN. NICOLAO Olaho, Episcopo Agriensi. Sacratissimæ Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; &c. Regiæ Maiestatis Cancellario præcipuo, longeq; dignissimo, Domino & patrono colendissimo, GEORGIVS à REYCHERSDORFF Transyluanus, eiusdem Maiestatis suæ Secretarius, felicitatem precatur omnem.

DEDICATIO.

CVM non sim nescius, Præsul amplissime, D. T. R. totius regni Transyluaniæ situm & ambitum non semel peragrasse, omniumq; locorum non mediocrem habere cognitionem, cùm potissimum T. R. D. in ea prouincia nata, & à teneris annis educata sit, non indignum fore putaui, si hoc opus, quod Regiæ Maiestati, Domino nostro clementissimo, dedicare constitui, T. R. D. inprimis offeram, quo vel T. R. D. de eo iudicium facere, vel si qui errores nostra negligentia incidissent, pro rara, qua prædita est, eruditione & peritia, magis politam ac illustriorem reddere posset. Quamobrem magnoperè mihi suspiciendi videntur & obseruandi, qui perlustrata cognitaq; tota istius mundi machina & compage, in breuissimo quasi chartæ spatio tot regna, regiones, gentes, nationes varias, diuersaq; populorum instituta, ac mores, quasi viuis lineis coloribusq; deliniarunt: Maiore tamen illi videntur laude esse digni, qui rudem hanc materiam copiosiore deinde stylo illustrarunt. Nam licet illi vniuersum totius mundi ambitum, suis quasi cancellis circumscripserint, omnibus cœli regionibus, suas nationes, suaq; subiecerint domicilia, nihilominus tamen multum illis, aut præsenti cognitione, experientiaq; contentis, aut alia tanquam exilia aspernantibus, ad particularium locorum situs, moresq; describendos defuit: Quod etiam inde apparet, multa Eratostheni, Straboni, Vespūtio, atque adeò ipsi Ptolomæo incognita fuerunt, quæ nostra memoria è tenebris in lucem prodeunt. Ita sanè etiam de Moldauia dici potest, quæ hactenus non aliter, quàm solo nomine cognita fuit, & fortasse si eius regionis situm maiores nostri literis mandassent, magna certè Christianorum Principum vtilitate factum id fuisset, nec tam facile impurissimis religionis nostræ hostibus nuper in prædam cessisset. Quamobrem cùm superioribus annis, iussu Potentissimi Serenissimiq; Romanorum, &c. Regis, sanè durissimam legationem ad Moldauiæ Dynastam, quem ipsi VVayvvodam appellant, obirem, capta occasione ex diligenti istius prouinciæ, dum Principem illum assectabamur, perlustratione, arbitratus sum non incommodum nostræ ætati, atque adeò Reuerendiss. D. T. futurum, si omnem tractum, omniumq; rerum vberem affluentiam, quàm breuissimè, & veluti in tabella exhiberem. Hoc autem de me citra inuidiam ingenuè fateri possum, nihil æquè ac veritatem, quæ historiæ (quam ab inspectione dictam volunt) caput ac fundamentum est, spectasse: genus ipsum dicendi, ac eloquentiæ nitorem, quo licet res magis splendescant, quoque nonnulli interdum magis, quàm ipsa rerum cognitione delectantur, non magnoperè curasse. Debet verò hoc maxime nostrum laborem commendare, quòd omnium earum rerum, quas memoriæ prodimus, ipsimet spectatores, non tam interfuimus, quàm nomine Serenissimi Domini Principis nostri interdum præfuerimus. Quid enim ad aperiendam rei veritatem præsentius? quid ad omnem posteritatis memoriam illustrius? quàm res à se perspectas cognitasq;, si non admodum magnifica dicendi ratione, saltem mediocri stylo perscribere: quo etiam nomine veteres maximè eos historicos laude & cognitione dignos esse censuerunt, qui earum rerum, quas scripserunt, ipsimet inspectores, seu oculati testes fuissent. Ex quorum numero quanti fiat Thucidides, Polybiusq;, Tua Reuerendissima Dignitas, quæ tàm Græcorum, quam Latinorum monumenta plurima percurrisse, diuersasq; regiones & prouincias perlustrasse fertur, haud ignorat. Nulla igitur laudis spe, quam affectare in tàm paruo opusculo ineptum, & plus quàm infantile foret, adductus: sed solo vtilitatis publicæ studio, quàm in minima etiam re velle promouere, viri boni est officium: hoc sanè consilio fretus, & quasi animosior factus, hanc qualemcunque de-

ſcriptionem in publicum edere conſtitui: arbitratus in eo cuiuis peregrinanti (ſi modo vera iſtius terræ deſcriptione prorſus non aberrarim) haud inutile me præſtiturum officium. Itaq; Reuerendiſſ. D. T. hunc meum laborem æquo iudicio metiri, meq; (vt ſolet) priſtino amore & fauore complecti non ceſſet. Quam Deus Opt. Max. ad annos Neſtoreos feliciſſimè conſeruet. Viennæ Pannoniæ, die vltima Aprilis, Anno 1550.

ELEGIA AD LECTOEEM G. REYCHERSDORFFERI.

ITACHVS *æternum peperit ſibi nomen Vlyſſes,*
Æneæ nullo tempore fama cadet:
Illius hoc pietas, hoc illius arma merentur,
Quodq; hominum varios vidit vterq; lares.
Nos quoq;, ſi quid habent peregrina pericula laudis,
Vidimus externis plurima regna locis.
At ne multa diu narrando tempora perdam,
Officii referam munera pauca mei.
Regia, legati perfunctus munere, iuſſa,
Bis per Moldauiæ barbara regna tuli.
Perq; Getas vexi patriæ mandata Dacosq;,
Qui modò de ſyluæ nomine nomen habent.
Intimaq; Eoi luſtraui littora ponti,
Vnde vehit roſeo Phœbus ab axe diem.
Deniq; quas terras? quæ externa pericula narrem?
Haud facile eſt tantæ commeminiſſe viæ.
Ne tamen exhauſti pereant ſine fruge labores,
Aggreſſus tantæ ſcribere molis onus.
Ordine ſubbreuibus perſtringens ſingula verbis,
Ne minuam multa garrulitate fidem.
Cuncta oculis præſens, præſens cuncta auribus hauſi:
Eſt aliquid, certam rebus ineſſe fidem.
Cætera quæ reſtant, calamoq; intacta reliqui,
Accedent olim poſteritatis ope.
Interea noſtri ſummam decerpe libelli,
Et carptim quicquid proſa ſoluta docet.

DESCRIPTIO TRANSYLVANIÆ.

EST *procul Eoo contermina terra Tybiſco,*
Olim quam celebres incoluere Getæ.
Atq; pharetrati Scythicis de finibus Hunni,
Nec non Saxonico Teutone culta fuit.
Huic vt ſunt ſeptem ſurgentes mœnibus vrbes,
Sic quoq; ſepteni nomina montis habet.
Nec non à ſyluis nomen ſortita recepit,
Fortè quod Hercinium trans nemus acta iacet.
Verſus Hyperboreum, duriq; Lycaonis axem,
Barbara Sarmatici reſpicit arua ſoli.
Atq; aliquot læua ſinubus procurrit ad axem,
Qua viget Herciniis terra Bohema iugis.
Sub medium conuerſa diem, ſtat protinus altis
Mœſia ſyluoſis vndiq; cincta comis.

Perpetuo hanc olim Traianus fœdere gentem
Compulit Ausonii nomina ferre Ducis.
Paruit interea Latio subiecta Monarchæ,
Et data constanti fœdera pace tulit.
Dum Scythica superata manu, miserabile dictu,
Concidit, & Græcum ferre coacta iugum:
Annua Thessalico subiecta tributa Tyranno
Pendit, & est armis vix benè tuta suis.
Cebinio primùm celebris, cui protinus hæret
Vndiq; montanis cincta Corona iugis:
Quam valida circum turres & mœnia cingunt,
Quæq; suis nimium freta superbit aquis.
Hinc auri, viniq; ferax Bistritia surgit,
Hæc fuluo splendens cespite terra rubet.
Mox collis Segsburga tegens decliuia scandit:
Et madet irriguis terra propinqua vadis.
Sunt aliæ Megeis, Zabesus, fortisq; Colosvvar,
Quarum quæq; sua fertilitate placet.
Cætera quid memorem? Nec enim memorare recusem,
Hæc tibi ni melius prosa soluta daret.

CHOROGRAPHIA TRANSYLVANIÆ, ALIARVMQVE PROVINCIARVM ET REGIONVM SVCCINCTA DESCRIPTIO:

GEORGIO A REYCHERSDORFF, AVTORE.

TRANSYLVANIA quondam bellipotens regio, Diuorum olim Imperatorum Romanorum prouincia inclyta, Dacia appellata, plagæ Orientali exposita, & Marte multi nominis fuit temporibus Neruæ Traiani, quam Decebalus Rex tam armis, quam pecunia belli neruo, pertinacissimè sub imperio retinuit. Eutrop. lib. 8. in Aurelii vita: Prouinciam, inquit, Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermisit, appellauitque eam Daciam, quæ nunc duas diuisit Mœsias, & est in dextra, Danubio in mare fluenti, cùm antea fuerit in læua. Decebalus itaq; eiusdem regionis Rex seu Monarcha cum Vlpio Traiano Romano Cæsare conflixit, ingenti hostis edita clade. Traianus autem veste propria non pepercisse fertur, quàm in partes conscissam suis partitus est militibus. Deinde iugum ex iugo captans, ad Dacorum regiam euasit, perculsus Decebalus ad Traianum deductus. His confectis, Traianus in Italiam rediens, Romam ingressus, & triumphans de Dacia, Dacicus appellari cœpit. Interea tamen denuntiatur, Decebalum præter conuentiones & fœdera, quæ cum Traiano intercesserant, multa ad rebellionem parare, castellaq; & arces dirutas restaurare, ob hoc hostis à Senatu iudicatus est, bellumq; Traianus suscepit. Plinius de Dacorum expulsione meminit lib. 4. capit. 12. Quare cùm Decebalus viribus suis non satis fideret, dolis & fraudibus agere enitens, in Mœsiam delectos mittit profugos, qui dissimulata fide, Traianum per occultas insidias tollerent, aut confoderent, deprehensi, vltimo supplicio affecti sunt. Hinc milites Romani in huius rei gestæ memoriam, tale Epigramma edidere in Pannonia:

VBI ERAS RAMNVSIA, VBI ERAS, QVANTVM ABFVIT, NE ROMA LVGERET, SED VIVIT TRAIANVS.

Sub hac expeditione Traianus pontem in Istro lapideum construxit, quo libe-

liberius & expeditius hostes aggredi posset, opus sane mirandum, & memoria dignum. Huic viginti stabant ex quadrato lapide pylæ, quarum altitudo centum & quinquaginta, præter fundamenta: latitudo vero sexaginta pedes continebat: distabant autem inter se centum octuaginta passibus, fornicibus verò coniungebantur. Eius pontis inscriptio talis erat:

PROVIDENTIA AVGVSTI. VERE PONTIFICIS VIRTVS ROMANA, QVID NON DOMET? SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Cæterum Adrianus Imperator, Traiani successor, veritus ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu, ea loca inuaderent, quæ cis Danubium sunt, structuras & fornices, quæ super aquam eminebant, demoliri iussit. At Decebalus capta (vt diximus) regia, cum omnis regio in potestatem Romani Imperii venisset, vsque ad captiuitatem periclitatus, necem sibi consciuit, cuius caput tandem Romam delatum fuit, sicque Dacia iuris Romani facta est, quam mox Traianus in prouinciam redegit. Cuius rei argumento milites Romani hos versiculos perpetuo monumento celebres decantabant:

NONNE TIBI DIXI DECEBALE? FVNESTVM EST HERCVLEM LACESSERE. NON RECTE FACIS, TVA IPSE QVOD IACES MANV: SED TE VTCVNQVE CÆSAR VICIT, TVLIT TIBI SEMPER AVGVR AVGVSTALIS.

Quare Traianus Dacia subacta, Regiam Zarmis ciuitatem, quæ nunc Albalulia appellatur, ingressus, quæsitis Decebali thesauris, Sub Sargetiæ amne reconditis, cuiusdam Biculi Romani captiui indicio reperti sunt: Vnde tandem Traianus in signum memoriæ illius hoc statuerat Epigramma:

IOVI INVENTORI, DITI PATRI, TERRÆ MATRI, DETECTIS DACIÆ THESAVRIS, DIVVS NERVA TRAIANVS VOTVM SOLVIT.

Monumentum VVlpii Neruę Traiani in Colonia Zarmiz, non multis antè annis ex terræ visceribus erutum, memoria dignum:

IOVI SARTORI, HERCVLI VICTORI, M. VVLP. NERVA TRAIANVS CÆSAR, VICTO DECEBALO, DOMITA DACIA, VOTVM SOLVIT.

Hinc ingens Traiani animus deprehenditur, qui multa præter hæc præclara & egregia facinora gessit, quemadmodum Diion ille Cretensis in Traiani vita plurima memoratu digna, non ineleganti descriptione complexus est.

Huic regioni Transyluaniæ, à Septentrionali plaga Moldauica prouincia (quæ Poloniæ regno atq; Russiæ inferiori, & Ciculiæ metis, est contigua) adhæret: Ex altero vero latere ad Orientem Valachia iacet, quæ alio nomine Transalpina dicitur, non multo terrarum spatio ab alpibus insigni altitudine intercedentibus, seiuncta.

Vt autem paulisper ad lucidiorem istius Transyluaniæ prouinciæ cognitionem per Chorographicam descriptionem progrediamur: Eadem prouincia in tres diuiditur nationes, suis inter se ritibus, moribus, consuetudinibus, & legibus aliquantulum dissidentes, ipsamque regionem distinctis terrarum locis incolentes: vtpote Saxones, Ciculos, & Hungaros. Inter quos ipsi quoque Valachi eiusdem prouinciæ incolæ, in quibusdam desertis possessionibus & villis resident, genus hominum durissimum, nec nisi armentis & pecoribus, plerunq; etiam furtiuo pecorum & equorum abigeatu se alen-

Digitized by Google

tes. Hi more suo, pilosis seu hirsutis ex lana caprina contextis, suaque manu elaboratis amiciuntur vestibus, nullis penitus legibus humanis obsequentes.

DE DIFFERENTIA ATQVE RITV ET MORIBVS trium nationum prædictarum.

INprimis Saxonicus iste populus in eum locum è Germania (vt aiunt) deductus, agriculturæ studiosus, & rusticæ rei addictissimus, qui natura sua lingua vtitur Saxonica. Sermo autem Saxonicus ad communem Germanicam Coloniensium linguam multo propius accedit, quàm ad alias linguas, & à Sueuo atque Heluetio non ita facilè intelligitur, quàm plæræque Septentrionales in Germania. Transyluani igitur, sicuti cæteræ omnes nationes Germanicæ, habent peculiarem linguæ dialectum. Et, vt hoc addam, quod aliis nationibus, tàm morum facilitate, quàm pietate & religione longè præstat.

CICVLIA Daciæ angulus, Moldauiæ regioni contiguus, eius terræ populi dicuntur Ciculi, Scytharum (vt aiunt) genus, à quo originem traxere, suis viuunt legibus & moribus, suaque officia sorte distribuunt. Nemo apud illos ignobilis esse censetur, etiam si manu aratrum tractet, aut caprino gregi præsit. Durum enim & asperum genus hominum, quasi bello natum, qui moribus, sermone, & vestitu non multum ab Hungaris discrepare videntur. Hi sunt Hunnorum antiquissimi, quos Ciculos appellare malunt quidam, quòd è Scythis originem trahant: Nec enim aliud sensisse videtur ille, qui dixit:

Atq; pharetrati Scythicis de finibus Hunni.

Ciculi autem in septem sunt diuisi regiones, quas ipsi sedes vocant, quarum nomina sunt: Sepsi, Orbai, Kysdi, Czijk, Girgio, Marcus Zeek, Aranyas Zeek, Hungarico sermone appellatas, cæteris Ciculorum oppidis præstantiores. De quorum ritibus & consuetudinibus in præcedentibus annotationibus plura scripsimus.

Czijk oppidum in Septentrionali latere à Kysdi ad læuam, atque adeò in ipsis Carpathi radicibus situm: Huic contigua est Gyrgio ab occasu in eiusdem Carpathi montis radicibus, terra montosa & aspera, in vltimo Transyluaniæ latere Septentrionali. Sedi autem Gyrgio contigua est Marcus Zeek ad Meridiem in visceribus Transyluaniæ prouinciæ, ad decursum Marisi fluuii existens, cuius metropolis est Zeckelvvassarhel, Saxonibus Nevvmarck, oppidum amplissimum, vbi frequens Ciculorum conuentus habetur.

HVNGARI & Nobiles eiusdem regionis passim intermixti Saxonibus, cum Ciculis propemodum tàm sermone, quàm vestitu & armis conueniunt: In rebus verò bellicis cæteris nationibus non vno nomine anteponendos arbitror.

Quæ tres nationes, coniunctis viribus & copiis ad bellicam expeditionem instituendam, iuxta communem supputationem, ad nonaginta & amplius millia armatorum suppeditant. Etenim non obscurum est, quàm ingentia à tot iam sæculis hæc regio ex assiduis hostium incursibus pertulerit pericula: tamen nullo non tempore hostes, non sine ingenti clade victi, & inde repulsi fuere.

VALACHI etiam hanc terram, sed sparsim sine certa sede incolunt. Teutones verò seu Saxones munitissimas passim & vrbes & arces habent, qui rebus omnibus cæteris nationibus facilè præstant. Terra quidem natura sua, auri, argenti, vini, frumenti, pascuorum, pecorum, fontium, fluminum, breuiter rerum omnium, quæ ad vitæ vsum cultumq; pertinent, ditissima est, vt non temerè à maioribus Regni Hungariæ thesaurus Transyluania sit appellata.

Valachia autem prouincia, quæ alio nomine Transalpina dicitur, inferi-

ribus

oribus Transyluaniæ confinibus propius accedit, & Danubium secuta in Pontum vsque protenditur, indeque in Septentrionem vergens, Roxanos (quos hodie Rutthenos vocant) attingit, de qua prouincia in Moldauiæ commentario plura.

Huius nationis genus ex Italis profectum esse lingua arguit, nomen ex Sarmatis (quibus alicubi etiam contermini sunt) adepti videntur, ipsamque, quam inhabitant prouinciam, Flacciam, à Flacco quodam Romano ciue, quo duce eo sit deducta colonia, ad tuendas, Mœsias contra Dacos (quos Romanis nunquam fidos fuisse Tacitus autor est) verum vt sit longa temporum serie, quæ nihil non vitiat, pro Flaccia Valachiam, proque Flaccis Valachos dici cœptos: Et citant hi de Flacco Nasonis versiculos ex Epistolis Ponticis redactos, lib. 4.

Præfuit his Græcine locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferax Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mœsas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos, terruit ense Getas.

Porro Mœsos olim fuisse, qui nunc Valachi sunt, receptius est hodie, quam quis negare audeat, in tanta præsertim autorum, qui sectandi erant, diuersitate: Inter quos quidem primus Ptolomæus Cosmographorum antistes & plane alpha, quod aiunt, nihil Mœsis concedit ea qua Valachi sedent parte, siquidem is à Carpatho monte incipiens, quicquid terræ ab Occasu, Thybisco amne à meridie, Danubio: à Septentrione, Sarmatica Europæ clauditur, Daciæ nomine apprehendit: Iuxta quam descriptionem, Transyluanos, Ciculos, Valachos, quosque Moldauienses vocant, & Hungarorum bonam partem, qui Poloniam versus, planam colunt terram, Dacos appellans. Cæterum Mœsias esse duas, quas superioris, & inferioris appellatione secernit, in alteram Danubii partem transfert, quæ est versus Daciam: & superiorem quidem ex inferiori deducit Pannonia, à Sauo amne Danubio confluente, Inferiorem autem iusta parte vltra Danubium extendit in Scythiam Ptolomæus quoq; in eam sententiam alibi accedit. Diion Cretensis Græcus autor, in diui Traiani vita autor est, quod hic quo tempore contra Dacos bellum gessit, pontem lapideum admirabili ædificio, vltra Istrum fluuium extruxerit, quo expeditius copias traducere posset, quoties Romani, qui trans Danubium agerent, à Barbaris infestarentur, ac demum structuras & fornices, quæ super aquam extitere, Adrianus Imperator demoliri iussit, veritus, ne scilicet pulso Romano præsidio feræ & indomitæ gentes Mæsiam popularentur: de quibus rebus omnibus tam præclare gestis, in præcedẽtibus annotationibus plura recensuimus. Extant eius pontis nonnullę in hunc vsq; diem reliquiæ apud Serinium, quod Danubio imminet castellum, vbi cum Heraclio Cosdroen congressum habuisse ferunt. At Strabo geographicæ rei diligentissimus obseruator, Mœsos scribit vtrumque latus Istri accoluisse, cum quo Plinius sentire videtur, lib. 30. naturalis historiæ, Pannoniæ, inquit, iungitur prouincia, quæ Mœsia appellatur, ad Pontum vsq; cum Danubio decurrens.

Posteaquam autem ea, quæ de hac prouincia, & de variis huius terræ incolis ac nationibus cognitu inprimis necessaria videbantur, in ipso operis ingressu absoluimus, commodum iam generalem tam locorum, quam ciuitatum principalium descriptionem, quantum nostra docebit experientia, declarabimus, & per omnes Transyluaniæ partes, longitudinem cum latitudine, vniuersum istius regni ambitum emetiemur, ita tamen, vt & fidei semper, quæ in historiis præcipua est, & methodi rationem habeamus.

Itaq; à Varadino, primo ad Transyluaniam ingressu, per flumen Crysum, qua ad occiduam plagam Pannoniæ inferiori annectitur, offertur pagus Feketetho, Latine nigra palus appellatus, quem Valachi, montibus & rupibus vndiq; interseptum incolunt, Situs in loco horrido & aspero, vbi frumenti & annonæ, ob rarissimam illius terræ culturam, frequens victui penuria acci-

Digitized by Google

dit, cum præsertim nulla eiusdem loci sit planities, & non segetes, sed extensæ arbores vndequaque magno terrarum spatio intersertæ conspiciuntur, quo minus commode in his locis desertis & agris infœcundis, vlla frumenta seminare queant. Attamen Crysus fluuius quouis tempore selectissimos pisces, vtpote fundulos, cephalos, capitones, auratas, atque etiam trutas, & complures alios satis benigne suppeditat. Præterea hic fluuius plerunque ex inundatione adeò vehemens est, vt magnos etiam currus grauiter oneratos præcipitare soleat.

Ciuitas prædicta Varadiensis est amplissima, & nullis mœnis circumducta, in planitie existens. Hic frater Georgius, Transyluaniæ Regni Thesaurarius, istius loci Episcopus residet, & insignem tenet arcem, magnis sumptibus extructam, & optime munitam, vbi diuus olim Ladislaus Rex Hungariæ, felicis memoriæ, suam habet sepulturam, marmore eleganter excussam, tanto Principe dignam. Illic populus est Hungaricus partim Teutonicis commixtus, quæstum ex rebus Turcicis, ex aliis locis importatis, faciens, rebusque ad quotidianum vitæ vsum pertinentibus, non mediocriter abundat.

Hinc à Feketetho recto itinere vsque ad Thielegd oppidum duo, ad Reeff tria restant milliaria, satis magnis stadiis comprehensa, vbi Crysi fluuii ex scaturientibus vndique fontibus exordia erumpunt, tenuiq; alueo per medium dicti oppidi Reeff vsque Sebesvvar continuo meatu porrigitur, vbi demum finem accipit.

Deinde si Colosvvariam tendas, de qua ciuitate opportune suo loco plura dicemus, quinque milliaria intercedunt: rursus vsque Thordam, quæ ciuitas versus meridiem iacet, per arduum & saxosum montem bis mille passus emetiendi sunt: Eaque ciuitas licet nullis sit muris aut mœniis cincta, tamen satis ampla, opulenta, & diuersis mercibus frequens, cuius incolæ & pecorum & iumentorum ac compascuorum & agrorum vsufructu ditissimi sunt, vt interea taceam, quam optimi vini ferax sit. Ad hæc salium fodinis tam celebris est, vt vix parem in toto Oriente fundum comperias, Ibiq; præfectus Camerarum salium perfungitur officio Regio, & ex salinis Hungariæ Regibus annuam pensionem maximam tribuere solet, quam vel eo nomine non paruam esse, facili iudicio elicere possumus, quod inde toti ferè Transyluaniæ seruiatur: Indeque sal Budam & ad alia pleraque loca extranea assidue perferatur & euehatur, non sine magno Regiæ Maiestatis commodo.

A Thorda vero, duobus intercedentibus oppidis, Gochard & Monera, duodecim numerantur milliaria vsq; Cibinium, quæ ciuitas huius Regni Metropolis est, & munitissima, aurique & argenti, rerumque omnium longe abundantissima, quemadmodum ex sequenti nostra descriptione cognosces. Reliquas demum eiusdem prouinciæ vrbes, suo ordine & serie breuiter complectemur.

SVNT IGITVR HAE SEPTEM VRBES IN TRANSYLuania celebriores, à se per locorum interuallum suo modo & ordine distantes, vt sequitur.

CIBINIVM,	Hermanstat.
BRASSOVIA siue Corona,	Cronstat.
BISTRICIA,	Nösenstat.
SEGESVVARIA,	Schesburg.
MEGIES,	Mydwisch.

ZABE-

Digitized by Google

ZABESVS, siue Zaazsebes, Millenbach.

COLOSVVARIA, Clausenburg.

Quarum ciuitatum priusquam descriptionem aggrediamur, operæ precium mihi facturus videor, si paucis rem memoriæ non indignam interiecero: Hanc nimirum ciuitatem Cibiniensem, post Serenissimi quondam Ludouici Regis, fœlicis memoriæ, interitum, ad septennium vsq; in assiduis bellorum tumultibus (dum scilicet Regnum Transyluaniæ, propter infœlicissimam Regis Ioannis coronationem, in diuersum erat distractum) sese contra omnium hostium impetum citra vllum externarum gentium præsidium & auxilium, armis suis & sumptibus propriis, quam strenuissime conseruasse: neq; etiam ciues vlla obsidione aut oppugnatione, vel hostium incursione aut formidine ductos, vt defessis viribus in aliquam deditionem prouocati fuissent, sed aliis quoq; ciuitatibus, tam austera & militari defensione, robustiorem animum præbuere, ne hostium arrogantibus minis territi, in defectionem se trahi paterentur. Vnde sibi ac posteritati suæ immortalem laudem & memoriam perpetuam parauere.

CIBINIVM metropolis ciuitas celebratissima, à Cibinio amne nomen retinens, quæ alio haud inepto vocabulo Hermanstatt appellatur, ab Hermanno eiusdem vrbis primo conditore. Quæ in planitie sita, nullis prope montibus incumbentibus impeditur, quin se in admirabilem latitudinem aperiat, duplici muro munita, & fossis admodum profundis, circumquaq; piscinis lacunaribusq; non paucis spaciose diffusis præcincta est, magnificis deinde ædificiorum structuris, turribus, & propugnaculis suo ordine & serie intersertis, culta & ornata est, cuius Parrochia Cathedralis, suo Præsule infulato digna, viginti & quatuor sacerdotum adaucta aris, est conspicua.

Hinc annua frumenta in subterraneas foueas, ad multos annos, citra vllam publicæ annonæ iacturam, conseruandi gratia conferuntur: Nec desunt molendina triticaria ita laborata, vt nulla arte ab hostibus esuriem ciuitati molientibus, eripi possint: adde quod passim per ciuitatis singulos vicos placidissimo flumine riuulus decurrit. Magistratu regitur prudentissimo, cuiq; non facile alium prætuleris, vsq; adeo vt ad eum nemo, nisi qui multis testimoniis fidem suam Reipub. probarit, admittatur. Pagos Regios decem, & octo tributarios habet. Huc quoq; septem Saxonum sedes spectant, quarum nomina sequenti ordine explicata vides.

SEPTEM SEDIVM SAXONICARVM nomina.

Zazvvariensis sedes, pagos habet regios vndecim.
Zabesiensis sedes, Zabesum ciuitatem, cum pagis Regiis quinque.
Reusmarck sedes, pagos habet decem.
Segesburgensis sedes (ciuitas ipsa) pagos habet sedecim.
Olczna sedes, pagos habet duodecim.
Schenkerstul sedes, pagos habet viginti & duos.
Rupensis sedes, pagos habet quindecim.

Præter has septem sedes Saxonum in Transyluania sunt & aliæ duæ separatæ, quarum caput est ciuitas Megiensis, pagi huc spectantes sunt viginti quatuor: prædictis autem sedibus interiacent multi pagi, possessionesq; Nobilium, quæ ad numerum sedium Saxonum non conferuntur.

Numerantur etiam in Transyluania, quo ad pensiones taxarum, octo parrochialia Capitula præcipua, quæ simul appellant Vniuersitatem.

Bistriciense Capitulũ habet Bistriciam cum viginti tribus pagis regiis.
Regnense Capitulum habet pagos plusquam triginta.
Barcense Capitulum habet Coronam ciuitatem cum tredecim pagis regiis.

Digitized by Google

Kisdense Capitulum habet Segesburgam & pagos quadraginta octo.

Duarum sedium Capitulum complectitur ciuitatem Megiensem cum pagis triginta sex.

Cibiniensium Capitula duo, quorum vnum habet Cibinium & pagos viginti tres.

Alterum Capitulum Cibiniense, quod vocant Surrogatiua, continet pagos circiter viginti duos.

Sabesiense Capitulum habet Sabesum cum pagis decem & septem.

A prædicta ciuitate Cibiniense distant salium fodinæ, in VVyzagna oppido, quod alias Saxonice Salczburg appellatur, vno milliari, ex quibus quotannis ingens thesaurus conflatur, nec minus, vt arbitror, fodinæ oppidi Dees emolumenti, in annos singulos Regiæ Cameræ apportant.

Haud longe ab ea ciuitate Cibiniensi diuersa circumfusa iacent oppida, in quibus passim Saxones resident. Inprimis Helta ad Meridiem vno distans milliari, oppidum mediocri magnitudine, & quodam castello munitum, vbi falces messoriæ, quæ nusquam alibi fabricantur, & plebeculæ ex communi messium ac fructuum quæstu, victum quærere solent, magis commodum.

Inde mons S. Michaelis paulo infra Heltam, eodem fere spatio distat, in cuius summitate insigne castellum ex quadrato lapide pulcherrime eductum, in quo coloni ingruentibus bellicis temporibus res suas & bona ab incursu hostium satis tute conseruant: adde quod locus fertilis, & diuersorum fructuum ferax, ex quibus incolæ non mediocrem quæstum faciunt.

Præterea Alutus amnis inter reliqua istius Regni flumina, non est incelebris, qui in montanis Ciculorum radicibus ortus, vbi primum Transyluaniam attingit, & Barcensem terram à Ciculorum metis dirimit, inde Cibinium versus decurrens prope rubeam turrim, vbi ciues Cibinienses, ne præter expectationem obruantur, excubias agunt, per angustas & abruptas valles in Transalpinam fertur, vbi eum auriferum esse perhibent, haud longe supra Nicopolim Istro miscetur, quæ turris duobus à Cibinio distat milliariis, vnde Turcis per strictissimas & angustas admodum vias in Transyluaniam accessus est.

Tradunt historiæ, Turcas tempore quondam inuictissimi Regis Matthiæ, in Transyluania profligatos, & in turpissimam fugam versos, in prædicto loco rubeæ turris, à summitate, quam in ea fuga conscenderant, ob magnitudinem tanti ponderis equorum, in vndam Aluti fluminis demersos, corruisse.

CORONA seu Brassouia ciuitas mercibus Turcicis celebris, intra montes amœnissimos sita, mœnibus, fossis, & propugnaculis satis munita, habet tria suburbia distinctis vallibus posita, quorum vnum incolunt Bulgari, alterum Hungari, Saxones agricolæ tertium. Per singulos fere vicos riuuli descendunt saluberrima fontium scaturigine perpetui. Campos habet planissimos, longe lateq; densis montibus cinctos, alpibusque altissimis à Valachia Transalpina diuiditur: frumento & lino præcipue abundat, estq; quasi horreum vicinarum gentium. Studio liberali præ cæteris hoc tempore clara, estq; ibi nuper constructa Bibliotheca, qua nulla in Pannonia post dissipatam Budensem Matthiæ Coruini Bibliothecam, cultior vsquam fuit. Quæ à proximis Ciculorum metis & confinibus sita (siue eam Græca voce Stephanopolim, siue semibarbara Cronopolim, siue cum Hungaris Brassouiam appellare quispiam velit) in penitissima Transyluaniæ parte quam peculiari nomine Pannones Burczam, nostri autem Burciam vocant, vel ab amne cognomine, qui id loci interluit, vel à radice, quasi dicas nostrate lingua VVurcziam, quæ vulgo recepta est opinio, hoc fortassis nomine, quod radix Coronæ inserta, Burtianis sit insigne.

Huius vero Burciæ pars est facile ornatissima, sed sic dirempta situ, vt fere altera

alterá Transyluania videri possit: clauditur enim vndiq; montibus, à Ciculis fluuio dirimitur, cui nomen est apud Ptolomæum Alutato, intus tota est cultissima, hortulum plane, si videas, dixeris. Sed & vrbs ista (iam tandem, quod institui, paucis absoluam) in quodam quasi loci huius recessu, montibus confertissimis (vt præfertur) comprehensa est, cuius gemini in latitudinem murorum foris excurrentium latera claudunt, quibus superne propugnacula imminent, sic vt nisi in summa montium accliuitate circuitus non pateat: Duplex fossa eximia altitudine ambit vndique mœnia, in quibus turres conserto stant ordine: In longitudinem cum vallo descendit, vt quadrata fere esse videatur. Suburbia autem complent quicquid est extra muros vallium, vbi ipsi Saxones, Ciculiq; mixtim habitant: reliquam loci istius partem intra ipsas vsq; montium angustias Valachi fere occupant, hic templum habent, & ei præsidentem sacrificulum: Deinde Saxones rursum cum Ciculis longissimis vicis commorantur. In ciuitatem vero non nisi Germanus recipitur. Inter amplas in ea substructiones, primas habet virgini Mariæ consecratum quadrato lapide templum.

Hæc ciuitas ab arce Fogaras distat milliariis quatuor, in palustri ac plano loco sita, & adeo munita & fortis est, vt nulla suffossio huic metuenda sit vnquam. Ex qua arce anno M.D.XLI. Stephanus Maylat, istius Regni Transyluaniæ VVayvvoda, vir militaris ac strenuus, à Turcis & Petro VVayvvodæ Moldauo, dolo & fraude ac simulata eorundem fide, elicitus, & in captiuitatem Cæsaris Turcarum abductus est Constantinopolim, vbi hactenus acerrimis detinetur vinculis: de cuius tam insperata ac improuisa captiuitate, & Petri VVayvvodæ perfidia, longa posset scribi historia.

Quam ciuitatem olim Stephanus VVayvvoda Moldauus, qui huic ciuitati erat hostis infensissimus, bombardis & machinis bellicis in montem eminentiorem deductis, expugnare, & suo imperio subiicere moliebatur, sed bombardis parum profecit, siquidem demissis globis, propter spatii longitudinem, quo deferebantur, vis & impetus eorum frangebatur, adeo vt citra vllam ædificiorum iacturam, in theatrum ciuitatis prolapsi deuoluerentur, quo facto, desperata victoria, VVayvvoda obsidionem reliquit.

Nulla in Transyluanis vrbibus, multorum sane iudicio, populosior illa: forum hic singulis septimanis, rusticis ex agro confluentibus, tam celebre est, vt iustas nundinas putaueris, ob rerum merciumq; propositarum copiam: Est enim finitimorum emporium, & veluti communis officina rerum omnium: confluunt istuc Ciculi, Valachi, Armeni, & Græci: etiam Turcicis plerumq; mercibus tam ex Moldauia, quam Valachia adductis, fit interdum opulentior. In ea ciuitate, qui magistratus agunt officia, viri sunt graues & maturi, diuersarumq; linguarum periti, Remp. summo studio fouentes: ciues autem & belli & pacis artibus sunt instructissimi, qui cum Moldauis plerumq; bellum gessere, & nonnunquam insigni victoria potiti sunt.

BISTRICIA in amplissimæ vallis planicie posita, habet vtrinq; vitiferos colles. Per mediam vrbem fluuius eiusdem nominis labitur ad meridionale latus inferioris suburbii declinans, qui statim post duo milliaria Zamoso coniungitur amne, fundulis inprimis abundans. Quatuor milliaribus ab vrbe Bistricia sunt aurifodinæ Roduenses, inde in extremis Transyluaniæ finibus Riuuli Dominarum aurifodinis non obscuri.

SEGESVVARIA ciuitas partim in ædito colle, partim infra ad radices habitata, inferior tamen eius pars cultior existit, ob faciliorem rerum necessariarum copiam: fluuius idem mœnia huius ciuitatis pariter & Megiensis præterlabitur, qui paulo supra Albam Iuliam influit in Marusium.

MEGIENSIS ciuitas, quæ in meditullio Transyluaniæ sita, ferax vini, ac rebus aliis omnibus ad communem quæstum & victum deseruientibus satis referta, & clade quondam Ludouici Gritti gubernatoris non incognita. Is Gritti ob indignitatem cædis magnifici quondam Emerici Czij-

backii Varadienſis Epiſcopi, quem dictus Gritti ad ſe dolo & fraude accerſitum, occidi iuſſerat, atque demum paulo poſt à Moldauicis gentibus & Saxonicis, in ea ciuitate obſeſſus, captus, & in campum eductus, ſimul cum aliis multis tanti facinoris conſciis, qui eum comitabantur, extremum recepit ſupplicium, cuius tandem duo filii inſignes adoleſcentuli quoque in captiuitatem VVayvvodæ Moldauienſis deducti, capite paternum ſcelus expiarunt, quod ex rebus geſtis melius cognoſcas: Acta ſunt hæc anno vigeſimo ſeptimo. Hæc autem ciuitas, olim oppidum, & non ante multos annos ſuis arcibus & mœniis firmata, & in formam ciuitatis redacta eſt.

Quæ ciuitas quatuor à Cibinio diſtat millibus paſſuum, quam præterlabitur fluuius Kykellevv maior, qui in montanis Schiik oritur, & recepto minori Kykellevv amne, non longè à Balasfalvva paulò infra Ezombor & ſub Eniiedino oppido in Maruſium influit.

Inde Kykellevvar vno milliari à Megies diſtat ad Occaſum, illic fluuius minor Kykellevv ab arce non adeo procul prǽterlabitur, quam arcem quondam Petrus VVayvvoda Moldauus cum nonnullis pagis circumiacentibus, ex donatione & inſcriptione olim Diuorum Hungariæ Regum, poſſidebat: Hanc nunc frater Georgius, Regni Tranſyluaniæ Theſaurarius adeptus eſt, & in ſuam redegit iuriſdictionem. Illic egregia vinearum promontoria, & vina optima, aliarumq; rerum magna habetur affluentia.

ZABESVS ciuitas non magno interuallo ab Alba Iulia, in planitie, valle profundiſſima, aquis piſcium fœcundiſſimis munita, quanquam non ita fortibus propugnaculis defenſa ſit: Intus luculentis ædificiis exornata, quam primariam Saxonum ſedem fuiſſe dicunt. A qua ciuitate non longe duo ſunt oppida, vtpote VViincz & Barboreck, quæ alias ex Diuorum Hungariæ Regum donatione, ad Tranſalpinum ſpectabant VVayvvodam, Regibus Hungariæ ſubiecta: vbi ſal Regium ratibus inſtructis Maruſio amne applicatur, & inde Hungariam prouehitur. Illic in ſummitate cuiuſdam monticuli caſtellum quoddam, in quo diui olim Franciſci ordinis profeſſores reſediſſe dicuntur, non ante multos annos per internos hoſtes demolitum. Ea ciuitas habet pagos Regios decem & ſeptem.

COLOSVVARIA in planitie ſuauiter admodum ſita, tam murorum ambitu foris, quam ædificiorum ſtructuris intus ſplendida: Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt, Iudicem & Conſules alternis vicibus quotannis concordibus ſuffragiis, nec diſpari numero eligunt, hi Hungarum, illi Saxonem, ſuos quiſq; Senatores ſalutant. Vbi ad portam Portinam hoc Epigramma Traiano adſcriptum eſſe videas.

I. M. N.

TRAIANO PRO SALVTE IMP. ANTONINI ET M. AVRELII CÆSA. MILITES CONSISTENTES MVNICIPIO POSVERVNT.

Non procul hinc Chryſus fluuius, qui primas Hungariæ metas à Tranſyluanis limitibus ſciungit, ex Dacicis iugis Pannoniam contingentibus intra aſperas & præcipites alpes continuis anfractibus & celeri meatu diſcurrit, vbi Valachi in deſertis ædibus reſidentes, vſu ac quæſtu pecorum & piſcium affluentium quotidianum victum quæritant. Abundat hic fluuius nobiliſſimis piſcibus, qui ex eo, vt apparet, nomen accepit, quod & auro abundet, quod à Græcis χρυσῶν appellatur: Vide Strab. lib. 13. circa medium ab accolis.

Nec longe ab hac ciuitate duæ altiſſimæ rupes prodeunt, verſus Occaſum, à regione ſibi oppoſita, inter quas fluuiolus ſatis præcipiti labitur curſu, prout ex his cognoſcere licet verſibus:

Hic geminæ pariter tolluntur ad æthera rupes,
Saxaq; præruptis cautibus atq; rigent.

Riuulus

Riuulus hinc cursu fluit inter vtramq; rapaci,
Aureus hinc nitidis excipit amnis aquis.
Perspicua est ipso adductu, quæ sumitur vnda;
Candidulus scrupos fundus & imus habet.
Ante locis transis vicenis atq; nouenis,
Quàm celsum videas, quo fluit ille iugum.

ALBA IVLIA ciuitas vetustissima, atque sede Episcopali celebris, quæ prædictis septem Saxonum sedibus, quasi mediterraneo terrarum spatio coniungitur, olim Zarmiiz Dacia appellata (Fuit enim regia Daciæ Regum, quod ex veteribus monumentis, quæ ibi copiose reperiuntur, cognoscere liceat) in colle decliui sita, circumfusa vndiquaque ad duo ferè millia passuum planitie. Ab Oriente fluuium Marusium, & deinde ex altero latere amnem Ompaii Hungaricè vocatum, ex alpibus descendentem: ab Occidente verò amœnam, vt diximus, planitiem vsq; ad montem S. Michaelis, quo in monte in rupe altissima castellum quoddam Diui Michaelis situm est, à Romani Imperii durans tempore, quod ex antiquitatis monumentis, quæ ibi non pauca sunt, coniicere licet: à Septentrione eadem intercedit planities, atque inde Marusius fluuius quoque duobus distat ab vrbe millibus passuum, qui olim per mediam vrbem perluisse dicitur, ex ruinis & sepulchris peruetustis & dirutis accepto indicio. Tanta eius vrbis fuit amplitudo, vt in longum & latum ad quinque millia passuum porrigeretur. Quòd autem Gothi antiquitus eam incoluerint terram, vetustas inscriptionum & characterum illic in tabulis & sepulchris inuentorum ostendit, literis paucis admodum nostra ætate cognitis: proinde fidem faciunt, Romanorum legiones hucusque progressas fuisse, cuius rei signa passim adhuc in visceribus terræ occulta inueniuntur.

Ab Alba Iulia ad Occidentem sunt montes & alpes excelsissimæ, & aditu difficilimæ, in quibus situantur ciuitates Montanæ auro & argento præstantes, inter quas vel præcipua est Abrugbaniia, quam Collegium Sacerdotum ex donatione Ioannis Huniadis possidet, venis metallicis celebris, vbi magna auri vis assiduè colligitur, quæ ad Cameram monetariam Cibinium defertur, ibidemq; conflatur, & ex ea aureæ monetæ cuduntur continuò, prout ex sequentibus nostris annotationibus planè liceat videre.

Distat hæc ciuitas Abrugbaniia ab Alba Iulia milliariis quinq;: Eodem itinere alia ciuitas Zalathna non procul situatur, quam nunc Valachi incolunt, vbi ex vetustis monumentis apparet, olim maximam fuisse vrbem.

ZAZVVARAS, Saxonibus Bros dicta, distat à Keniier ad Meridiem vno milliari, sita ad flumen Marisum, terra fœcundissima, frumenti, vini, & omnium fructuum ferax. Ibi populus admodum vrbanus, & ad Valachorum ritum & consuetudinem; amictu & victu non parum accedens, qui passim in campis circumquaq; desertis quibusdam possessionibus resident, & habent cœlum miræ temperiei. Etenim syluæ intensissimæ, lepores, damas, & ceruos, in magna multitudine fouent, piscibusq; illic optimis abundant.

A prædicta ciuitate Zazvvaras, vbi per syluosa montium iuga, duo ferè milliaria confeceris, subitò conspicis nouam quasi terram. Est prouinciola parua in extremo Transyluaniæ angulo, in qua Haczak oppidum situm, ea prouinciola à reliquo regno separata, vndique montibus & alpibus eminentissimis circumsepta est, præsertim ab Ortu & Meridie, vbi spatiosissimus transitus in Mœsiam, quæ nostro tempore Transalpina vocatur. Quæ regio ad octo milliaria se extendit, & quasi in medio vmbilico sita est, & ipso regionis nomine Haczas appellatur, quod oppidum Valachi mixtim Pannonibus cohabitant.

Ad plagam Meridionalem huius regionis adhuc apparent, & teruntur vrbis amplissimæ fundamenta latissimè porrecta, & parietes ædificiorum collapsi conspiciuntur. Varheli loco nomen est, quod significat, locus vrbis.

Digitized by Google

Hic singulis ferè diebus Valachos inuenias, qui rudera vertunt, ac lapides pretiosos, atque numismata tàm aurea quàm argentea ex visceribus terræ, variaq; antiquitatis monumenta effodiunt.

Præterea Alba Iulia ciuitas Daciæ, quæ nunc est sedes Isabellæ Reginæ Hungariæ, &c. eamq; abrogato Episcopatu tenet. Et à Diua Iulia Augusta, matre Diui M. Aurelii Anthonii Pii Aug. Imp. nomen sortita est, cuius rei argumento Epitaphium in vetustissimo marmore templi D. Michaelis descriptum est.

I. O. M. E. IVNONI.

PRO SALVTE IMP. M. AVR. ANTHONII PII AVG. ET IVLIÆ AVG. MATRIS AVG. M. VLPIVS MVCIANVS MIL. LEG. XIII. GEM. HOROLOGIARE TEMPLVM A SOLO DE SVO EX VOTO FECIT, FALCONE ET CLARO COSS.

Sargetia fluuius Daciæ, ad regiam Zarmijz Decebali quondam Dacorum Regis fluens, cuius tempore Huniadum arcem alluit. Decebalus autem subter vada Sargetiæ amnis, non procul à Regia prædicta Zarmijz, suos occultauerat thesauros, quos deinde Traianus Imperator, eo superato comperisse fertur. Lege Traiani vitam, per Georgium Merul. ex Dione Græco traductam.

ZARMIS, inquam, vrbs ingens, quondam Decebali Dacorum Regis sede clara, eo autem deuicto, Colonia Vlpia Traiana, Augusta Dacia fuit appellata, quod ex subscriptis Epigrammatis planè videre licet.

DIVO SEVERO PIO.
COLONIA VLPIA TRAIANA AVG. DACIÆ ZARMIS.

Aliud Epigramma.

I. O. M.

ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI, FOELICIBVS AVSPICIIS CÆSARIS DIVI NERVÆ TRAIANI AVGVSTI, CONDITA COLONIA DACIA ZARMIS, PER M. SCAVRIANVM EIVS PRO P. R.

Sunt præterea in ea prouincia montes auri & argenti ditissimi, vtpote Abrugbania, Zalathnia, & Keresbania, ex quibus magna vis auri & argenti sumitur, & Cameræ Regiæ pro cudendis tam aureis quàm argenteis monetis applicatur.

ABRVGBANIA diues auri oppidum, in cuius circuitu montes mira rerum omnium fertilitate, vsq; adeò cumulati, vt solertis terræ visceribus thesauros Regiis opibus non indignos alat: nempe illic obrisum aurum patulis de montium verticibus frustulatim præciditur, subter quorum valles vitrei & perlucidi amnes decurrunt, ex illis alpium iugis demergentes: plures denique eo loco chrysolapides in opulentis ac crebris chrysoplisiis, id est, aurilauacris inueniuntur. Abrugbania autem Romanorum olim colonia fuit, quantum ex hac inscriptione coniectura assequi possumus, in altari ædiculæ supra oppidum non ita longè reperta.

D. M.

CASSIÆ PEREGRINE INTEG. FA. I. VIR ANN. XXII. F. BISIVS SCENOB. SARD. CONIVG. S. M. P. I.

ZALATHNYA oppidum temporibus Traiani Imperatoris conditum, olim aurifodinis insigne, vbi adhuc extant aliquot Epigrammata in marmoribus sculpta, quorum hic vnicum lectu dignum adiunximus.

D. M.

Digitized by Google

D. M.

M. AVRE ANTHONINI MIL. LEG. XIII. GEM. VIXIT ANN. XII. MEN. XI. DIEBVS II. MILITAVIT AN. V. LIB. RARA VRE L.

MARCIANVS ET VAL. VALENTIANA FILIO PIENTISSIMO.

KERESBANIA oppidum in procliuitate montium loco satis amœno situm, quod Saxones Valachis passim interspersi incolunt, à quibus ea loca interdum minus tuta sunt ex frequenti deprædatione.

Iam paucis post ciuitatum descriptionem, quæ hic sint præ cæteris celebria flumina aperiemus.

MARISIVS, seu Marisus penult. cor. Daciæ, vel si mauis, Transyluaniæ aurifer fluuius, ex alpibus Transyluaniæ Moldauiam contingentibus profluens, à Ciculis in Daciam, inde in Tyssiam descendit (Vide Strab. lib. 10.) mox Danubium influit, per quem Romani milites vasa olim sibi ad vsum belli necessaria deuehere solebant, adde quod hinc sal Regium in Hungariam importari solet.

ZAMOSVS, penult. longa, fluuius Daciæ, non procul à Chryso fluuio in iugis Dacicis ad Moldauiam vergentibus, inprimis Orientem versus effluit, tandem arcem Gyvvla Episcopalem præterfluens, tendit ad Austrum, & ciuitatis Colosvvariæ pomœria radit, inde ad Solis ortum vertitur, angusto alueo & sinuoso nauigabilis, quo sal Regium oneratis nauibus quotannis euehitur, vulgus eundem fluuium appellat Zamos, non longè à Bistricio territorio, per vallem emissus abducitur in Hungariam Thybisco amne præcipitandus.

AVRATVS verò fluuius in montibus Abrug oriens Tordam præterlabitur, & paulò supra Nadghlack in Marisio exoneratur, qui Transyluaniæ celeberrimus fluuius est, satis exili & angusto alueo prosiliens, deinde collectis simul aliorum riuulorum & fluuiorum vndis augetur, Transyluaniamq; secat, ac præterfluens oppida Zeckelvvassarhel, Enyedum, Albam Iuliam, Devvan, & Lyppiam, qui tractus totius prouinciæ est amœnissimus, atq; non adeò magna distantia à Zegedino in Hungaria, cum Thybisco coniungitur, & naualis est amnis, quo omne sal euehitur ex Transyluania, deponiturq; Zegedini, atque inde per totam defertur Hungariam, & per Thybiscum, Belgradum, Seruiamq; deducitur.

EST AVTEM TRANSYLVANIA (vt ad priorem nostram redeamus sententiam) quæ olim fuit Dacia, si non tota, tamen eius florentissima & præcipua pars, quam Imperator Traianus, vt prædiximus, victo Rege Decebalo, qui his locis imperabat, in prouinciam redegit, deductis colonis & vrbibus conditis, quarum nonnullæ in hunc vsque extant diem, quod adorandæ vetustatis inscriptiones monumentorum pluribus locis repertorum indicia testantur. Eam Teutones primo tempore & aliquot retrò sæculis possidere, siue hi ex Saxonia, siue à Rheno venerint, tamen ex Germania profectos fuisse constat. Sed quam fortunam, quemve Ducem sequuti sint, nullis quidem literis proditum est, nisi quod in Hungarorum Chronicis legitur, Diuo Stephano regnante multas semel nationes Hungariam & istius confinia occupasse, inter quas Saxones fuisse memorantur.

CONCLVSIO.

EST itaque hæc nobilissima & opulentissima regio & prouincia, pluribus aucta nationibus & incolis, omniumq; rerum, quæ ad humanum spectant vsum, longè refertissima, auro, & argento, saliumq; fodinis, ex quibus quotannis ingens thesaurus hauritur, cum viniferis montibus, & iumentorum & pe-

Digitized by Google

corum ingenti multitudine vndiquaque referta. Estq; hæc regio Transsyluania, quod trans syluas sita sit, appellata, multorum cognitione & perlustratione, meoq; iudicio, latitudine & longitudine ad viginti & quinque milliaria extensa.

Absoluimus igitur hanc breuem, & vt ita dicam, satis compendiosam Transsyluaniæ descriptionem, qua præcipuas ac celebriores vrbes, pagos, & oppida eiusdem prouinciæ, suis limitibus & confinibus, nec non situ & locorum amœnitate, non indiligenter complexus sum: nihil addubitans, vt quicunq; has commentationes, simulatq; alias regiones distinctim expressas & adiunctas, suo perlustrauerit ordine, mox illius terræ ac regionum finitimarum verissimam assecuturus sit cognitionem. Neq; suspicetur quispiam, in tota Europa, huic prouinciæ Transsyluaniæ, opulentia & amœnitate esse parem, aut vsufructu præstantiorem, quod sane ex præscriptis annotationibus nostris cuiuis legenti videre licet.

EXHORTATIO AD SACRAM REGIAM MAIESTATEM.

SERENISSIME & Inuictissime Rex, Domine, Dn. Clementissime, legimus apud Xenophontem, Ducem quendam Græcum, dum militari expeditioni exercituali Regis Persici præficeretur, solerti cura & diligenti inspectione Persiam & Ioniam descripsisse, descriptamq; in membrana Spartanis Regibus obtulisse, vt regni Persici opibus & terrarum bonitate ac beatitudine inuitarentur, ad suscipiendum bellum contra Persas: Fuitq; efficax eius membranæ exhibitio, persuasione Ducis illius, Spartanis oblata. Statim enim Spartani expeditionem in Persas mouerunt, Agesilao duce, qui vniuersum Persarum imperium sua manu & bellica virtute occupasset, nisi domesticis motibus in patriam retractus fuisset. Alexander ille Macedo, qui à rerum gestarum magnitudine & gloria Magnus est appellatus, cùm audisset Democratis opinionem, asserentis plures esse mundos, obstupuit, atq; lachrymans dixisse fertur: Heu mihi homini infelici, quod cùm plurimi sint mundi, vnius dominio nondum sim potitus, quid amplioribus regionibus subiugandis mihi sperandum sit vnquam? Tanta nimirum Alexander regnandi cupiditate stimulabatur, vt parui duceret, orbis terrarum imperium se esse assecutum, nisi cætera quoque, si quæ extra hunc mundum regna forent, consequeretur. Quamobrem, Rex potentissime, vt Sacra Maiestas tua consilii & instituti mei rationem habeat, hoc inprimis Tuæ Maiestati declarare volui, quò demum Maiestas Tua cognosceret, quàm opulenta & diues, diuersisq; nationibus & populis ista Transsyluaniæ prouincia sit referta, quæ Tuæ Maiestatis imperio iam propemodum adempta, atq; in ditionem Tyranni, ac in seruitutem (proh dolor) non sine maxima totius Christianitatis iactura redacta, vt rursus istud regnum, quod ad Tuam Maiestatem omni iure & legitima & Regali successione spectat, ex faucibus hostium eripiendum, armisq; vindicandum, ac pristinæ libertati suæ restituendum niteretur. Quod & antea diu Tuæ Maiestati præcipuè curæ fuisse, nemo est, qui ignorat. Tantam enim Maiestas Tua moderandi imperii sui rationem assecuta est, vt eo toto ferè orbis ambitu nec potentior, nec moderatior Princeps visus sit vnquam. Sed quoniam huic Regno inter cætera discrimina & futura metuenda pericula nihil perniciosius esse queat, quàm quòd internis grauissimè fluctuat dissidiis. Quòd si in eo Regno constantes & vnanimes forent, suasq; ambitiones deponerent, haud ita facilè ipse hostis atrocissimus istius Regni imperio, pro libito suo potiri, aut præsidia vlla in ea patria nostra statuere posset firma: cùm potissimum huic hosti tam valido exercitu per tam angustas vias nusquam commodus pateat accessus, atq; etiam hæc regio amplissima, & natura montibus, syluis, & nemoribus vndiquaq; adeo munita sit, vt ab hostium subitò impetu satis tuta esse queat. Quisnam, Rex victoriosissime, hanc prouinciam adeò florentem, & opulentam, sublatis mutuis dissensionibus, aut subuertere, aut occupare, aut in aliquod discrimen adducere vnquam poterit? dummodo hæc strenuissima natio, sua tranquil-

tranquillitati & pristinæ libertati restituta, & conformibus animis arma in publicum Christiani nominis hostem conuerterit, aliorumq; Christianorum Principum tempestiua auxilia & præsidia senserit: Constat enim omnibus, Rempub. ab initio orbis, semper discordia & intestinis simultatibus defloruisse, grauissimamq; ruinam accepisse: Quod sanè ex his versibus cuiuis perpendere & videre licet.

Vera equidem Dia est Christi sententia magni,
  Diuisum regnum seditione ruit.
Sic olim cecidit discordibus excita bellis
  Carthago, Lybiæ culmina celsa lares.
Oppida, sic arces, vrbes, sic Ilion ingens
  Corruit, & Priami Regia pulchra senis.
Sic liquit celebrem sua magna potentia Romam,
  Fractaq; sic sensit publica damna neces.
Sic opulenta potens diris agitata procellis
  Pannonia, heu misera, seditione ruit.

Quare Maiestatem Tuam humilimè precor, vt hanc meam admonitionem gratioso ac benigno vultu amplecti, meq; in singularem tutelam & protectionem suam clementer suscipere, & commendatum habere dignetur.

E. Maiestatis Tuæ

fidelis seruitor,

GEORGIVS REYCHERSDORFFERVS.

Digitized by Google

MOLDAVIÆ, QVÆ OLIM DACIÆ PARS, CHOROGRAPHIA, GEORGIO A REYCHERSDORFF, TRANSYLVANO, Autore.

INCLYTISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FERDINANDO, Romanorum, Pannoniæ, Bohemiæq; Regi, &c. Domino suo clementissimo.

MVLTAS & eas quidem longinquas legationes, quas FERDINANDE *Cæsar inuictissime, Rex potentissime, Sacra Maiestas Tua mihi imposuit, prompto alacriq; animo suscepi, & pro virili strenuè ac sedulo perfunctus sum, quarum proxima fuit, qua Sacræ Maiestatis Tuæ iussu, Moldauiam perlustraui, atq; oculis (quibus maxima fides esse solet) eius terræ montes, flumina, syluas, vrbes, oppida, pagos, ita consideraui, vt reuersus, quicquid ibi memorabile videram, ad vnguem recensere potuerim: Quæ cum annis superioribus Lynzii Sacræ T. Maiestati retulissem, memoria teneo, Maiestatem Tuam mihi negotium dedisse, vt terræ illius situm, descriptionemq;, quantum memoria assequi possem, literis mandarem: Quod equidem pro viribus feci, tum quo magis imperato legationis muneri satisfacerem, tum nequid Sacram T. Maiestatem eorum, quæ ibi memoria digna sunt, lateret, cum nemo veterum scriptorum, ac ne recentium quidem eam fortasse prouinciam calamo antea sit complexus, intermittere non potui, quin tandem in publicum emitterem hoc opusculum, maiore à me fide quam elegantia conscriptum, quod Sacræ M. T. denuo offerendum ac dedicandum duxi, vt admonerem, Moldauiam minime contemnendam, Regni Hungariæ quasi ramum non infimum, insidiis callidissimi atrocissimiq; Tyranni nuper à totius Christianæ Reipub. & regni veluti corpore auulsam, omnibus viribus conatibusq; esse vindicandam, terram sane omnium rerum copia affluentem, quæq; hostem nostrarum rerum auidissimum suis ad nos opibus transmittere possit, vt hinc ad Christiani nominis Regna inuadenda expeditum deinceps sit iter habiturus: nisi vnanimi consensu concordes Christiani Principes confestim aduolarint, ad restinguendum tam atrox incendium, vereor ne longe lateque grassata flamma (quod Dii procul auertant) simul omnium opes hauriat. Quod meum quamuis tenue officium, ab optimo tamen deditissimoq; animo profectum, Sacra Maiestas Tua boni vt consulat, supplex precor, meq; humilimum clientulum suum in singularem Maiestatis Suæ gratiam ac tutelam recipere, & commendatum habere dignetur.*

E. Sacræ Maiestatis Tuæ

Humilimus seruitor

Georgius Reychersdorffer,
Secretarius indignus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CVM plerique diuersarum terrarum, nationum, gentium, & prouinciarum situm, ac regiones, ipsaque adeo climata absque vera & integra perspectaq; locorum cognitione, suo saltem priuato studio aut opinione potius, quò cæteris etiam longe peritioribus sese illa sua minus indagata descriptione, ingenio tamen præstare cupiunt, describere soleant: atq; inde citra veram ipsorum experientiam, non parui quandoq; errores cōmittantur, quæ non mediocria proficiscentibus viarum discrimina adferunt, adeo vt alias multarum rerum sane peritis, in eiusmodi exactissimis annotationibus fides certa non multum adhibeatur. Ego igitur cum superioribus annis in regno Moldauiæ diuersis & arduis Sacræ Maiestatis Regiæ legationibus versatus & perfunctus sim, totamq; hanc regionem satis diligenter & vsq; ad vltimos eius prouinciæ terminos perlustrauerim, constitui quantum vel per ingenii mei tenuitatem, aut temporis angustiam liceat (nisi me mea fallat opinio) terræ illius situm & ambitum, breui quodam compendio, recta geographicaq; methodo, ita depingere & conscribere, vt nihil prorsus ab integra & exquisita cùm locorum tum fluminum omnium cognitione & descriptione, intermissum esse videatur. Quo tandem quiuis eiusmodi itinera suscipiens, ampliore sane iudicio, certioreq; cum ratione istius regionis Moldauiæ situm & ambitum, nec non circumiacentia regna vndequaque magis perspecta & cognita habere, hancq; meam vel minus bene politam, aut non satis omnibus approbatam descriptionem cognoscere & iudicare queat facilius.

DESCRIPTIO MOLDAVIÆ.

TERRA iacet sæuis Thracum contermina regnis,
Iuncta vbi cum Chele sydera Taurus habet.
Hicq́ vbi septenos, mutato nomine, portus
Ister in Euxinas gurgite fundit aquas.
Moldauiæ multos titulo celebrata per annos,
Adde quòd & solo nomine nota fuit.
Bastarnæ hanc olim veteres tenuere coloni.
Proxima Pannonii, Sauromatæq́ tenent.
Qua videt occiduum tenebris decrescere Phœbum;
Falcigeros illo despicit orbe Dacos.
Vnde diem roseis illustrat Lucifer alis,
Æquoreis illinc pulsa feritur aquis.
Inde vehit longos sinuoso in littore tractus,
Tendit in Eoos brachia longa sinus.
Dum Mare desertas superet cum littore ripas,
Et simul in Pontum Nester & Ister eant.
Terra armis opibusq́ potens, belloq́ superba,
Fœcundo semper gramine tecta viret.
Sponte sua multos geminata messe racemos,
Lætaq́ non cultus munera reddit ager.
At tamen Euxini qua vergit ad æquora Ponti,
Horrescit nimio terra relicta situ.
Non hic pampinea vitis nutritur in vmbra,
Hanc nemo presso vomere findit humum.
Quodq́ magis miror, curamq́ & aratra recusat,
Nullus arenosi littoris arua colit.
Littora cum videas aliis cultissima terris,
Quæ domino referant annua poma suo.
Nec quicquam bello minor est, rebusq́ gerendis,
Multa foris gessit prælia, multa domi.
Et Mahometigeno populantes milite Turcas
Reppulit, estq́ hostem sæpius vlta suum.
Nunc sua Lunigero concessit iura Tyranno,
Victaq́ Thessalico subdidit ora iugo.

EPIGRAMMA IOAN. ALEXANDRI Brassicani.

Nota fuit paucis Moldauia magna, Georgi
Nunc facta est vere nobilis ingenio.
Debuit esse magis somno vinoq́ sepultis
Cognita, qui Turcas somnia vana putant.
Interea dum tempora perdimus, impius hostis
Deuorat & Reges, deuorat & populos.

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

Ex aliorum alii scripserunt plurima dictis,
Et temere auditis sæpe habuere fidem.
Hic vrbes, quas ipse adiit, quæ flumina vidit,
Prudens veraci tradidit historia.

Digitized by Google

MOLDAVIÆ CHOROGRAPHIA, GEORGIO A REYCHERSDORFF TRANSYLVANO AVTORE.

INPRIMIS igitur exordiendo à confinibus Regni Poloniæ, dum scilicet iter versus Moldauiam spectat, plana est terra, rebusq; ad humanam necessitatem pertinentibus plenissima, montibus & alpibus minime impedita, donec per Russiam propemodum desertam, vsque ad ciuitatem Leopolim, Russiæ, metropolim insignem, quæ quinquaginta milliaribus ab vrbe Cracouia distat, ad propiores Moldauiæ metas acceditur. Subinde non ita procul duo sunt flumina haud absimili latitudine, & nauigabilia, & profundissima, quæ totam hanc regionem naturali suo fluxu ingentibus vndequaque ambiunt anfractibus, vtpote Nester, qui Boristhenes amnis dicitur, & Moldauus, à quo Regnum istud primæuum nomen accipit: Illic ab eius Boristhenis fluminis portu, arx quædam sita est, Chotiina dicta, qui fluuius primo statim in Moldauiam tractu descendit, atque in mare album prope arcem Nester Feiirvvar munitissimam continuo cursu influit. Tandemque non multo itineris interuallo quoddam oppidum Snatiina vocatum, quod videlicet Moldauos terminos à finitimis Russiæ metis prope seiungit, attingitur: Isthic Moldauiæ limites prima fronte apparent, inde recto tramite, totius Regni Moldauiæ ambitus in longitudine certo milliarium spacio ad calculum reuocato, vsque ad alpes Transyluanas, vbi illius terræ Moldauiæ extrema meta est, ad sexaginta & quatuor milliaria satis longa protenditur & terminatur. Hinc per prædictas alpes & asperam admodum & saxosam angustamque viam, qua vix commode currus vnicus progredi potest, per vnum & alterum diem non multo negotio ad ciuitatem Brassouiensem, per Ciculiæ metas finitimas, in terram Bartza deflectitur. Quæ quidem ciuitas Brassouiensis circumquaque contiguis cincta est montibus, atque satis firmata mœniis, prædictis alpibus à Transyluana regione proxima, Moldauosque seiungens vicinos terminos, peruenitur in Transyluaniam. Huic regioni à Septentrionali plaga ipsa Valachia, quæ alio nomine Transalpina dicitur, & Bulgaria, Ponto contermina sunt, inter Istrum & Thyram flumina.

VALACHIA autem longe lateq; diffusa, & patens regio, à ripis Danubii Turcis finitima, quæ olim Hungariæ Regibus obnoxia fuerat & tributaria, nunc vero (proh dolor) simul cum Moldauia Turcarum tyrannidi magna cum Christianorum iactura subiecta est.

Fuit & olim VVayvvoda Moldauus Hungariæ Regibus iuramento adstrictus: Eius enim prouincia quasi regno Hungariæ addicta, ingruentibus bellis contra hostes publicos, in defensionem & conseruationem illius præsidia à Regibus Hungariæ obtinuit necessaria.

Ipsa autem Valachia Transalpini nominis originem ex re sortita, alpibus enim & montibus continuis, & his quidem altissimis, ab Hungaria & eius potissima Transyluaniæ parte, nemorosis passim amœnisq; interuenientibus syluis, diuiditur & conterminatur.

Præterea Valachia appellatur à Flaccis Quiritum gente: Romani enim Getis superatis & deletis, Flacci cuiusdam ductu eo coloniam deduxere, vnde primum Flaccia, deinde corrupta voce Valachia dicta. Adstipulatur huic opinioni Romanus sermo, qui adhuc in ea gente durat, verum adeo ex omni parte corruptus, vt vix ab homine Romano intelligatur. Igitur Valachi Italicum genus, à veteribus (vt aiunt) Romanis deriuatum, præter quod

Digitized by Google

historiis traditur, in coloniam Dacicam à Traiano Imperatore deductos esse, plane in Getarum mores abierunt, atque nihil antiquæ originis, suique monumenti retinent, præter natiuam linguam, quæ admodum barbara & corrupta est.

DE RITIBVS ET MORIBVS Moldauicæ gentis.

POPVLVS itaque Moldauicus conformi fere vestitu maiorum suorum more & instituto incedens, non dissimilibus Hungarorum armis vtitur, vtpote hastis militaribus & clypeis, tamen illis parum succinctioribus, & his quoq; modo ensibus ac frameis ad vsum belli deseruientibus, non multum discrepantes; Quiq; ad militarem industriam satis apti sunt & expediti.

Præterea gens ista Moldauica ferox est, & admodum barbara, rebus tamen militaribus & bellicis, vt prædictum est, suo more eximie instructa. Christum & duos Apostolos agnoscit, ac S. Pauli, vt ipsi volunt, religionem hactenus iam inde ab initio non sine summa veneratione & pietate, coluit. Isthic diuersæ sectæ, & diuersa quoq; religionum & nationum genera habentur, vtpote Ruthenorum, Sarmatarum, Rascianorum, Armeniorum, Bulgerorum, & Tartarorum, non minor deniq; pars Saxonum Transyluanorum, hanc terram passim inhabitantes, imperio Moldaui VVayvvodæ obnoxia, varietate tamen cæremoniarum & dogmatum sine vlla contentione vtuntur, & quælibet secta siue natio solitis suis ritibus & legibus pro suo fruitur arbitrio. Eodem quoq; modo & ordine, Monachi Christianam religionem illic profitentes, sacris suis cæremoniis & officiis iuxta monasterii & ordinis sui consuetudinem siue regulam vtuntur. Postquam autem de Ruthenis supra mentionem fecimus, eos Moldauiæ confines constituentes, par est, & alios finitimos ipsis populos, paucis calamo perstringere.

TARTARI vero eam regionem incolentes, quingentas (quas vocant) sessiones proprias habent, ii pariter VVayvvodæ ipsi sua fide adstricti, atq; in expeditione bellica, contra externos quoq; Tartaros (à quibus ista prouincia non raras sentit incursiones) suis instructis copiis proficisci coguntur. Gens admodum effera, quæ carnibus equinis quotidiano vescitur cibo, reliqua obsonia etiam delicatissima minime curans.

RVTHENI olim prouinciæ Narbonensis populi, finitimi erant Auernis & Sanctonibus, vnde Cæsar in commen. & post eum Plinius lib. 3. cap. 4. Galliæ populos esse tradidit. Idem lib. 4. cap. 19. Aquitanis eos adnumerauit, modo inter Moldauos, Polonos, Tartaros, & Carpathiorum montium accolas habitant; eorum regio Russia vocatur, quam sylua Hercinia mediam fere diuidit, rari apud eos Christiani sunt, Pauli sectam profitentes, sermone à Polonico parum discrepante vtuntur.

PRVTHENI vero vltimi Germaniæ populi, quos Mela Herniones appellat, vltra Pomeraniam illis occiduam incolunt: ad Septentrionem littore maris Oceani, partim ad Orientem Liuonia, partim vero Lithuania clauduntur: Meridianos locos Masouitæ ac Poloni tenent: eius regionis metropolis Dantiscum, littoralis ciuitas, emporio ac mercibus extraneis clara & insignis, quam Fistula alluit, moxq; Oceano absorbetur.

SARMATIA Europæ extrema regio, hanc Mela Germaniæ partem esse tradidit, recentiores contra: nam ille Fistulam, hi Oderam Germaniæ terminum esse scripserunt, quæ Poloniam à Silesiis disterminat. Ptolomæus lib. 3. duas esse Sarmatias tradit: Alteram in Europa, quam nostra ætas Poloniam appellat, hæc à Septentrione Oceano, ab Occasu Germania, à Meridie Iazigibus, Methanastis, ac Carpathiis montibus terminatur in ea sunt Oliiba, modo Russia & Tartaria: Altera vero Sarmatia, Scythicæ Asiæ pars est vltra Tanaim, in qua & Caucasi montes prominent. Hinc Sarmatæ populi modo Poloni, olim Herniones, vt Plinius & Mela, vel Omeones, vt Ptolo.

Digitized by Google

Ptolo. Tacitus Germanis annumerat, vtpote qui contra Sueuos, Vannio Sueuorum Regi ab eis expulso, opem tulissent. Nos aliter sentimus: Nam Sarmatæ quondam, quemadmodum & hodie, carne equina more Tartarorum vescuntur. Inde Mart. Venit & epoto Sarmata pastus equo. Claudia. Tua Sarmata discors Sacramenta petit. Tranquil. in Domician. Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario, vnam in Sarmatas legionem, cum legato simul Cæsar: Cæterum auri argentique maximarum rerum ignari, vice rerum commertia exercent. Vide reliqua apud Mel. lib. 2. Græci Sauromatas vocant, ideo quod lacertis consimiles oculos habeant. Pli. lib. 4. Sauromatas gentes Scytharum Græci appellant, quas Sarmatas Romani dicunt.

Celebriora autem loca, arces nempe & oppida nominatim quoq; perstringere libet: Ea sunt, Svvczovva, Chotiina, Nempzs, Romani vvivvar, Bahloiazvvar, VVazlo, Zotuca, & Orhe. Item Huztvvaras, Tataros, Barlat, ac Romanvvasar; & plæraq; alia oppida & castella, quæ breuitatis studio, suo ordine recensere aut describere voluimus.

Princeps vero istius regionis, quem VVayvvodam Moldauum appellant, pro aulæ suæ splendore, tria millia equitum quotidiano suo alit stipendio, qui quidem in armis semper præsto, & parati sunt, eundemq; VVayvvodam cum instructis copiis suis comitantur vndiq;. Poterit autem ipse VVayvvoda, dum belli necessitas ita postulauerit, non magno negotio & labore, in Regno suo generali habito delectu, ad sexaginta millia equitum & peditum exercitum conscribere.

Eadem quoq; regio Moldauica alit insignes equos Turcicos, Valachicos, item Asturcones optimos, aliosq; in magna copia. Illos tamen raro ob VVayvvodæ edictum ex ea regione, nec nisi nuntiis & Oratoribus publicis, educere libere permittitur.

Eius generis equos nobiliores & elegantiores quingentos, & deinde Falcones trecentos quoque insignes, necnon ingentem Ducatorum summam VVayvvoda Moldauus, Turcarum Cæsari, quo ab illius inuasione sua sit pacatior prouincia, quotannis in tributum pendere solet. Licebit & illud adiicere, quod legitimi simul & illegitimi proles masculi indiscriminatim paterno succedunt imperio. Verum quamprimum illius terræ hæres aut Princeps nascitur, corpori stigma quoddam ignito imprimitur ferro, vt de vero demum stemmate natus Princeps, ad virilem euectus ætatem, certo dinoscatur indicio. Consueuit namque hæc gens ob imperandi libidinem, alter alteri necem machinari, omnesque mortis struere insidias. Ideo plærunque inter fratres obtinendi imperii causa, suboriuntur bella pernitiosissima. Quod itidem in Transalpina prouincia fieri solet, & contingit frequentius.

In hac prouincia nullæ sunt naues, quibus flumina traiiciuntur, præter rates, quæ ex compactis trabibus & applicatis asseribus extructæ sunt, quas nostrates nautæ Germanica lingua Pruksc hiff appellant, quibus eo potissimum consilio vtuntur, ne vel hostes eam prouinciam celeri motu aut impetu obruere aut inuadere queant. Sed interdum etiam in traiiciendis illis fluminibus, dum aliunde Principum Oratores aut nuntii ad VVayvvodam veniunt, quibusdam paruulis vtuntur nauiculis, ne vel à portu fluminis aliquandiu remorari videantur, quibus satis commode vna cum equis simul & curribus traiiciuntur quam celerrime.

Præterea Moldauienses simul & Transalpinenses VVayvvodæ, vires Turcarum Cæsaris non semel magno suo malo experti, suoq; imperio & regno depulsi sunt. Quemadmodũ quondam Petro VVayvvodæ Moldauo, Bogdano cognomine, paucos ante annos obtigit, quem Cæsar Turcarũ suo priuauerat dominio, & ablato eius thesauro in diram captiuitatem Constantinopolim abduxerat, vbi ad plures menses vinculis retentus, tandemq; impetrata Cæsa-

Digitized by Google

ris gratia, pristinæ libertati restitutus est, post cuius obitum filius eiusdem Elias Bogdanus, patris imperio successit, feliciterq; ac summa cum prudentia & moderatione atq; benignitate subditos suos omnes gubernare, & cum Transyluanis bonam amicitiam & vicinitatem seruare dicitur: nihilominus tamen Cæsaris Turcarum imperio substrictus, quibusuis annis solitum tributum pendere solet. In Transalpina autem prouincia quidam Miircza, qui (vt aiunt) pluribus annis in aula Cæsaris Turcarum versatus, & tandem non multis ante annis, priori illius terræ VVayvvoda VVlad nominato, è medio iam sublato, autoritate Turcarum Cæsaris, in dominium istius prouinciæ restitutus est, quem sua credulitate & tyrannide prædecessores VVayvvodas eiusdem prouinciæ multo superare ferunt: hic siquidem initio regiminis sui, potiores seniores, Barones, & Nobiles istius prouinciæ, nulla legitima occasione habita, partim miserabili nece affici, ac nonnullos in diram captiuitatem redigi iussit: vnde plures alii formidine ducti, ne in manus illius inciderent, relictis omnibus opibus, sese clam in fugam subduxere, & in Transyluaniam, quo tutiores essent, contulere. De cuius VVayvvodæ Miircza tyrannide, rebusq; tam seueriter & crudeliter gestis quispiam ociosior longam posset edere historiam, quæ singula breuitatis gratia, cum videbantur non adeo esse necessaria, potius prætermittenda fore duximus.

DE SEVERITATE MOLDAVIENSIVM VVayvvodarum.

IPSI autem VVayvvodæ Moldauienses maxima quadam tyrannide & seueritate in suos subditos ob leuissima quandoq; commissa grassari ac sæuire solent, quo magis illorum pertinaces animos obsequentiores reddant. Cuius rei specimen videre licet in tam magna cæcorum caterua, qui ob patrata scelera exoculantur, aut suis mutilantur membris, quiq; indies eleemosynæ ac victus gratia, suis iam orbati luminibus, Principis sectantur curiam, quos, etsi flagitia designarint, nihilominus VVayvvoda ipse pro sua munificentia & pietate fouet, benigneq; sua in curia sustentat: Ac extraneis omnibus tam sacrilegis quam adulteris & id genus perditissimis nebulonibus ad se fugientibus tutissimum præbet asylum.

Rarissime verò ii VVayvvodæ vtriusque prouinciæ tam scilicet Moldauiæ, quam Transalpinæ, ob subditorum suorum occultas plerunq; insidias, quibus vt plurimum illos adeo feroces & seueros Principes clam insectantur, diuturno fruuntur imperio: nec dum etiam ab incursione hostium, tam scilicet Tartarorum, quam Turcarum, à quibus admodum frequenter infestantur, in regno suo satis tuti sunt; nisi cum illis quandoq; confœderationem, aut pacis inducias suscipiant.

Præterea cum ex Moldauica illa regione per Russiam inferiorem, quæ proximis regni Poloniæ metis & finibus iungitur, à Podolia iter ad Hungariam versus Marmarusium, Munkacz & Beregh sumitur, passim amœni ac spaciosi sunt campi, nullo amne nauigabili intersepti, tantum fluuio Bruth vocato, qui Moldauiæ Poloniæq; fines dirimit, qui etiam humidis quandoq; temporibus traiicitur. Hinc tandem continuis & quidem altissimis montibus & alpibus per arctissimam ac multo difficilimam viam, qua haud satis commode equus vnicus lento quidem passu progredi queat, ad præscripta loca peruenitur in Hungariam.

Est autem prouincia Moldauica satis amœna tam planitie, quam vallibus, oppidis etiam, & variis possessionibus vndecunq; refertissima, nullis tamen arcibus aut ciuitatibus quacunque arte & industria munitis, excepta sola arce Nempzs, quæ in altissimo monte sita, cincta est mœniis, alias solum fluminibus quasi à natura adhibitis, munita.

Sunt præterea duæ arces validis extructæ muris, vtpote Romanivviivvar, quam planities quædam ad flumen Zered, quod in Danubium flectitur, su-

tur, ſuſtinet. Alteri verò Romanivvaſar nomen eſt: hæc vt vtrinq; duo occupant latera, ſic vtraſq; Danubius ipſe ſecat, atq; interfluit bifariam, vtrinq; dominia diſcernens. Altera etenim Moldauiam, altera Tranſalpinam, ſuis contuentur proſpectibus. Habet & is Danubii curſus duo vtrinq; à portu fluminis ſita oppida, videlicet Barilla & Galaczs, quæ pari ipſius Danubii interluuio, amœno quodam naturæ beneficio, elegantiq; ſeiungit ordine.

Hic nihil deeſſe comperitur, quod vſui humano neceſſarium videri poſſit. Adhæc diues auri argentiq;, ac ſalium fodinis, item agrorum, vinearum, pecorum, piſcinarumq; & ſtagnorum, ac ſelectorum & variorum piſcium genere, longè omnium locupletiſſima, adeò vt rerum omnium copia vbertim affluentem cernas, alioqui etiam aëris clementia, victus commoditate, ipſaque politia ſane quàm nobilis & ſpectatiſsima.

Per hanc totam regionem vetere ſaltem moneta Hungarica, item aſparis argenteis & aureis tàm Hungaricis quàm Turcicis vtuntur, neq; aliam quamcunq; monetam ipſis incognitam publico quæſtu exponendam admittunt.

Hactenus, REX Sereniſsime, viuis veluti coloribus Moldauiam regionem longè omnium præſtantiſsimam, quantum attinet, non tantum ad loca præ cæteris inſignia, flumina, oppida, monteſq;, verùm etiam minimos pagos caſtellaq; perſtrinximus: gratum quidem Maieſtati Tuæ (niſi nos concepta ſpes fallat) in eo præſtaturi officium. Multum igitur Tuam Maieſtatem, cæterosq; Chriſtianos Principes, breuiſsima hæc Moldauiæ deſcriptio admonere debet, quantum hac amiſſa regione periculi omnium Chriſtianorum ceruicibus immineat: Siquidem humanum eſt, accepto iam malo, tum primùm conſilia velle capeſſere.

AD LECTOEEM.

CVM *velis fortuna fauet prouecta ſecundis,*
Lætaq; tranquillæ tempora pacis habes:
Dormitas vtramq; nimis ſecurus in aurem,
Sunt tibi, ſunt alio fata cauenda modo.
Expende afflicti triſtiſsima tempora belli,
Et quæ ſint capiti tela parata tuo.
Fortè tibi rerum ſeries aduerſa malarum,
Qua minimè credis, parte futura venit.
Inq; tuis inimica volat fortuna capillis,
Cùm tua laurigera tempora fronde tegis.
Credo equidem, nec vana fides, fœlicia nunquam,
Quæ non ſint multis obuia fata malis.
Quare ſi quid habent vatum præſagia veri,
In noſtrum venient barbara tela caput.
Sic Scythicis periit nimium ſecura cateruis
Moldauia, & rigido Flaccia preſſa iugo.

Digitized by Google

DE ADMIRANDIS HVNGARIÆ AQVIS HYPOMNEMATION, GEORGIO WERNHERO AVTORE.

ILLVSTRI VIRTVTE, ET SAPIENTIA VIRO, D. SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEIPERG, ET GVTTENHAG, REgio Consiliario, & summo in Austriæ prouinciis Quæstori, SIGISMVNDVS TORDA Gelous Pannonius

S. D.

NVPER vt Ausonia veni tellure relicta
Hospes ad Austriacas fatis ducentibus oras,
De te prolixè sum percontatus, an esses
Incolumis? quas res gereres? an in vrbe maneres?
Sed tum tu Regi tuleras mandata Polono.
Quod cùm fortè mihi dixisset vnus & alter,
Continuò mœstum concepi corde dolorem,
Quòd tua pro voto non est licitum ora videre,
Nec tecum, vt volui, coram data copia fandi.
Cur verò expeterem congressus optime tantum
Sigismunde tuos, planè fuit vnica causa,
Vt mihi noticiæ tecum essent iura perennis.
Rursus vt hoc superem, magni vis suasit amoris;
Quo me deuinctum fateor tibi tempus in omne.
Nec nouus hic animo sensus mihi sedit in imo,
Peruetus, & multis est confirmatus ab annis.
Iam tum mirari te cœpi, & ducere magni,
Fama meas de te cùm primùm venit ad aures,
Non hæc obscuris vulgi sermonibus orta,
Verùm à laudatis illustri prodita voce.
Es verò multos inter dignissimus vnus,
A me prorsus & ingenuè qui semper amere,
Atq; fide semper summa, officioq; colare:
Vel quòd te natura parens formarit ad vnguem,
Vel quòd tanta tua vigeat sapientia mente,
Vel quòd dicendi nulli sis arte secundus,
Vel quòd Cecropia clarus celebrere mathesi.
Virtutem grauitas vitæ, constantia rara,
Integritas, mores placidi, moderatio, candor,
Et mansuetudo testatur, sobrietasq;?
Quid dicam stirpem generis notam, atq; vetustam,
Maioresq; tuos, quorum virtusq; fidesq;
Egregiè est semper belli spectata domiq;?
Quid reliqua ornamenta domus te vindice parta
Perpetuò à tota quæ posteritate ferentur?
Iam quid iustitiam memorem? quid fortia facta?
Quid benè de multis studium, curamq; merendi?
Non leuis ambitio cæco te corripit æstu.
Non æris malè sollicitat furiosa Cupido.
Vt taceam, quod te longa experientia fecit

Consul.

Consultum, prauo ut rectum dignoscere possis,
Vtile damnoso, pulchro secernere turpe.
Quis nescit, culta quæ sit facundia linguæ,
Mandata in causa simul expectata resoluis
Ora, virûm dictis animos & pectora mulcens?
Hinc te in consilium legit sanctumq; Senatum,
Adiunctumq; sibi voluit Rex inclytus esse,
Imperii quoties ingentia pondera poscunt.
Ad populos Oratorem, summosq; Monarchas
Vnum te mittit toties, præq; omnibus unum:
Vnde tibi celebri quæsita est gloria laude,
Euasura rogum supremum, atq; inuida fata.
Qua tellus habitata patet sub Cæsare magno,
Illa tu pridem tota es benè cognitus ora.
Tu Bizantini subiisti castra Tyranni
Ancipiti in rerum statu, tibi sæuus atrocem
Sponte serenauit media inter classica vultum.
Te norunt, & amant septem quicunq; trionis
Gentibus imperitant Reges, tua nomina seruat
Terra Boristhenidum rebus cumulata secundis,
Dum pacem paci socias, & fœdera pangis.
Iam disciplinas te perdidicisse operosas,
Quæ spacia, & moles, numerosq; & sydera monstrant,
Quæq; docent rerum solerti indagine causas,
Cur ita quidq; sit affectum, cur nil sibi constet,
Quin fluat, & pronas semper mutetur in horas,
Edita de Moschis à te monumenta loquuntur.
In quibus & mores hominum, legesq; notasti:
Otia quo studio ducant, pacemq; togatam,
Quàm validi, celeresq; ruant in Martia bella.
Quæ cultura viris superûm, quæ cura sacrorum,
Quantas possideant fortunas, quo sibi quæstu
Rem faciant, cum qua iungant commertia gente,
Quo sint consueti vitam producere victu,
Quàm latè Scythia Moschus dominetur in ampla,
Inq; breui descripsisti nitidaq; tabella,
Dimensus regnum pollens armisq; virisq;,
Mollibus & radii signasti flexibus oras,
Qua volucrem Boream, qua Solem spectet Eoum,
Qua latera obtendat Zephyris, Austroq; furenti,
Quoq; gradu Arctoum se deniq; tollat ad axem.
Præterea ne quid lector desideret, aptè
Perpetuam regum seriem usq; ad tempora nostra
Digeris, & prima repetens ab origine ducis.
His ego virtutisq; tuæ, laudumq; tuarum
Illecebris captus, te, dum mea vita manebit,
Qua mihi cumq; licet, statui ratione colendum.
Postulat hoc etiam cultor tuus, & meus idem,
Addubito socerum dicámne, patrémne, profectò
Obseruandus pro meritis pater, & pietate
VVernherus, qui non studio commotus inani,
Sed votum sensumq; tuum, & tua iussa secutus,
Comprendit docti grata breuitati libelli,
Pannonii nostris quicquid miramur in vndis.
Hic igitur cùm te summo veneretur honore,

Atq; sibi ducat te nil antiquius vno,
Tanto te faciam maioris, & ipse necesse est:
Fœderis hoc inter nos iuncti quia vincla requirunt.
Tu si suscipies me, & complectêre vicißim,
Te penes arbitrium cogendi erit, atq; iubendi,
Quaq; velis de me statuendi summa potestas.

IOANNES LVDOVICVS BRASSICANVS GEORGIO Wernhero.

NE quis vana putet, quæ scribis mira Georgi,
De Præfecturæ fontibus ipse tuæ:
Is sciat effectus oculis nos testibus vsos
Lustrasse, & certam nunc adhibere fidem.
Nam ferrum Cyprio indutum conspeximus ære,
Et vitrei tacta est stiria longa olei.
Si quis de causis dubitat, fontesq; requirit,
Naturæ inficians omniparentis opus:
Carpatius adeat per nos licet impiger oras,
Inueniet dictis consona facta tuis.
Suspecta fidei plerumq; incognita res est;
Quamuis hoc tardi est indicium ingenii.
Sed quid dißimulare iuuat? nos credere par est
Testi, qui proprio plena fauore refert.
Et tu mirificas, nimirum abstemius, vndas,
Et causam tractas iustius ipse tuam.

SICIS.

SIGISMVNDVS LIBER BARO IN HERBERSTAIN, NEYPERG ET GVTtenhag, &c. Georgio VVernhero Regio consiliario, & apud Sacros Præfecto S. D.

Etsi *iam olim, & à multis quidem multa de admirandis in Zepusio aquis audieram, tamen iisdem de rebus, quæ plerisq; incredibiles videbantur, à te imprimis certior fieri, & tuum iudicium audire desiderabam. Quia vero non dubitasti, quæ comperta de his haberes, ad me scribere, facile effecisti, vt non modo, quid ipse posthac de his sentire debeam, certo scirem, sed etiam multi alii excellentes viri testimonio tuo, cui plurima apud omnes est autoritas, confirmati ad dubitare desinerent. Sed cum etiam in reliquis Hungariæ partibus multa non minus admirabiles aquæ esse dicantur, rem valde gratam mihi, & multis aliis harum rerum cupidis, tuiq; studiosis facturus es, si eas quoq; describendas susceperis. Scio quidem, & vidi ipsemet apud Serenissimum quondam Ludouicum Hungariæ Regem, Diui Imperatoris Maximiliani legatione fungens ad Budam sedem regiam, thermas esse, quarum calorem immissa manu ferre nequeas, quod ei vtiq;, qui ante non vidit, mirabile videtur. Sed quod in his etiam viui pisces sunt, id non pauci pro re incredibili habent. Talia quoq; videntur esse, quæ dicuntur de aliis thermis in ripa fluuii Vagi, non longe ab oppido Galgocz, quod Germani & Slaui vulgo Freistat vocant, quas locum, prout crescit aut decrescit fluuius, in æquali semper distantia mutare aiunt. Legi nuper apud Arrianum libro tertio descriptum fontem, qui sub lucem tepentibus aquis manat, in meridie frigidus, vesperi calet; ac sub exortum diei rursum tepidus oritur, atq; ita per singulos dies ac noctes æstus ac frigoris vices variat. Saxo Grammaticus in Islandia fontem esse testatur, qui fumigantis aquæ vitio natiuam rei cuiuslibet originem demolitur. Nam quicquid humido eius vapore afflatur, in lapideæ naturæ duriciem, forma tantum superstite, subita conuersione transmutari. Hæc & his similia, qui deinceps legent, minus mirabuntur, vbi animaduertent summum opificem in his etiam nostris, & aliis vicinis regionibus non pauca mirabilium operum suorum monimenta posuisse, quæ tamen indigenæ pro miraculis non habent, ac quandoq; etiam, si interrogantur, ignorant, quemadmodum in Moscouia sæpenumero sum expertus. Nam cum nonnulla eiusmodi, quæ mihi narrarant alii, quærerem ab incolis, adeò nihil habebant, quod responderent, vt mirari se dicerent, vnde ea homo peregrinus accepissem. Non dubium est autem, nisi pleraq; diuersis in locis obseruassent, & literis mandassent homines externi, quin ea indigenarum negligentia nunc luce, suiq; memoria, & admiratione carerent. Non potest igitur mihi, VVernhere ornatissime, non valde probari studium tuum, quod hoc genus Hungariæ tuæ rebus eruendis, & illustrandis impendis, nec facere possum, quin te ad id continuandum cohorter. Nam eo non tantum mihi fueris gratificatus, sed etiam tibi apud omnes magnæ laudi est futurum. Benè vale.*

Digitized by Google

DE ADMIRANDIS HVNGARIÆ AQVIS.

SIGISMVNDO IN HERBERSTAIN, NEYPERG ET GVTTENHAG BARONI, &c. Georgius VVernherus.

ANNOTARAM iussu tuo nonnulla, SIGISMVNDE Baro vere magnifice, de mirabilibus aquarum naturis, quæ finibus Zepusii nostri continentur, vt me ceu oculato teste confirmares ea, quæ quidam audita ab aliis pro fabulosis habuerunt. Quia vero non modo fides habita est narrationi meæ, sed etiam quibusdam incensa cupiditas plura hoc genus cognoscendi, minime inuitus, vt debui, suscepi, quod mihi denuo mandandum duxisti, vt alia quoq; aquarum miracula, quæ in Pannonia nostra visuntur, non minus pene prodigiosa, scripto complecterer.

Pannonia. Pannoniæ autem appellatione non eam tantum comprehendo Danubii ripam, cum qua ea, quæ dicta est secunda Pannonia, ab Arabone fluuio, qui Ptolomæo est Narabo, nunc vulgo Raba, ad Saum excurrit. Sed quicquid præterea Hungari in altera Danubii ripa tenent, quod quidem latissime patet. Tenent enim totam Iazygum Metanastarum regionem, quam Ptolomæus fluminibus Danubio, Tibisco, ac montibus Sarmaticis finit. Sunt autem montes Sarmatici, qui Hungaros à Rutenis, Polonis, Morauis, *Montes Sarmatici. Carpatus.* Silesiis, & ea Austriæ parte, quæ citra Danubium est, dirimunt, ad quos pertinet Carpatus, ita iam vulgata appellatione, vt omnis tractus Sarmaticorum montium Carpatus vocetur, quanquam mihi Ptolomæi descriptionem intuenti Carpatus iisdem, quibus Dacia finibus videtur terminari.

Porro extat nunc quoq; Iazygum natio inter Hungaros, quos ipsi voce decurtata Iaz vocant, ac retinent iidem etiamnum linguam suam auitam & peculiarem, Hungaricæ dissimilimam, atq; eas sedes, quas Plinii descriptione quondam tenuerunt, nimirum campos & plana, Dacis, vt idem ait, pulsis ad Patissum amnem; quem ego detracta prima sallaba Tissum, vel vt nunc vulgo vocant, Tizam accipio. *Tibiscus. Transsyluania.* Is vero Tibiscus est Ptolomæo, limes veteris Daciæ, cuius cultissima pars est Transsyluania, Prouincia multis habitatoribus frequens. Nam eam & Germani, quos appellant Saxonas, & Hungari, & Hungarorum antiquissimi Siculi dicti, qui lingua sua sunt Zekheli, & ad huius imitationem à quibusdam vocantur Ceculi, incolunt, vt omittam peruetustas Romanorum reliquias Valachos, qui frequentes ibidem vicos & pagos habent. Potiuntur tamen rerum Hungari, & penes eos imperium est, eoq; fit, vt Transsyluani quoq; Hungarorum nomine censeantur. Est vero plane mirabilis diuersarum, nec vnius linguæ per vniuersam Hungariam gentium mistura, quemadmodum à me dicetur prolixius ea in commentatione, qua res Hungariæ, & populorum in ea origines, appellationes, leges, mores, instituta conor explicare.

Cæterum Iazygum regione, qua se Carpatus (vt hoc iam nomine omnem illorum, quos dixi, montium tractum complectamur) latissime pandit, & in quosdam quasi ramos alibi eminentioribus, alibi mitioribus iugis diffundit, *Oppida montana.* continentur oppida, à Germanis montana dicta, quod inter montes metallorum omnis generis fœcunditate & præstantia cumprimis nobiles sita sunt, & populo metallicam faciente constant. Qua ratione & eos, qui in metallo operantur, in monte esse, & in genere, vniuersam rem metallicam opus montanum vulgo dicunt. Eadem regione continetur Zepusium, & multi alii Comitatus.

Sunt

Sunt autem Comitatus, vt hoc quoq; obiter explicem, regni partes; quas Prouincias, aut Præfecturas, aut Græca voce, qua plærisq; Latinorum vsi sunt; nomarchias dicere possis. Plinius & conuentus, & iurisdictiones, & conuentus iuridicos in distributione Ciliciæ, & Beticæ Hispaniæ appellare videtur. Cicero vocat Diœceses, quod nominis Episcopi in appellatione suarum iurisdictionum, quanquam nunc vulgo corrupte vsurpant. Earum vero partium præfecti vocantur Hungaris Comites, quibus iurisdictionis cura incumbit. Fuit autem Hungariæ regnum, quo facilior & expeditior esset iuris dicendi ratio, in hoc genus Comitatus plures quinquaginta diuisum, ex quibus vix dimidium hodie retinemus.

Comitatus Hungariæ.

Comites.

Sed hæc tanquam vsui futura ad cognitionem locorum, in quibus nostra de aquis narratio versabitur, præfatus, dicam primum de calidis, quarum pro Hungariæ portione, vix vlla regio plures aut salubriores habet. Vnde vero potius ordiar, quam ab ipsa vrbe Buda, quam Hungariæ Reges ob loci situm, opportunitatem, & amœnitatem merito pro regia habuerunt. Hic propter ipsam Danubii ripam calidæ sunt multæ, inter quas differentia maior est, quam pro loci discrimine. Quædam enim non modo tolerabili, sed ita iucundo sunt calore, vt ad hominum lauacra naturæ benignitate singulari datæ esse videantur. Huius generis sunt intra arcem regiam aliæ, regiæ vocatæ, vel propter vicinam regiam, vel quia regio opere ornatæ & conclusæ, vel quia in his Reges lauare consueuerunt: aliæ communes, quibus saxum ceu natiua fornix impendet, quas Turcæ post occupatam Budam latius excauata rupe ampliores reddiderunt, cæterisq; præferre dicuntur.

Calidæ ad Budam.

At quæ supra Budam sunt, quarum aliæ item regiæ, aliæ hospitales à vicino ptochodochio dictæ fuere, balneis sunt inutiles, nisi refrigerentur. Sic enim quædam calent, vel feruent potius, vt in eas missum ouum non minus cito, quam ad luculentum ignem elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cuius ibi fons calidis ita contiguus est, vt qui haustum veniunt duabus vrnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint.

Calidæ frigidis contiguæ.

Ibidem est sub dio fons calidarum cæteris amplior, quem purgatorium vocauere, ea nimirum ratione, quod quemadmodum proditum est, in purgatorio pœnas nocentium pro noxarum modo, alias acerbiores, alias mitiores esse, ita quædam insunt aquæ hoc in fonte discrimina. Nam qua in eum à Danubii ripa aditus est, subfrigida primum, mox tepida, & quo in eam penetraris altius, hoc magis calet. In recessu vero interiore tam est calida, vt ferri non possit. Est autem is calor haud dubie aquæ huius proprius. Nam alia, quæ dixi, temperamenta verisimile est à Danubio accedere, qui crepidinem huius fontis lambit, & cum vel modice excrescit, totum inundat, neque tamen ita restinguit, quin caleat. Quin intra ipsam ripam, qua Danubio perennis cursus est, calidæ ebulliunt, vbi qui altius mergi volunt, lauare consueuerunt.

Porro hæ ad Budam thermæ (licet vero mihi hac voce in calidarum aquarum appellatione vti) quod alteræ, vt dictum est infra, alteræ supra vrbem essent, ex eo quoque inuenere nomen, vt illæ inferiores, hæ superiores vocarentur. Vtrasque Turcæ, quibus tamen omnia vastare libido est, non modo non corruperunt, sed etiam cultiores, ac per speciem religionis quasi augustiores reddiderunt. Nam Bassa Mahometh, quem Tyrannus victor Budæ captæ, ac reliquis Hungariæ à se debellatæ partibus gubernatorem imposuit, apud vtrasque Deruisis domicilia, ceu cœnobia extrui curauit. Sacello etiam apud superiores in colle vicino, qui ante vitibus consitus fuit, posito consecrauit locum memoriæ cuiusdam eius ordinis, quem, dum viueret, ceu numen quoddam venerati sunt Turcæ, & nunc mortuum, illoq; in loco conditum religiose colunt.

Sunt autem Deruisæ Turcis, quod nobis monachi, qui mendicato viuunt, quibus ex religionis, quam affectant, instituto vsitatum est, sæuire in

Deruisæ Turcarum.

Digitized by Google

corpus proprium, quod alii per inustionem stigmatum ferro candente, alii per incisionem, quæ fit nouacula acutissima, quidam vtroq; modo faciunt hoc crebrius, & crudelius, quo quisque sanctior & religiosior esse & haberi cupit. Est vero & in vestitu quædam inter eos diuersitas, & sanctimoniæ affectatio. Nam alii veste lanea alba ad talos vsq; demissa amiciuntur, & calceati incedunt capite operto. Alii nudis pedibus & capite, imo toto pene corpore, nisi quantum pelles duæ ouinæ, aut caprinæ crudæ, quarum altera à fronte, altera à tergo ex scapulis propendet, tegunt. Quidam etiam vnica pelle pudendas tantum corporis partes velant, cætera nudi. Gymnosophistarum dicas esse reliquias, quales India habuisse memoratur.

Turcarum lotiones.

Sunt quidem hæc à narratione, quam de aquis institui, aliena. Sed cum huc delapsus sim, quid obstat, quo minus de Turcarum lotionibus pluscu-lum addam? Cum omnes aquas Turcæ, ceu præcipuum Dei munus, summo honore dignantur, tum viuas potissimum, & fluentes, idq; propter frequentes lauationes, quibus etiam crebrius per diem, non modo ad sordes corporis abluendas, sed ad scelerum quoque expiationes vti consueuerunt, quod procul dubio ab aliarum gentium ritibus habent, quibus etiam sola aquæ aspersio inter Februa fuit. Sic Romæ olim ad portam Capenam, postea Appiam vocatam, aqua Mercurii dicta, alii alios aspergebant inuocantes Mercurium, vt aspersi flagitia, & præsertim periuria diluerentur. Sic traditur Peleus absoluisse Patroclum, & Acastus expiasse Peleum à cæde fratris sui Phoci, cum antea Aegeus Medæam aquæ aspersione lustrasset. Sic Orestem à sanguine matris expiatum esse memorat Pausanias in Corinthiacis, cum illum nemo lare suo, & hospitio dignaretur. Cuius loci hoc libentius memini, quod continet exemplum ritus vetutissimi accepti à patribus, quo rei atrocium criminum à consuetudine omnium & colloquio arcebantur. Sic Aeneas quoq; apud Poëtam nostrum.

Ter socios pura circumluit vnda.
Spargens rore leui.

Et idem, ceu multa sede pollutus, inquit.

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde madentem,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Quin in atriis templorum suorum positam habent aquam Turcæ eundem in vsum, neq; cuiquam nisi loto in ea ingredi fas esse arbitrantur.

Pietas apud Turcas condere balnea publica.

Sed delectantur in vniuersum plurimum lotionibus, & balneis Turcę, eoq; præcipuum apud eos pietatis opus est, instituere & condere balnea publica, nec id tantum viuentibus gloriosum esse, sed etiam vita functis salutare putant. Hac ratione is, qui nunc rerum potitur, Solimannus tum alibi, tum Budę in ædibus, quę quondam fuerunt Archiepiscopi Colocensis, amplissimum balneum pro sua, suorumq; salute fieri curauit, in quod è Danubio, per canales subterraneos aqua in multam altitudinem, vt est Budę ad Danubium situs, ducitur. Ipsum balneum intus incrustatum & stratum est monumentis marmoreis, quæ antea in templis fuere posita, imaginibus tamen, si quæ insculptę fuerunt, resectis, & toto opere perpolito.

Eadem gloria quæsita est ei, quem diximus Bassæ Mahumeth, qui thermas Budenses exædificatis illis Deruisarum cœnobiis, conditorioq; eius, de quo diximus, illustriores reddere studuit. Hic vero videre est mirabilem rerum commutationem. Nam quæ loca Hungaris incolumi & florente Buda voluptatis domicilia fuerunt, ea religiose ornarunt Turcæ, flagitiose contra prophanantes, quæ antea habita sunt pro sacrosanctis.

Pisces viui in calidis. Calida ad Pesth.

In thermis superioribus supra eos fontes, quibus ad lauacra vsus est, sunt piscinæ calidæ, in quibus nascuntur, & viuunt pisces, qui in frigidam translati, emoriuntur. Sunt etiam calidæ in opposita Danubii ripa supra Pesthum, sed mi-

sed minus celebres, propterea quod ita coniunctæ sunt alueo fluminis, vt ad quæuis eius incrementa corrumpantur.

Loca à calidis nobilitata.

Solent ferè thermæ locis, in quibus sunt, aliquot nomen, & quasi lumen afferre. Ita nobilitatus est quondam sinus Baianus in Campania. Ita nunc quoque in Italia, Germania, & in quauis penè terrarum orbis parte clara sunt hoc nomine loca. Nonnulla etiam appellationem à calidis sunt sortita, vt in Thessalia Thermopilæ, & in Germania oppida, quæ vocantur Badæ, hoc est, balnea. Sed fuerunt quasi in obscuro Budenses, nec aliqua ei loco celebritas accessit, à tanta calidarum copia & varietate, quod procul dubio eo euenit, quod reliquæ eius vrbis fortunę atque opes hoc non exiguum alioqui clementis naturæ munus obscurarunt. Nam quis fuit in tota Europa locus, qui se Budæ comparare potuerit, siue situs amœnitatem, siue cœli salubritatem, siue soli fœcunditatem, siue aliarum quarumcunque rerum ad quoslibet vsus, ad splendorem, denique ad luxum pertinentium vbertatem & affluentiam spectes? vt ne quid dicam de opportunitate, in qua non Hungarorum tantum, sed etiam multorum aliorum populorum defensionem, & salutem sitam fuisse quotidianis damnis, & periculis experimur. Quo grauior & acerbior est iactura, quam erepto nobis per Turcas hoc loco, fecimus. Sed facessant querelæ, quæ suum alibi locum sunt habituræ.

Budæ nomen.

Nisi vero autoritate chronicorum nostrorum magno consensu vrbem Budam à Rege Buda Attilæ fratre conditam, & nominatam esse tradentium impedirer, ego, si qua alia coniectura de eius nominis ratione faciunda esset, ob insignem calidarum eo in loco celebritatem, & copiam, pro eo quod Germanis quondam fuerit Bada, vnius literæ inuersione Budam ab Hungaris dictam esse suspicarer. Nam ea secundorum Pannoniorum loca, antequam huc Hunni immigrarent, Germanos seu Teutonas tenuisse, minimè ambiguum est. Nec ita multum dissimili mutatione vocarunt Hungari VVesprimium, quod Germanis fuit VVeisprun, hoc est, fons albus, qui loco nomen dedit, & etiamnum ibi sub arce, quæ sedes est Episcopi, ostenditur. *VVesprimium.*

Calidæ ad Strigonium.

Sed redeo nunc ad calidas, ac Danubii ripam legens Istrogranum, vel, vt nunc appellant, Strigonium peruenio, qui locus secundum Budam in Hungaria semper celeberrimus fuit, sede Archiepiscopi, qui idem Primas Hungariæ dictus est, insignis. Hic ad radices montis, cui imposita arx est magnificentissimè extructa, qua labitur Danubius, fons est tepidarum inclusus turri, in quam ex arce ductis eo per præceps muris descensus patet. Ex eo tanta manat aquæ copia, vt quondam molam frumentariam versarit, nunc machinam haustoriam similem tympano impellat, qua aqua è Danubio per subterraneum cuniculum in eam, quam dixi, turrim admissa hauritur, & in arcem transfunditur. Hoc largior est fons alter haud magno inde interuallo, qui in piscinulam quandam influens, in qua etiam media hyeme coaxantes ranas audias, aquæ tantum, quantum versandis tribus quatuorue rotis molaribus satis est, fundit.

Calidæ ad Pesthien in ripa Vagi.

Supra Istrogranum, quod ex Istro & Grano mixtum est nomen, quod ibi fluuius Granus Istro miscetur, non longè ab arce Comaroniensi, quæ tenet oram cognominis insulæ, quam Danubius prope Posonium in duos diuisus alueos facit, à Septentrione veniens influit Vagus, cuius ripa supra Galgocium, quæ arx est familiæ Thurzonum, nunc maximè nobilitata est calidis, non propter vim earum salubrem tantum, qua omnes alias in Hungaria calidas superare existimantur, sed etiam propter varium, planeque mirabilem eorum ortum. Non enim vllum certum fontem habent, sed alueum fluuii sequuntur, & vt is excrescit & decrescit, ita aut recedunt aut accedunt. Solent autem, quo magis exundat, hoc longius recedere, eoque qui lauare volunt, subinde alias atque alias scrobes fodere, & quasi puteos aperire coguntur. Id cum intra alueum est fluuius, fit in glarea, quod ipsius solum est; cum vero exit in terra solida, & argillosa, in qua alioqui non restagnante

fluuio nihil pene humoris existit. Neque tamen in ripa tantum eruuntur calidæ, sed etiam intra amnem, si fundum eius pedibus suffodias. Calent autem immodice, nec sunt idoneæ balneis, nisi temperentur, quod admistione frigidæ de proximo haustæ in procliui est: sed quia magis salutares esse creduntur sine mistura, qui medicinam inde petunt, deferuere eas sinunt, quod pro temporis ratione alias serius, alias citius fit. Nunquam tamen sic deferuent, quin, qui in eas descendunt, tegete, cespiteue, aut ramis in fundum scrobis iniectis, imas corporis partes aduersus ebullientis caloris vim munire cogantur. Esse autem eas aduersus diuturnos, ac pene desperatos morbos efficacissimas, multis experimentis cognitum est, & adhuc indies magis ac magis cognoscitur.

Calidæ prope Trincinium.

Sunt calidæ aliæ non longe à castro Trincinio, quod ad eiusdem fluuii Vagi ripam est, supra Galgocium. Illæ suauiter calent, & sunt limpidissimæ, atque ideo iucundissimi secessus loco fuerunt Comitibus Zebusiensibus, qui paulò superiore ætate Trincinii sedem habuerunt.

Calidæ ad Baimocā.

Nec multum recedunt à Vago calidæ ad arcem Baimocium, quæ item est Thurzonum, quibus hoc honoris habuit Alexius Thurzo, qui in ea familia nomen illustre, & secundum regiam aliquamdiu summam potestatem apud Hungaros obtinuit, vt eas quadam quasi cisterna ex quadratis facta lapidibus, qui etiam descendentibus scalarum, & sedilium vsum præbent, includendas curauerit. Etsi vero minus spatiosæ sint, tamen manifestum in ipsis est discrimen caloris, eoq; diremptæ sunt muro, & quæ moderatius calent, delicatioribus tantum patent, aliæ vulgi vsibus sunt relictæ.

Calidæ ad Stubnam.

In comitatu Thurocio, qui eodem in tractu est, sunt pari pene interuallo à Vago distantes calidæ ad Stubnam vicum, qui est ciuium Cremnicensium. Hæ instar insulæ sunt: clauduntur enim riuo, qui ex propinquis montibus delabens, aquam vehit gratam lauantibus, cum sitiunt. Nam ad temperandum calidas nunquam, nisi quis recentibus aquis admisis continuo lauare velit, adhibentur: idque etiam tum fit modice, quod per se minus intemperate caleant.

Calidæ prope Semniciam.

Non dissimiles sunt his calidæ aliæ inter Cremniciam & Semniciam, quæ sunt duo præcipua oppida inter montana, de quibus supra dixi. Manant ex rupe sic nata, vt lauantibus tectum & vmbram præbeat.

Nec tantum ipsæ pro salubribus habentur, sed etiam cœnum earum quod Plinius quoque inter calidarum vtilitates retulit, medicam vim creditur obtinere. Itaque in eo quidam, vlcerosi præsertim, ibi prope, qua fluunt, volutari solent.

Calidæ Roselinæ.

Sunt etiam Semniciæ calidæ, quæ vocantur Roselinę, in quibus canales per quos fluunt, & sedilia ex lignis facta, sic sunt accreto lapide ceu cortice tecta, vt prorsus lapidea videantur.

Tepidæ ad D. Ioannis.

In Comitatu Liptouiensi ad pagum, qui vocatur Diui Ioannis, fons est tepidarum, ad quem plærumque confugiunt, quibus scabie, aut psoris fœdata est cutis. Exilit vero is, & magno impetu eiaculatur potius, quam emittit aquas, qua Vago ortus & cursus est ex propinquis montibus, qui Carpati caput esse existimantur. Nusquam enim altius sese attollunt, nusquam pluribus, & horridioribus iugis assurgunt hi montes, ad quos Carpatum pertinere dixi.

Rupes Sarmatiæ.

Altitudinis indicium est, nix in his perpetua, vnde accolis Germanis montes niuis vocantur: Asperitatis, quod iidem montes sunt imperuii. Slauorum lingua appellantur Tatri, hoc est, Tatari, quod in regionem Tartarorum, qui veteribus sunt Getæ, vulgi opinione protendantur. Hungari vocant Tarczal, quod nominis lingua eorum à nudo, seu deraso vertice ductum esse videtur. Nil enim aliud, quam eminentissimi, & prorsus nudi scopuli sunt hi montes. Ego rupes Sarmatiæ esse crediderim, quarum mentio fit apud Solinum, quo loco Germaniam inter Hercynium saltum, & rupes Sarmatarum extendi ait. Nam ex Sarmaticis montibus, neque ita longe

ab his

Digitized by Google

ab his rupibus Vistula, quem Plinius alio nomine Vistillum, alii Istulam vocant, ortum ducit, quo amne præter Solinum plærique alii Germaniam finiunt. His vero rupibus subiectum est Zepusium, vbi aquæ sunt, quæ & ferrum *Zepusium.* erodunt, & lapidescunt, & animantes potæ enecant, de quibus, quæ alio ad te scripto complexus sum, attexam.

Et vt ab ea, cui consumendi ferri vis inest, ordiar: hæc est ad Smolniciam, *Aqua ferri rodens.* quod oppidum ad arcem Zepusiensem pertinet, intra montes, vnde quondam metalla eruta sunt. Extrahitur autem haustro, quale Istrograni esse diximus, quod ab aqua superne illabente impulsum circumactu, & raptu funis, cui implicati sunt crebri nodi coriacei, implet fistulas, per quas funi meatus est, quibus adiuncti canales effusam aquam excipiunt, & emittunt subdium in alueos in terram defossos, quibus ferrum, siue vetus, siue nouum imponitur. Quæ minora sunt ferramenta, citius adeduntur. Solea ferrea equi consumitur intra horas viginti quatuor. Quæ vero sunt crassiora, cuiusmodi sunt, quæ in vicini montis ferrariis hunc in vsum fiunt, postquam per aliquot dies aquæ immersa iacuerint, ceu limo quodam obducuntur adesa, eoque statis temporibus abluuntur, & purgantur, vt in id, quod superest ferrum, aquæ vis efficacius penetret. Quod peresо ferro manet luto simile, cu- *Cuprum ex ferro.* prum est (ipsi vulgo cementum vocant.) id in fornace conflatur in massam, & deinde per aliam fornacem eliquatum fit purius, & purgatius, & ad omnes vsus non minus vtile, quam quod fit ex metallo, cuius multæ sunt fodinæ eodem in loco.

Non dubium est autem, quin aqua hanc vim à venis metalli trahat, præsertim à pyrite æris (vulgus marchesitam appellat) cui ibi vim inesse accerrimam, vel ex eo satis apparet, quod aqua pluuia, aut alio quo humore terram subeunte, ex ipso id, quod vocant vitriolum, quod Græcis chalcanthum, Latinis atramentum sutorium, destillat, pyramidatim concrescens stiriæ in modum. Hoc *Vitriolum duplex.* vitriolum natiuum dicitur. Est enim aliud factitium, quod quidem eodem in loco in hunc fit modum.

Solent sectores metalli ligna intra fodinas transuersim posita, in quibus itur & statur, pyrite minutius cæso conspergere, & eo quasi viam ad firmanda vestigia sternere. Ei simul atq; penetrantibus in terram aquis permaduerit, innascitur vitriolum, idemq; vbi madere desierit, ita consolidatur, & adhærescit lignis, vt non possit nisi ferro resecari. Resecantur autem sic concreta, & è fodinis per vtres extracta mittuntur in alueos. Hic aqua feruente superfusa vitriolum omne, quod pyriti innatum est, resoluitur, fitq; aqua tota viridis, quæ deinde in alia vasa transfunditur, vt depuretur: depurata autem transfertur in caldarium plumbeum, in quo supposito magno igne bullit ad horas octo, aut nouem, donec per euaporationem, quam vocant, densetur, influente tamen semper eodem liquore, vt eadem caldaria plena maneant. Post infunditur in cados ligneos, quibus insertæ virgæ sunt, quibus accrescit. Atq; hoc est, quod vitriolum coctum seu factitium vocant. Ac tantum quidem de aquæ ferrum rodentis vi & efficacia.

Nunc de lapidescente dicam, cuius generis multæ sunt in Zepusio, inter *Aqua lapidescentes.* quas etiam nonnullæ non aliter, quam calidæ, aut aliæ salubres frequentantur. Et inest his quoque caloris, vel potius temporis aliquid, quod cum aliis temporibus, tum per hyemem manifestius sentitur. Est vero inter eos fontes eximius vnus ad pagum, cui apud Zepusienses Germanos à riui murmure nomen est, qui instar piscinæ stagnat, & plurimam aquam reddit, in quam item *Rauschenbach.* ligna iniecta, lapide ceu cortice obducuntur. Alter ad pagum qui vocatur Ioannis. Nam qui angustius scatent, statim atque paululum profluxerint, lapidescunt, & ita in tumulos exurgunt, cuiusmodi videtur vnus ad pagum Diui Andreæ nomine, alter cæteris insignior prope arcem Zepusiensem ad ædem Diui Martini, quæ sacrarum ædium in Zepusio princeps est. Hic scaturit, vel erumpit potius aqua bullienti similis, cum magno intus murmu-

Digitized by Google

re & strepitu, qui admota aure non sine admiratione auditur. Erumpit autem non foras tantum, & sub dium, sed etiam meatus sub terra quærit, & quacunq; vadit, lapis fit, quanquam qui subterranei sunt eius generis lapides, pluuiis aquis irrigata humo, & eo madore diutius manente dissoluuntur. Solent autem accolæ his sic dissolutis & effossis ad opera cementaria vice calcis vti. Qui vero sub dio nascuntur, ipsissimi sunt lapides, tofi dicti, leuitate & raritate non dissimiles pumicibus. Et quia verisimilie est iis aliquid glutinis inesse, qui in propinquo ædificant, libenter his ad muros faciendos vtuntur, eoq; quidam illic dictitant, se domos ex aqua factas inhabitare.

Aqua æstate glaciata. Cæterum non minus miraculi videtur habere quibusdam, quod in monte arci contiguo, intra specum quendam aqua per hyemem fluida, æstate ita congelata, vt refrigerandis poculis glacies inde peti soleat.

Fontes lethales. Porro quod ad fontes bibētibus ex eo animantibus lethales attinet, eorum vnus est ad radices rupium Sarmaticarum, quæ, vt dictum est, Zepusio imminent. Alii duo hoc famosiores sunt in comitatu Saros, quasi in conspectu arcis cognominis, cuius ipse præfecturam teneo. Nam qui est sub rupibus aues tantum ex eo gustantes necare dicitur. At alios duos non tantum auibus, sed etiam aliis animantibus noxios esse ferunt. Quam ob causam, ne cui pecori ad eos aditus sit, diligentissime caueri solet. Nascitur autem ad alterum eorum, qui propemodum intra Eperiensium nostrorum fines est, plurimum aconiti, cui herbæ venenum inesse vel vnicus Ouidii versus arguit:

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Atque hinc quidem videri potest fons hic virus trahere. Tales enim, ait Plinius, sunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lauant, succi. Sed est re vera singularis huius fontis natura, vt qui & crescente luna augeri, & deficiente minui, atque adeo in interlunio prorsus deficere dicitur tanto omnium consensu, vt mihi ne libuerit quidem, an hæc aliter sese haberent, explorare.

Fontes acidi. Fontes acidos, & quas acidulas vocant, consulto prætereundos putabam, quod minime rari sunt in Hungaria. Ne non tamen ex his quoque aliquid delibem, celebres sunt in primis, alter in Comitatu Zoliensi ad arcem eiusdem nominis, cui oppida, quæ dixi vocari montana, subiecta sunt: alter ad oppidum, cui mons regius nomen est, vterq; spleneticis manifesto sensu mederi dicitur.

Aqua viridis. Ad oppidum Bistriciam, Germani Neusolam vocant, vbi fodinæ sunt æris opulentissimæ, quæ nunc appellantur regiæ, quod in iis impendio regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex qua vbi subsedit, chrysocolla colligitur.

Specus lethali halitu. Quia vero in Comitatum Zoliensem, dum aquas persequimur, ventum est, non possum præterire hiatum terræ iisdem in locis famosum ob pestilentes expirationes, quibus aues superuolantes, & quæuis alia animantia extingui constat, manifesto eorum experimento, qui eius rei periculum facturi, gallum, gallinamue, aut felem, aut canem longo hastili alligatum supra eum hiatum, qui septo ad arcendas inde animantes circundatus est, protrudere & efferre consueuerunt, quibus non aliter vita subito eripitur, quam si strangularentur.

Acidula. Est item ad eum fontem, qui potus aues, vt dictum est, enecat, sub Sarmaticis fontibus acidula, quæ etsi eandem cum eo ipso fonte originem habere creditur, tamen plærisq; ita grata est, vt etiam ægroti inde potum petant.

Acidula saporem mutans. Alia est non longe ab arce Leua in Comitatu Barsiensi, quæ nisi ab haurientibus pleno vase perferatur domum, saporem amittit. Itaque qui occursantibus, vt fit, potum ex ea præbent, vel modice exinanito vase, quod reliquum est, effundunt, & ad hauriendum denuo recurrunt. Addunt quidam aliud hoc prodigiosius, sed minus simile vero. Nempe, si pura sit, dum hauritur, & pura permaneat, donec offeratur ægrotis, qui eam mirifice appetere solent,

solent, quod hoc certissimum ad salutem signum sit. Sin turbida reddatur, plane pro deplorato haberi ægrotum. Itaque eos, qui potum tantum infirmis, non omen petunt, antequam hauriant aquam, turbare solere. Sed hoc superstitiosorum credulitati relinquamus.

Acidula & alia lapidescens. Ab hac quoque rursus acida alia haud magnis distat spaciis, ad quam etiam prope est fons, qui tumuli in speciem assurgit, & subinde mutat fluxum lapidescente nimirum statim aqua, quam effundit, & ideo sic excrescente ea parte, qua aliquandiu manarit, vt sese aliam in partem, quæ humilior est, effundere cogatur, quod quidem quasi circuitu quodam fit per omnem fontis oram.

Stillatitia lapidescens. Ad arcem Fileg, quæ inde in Boream euntib. occurrit, in Comitatu Neograd, specus est, in quo superne destillans aqua, continuo durescit. Ibi vero videas ceu statuas hominum consistere saxa ex hac destillatione concreta. Albus his color est, nec per se tantum sunt alba, sed etiam coloris albicantis vsum trita pictoribus præbent.

Fontes salsi. Sunt præterea ad fines Eperiensium fontes salsi tantæ acrimoniæ & salsuginis, vt inde sal excoquatur, qui ad omnis generis condituras, & in primis ad copturam piscium cæteris vtilior esse existimatur. Habetq; locus nomen ab his fontibus: Hungaris enim Sovvar, hoc est, Salisburgũ dicitur. Nam & arx eius nominis supra eum locum fuit, meæ item præfecturæ subiecta, antequam dirueretur. Esse autem salis vim magnam in aliqua eorum montium parte, in quibus promontorii instar arx extat, vel hoc magno est argumento, quod in aduersa quoque eorum parte salsi fontes sunt, qui item sua appellatione insigniunt locum. Sed quod in eo inquirendo aut eruendo minus elaboratum est, id non negligentia hominum, sed proculdubio Regum prouisione euenit, ne immodica copia salem vilescere contingeret.

Sal saxeum. Abundat enim Hungaria sale natiuo, qui lapidicinarum modo cæditur in Maromarusio. Item in Transsyluania, vbi etiam piscinæ salsæ stagnant, à quibus omne pecus arceri necesse est: Compertum est enim earum immodico haustu, qui salsugine incitatur, enecari. *Pisces viui in salsa aqua.* Insunt tamen in his alicubi pisces, quod minus mirum videri posset, cum ipsum quoque mare piscium parens salsum sit, nisi hic non in aqua salsa, sed in ipso pene sale viuere videretur. Sunt autem sapidissimi, carne duriuscula, & ita impatientes aquæ dulcis, vt in eam missi, exanimentur.

Quia vero in salis mentionem incidimus, etsi de eius, qui cęditur, ortu diuersæ sint sententiæ, aliis nimirum eum cum ipsa conditione rerum ab initio extitisse, aliis postea natum esse affirmantibus: tamen vt vero propius sit, ex humore aut succo salso concretum esse, & adhuc concrescere, ea potissimum ratione ostẽdi posse iudico, quod in ipsis lapidicinis salis, vbi solidissimus fuit, inuenta sunt varia instrumenta ad humanos vsus facta. *Excisa de medio sale ligna.* Quodam etiam in loco Transsyluaniæ gallina incubans cum ipsis ouis incorrupta. Quin nunc quoq; plærunq; magna carbonum vis eruitur cum sale. In Desiensi fodina, qua nulla est in Transsyluania altior, paucis ante annis excisum est de medio sale ingens robur trabi simile, tanta duritie, vt ne ferro quidem facile cederet. Sed idem extra fodinam extractum sic computruit intra quatuor dies, vt primis digitis concerpi & conteri posset. Idem solet carbonibus dum exciduntur durissimis, simul atq; sub dium prolati fuerint, euenire. Hæc vero vulgus in illa confusione rerum, quæ Noe temporibus in cataclysmo fuit, ibi oppressa, aut alio quopiam casu eo abrepta esse interpretatur.

Flos salis. Flos salis alibi copiosior, alibi raro in reliquo sale reperitur: Gemmam vocant, quod gemmarum quarundam in morem pelluceat. Faciunt autem hoc reperto iudicium salicidæ docti experientia, salem, qui sequetur, aut impurum futurum, aut cito desiturum, neque temere ipsos in eo falli compertum est.

Sal Poloniæ. Abundat & vicina Polonia huius generis natiuo sale saxeo, sed hic minus syncerus & solidus est Hungarico. Non enim fibris tantum, aut venis, sed

Digitized by Google

etiam ingenti mole terræ plurimis in locis distinguitur, ac præterea longius abest à superficie terræ. At in Hungaria putei, in quibus cæditur, minus alti sunt vsque ad salem. Quin in Transsyluania etiam scopuli instar extat supra terram ad ripam Marisi fluuii, cuius item alueus sal est, non longe ab oppido Torda salinis celebri. Fitq; sæpenumero, vt arantes etiam vomerem in salem impingant. Sed eum nemini cædere licet, ne quid vectigalibus regiis decedat. Liberum est tamen Siculis, qui vt dictum est, nonnullam Transsyluaniæ partem tenent, suo in solo quantum domesticis eorum vsibus satis est sumere. Sed hæc de salsis obiter dixisse sufficiat.

Calidæ ad Varadinū.

Restant inter calidas, quibus quidem aliquod in Hungaria nomen est, vnæ prope Waradinum, quæ vocantur diui Ladislai, siue quia hic diuus Ladislaus lauerit, siue quia ad ædem ei sacram, & sepulchro ipsius claram, ac tum ipsius, tum Sigismundi Imperatoris, qui hic quoq; condi voluit, munificentia opulentam pertinet. His pleriq; inter omnes Hungariæ calidas primas tribuunt, in quo tamen amœnitatem potius earum, quam salubritatem spectare videntur. Sunt enim calore periucundo & temperato, præterea tam puræ & perspicuæ, vt speciem rerum, si quæ iniiciantur: ampliorem, quam sunt ipsæ res, reddere videantur.

Frigidæ salutares.

Sunt tamen præter calidas multæ aliæ salutares frigidæ in Hungaria, cuiusmodi dixi esse in Zepusio geminas, quæ lapidescunt. Sed hoc tempore maxime prædicatur, & à multis frequentatur fons ad Mislam, qui locus à Cassouia haud magno distat interuallo. Huius aqua lapidibus, qui prope fontem sunt, feruefactis calefit, & ita balneis idonea redditur. Non desunt tamen, qui vim medicam, quæ aquæ inesse creditur, ipsis potius lapidibus, quam aquæ tribuendam esse censeant, quod ipsa per se pura sit, & bibentibus gratissima, & contra, quam solent aliæ salutares, nullam misturam resipiat.

Verum vnde medendi vis insit aquis, & cur aliæ aliis atq; aliis morbis, nec vna ratione eædem omnibus medeantur, præterea vnde ipsis tot, tantæq; in calore, sapore, odore differentiæ, deniq; cur aliæ concrescant, aliæ ferrum rodant, in speculatoribus, & venatoribus naturę physicis explicandum relinquo.

Georgius Agricola.

Georgius Agricola, cuius in hoc genus rebus inquirendis, & excutiendis studium atque iudicium exquisitissimum esse libri ab eo doctissime scripti arguunt, multa de his egregia prodidit eo in opere, quod de natura eorū, quæ de terra effluunt, inscripsit, & idem plura se traditurum pollicetur in iis libris, quos se de medicatis fontibus instituisse ait, ad quorum lectionem sese referent, qui de his volent plenius erudiri. Nam mihi hæc scripturo propositum non fuit, vt docerem quenquam, sed vt voluntati tuæ, Sigismunde Baronum optime, quæ mihi semper imperii vice est, morem gererem.

Moscouia Sigismundi Herberstainii.

Hungarorū origo & nomen.

Quantum autem tuum quoq; semper fuerit studium in his eruendis, quæ in cognitione naturæ rerum atq; locorum vel obscura sunt, vel aliquam admirationem habent, cum omnes, qui te norunt, sciunt, tum scriptus à te, & nuper editus de Moschicis rebus liber abunde ostendit. Nam quid est in tota nobis ante paucos annos minus nota regione aut in moribus gentis Moschicæ, aut in eius religione, quod non scitissime explicaris? Quid? quod Hungaris nostris pene ignotæ essent origines suæ, nisi tu confirmasses Moschis cōfinem esse, & ad imperiū eorum pertinere Iuram, vel, vt alii dicere malunt, Iugariam, vnde & initio profecti sunt Hungari, & nomen traxerunt. Ex Scythia quidem venisse eos nemini erat dubiū, sed de nomine disceptabatur, cùm alii ab Hunnis & Auaris voce cōposita dictos esse assererēt, alii aliud cōminiscerentur. At vero propius est ab Iura manasse Hungarorū nomen cum hunc quoq; Sclauorū lingua, qua nulla per vniuersam Europā latius patet, Iuri, vel prima syllaba nonnihil, vt fit, leuigata Vhri vocentur. Mitto, quod te quoq; confirmante credibilius visum est mōtes, quos vocant Ripheos nō extare his in locis, vnde tanto veterū scriptorū consensu Tanais decurrere dicitur. Sed hæc qui magis perspecta habere volēt, ex cōmentariis tuis, & his addita chorographia petēt.

Mihi

Digitized by Google

Mihi hic narrationem de aquis, quæ in Hungaria aliquo miraculo, aut nouitate quapiam insignes sunt, finire libet, vel relinquere potius. Nam si omnes, quæ aliquid admirationis habēt, consectari velim, persequendum esset mihi quicquid est in Hungaria amnium, quorum quidem tantum est, vt non facile dare possis æqualem regionem, quæ pluribus & maioribus abundet, vt nō immerito veteres Hungari in regni sui insignibus quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubii, Saui, Draui, & Tibisci imaginem repræsentantes, vsurparint. Sed ne nihil tamen de his dicam.

Insignes Hūgariæ quatuor amnes.

Est laus amnium præcipua esse nauibus ferendis idoneos, & piscosos. Quo in laudis genere quotusquisque est extra Hungariam fluuius, qui illis, quos dixi, quatuor conferri queat? vt ne quid commemorem de aliis Hungaricis amnibus, qui etsi magnitudine illis minime pares sunt, tamen non minus fere sunt admirandi. Nam præter hoc, quod optimorum & saluberrimorum piscium copia affluunt, feraces auri plæriq; habētur, in ea præsertim veteris Daciæ parte, quam Hungariæ attribui & Transsyluaniā vocari diximus, quorum etiam nonnullis ab auro nomen est. Cuiusmodi sunt tres cognomines Chrysi dicti, & qui Hungaris vocatur Aranyas, hoc est, aureus, ne quis Hungariam ea, quæ Thraciæ, Hispaniæ, Lydiæ, Indiæ, amnib. gloria est, carere existimet. Rapiunt autem non ramenta tantum auri perenni cursu, sed etiam plerunque massulas, alias pisi, alia nucis auellanæ, castaneæue, aut iuglandis magnitudine, quoties videlicet inundant: imbribusue, aut alia quapiam eluuie, aut arte inducta corriuatione aucti ripas, & ea, per quæ currunt loca, subruunt. Nec commentitium est iis in locis effodi quandoq; massas, alias puri auri, alias concreti saxi aliquid habentes, quæ aliquod vncias vsq; ad selibram, & libram, & hoc amplius appendunt. Quin liceat mihi dicere, cuius certos autores notæ fidei homines habeo, effossas esse, quæ quingentorum, imo quæ mille florenorum non modo pondus, sed etiam precium eleuarint.

Amnes auriferi.

Massæ auri effossæ.

Sed vt ad illos principes Hungariæ fluuios redeam, Danubium, Drauum, Sauum norunt vicini Germani, Norici, Carni, apud quos eorum fontes sunt, & prima incrementa, quæ etsi præclara sint, nequaquam tamen tantum laudis addunt amnibus, quantum hi, mox atque solum Hungaricum attigerint, consequuntur. Hic enim continuo & plenius & spaciosius fluunt, eoq; nauigationi magis habiles sunt, piscibusq; & maioribus & melioribus magis abundant, vt omittam, quod diuersi generis piscibus, quibus fere prima est gloria, extra Hungariam carent. Quapropter de his, quorum origines magis notæ & celebres sunt, plura referre supersedebo, dicamq; de Tibisco tantum, quem Hungaria sola totum sibi vendicat.

Oritur in Maromarusio sub altissimis Carpati iugis, fonte quidem exiguo, sed tātis subito incrementis, vt intra tertium milliarium pro temporis tamen, quod incrementa moderatur, ratione patiens sit nauigiorum, quibus sales euehuntur. Est autem fere iustum vnius nauigii onus, quater mille frusta salis, (vulgo lapides vocant) singula viginti plus minus pondo librarum. Fertur autem intra Maromarusium cursu citatiore, vt inter mōtes, qui plurimos in eum torrentes & riuos effundunt, estq; ibidem limpidissimus, solo glareoso, sed idem ex illis Maromarusii angustiis eluctatus, simulatq; campestria attigit, incedit lentius, & fluit impurius, admisso præsertim amne Zamos. qui ex Transsyluania ruens, viam præbet nauibus, quibus sales Transsyluanici exportantur, videturque tum sane prorsus alius esse, non ob augmenti tantum, aut cursus sui modum, sed quod etiam piscium in eo ratio est diuersa. Nam intra Maromarusium non habet fere alios, quam quos aquæ puriores alunt, & eorum quidem omnis generis copiam ingentem: At foris quem facile dabis piscem, cui quidem in perfluente vita est, quem non suppeditet Tibiscus? quique & sapore, & magnitudine non præstet sui generis piscibus, qui aliis in fluuiis capiuntur:

Tibisci ortus.

Copia piscium in Tibisco.

Porro de copia quid dicam? Habet quidem Hungaria multos amnes piscosissimos, inter quos etiam eos numero, qui ex vicinis terris immittuntur. Sed neq; inter hos, neq; inter alios, quorum fontes apud Hungaros sunt, vllus prouentu piscium superat Tibiscum, vt eum, quod de Pado Italiæ dixit Poeta, merito fluuiorum Regem in Hungaria dicere possis. Etsi vero idem contingit fluuiis, quod terræ, nẽpe quod vt hæc fruges, sic & illi pisces, nunc vberius, nunc malignius producant, tamen nullum est tempus Tibisco, quo piscibus non magis, quam cæteri amnes abundet. Quin, qui propius ad eius ripam in æstiuis præsertim caloribus accedunt, manifesto sensu experiuntur eum pisculentiam quandã, vt sic dicam, redolere. Nec desunt vulgo, qui dicant duas eius partes aquam, tertiam pisces esse, non eo quidem sensu, quod ita sese res habeat, sed quod plane admirandam, peneq; maiorem fide multitudinem piscium significatam volunt.

Vidimus ipsi autumno superiore, cum illustrem Comitem Nicolaum à Salmis exercituum regiorum summum in Pannoniis imperatorem vltra Tibiscum sequeremur, apud arcem Thokai, quo loco Bodrogus, idem valde piscosus amnis, Tibisco miscetur, millenos carpiones, quos nonnulli cyprinos dicere malunt, citra delectum tamen, sicut eos capi contigit, venire centum nũmis Hungaricis, hoc est, floreno, vt vocant, vsitato, quem pro præsentis rei monetariç illis in locis ratione aureus vnus superat similib. nũmis 50. Eadem est plærunq; luciorum vilitas sub hyemis fere initium. Vtor autem luciũ appellatione in designando pisce notissimo, quem quidam lupum dicendum esse contendunt.

Vilitas piscium.

Sed quanto longius profluit Tibiscus, quantoq; propius accedit ad Danubium, in quem sese exonerat è regione Sirmii, hoc minus est precii piscibus, propter vim eorum infinitam, præsertim cum exundat. Nam tum in plana effusus, omnia late loca non tam aquis, quam piscibus complet, & quædam quasi stagna facit, quæ agrestes ante, quam decrescit, & in alueum redit, claustris quibusdam obsepiunt, ne refluentibus aquis vna recedant pisces. Hic itaque non aliter, atq; in piscinas conclusi tenentur, neq; tamen raro contingit, vt impetu facto, qualis est acie congredientium, effractis septis perrumpant, spemq; & laborem agrestium frustrentur. Quo fit, vt hi pro magno negocio habeant, inuitare populares vicinos, vt pisces emptum veniant. Sed quod prouerbio dicitur, vltroneas putere merces, vix vnquam magis quam hic habet locum. Nam sæpe aut nulli veniunt, aut si qui veniunt, tantillo licentur, vt nihil pene intersit, gratuitone eis des, an vendas. Quin fit quandoq;, vt ne gratis quidem dati, aut quasi relicti ad prædam, auferantur, sed porcorum gregibus, qui subsidentibus aquis immitti solent, lætam pastionem, & quasi piscationem præbeant, ipsa tamen piscium multitudine nihilominus sic plærunq; superante, vt magna eorum pars emoriatur, & computrescat, vnde tam tetri nascuntur halitus, vt qui iter faciunt, ea loca non aliter, quam quæ peste infecta sunt, vitare consueuerint. Nec hoc foris tantum, sed etiã in oppidis euenire solet, dum nimirum tanta vis piscium in forum curribus & equis infertur, vt qui eos importarunt, destituti ab emptoribus sese clanculum relictis piscibus inde subducunt. Quo fit, vt plærunq; edicto cum pœna proposito, caueri soleat, ne quis illinc nisi ablatis vna piscibus, discedere audeat.

Sed longius quam institueram, progressus sum, illustris Baro Sigismunde, non tam admiratione harum rerum, quæ mihi iam maxima vitæ meæ parte in Hungaria exacta admirabiles esse desierunt, quam studio efficiundi imperata tua incitatus. Non inficior tamen plæraq; à me minus explicate tradita, neq; non multa præterita esse, quæ cum hac narratione congruebant. Verum id ceu data opera à me factum est, quod his & aptius & vberius explicandis locum alibi sum habiturus.

Porro quod in epistola ad me tua duorum admirandæ naturæ fontium, alterius quidem ex Arriani, alterius vero ex Saxonis Grammatici historia mentio-

mentionem facis, equidem dubitaui aliquandiu, an non hoc conſilio à te factum eſſet, vt quæ de ſimilibus miraculis aliorum autorũ ſcriptis prodita ſunt, ea mihi cum his noſtris coniungenda, ac componenda eſſe innueres. Etſi vero huc inclinabat animus, tamen cum viderem mihi nihil relictum eſſe præter colligendi laborem, quem ſibi quiſq; legendis libris præſtare poteſt, ſatis eſſe putaui, breuiter, vnde hæc potiſſimum peti poſſint, indicare.

Miratur Plinius ab Homero non eſſe factam calidorum fontium mentionem, neq; hoc ſane iniuria. Quem enim mihi facile dabis autorem, qui non quam accuratiſſime in rerum, locorumue deſcriptionibus recenſere ſoleat, ſi quid forte occurrit, quod vſitatum naturæ curſum excedit, aut aliqua nouitate eſt inſigne. Imo quem dabis, in quo non aliquid eiuſmodi reperias?

Miracula aquarum qui autores potiſſimũ ſcripſerint.

Sed inter eos, qui cæteris diligentius, quaſiq; ex profeſſo de his Latine ſcripſerunt, primas obtinet Plinius, qui non contentus aquarum, fontium, & fluminum miracula capite elegantiſſimo in ſecundo naturalis hiſtoriæ ſuæ libro complecti, rurſus iiſdem aquis & aquatilibus deſcribendis etiam peculiarem dedit librum, qui eiuſdem operis eſt triceſimus primus. Secundum Plinium multa de his inuenias prodita à Seneca in naturalium quæſtionum libris. Nec pauciora pene à Vitruuio de architectura libro octauo. Quædam etiam à Strabone, Pomponio Mela, Solino referuntur, vt alios præterea recentiores. Sed omnium inſtar haberi poteſt vnus Georgius Agricola, qui quæcunq; eiuſmodi ſunt, vel in Græcis, Latiniſq; ſcriptoribus à ſe lecta, vel domi foriſq; obſeruata, vel accurata indagatione comperta, non modo in illos, quos ſupra dixi, libros retulit, ſed etiam cauſas eorum quam ſcitiſſime ſtuduit explicare, quanquam quotam quæſo hæc factura eſſent partem, ſi cætera quoq;, quæ adhuc ignota latent, proferrentur? qua in re neſcio profecto, ſecordiane magis an ingratitudo hominum accuſanda veniat, qui dum iſta pro neglectis habent, non ſatis æterni illius architecti Dei potentiam & magnitudinem admirari, & eius beneficia agnoſcere videntur.

Lacus ad Zirkniz.

Memini te mihi aliquando de quodam in Carnis lacu, cui à pago vicino Zirkniz nomen eſt, non minus, pene miranda dicere, quam à me de Hungariæ aquis ſunt memorata, vt is videlicet quotannis fere ſub autumni finem, aquis de repente ex abdito venientibus, magnamq; piſcium copiam ſecum trahentibus inundetur: appetente vero æſtate aquis rurſus abdita petentibus exareſcat, hac quaſi perpetua viciſſitudine, vt quo in loco paulo ante piſcatus fueris, in eo meſſem & ſementem facere, ſimulq; ſi libeat venari, ac rurſus vertente anno piſcari poſſis.

Sed quid obſtat, quo minus loci faciem, vt eam ab aliis delineatam accepiſti, de tuo ſermone deſcribam. Claudi aiebas eum circumquaq; montibus, è quibus riui quidam ignobiles ſuo quiſq; alueolo procurrant, ab orientali quidem plaga tres, ab auſtrali quatuor: ſingulos quo longius fluant, hoc minus ſcatere aquis, terra nimirum ipſas combibente, donec poſtremo abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, vt humano opere exciſæ videri poſſint. Hic aquis ita redundantibus, vt recipi non poſſint, fieri, vt regurgitent ſcrobes, neq; ſolum nihil aquæ admittant, ſed etiam quicquid receperint, effundant tanta rapiditate, vt refluxus impetum ac curſum equiti quamuis expedito, & fugienti, ægre effugere liceat. Itaq; quacunq; pateat locus (patere autem eum ad ſeſquimilliarium minus laxa latitudine) diffundi aquas, & lacum efficere, qui pleriſq; in locis decem & octo cubitos altus ſit, & vbi minimum profundus eſt, æquet iuſtam humani corporis menſuram.

Hæc forte minus mirabitur, cui conſtabit eſſe eadem in regione amnes, qui terras ſubeant, & vbi per longa ſpacia mearint, rurſus effluant, quoſdam etiam vbi ſemel ſeſe abdiderint, amplius non comparere. Nam hinc occultis quibuſdam canalibus illas in lacum manare aquas ratiocinabitur, præſertim ſi cognorit ibidem aliquot in locis eſſe caua montium ampliſſima, in quibus aquarum ruentium fremitus exaudiatur, & earum quaſi ſtagna ſint, vnde

illos venire riuos hoc minus dubium videri potest, quod constat iisdem anates viuas euehi, quas nemo nescit in locis subterraneis, in quæ auro aditus non sit, degere nō posse, Sed quia pro comperto habetur illam aquarum accessionem non duci è montib. per riuos, aut alios occultos meatus, sed venire ab illa scrobium regurgitatione, & quasi vomitu, rursusq; eodem redire, & resorberi, idq; statis temporibus fieri, quis hæc miraculo carere negabit?

Auget vero hoc quoq; rei nouitatem, quod fere non minus celeriter recedunt aquæ, quam accesserant, non per scrobes illas tantum, sed vniuersa pene terra eas non aliter recipiente, quam si per cribrum diffunderentur. Quod cum fieri sentiunt accolę, continuo grandioribus eius meatibus, quoad fieri potest, obstructis agminatim aduolant ad piscationem, quæ ipsis non modo iucunda, sed etiam perfructuosa est. Nam & piscium vis ingens facile capitur, aqua nimirum eos destituente, & apud vicinos precium habent, ad quos conditi sale exportantur. Inuenias autem ibi plærunq;, quod iure mireris, lucios (nam his magis quam aliis piscibus abundat hic lacus) qui duos cubitos excedant, quæ res satis magno est argumento, eos intra illas voragines nasci, aut saltem augeri oportere, cum fieri non possit, vt dum foris stagnant aquæ, ad tantam magnitudinem perueniant.

Porro siccato lacu fit messis, qua parte solum consitum, & idem rursus conseritur ante quam inundet. Solum ipsum firmum, lætum, & inprimis ita ferax graminis, vt post vigesimum diem secari soleat. Non est tamen eadem vbique fœcunditas. Nam magna eius pars præter iuncum nihil gignit.

Quo verò magis cognobilis fiat lacus, libet addere, quod tu ceu insignem notam adiecisti, nempe distare eum ad vnius milliarii spacium ab arce Carnis pariter & Italis dicta Postonia, quam Venetos aiebas Maximiliano Imperatori, dum percuteretur fœdus, quod inter eos postremum fuit, ademisse, & dum pacta conuenta præstari oporteret, reddidisse, in illustri eius loco tanquam pro trophæo relictis his versibus, quos ibi tum legeris:

Postonia victa rediens post omnia victor
Leniades affert pulchra trophæa domum.

Quia verò id quod dictum est de aquarum ad statum tempus accessione, me quorundam fontium, quibus idem accidere dicitur, admonet, etsi mihi externa minime persequenda duxi, facere tamen non possum, quin de duobus dicam, vt tibi illud quasi pensem, quod ex Arriano & Saxone Grammatico de totidem fontibus annotasti.

Calida ad Pfeuers.

Alter est calidarum laudatissimarum in alpestri Rhetia apud Fauarias inter rupes eminentissimas, qui cum fere deficiat mense Octobri, redit mēse Maio, sicq; rursus vsque in autumnum exuberat, vt saluberrimis eius aquis mola frumentaria impelli possit.

Fons in Heluetiis.

Alter hoc magis mirabilis est in Heluetiis, quem recens Helueticorū chronicorum scriptor tradit siccari mense Augusto, quo tempore nouis ibi niuibus cadentibus pecus inde mitiora in loca depellitur, neq; postea manare, nisi mense Iunio, cum nudatus niuibus mons rursus pastioni pecoris patet. Manare autem eum è petra in fossam propinquam ad aquandum pecus comparatam, per interualla tamen, & bis tantum quotidie, mane videlicet & vesperi, rursumque toties occultari; & has quotannis retinere ac continuare vices, donec rursus, vt dictum est, Augusto mense siccetur. Dicas aquationi pecoris singulari Dei munere in illa horrida solitudine datum hunc fontem esse, idque bruta ipsa agnoscere, vt quæ eum fere vltro, quoad ibi in pascuis sunt, ad id tempus, quo fundit aquam, petere soleant. Quin additur experimento cognitum esse, quod idem fons tam impatiens sit sordium, vt si quid impuri in eum missum, mersumue fuerit, per aliquot deinde dies non compareat, nec aut mane aut vesperi aquæ quicquam reddat. Montem, in quo is fons est, Heluetii sua lingua appellant Engstle, ea in regione, cui ab amne Arula Argevv fecere nomen.

Prudenter Plinius ad confirmanda exempla potentiæ aquarum à se in illo præclaro opere prodita: Si quis, inquit, fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte naturæ maiora esse miracula. Hoc quanquam ipse quoq; vsurpare aduersus eos possem, quibus forte in hac mea de aquis narratione quædam fide maiora esse videbuntur, tamen monebo potius nō temere quicquam eorum, quæ de admirandis naturæ operib. feruntur, pro incredibili haberi oportere, ne quid infinitæ autoris sapientiæ & potētiæ temere derogetur.

Habes Baro clarissime, pro epistola libellum magis ieiunum quidem illum, quam vel ipse forte exspectabas, vel materia, quam mihi tractandam dederas, exigebat. Sed cum non ignores me minime abundare ocio, tuæ erit æquitatis, non tam quid assecutus sim, quam quid assequi voluerim, æstimare. Hoc vnum quidem certe, vt tibi gratum facerem, sedulo sum conatus.

FINIS.

DESCRIPTIO ET MVNITIONES ALTEMBVRgi Arcis dotalis, Serenissimæ Hungariæ Reginæ Mariæ, &c.

CONGRATVLARER mihi pro eo sane atque deberem Amplis. viri, quod tantum in me iudicii contulistis, vt crederetis mea industria atq; ingenio, aliquid roboris, ad munimenta veteris arcis, quam Germani Altemburg, Hungari Ouvvar appellant, posse accedere: nisi ex altera parte me sollicitudo maxima difficultasque torqueret; opinionem; quam (vtinam ne fallacibus argumentis) de me concepistis, in tanta iudiciorum diuersitate, sustinendi. Cum tamen cogitem, neminem ad ea quæ præstari nequeunt, cogi posse, confisus de vestra beneuolentia & humanitate, conatum meum in meliorem partem acceptum iri; vt potero describam, quæ mihi ad munitionem arcis, & vici pertinere videntur. Altemburgum igitur, siue vetus arx, vti omnes nouistis, sita est ad ripam ramuli cuiusdam ex Danubio, vt illa à Septentrione inter alueum fluminis & fossam arcis media, aggerem efficiat, è diuersa parte, scilicet meridionali, ita eam fluuius Litha hinc atq; illinc prope alluit, vt insulam constituat, circumdata præter fluuios istos, fossa lata, & tam profunda, vt fluuiorum altitudinem superet: ita vt nullum periculum sit, ne aquæ deriuari ac fossæ exsiccari possint. Loco præterea tam necessario & opportuno, vt nulla alia per regiones illas via, ex Hungaria in Germaniam, nisi sub arcis cōspectu, imo adeo sub ipsis portis, pateat, si quod iam à Præfecto Stampa institutū est, via per paludes, solis incolis & rusticis nota, prępediatur, cuius rei variæ rationes ab illo sunt excogitatę. Principio præfodit solitas vias, ac pontes instituit, quos cum necesse erit deiiciet, & tabulas secunda aqua, apud arcem excipiet: Deinde sperat restagnatione fluminis Lithæ, efficere, vt palus illa adeo inundetur, vt nusquā via pateat, quod & mihi videtur, si certis locis, illa ipsa via crebris fossis incidatur. Nam de restagnatione quod dictū est, non tantā habet vim, quod hostes, si loca alias plana & dura essent, multum impediretur. Fluuius enim Litha, postquā plana illa è regione Altemburgi fluere cœpit, plane tardus efficitur; & velut dormitabundus incedit, hinc vastę illę paludes, & dubius cursus, quo se potissimū loco Danubio insinuare velit. Scindit se igitur, non procul ab ipsa arce, primū in duos alueos, vnus ad arcem, etiam bipartito fluens, eam vti supra dixi, in insula constituit. Alter ille, vix scias an fluat, an immobilis in paludem sit conuersus.

In summa, longe lateq; expansus, tandem cum Rabitza coniunctus, etiam Danubio sub Iaurino miscetur, neq; per eam partem temere est viam vllam inuenire, nisi illam, quã supra dixi, sub conspectu huius arcis. Quod si iam alueum hunc, quo ad arcem bipartito fluit, quispiam restagnauerit, superficies eius spacii, quod medium est à prima diuisione fluminis, poterit restagnatione exæquari, cuius tamen altitudo tres pedes non excedet, cum nec terræ superficies, ibidem multo editior videatur, quod ipsum tamen exiguum existimandum non est. Fossæ enim & loca alia iam decliuia & natura sua palustria, præter solitum aquis aucta, nulla neq; arte, neq; labore poterunt vadari, siquidem natantibus præter latitudinem, obstabunt etiam cannæ & herbæ, euntes impedient fossæ & lacunæ. Qua autem arte ista restagnanda sint, iam dispiciamus. Tres aluei, ex hac palude, siue fluuio in Danubiũ patent. Primus est post ipsum vicum, versus Hungariam in orientem: secundũ propugnaculũ quoddam terreum, ibidem olim excitatum. Exitus iste, nunc trabibus & lignis obstruitur, atq; ad reliquæ ibididem regionis altitudinem, terra & fimo exaggeratur. Alter est alueus Lithæ, versus Ratzendorff, spectãs inter septentrionem & occasum, qui simili opere etiam erit obstruendus. Medius inter arcem & vicum, molas ante portam arcis subigit. Hoc loco, quem propter vicinitatem, semper in potestate habere possumus, solitis instrumentis, quibus molitores aquam sistunt aqua vel augenda vel imminuenda erit, neq; duobus aliis locis quidquam præterea necessarium videtur, quam vt obiecta mole, illac nullus aquis exitus, in Danubiũ detur, nisi forte in alueo illo altero Lithæ velis ostium relinquere, quo, si maior vis aquæ incubuerit, ea emittatur, aut etiã cursus ille antiquus aquæ, retineatur, ne si restagnatã contra naturam suam aqua, id pati nolit, & vis fluminis alio, scilicet Rabitzam versus, auertatur. Ostiorum vero huiusmodi, non est vbiq; eadem ratio: vnam supra retulimus communem & molitoribus vsitatam, aliam habent Gandenses. Hi oblongas trabes, per transuersum contra postes hinc atq; illinc dispositos, leui negotio, secunda aqua demittunt, quæ ad æquabilitatem dolatæ, velut obices vim fluminis retardant. In Italia aliud solitum est, ibi enim ex vna parte aluei, suspenduntur de firmis cardinibus, ingentes valuæ, quæ sine vllo labore, impetu ruentis aquæ & secundi fluminis, clauduntur contra postes, ex altera parte aluei obiectos, aperiuntur vero catenis & vinculis retrorsum retractæ. Gandensium autem & molitorum rationes, mihi inutiles videntur, in locis quæ non semper in potestate habere possis. Quod vero ad ipsam arcem pertinet, aut ad vicum (sine quo, vt nostra ipsorum victoria testimonio est) arcis difficilis esset retentio, alia mihi videtur esse consultandi ratio, vbi facultas est eorum quæ consulta sunt, mature exequendi, alia vbi tenuitas ærarii, consilia interturbat, ego tamen vt potero, me temporibus accommodabo. At primum de vico, si quis munire velit, necesse habet, vt eius ambitum faciat minorem, redigatque in formam prope triangularem, frontem igitur sibi constituat, eam molem terream, siue propugnaculum illud rotundum, versus orientem, apud quod supra diximus aquam cœptã esse restagnari, hinc rectis lineis ducat, ad dexteram qua Danubius alluit, vsque ad illum locum, vbi Lithæ coniungitur: à sinistra vero, item recta linea, præscindat atque amputet totum illum tractum, vbi est præstructa & occlusa porta, qui propter orbicularem formam & inutilis defensioni, & in operibus est deformis, vbi hoc loco ad punctum peruenerit, vnde rursus recta linea ad arcem, sine magna demolitione, aut iactura domum duci potest, tametsi alibi præsentem fossam transgrediatur, recta fossam cauet, terram intus in vallum satis amplum & altum exaggeret. Sic vicum propter latitudinem duarum fossarum ab oriente (à qua parte sola, aut oppugnari aut obsideri copiis terrestribus potest) à meridie propter fossam & paludem: inter septentrionem & orientem, propter Danubium, qui contra naues raris trabibus & catenis obstruetur, valde firmum constituet. Si vero addantur & propugnacula qualia conuenit, etiam inexpugnabilem. Duo enim propu-

propugnacula, aut ad summum tria his angulis,(nam circa confluentem Danubii & Lithæ tertium non esset inutile, imo prope necessarium, contra impetus nauales) & arx, omnia latera ipsius vici, tutarentur. Porta autem siue ingressus in ipsum vicum, eodem loco, pro ratione tamen lineç, superius ductæ, vbi & nunc est, mihi videtur relinquendus, sed alio institutus modo. Mola illa, quæ ante arcem est, vtilius alio transferretur. Danubius enim frequenter auctior, impedit casum aquæ. Quod si hæc mola, item porta vici, noua ad hoc ædificata domo, extruerentur, vnis impensis duabus difficultatibus consuleretur. Diximus ad hæc supra multa de restagnatione, quæ hoc loco commodissime instituerentur, vellem ego præterea hanc portam, prorsus à vallo vici seiunctam, ex illo aggere pendere, qui nunc medius est inter Litham & fossam ipsius arcis, quæ duplici ostio intrinsecus & extrinsecus cōmunita, tota in potestate arcis esset. Huc adde, quod eadem opera ita extrui posset, vt etiam pro ingressu in ipsam arcem seruiret, vsque adeo vt alio supra Litham ponte, non esset opus. Verum vt esset hæc structura valde vtilis, ita omnino nollem illam inchoari, nisi animus esset, etiam reliqua opera perficiendi, ne magnę impensæ fierent, in rem quam deserere, si hostes ingruerent, oporteret. Quod si vicum ad eum modum quo nunc est reliqueris, propter rotunditatē, nunquam exactę munies, etiamsi plura propugnacula erigantur, terrā deinde in vallum, aliunde maiori impensa congerere oportebit, quæ nunc, adaucta fossa, superabit. Si in præsentia opus illud aggredi non placeret, prouidentiæ tamen esset, totum illum locum qui futuris mœnibus directis lineis, deputaretur, proximis mensibus arboribus conseri, quę tempestiue succrescentes, latēter futuris munimentis incomparabile robur præpararent. De arce, hoc vnum habeo dicere, me valde mirari, cur, cum ipsa vetus structura quadrata sit, eandē non obseruarint, qui vallum extrinsecus & fossam circundederūt, nunc sane, neq; orbicularis, neq; quadrata, neq; trigonalis, neq; vlla elegans forma est obseruata, sed informis quædam in circuitu congesta terra, neq; turres institutæ, quæ conantem hostem adscendere, à latere deturbent, sed omnes hostiū conatus, à fronte excipiendi sunt & repellendi: quæ res quanti laboris & periculi sit, non ego vos debeo docere. Si quis eā & pro dignitate hominis, & loci vtilitate instaurare vellet, is eam ad quadratā formam redigeret: ità vt duo illi à frōte anguli, qui qua porta est, apparent, longius excurrerent: sed ita vt recta linea vallum exaggeraretur, ab altera parte post sacellum, vbi nūc orbicularis est, præscinderetur sic hoc loco fossa, quæ nūc angustior est, dilataretur, aliis vero angulis, cum terra foris adiiceretur robur duplicaretur, imum vallum, muro pedū senum, supra hunc dumo ex viua spina, circūdaretur, deniq; propugnacula adiicerentur, quæ & à latere & à tergo, ascendentem hostem impedirēt. Nunc sane nihil est, quod in altitudine aquæ, multum fiduciæ collocetur, siccioribus nanq; ęstatibus, si nō vniuersa, tamen ita deriuaretur, vt etiā vadari nō difficulter possit, præsertim cū fundum habeat arenosum & firmum. Quod vero pro præsenti necessitate, & temporis angustia dici potest. Laudo ipsius præfecti opus, qui sub vallum, extrinsecus aggerē humiliorem, quā si terra quæ arci circumiacet, egerit, quo primus ascēsus, si forte aqua diriuaretur, excipi & impediri posset, in hoc aggere etiā propugnacula, pro operis magnitudine relinqt, quæ à laterib. hostē molestēt, si tamē fieri posset, vellē hæc opera, quę ex materia instituta sunt, limo induci incrustariq;, ne ignē tam facile susciperēt, propugnacula etiam à frōte altius suscitari, vt ibi defensores vel oppugnati, tuto permanere & latera defensare possent, pluteos adhæc, qui in summo vallo, aut iam exaruerunt, aut putruerunt simili materia & foris & intus circumdarem ac firmius terra consolidarem, tandem hæc limo pastinarem quo etiam ab igne tutiora redderentur. Vallum superius certis in locis, ita alia adiecta terra, reficerem, ne in superficie, vna totius ambitus facies videretur, sed aliam partem ab alia, operibus distinguerem, ne si forte partem aliquam ab hostibus capi contingeret, eadem opera vniuerso vallo potirentur, sed facilius & ab o-

Digitized by Google

peribus illis quæ dico, & arce interiori, iaculis & sagittis, loco deturbarentur. Ne autem inopia rei pecuniariæ opera hæc negligerétur, posset à colonis impetrari, vt cum scirent ista omnia ad illorum tutelam instituta esse, non grauatim ipsi per vices, labores & partem impensarum subirent, si itaq; octingentis colonis qui ad arcem hanc pertinent, hæc opera ex æquis partibus imponerentur, laborantibus solum victus ex ærario publico, & præmia diligentius operam nauantibus, proponerentur, crederem fieri posse, vt intra breue tempus neq; impensarum neq; industriæ quenquam pœniteret. Cum hæc Ampliss. viri vestra inductus auctoritate scriberem, venit mihi in mentem, quam scite etiam in me dicere possetis id, quod Annibal Rhodi in philosophum de re militari differentem, dixit, quapropter cum mihi conscius quam parū conuenienter professioni meæ, aliquando militiam secutus sim, & nunc de re militari disseram, metuam, in quam partem meum hoc iudicium accipiatur, vos etiam atque etiam orare cogor, vt quid oneris non affectanti ipsi imposueritis consideretis. Et si in hoc, sutorem aliquid supra crepidam conatum, iudicio lapsum esse mirum non sit, sane non diffido, quin, quoniam vestra voluntate impulsus id feci, mihi etiam condonaturi sitis. Valete ex ipsa Arce veteri, siue Altemburgo 8. Calend. August. Anno M.D.XLIII. FINIS.

FELICIS PETANCII CANCELLARII AD VLADISlaum Hungariæ & Bohemiæ Regem.

LIBELLVS.

DE ITINERIBVS AGGREdiendi Turcum.

ACCEPIMVS, Serenissime Rex, maiores nostros, cum de inferendo bello consultarent, prius itinera, quibus tuto in hostes pergerēt, multorū & scriptis & documentis accuratius inuestigasse. Qua ex re sæpe cōpertū est, eos fusis validiorib. copiis amplissima regna atq; opulentissimas prouincias ocius fuisse adeptos. Ea propter operæ preciū erit Maiestatē vestrā commonuisse: quos terrarum limites quasue gentiū regiones adeat in Turcos expeditionem affectans. Et quamuis decēti & matura persuasione ad prouisionem ruinæ Christianæ opus esset exordiri prolixiorib. verbis, status tamen perturbatissimus rerū me prohibet: eoq; maxime quod maiores nostri, quorū exemplis innitimur, in huiusmodi arduis & mature nauandis reb. impigri ac semper citissimi extiterunt. Igitur omissis oris maritimis, quæ versus Asiam nauigantib. patent, referā duntaxat, qui tramites ex Septentrionali plaga in Thraciam & Orientē dirigant. Primum igitur ex Pannonia ad Istri & Saui confluentem, traiicitur in superiorē Mysiam, prope Belgradum oppidum: vbi duæ concurrunt viæ: At terra superior in Thraciam, siue Romaniam, altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed superiorem viā sequendo patentibus campis Godomiri præter celebre fanū Ressare Regum atq; Principum illustratum sepulchris, non procul superato amne maioris Murauæ, relictisq; sinistrorsum agris Bardilouæ, per pagum Branicerum pergitur ad Nesum, olim (vt ex ruinis cernitur) ciuitatem peregregiam, nunc instar vici redactam & à Turcis & Bulgaris habitatam. Adiacet ea altissimis montib. ex finitimo Rhodope progressis, fluuio Nisaua à quo denominatur, magnaq; venalium copia rerum inter alios Mysiæ & Triballorum pagos censetur præclara. Abest à traiectu Belgradi 120. millibus passuum.

Ex

Digitized by Google

Ex ea ascendendo ad vicum Pirothi, situm in montanis, peragrato vasto montis Cunorouicæ iugo arduo atq; difficili, cum ob profunda circumuenietium rupium concaua, tum propter densissimum nemus, longioresq; anfractus: fit per 50. milliaria accessus ad Sophiam metropolim Triballorum, emporium nostro sæculo memorandum, Iacet in plano, spectans ab Oriente inferiorem Mysiam, hoc est, Sagoriam, ex Chyabro flumine, circa Bionium & Nicopolim oppidum, porrectam per limites Istri ad mare Ponticum, à meridie Thraciam, ab occasu & septentrione Cordiscos, Triballos, & excelsas montis Vasiglicæ Alpes. Hinc Rhodope præ aliis quam plurimis, quos habet, verticibus est eminentior: quasi omnibus finitimis montibus imperitans: quod ex ipsa Græca denominatione plane innuitur: per cuius asperos & augustissimos aditus biduo pertrãsitur ad plana Philippopolis vel Romaniæ. Hæc Romani Asiæ quondam imperium sibi vindicantes iter habuere: quorum insigne ad hęc vsq; tempora in montis medio marmoreis erectũ columnis conspicitur. Hinc & Gotifredum Bullionium dum terrã promissionis recuperaturus pergeret, ad Hellesponti siue Callipolis traiectum ex superiori Mysia transcendisse, memoriæ proditum est. Hisce etiam angustiis Vladislaus Pannoniæ & Poloniæ Rex olim ab Amurathe Turcorum principe obsessus, retrocedere, & in Pannoniam ire fuit compulsus, Ex Philippopoli via tridui, eaq; campestri cõtinuè ad lutus Maricæ siue Hebri fluminis peruenitur Adrianopolim, vocatam apud priscos Odrysum siue Orestdida. Ea quantum pulchritudine & rerum gestarum gloria inter omnes Thaciæ vrbes semper claruerit, hinc vel maxime deprehenditur, quod eius fœcunditate veteres Bithyniæ Reges allecti, ex Asia in Europam commigrantes, ipsam sibi in domicilium atq; Imperii sedem diu ante Byzantii expugnationem tenuere. Ab ea in Propontidem & Hellespontum siue Callipolim milliaria 60. in Constantinopolim vero 120. computantur.

ALTERA VIA INTERIOR, QVAE EX EODEM Belgrado per Dardanos & Triballos montes Aemum transgressa, prope Hebrum cum superiori via coniungitur.

ALTERA inferior via est accessu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad limites Mysiæ & Dardanorum 280. millibus passuum. Progrediens circa Ostermicæ oppidum, & Racanicense monasterium: adducit primo ad Morauam (olim Moschum dictum ad latus arcis Cruscεuæ fluentem, quandoq; imbrium exundatione inuadabilem: Dehinc ad Basilicam albam, & Apennini montes, Mysiam inuicem separans. Rasciani enim primi huius prouinciæ populi feroces ac bellicosi eam partem incolunt: quæ ad Drauum, Sauum, & Istrum flumina spectat. Valachi montani, genus agreste hominum, hi gregib. tantum pollent & armentis. Aliam aũt, quæ ad Dardanos, Macedones, & Triballos, vergit, Seruiani: gentes vsu mitiores, & siderum aspectu benigniore, eò quod magis ad meridiem tendant, & frequentia cõmeantium mercatorum. Pertransitis itaq; montibus, sequitur planum Dubotizæ frequenter inhabitatum. Sed dimisso aliquantisper ad læuam tramite, qui ad villam magnam Procopiæ & Nisum dirigit, non procul offert se vallis Cossouicæa, cum Labo flumine per medium eius decurrente: procedens ad latissimum Cossouum campum, celebratum toties diuersarum gentium certaminibus. Verum ex multis quæ hic præclare gesta in antiquis narrantur annalibus, pauca in huius campi memoriam repetam.

Galli olim Græciam atque Asiam occupaturi, illic primo tumultuantes cum circum finitimis populis prælium iniere, non sine magna strage, vt ex eorum monumentis apparet. Precibus namque vix inducias obtinuerant, donec traditis sepulturæ occisorum corporibus, à prouincia abirent.

Digitized by Google

Præterea anno iam 150. Amurathi Turcorum Regi magna cum Barbarorum multitudine ex Thracia in Myſiam irruenti, Lazarus Deſpotus hic cum multis millib. obuians, fuit occiſus, paucis ex ſuo exercitu ſuperſtitibus, apud Turcos victoria remanente: non incruenta tamen, perempto ibidem eorum rege, vbi eius adhuc inteſtina marmoreo condita tumulo iacent. Cadauer enim in Burſam, ſiue Byrſam Bithyniæ metropolim deportatum eſt cũ aliis ex Othomanorum familia Regibus ſepeliendum. Poſtremo hic fuit illa infauſta & omnibus ſæculis execranda clades, Ioannis Huniadis, genitoris D. Matthiæ Pannoniorum Regis, ex conflictu habito cum Amurathe & Mahumete Calepino, eius filio: qui fuit pater moderni Turcorũ Imperatoris. Huius campi planicies protenditur circiter 70. millia paſſuum, vſq; ad viam Cuzamici, & fauces Cliſſuræ quæ ad Scopiam ducit: poſita inter duo flumina Sithnizum & Labum, vallata vndiq; montibus, quorum extrema perabundant vicis & pagis, habens ad latus opulentiſſimum pagum Priſtinam qui ob maximam vbertatem fuit quondam Myſię dominis in maximis deliciis. Eſt inſuper ad decem milliaria nouo montana ciuitas, Germanorum colonia. Principio namq; Saxones in Myſiæ partibus metalla & argenti materiam reperere. Cæterum iuxta Horauizæ lacum & paludes diuertendo ab ea via, quæ ducit Binzum, Morauam, ad montes Criuicinæ infra Myſiam & Dardanos iacentes, itinere vnius diei ab ingreſſu Cliſſuræ, patet acceſſus ad Scopiam, caput Dardanorum & terminum Macedoniæ. Hęc ciuitas eſt ferax, & abundans omnibus precioſis terræ fructibus, plena diuitiis, diuerſorium peculiare principis, irrigua ſalubri flumine Vardaro, ſcaturiente ex iugis altiſſimis Orbe montis: qui imminet Macedoniæ, Triballis Myſiæ, Dalmatiæ, ac Epiro: propterea opportuna ad conuocandum exercitum. Inde iter arripiendo per planiciem Gegligouæ, vallem Conopnicæ Balnea Beobuſci, pontemq; Strymonis, dirimentem Macedones à Triballis ſiue Bulgaris, prope villam ripę Rubeæ: perluſtratis campis Samocoui & ſiluis vaſtiſq; ſolitudinibus montis Hæmi, apud Triballos eius accolas Coſtegnazo difficile admodum via deſcenditur ad Marizam, huc eſt Hebrum fluuium, & campos Philippopolis ſiue Romaniæ, vbi hæc via inferior, diſtans à Scopia 230. millibus paſſuum, coniungitur cum ſuperiore: ex monte Vaſiglita, ſiue Rhodope ad hæc planæ progrediente.

DE COGNOMINE ET *ſitu Romaniæ.*

ROMANIA autem, de qua paulo ſuperius mentionem fecimus, eſt regio aprica, affluens omnibus, quę ad humanum expediunt vſum: à Romanis olim ob magnam ſitus amœnitatem diu habitata. Vnde propter frequentes. In ea prouincia Romanorum colonias, & præſertim Conſtantinopolim, quæ quaſi altera Roma vulgo nominari conſueuit. Eius longitudo à littoribus Ægæi æquoris & Strymone fluuio 390. millibus paſſuum progreſſa, ab Oriente, Ponto, à Septentrione, Iſtri ambitu, non longe à Rhodopę, iuxta Ciabrum amnem, cum inferiori Myſia finitur, latitudo vero ex vicinis Hæmi latebris incipiens ad meridiem 180 verſus, Callipolim protenditur.

ALIVS LOCVS VNDE EX PANNONIA IN *Myſiam iuxta Saslon oppidum traiectus eſt.*

SECVNDVS autem locus, vnde ex Pannonia tranſitus in Myſiam eſt, prope Saslon, ſiue Sabacum oppidum, non procul inde vbi Drina ex Dalmatia decurrens Sauo immiſcetur. Vltra Sauum duæ ſequuntur prouincię, Belgina & Maza, relictis ad dextram flumine Albo, & his montibus, Sacero, Chirbenico, Crupino, Saeza. Et tunc itur ad famoſum vicum Vagbem, monteſque Larzi: exercitibus propter currus & alia impedimenta immeabiles. Ex parte ſiniſtra fit progreſſus ad vadum maioris Murauæ, abluentis ibidẽ Cruſſeuam arcem: adhęrendo ſemper aliis itineribus ſuperius memoratis.

VIA

Digitized by Google

VIA QVÆ EX PANNONIA PER TRANSYLVANIAM mittit versus Thraciam & Pontum.

EST & tertium iter opportunius minusq; laboriosum; ducens ex Pannonum finibus in Thraciam, & ad alia loca vicina Ponto. Verùm quia tam ipsos Pannonas, quam reliquos trans Danubium commorantes populos, illud minimè latet: cùm ex concursu commeantium inuicem mercatorum: tum ob continuum bellum, quod circa oram Istri & eas regiones Turcos propulsando exercent; pauca tantummodo ad hanc viam necessaria aggrediar. Buda itaq; abest à Varadino LXXX. millibus passuum; interiacentibus Cumanorum locis, & flumine Tibisco. Hinc ad Rhium oppidum prope Crissiam amnem, est via vnius diei, semper campestris. Ex eo patet accessus per vallem longam in Colusuariam, siue Themisuariam. Inde ad Sibinium, pari spatio itineris & perfacili. Hæc ciuitas est principalis ex Septem Castris: quæ regio vulgò Transyluania siue Herdelia appellari consueuit: bello insuperabilis. Parit enim strenuos ac fortissimos milites. Est in ea Huniad oppidum, loci natura munitissimum: vnde Ioannes, pater D. Matthiæ regis oriundus fuit: qui hic primùm Turcis; eorum duce Mesribecho interfecto: melioribus semper auspiciis victoriam persequendo; adeò hostibus terrori, & suis admirationi extitit: vt omnium sententia in regni gubernatorem deposceretur. Ex Sibinio sequitur Corona siue Bresouia: vltimum oppidum Transyluaniæ: adiacens montibus, qui diuidunt eam prouinciam à maiori Valachia seu Dacia. Hinc tertia die aditur Tragoniscus, metropolis Valachorum: & sedes peculiaris principum inaccessibilis: non muro, non mœnibus cincta, sed fossa, vallo, & aggeribus tantum, cum sudibus præacutis exterius positis; sita inter paludes, obductas lutosis syluis & lacunis aquarum: ita vt hyeme tota penè circumfinitima regio immeabilis sit. Hæc est prouincia Dacia dicta apud veteres, Romanorum colonia: vnde eius Aborigines hac etiam nostra tempestate passim Latino vtuntur colloquio. Est ea gens barbara, crudelis; diuinationibus & auguriis dedita; rapinis semper & prædæ inhians. Ex his locis declinando viam ad traiectum Bidinii & Nicopolis dirigentem: ad læuam offert se vasillum castrum: medium fermè consistens inter Valachiam maiorem & minorem; quæ & Moldauia dicitur: vbi sæpè cum Turcis certatum est. Dracula enim cum paucis, sed delectis militibus Mahumetum Turcorum Imperatorem potitum iam maiori Valachia, & ad minorem occupandam maturantem; hîc ad secundam vigiliam noctis aggressus: conuersum in fugam ad Danubium, cum magna suorum cæde & ignominia regredi coëgit. Hic deniq; Stephanus Moldauiæ princeps Soleimannum Bassam & Ducem Romaniæ sic prostrauit: vt ex XXX. Turcorum millibus pauci admodum, qui fortè velocioribus equis insederant, euaserint. Ex Vasillo circiter XXX. millia passuum pertransitur Ister ad Brilagum, siue Braillorum oppidum: vltra quod occurrit Græcia; procedens vltra septem ora Danubii vsq; ad Pontum: vbi est campus Varnæ; celebratus primo conflictu Imperatoris Sigismundi & Ducis Burgundiæ; postmodum cæde Vladislai Pannoniæ & Poloniæ Regis atq; Legati Apostolici.

VIA PER QVAM EX VARBOSANIA ITVR VERSVS mare & montes Corbauiæ.

RELIQVVM est, vt quàm breuissimè enarretur: ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Est igitur in ea prouincia locus, qui Varbosania dicitur: caput & sedes principalis Ducis eius gentis: quò omnes ex Asia & Europa barbari prædæ ac rapinarum auidi confluunt: propterea quòd inde facilius discurritur siue ad oram maritimam, seu per Licham & montes Corbauiæ, in Liburnos, Istros Lubianam, & Forum Iulium: vel ex monte Adrio, qui fermè medius inter Bosnam

& sinum Adriaticum consistit, ad Croatiam declinando, in Carniolam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam vsq; Austriæ penetratur fines. Sed ex declinatione itinerum, quibus ad eas transitur gentes, vbi quæq; regio sita sit, plenius apparebit. Hostes itaque ex Varbosania ad planitiem Thimæ siue Sethiæ, distantem CLXXX. millibus passuum, & ad alia loca proxima mari discurrere volentes; & si plures aditus habeant: duos tamen continuis excursionibus sibi magis cognitos, & quasi faciliores frequentant: altero circa Visochii Ganzam, & Prosorium oppida descendunt ad Clissam, Spaletum, Tragurium, & Scibenicum: altero autem longius ad Cluci arcem porrecto, præter Bistrizam, intrant in Iadræ plana vsq; ad fretum, patentia: dirimens Insulas ab inuicem à promontorio Corbauiæ, cæterisq; mediterraneis locis. Verùm regrediendo ex istis campis ad Cluci oppidum & montes, vnde in hæc littora diuertitur, duæ offerunt se viæ: alia versus Bichachium & Hunam fluuiū pergens: altera per angustias Corbauiæ, plerisq; in locis transitu difficili & arcto: vix pedibus peragrando: dimissis ad læuam Nouij & Buchari oppidis; cum Istria, Tergesto, & monte Falconis, feruntur ex limitibus Bosnæ CCCXX. millibus passuum, ad Hissunitium amnem.

VIA QVÆ EX CLVCI OPPIDO VERSVS HVN FLVuium progreditur, & per quam itur in Germaniam.

SED superiorem viam tendendo; traicientes Hun fluuium ad latus Bichachii; relicta Cruppa ad dextram; semper locis campestribus spatio L. milliarium offendunt omnem regionem Croatiæ circa Modrusium, vsque ad Cruppam & Sauum fluuios. Hinc etiam in Lubianam excursiones fieri possunt per eosdem montes Corbauiæ; via stricta, lapidosa & aspera. Post Cruppam amnem sequitur Methlica: in cuius finibus est mons arduus; transitu difficilis: porrectus ad quatuor milliaria: vbi pauco admodum præsidio iter hostibus præcluderetur. Inde ad Sauum & Carniolam transcurrunt, & vltra Sauum per Ciliam, Carinthiam & Stiriam prouincias Drauo flumini adiacentes; depopulaturi dextra Muram fluuium & Austriam adoriuntur.

VIA EGNATIA EX EPIRO SIVE DYRRHACHIO, PER Æmathiam in Thraciam progrediens.

DVXI præterea peropportunum fore: si nostræ ætatis hominibus simul atq; posteris notum fieret: per quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Macedoniam siue in Orientem transibant: præsertim cùm & assidua bellorum vastitate & temporum vicissitudine nomina vrbium atq; locorum obliterata; omninoq; hodiernis Christianis militibus incognita existant. Proinde duæ sunt viæ: altera Egnatia, ex Dyrrhachio in Orientem, quam Strabo Geographus ad Hebrum fluuium Thraciæ per millia passuum DXXXV. mensus est: altera autem ex Apollonia, quæ Candauia à monte Illyrici denominatur, in Macedoniam CCLXVII. Thessalonicam vsque progrediens. Sed prior Egnatia ex Dyrrhachio per Pharsalicos & Æmathiæ campos: linquendo sinistrorsum Fandam fluuium & montes Ducagmorum circa Lisum, Æmathiæ quondam nobilissimam ciuitatē, & frequentissimos Vrachiæ & Dibri pagos, pergens ad Belgradum oppidum fermè medium inter Æmathiam, Thessalos, & Macedones; dimissis ex parte dextra Thessaloniæ montibus: læua verò Drina fluuio, peragratis syluis & nemoribus finitimorum montium, descendit in planitiem Macedoniæ, extensam versus Hebrum in Thraciam.

VIA CANDAVIÆ MARITIMA, EX APOLLONIA ad fauces Propontidis extensa.

SECVNDA verò via, quæ Candauia dicitur, ex Apollonia, vnde sumit initium Epirus, ad sinum Ambracium, præter Aulonis siue Valonæ lacum proce-

procedens: dextrorsum adiacent sibi gentes Epiroticæ, quas Siculum mare alluit. Hæc regio vulgò Arbanus nuncupatur, diu sub Aranitorum dominio habita, cum Acheloo, vel (secundum accolas) Pachicolamo amne è Pindo decurrente coniungitur. Illic terminus Epiri. Ab eo per Acarnanes ad Euium seu Phidarim fluuium, qui in os sinus Corinthiaci influit: dirimentis Ætoliam à Peloponneso, ad Anthirium flumen Isthmo pertinet. Verùm tota hæc via, superius memorata, continuè extenditur per oram maritimam, aditu quibusdam in locis aspero, & longius à mari ambiendo, ob crebros prominentes in hæc littora montes. Ea post Isthmum ab Ægæo excepta pelago, per locos Phocenses, Bæotios, Atticos, & Megarenses, Græciæ maritimos populos: circa Eubœæ atq; Thessalonicæ sinus dimissa ad læuam Larissa, descendit vsq; Thessalonicam clarissimam Macedoniæ vrbem. Dehinc rursus ad latus eiusdem freti versus Meridiem, Athon montem declinando: per plana & montes Strymonem transgrediens, qui Macedones à Thracibus diuidit, locis semper maritimis ad Æmionem oppidum extenditur; vbi Hebrus Thraciæ fluuius Ægæo immergitur ęquori. Hinc duo patent itinera: alterum per LX. milliaria versus Adrianopolim: alterum autem ad læuam per pontem Æginæ: supra paludes & lacus miro artificio tribus millibus passuum extensum, præbetur accessus ad Callipolim ex ea in occasum diuertendo, facilè ad fauces peruenitur Propontidis siue Dardanellum. Hæc sunt itinera à Romanis olim toties peragrata exercitibus: nunc à Christianis obnixius affectanda; si pulsis ex Europa barbaris perpetua pace potiri concupiscunt. Non est itaq; expectandus hostis: neq; dimicandum cum eo in limitibus & gremio Italiæ. In Epirum siue Macedoniam transportandæ sunt copiæ vno atq; eodem momento. Hinc ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum esse, nemo iam ambigit: non defuturum enim militem neq; commeatum; omniaq; necessaria præsto fore. Aderunt & ex circumfinitimis prouinciis vndiq; fideles populi, solam expeditionem Christianam præstolantes, parati hostes vndiq; adoriri, vbi primùm senserint Christianorum castra Istrum, & ex Italia exercitum Adriæ fretum traiecisse. Hæc est vna atque extrema via debellandi hostem. Legimus namq; Alexandrum Magnum cum Dario Persarum Rege in Asia decertasse. Xerxes ne ab Atheniensibus in regno suo circumueniretur, prior ipse Græciam inuasit. Hannibalis quoq; vna atq; eadem sententia semper erat, vt in Italia bellum gereretur, neque ab ea iam victor reuocari potuit prius, quàm translato in Aphricam bello. Cæsari etiam tanta in opprimendis hostibus celeritas inerat, vt plerumq; ipse famam sui aduentus præueniret. Sed prætermittenda sunt tot exterarum gentium exempla, solummodo vnum relinquitur dignum memoria, ac celebrandum posteris documentum Ioannis Huniadis, qui nunquam passus est Turcos aduersus Christianos expeditionem mouisse: quin eos in ipsa Thracia aggrederetur. Cuius præclara ac sanctissima pro defensione orthodoxæ Reipub. incepta nostræ tempestatis principes æmulari atque imitari, Dominus IESVS CHRISTVS, DEVS OPTIMVS MAXIMVS faxit.

FINIS.